Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

EXPOSITIO
JURIS PONTIFICII
JUXTA RECENTIOREM ECCLESIÆ DISCIPLINAM
IN DUAS PARTES DISTRIBUTA,

AUCTORE
UBALDO GIRALDI
A SANCTO CAJETANO
Clericorum Regularium Scholarum Piarum,
APOSTOLICO ROMANI CLERI EXAMINATORE,
ET COLLEGII ECCLESIASTICI RECTORE.

PARS PRIMA
TOMUS SECUNDUS.



ROMÆ, MDCCLXIX.
EX TYPOGRAPHIA CAROLI BARBIELLINI
IN VIA CURSUS

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

PARS PRIMA

EX LIBRO IV. DECRETALIUM

TITULUS I.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

SECTIO DCXLVIII.

CAPUT IV. AD AUDIENTIAM, *ex Decretali Alexandri III. Lanfranco, in Papiæ Epiſcopum electo ſcripta.*

AD audientiam noſtri Apoſtolatus pervenit, quod cum H. Papienſis civis, filiam ſuam cuidam filiorum L. dare vellet uxorem, juravit, quodſi ille eam habere, caſu aliquo interveniente, non poſſet, alteri filio, quem de alia uxore genuerat, eandem matrimonio copularet Contractis autem a filio priore ſponſalibus, quidam conſanguinitatem inter eos eſſe, juramentis interpoſitis, firmaverunt; ideoque præfatus H. eandem dare alteri filio nititur, ut juravit. Sed quoniam ſcriptum eſt, quod ſponſam fratris, frater habere non poteſt; mandamus, quatenus eum ſuum implere propoſitum non permittas; ſed ut pœnitentiam agat de illicito juramento, monitione præmiſſa, eccleſiaſtica diſtrictione compellas.

Plures DD. hanc Decretalem exponentes, aſſerunt, impedimentum publicæ honeſtatis, ortum ex ſponſalibus contractis cum conſanguinea, hic extendi a Pontifice uſque ad quartum gradum, quod etiam extenſum inquiunt a Bonif. VIII. *in cap. unic. ex Sponſalibus, hoc eod. tit. in VI.* De neutro tamen id ſatis conſtat, cum ne verbum quidem alteruter faciat hujus extenſionis, neque id colligatur ex ipſorum contextu. Miſſo nihilominus, quod ab iis extenſum fuiſſet, nunc certum eſt ex Tridentino *cap. III. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* hujuſmodi impedimentum ex ſponſalibus, quando validæ ſunt, non excedere primum gradum (ſive agatur de conſanguinea in linea recta, ſive in linea collaterali, cum idem Tridentinum indiſtincte loquatur) & ſi ſponſalia nulla ſint ex quacumque ratione, nullum pariter declarat oriri impedimentum, ibi.

Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia, quacumque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.

Quo Trident. decreto non ſolum correta eſt dicta Bonifacii Decretalis, in quantum aſſerit, *ex ſponſalibus invalidis oriri impedimentum, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus*; verum etiam hæc Alexandri, in quantum ex ejus contextu infertur, ſponſalia, primo hic inita cum conſanguinea, ideoque invalida, inducere, hoc non obſtante, impedimentum: quod juxta dicta nunc falſum eſt.

Si vero dictum impedimentum ortum fuerit ex matrimonio, etiam tantum rato, declaratum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Ad Romanum*, 1. *Julii* 1568. extendi uſque ad quartum, ibi.

Sane ad aures noſtras pervenit, multos eſſe, qui dubitent, an decretum œcumenici Concil. Trid. ſeſſ. XXIV. de reformat. matrimonii cap. III. quo cavetur, impedimentum publicæ honeſtatis, ubi ſponſalia valida non fuerint, prorſus tolli, ubi vero valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in ulterioribus gradibus non poſſit hujuſmodi prohibitio ſervari, de ſponſalibus per verba, (ut ajunt) de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba de præſenti contracta, non tamen conſumata, quæ interdum ſponſalia appellantur, comprehendat, ita ut etiam eo caſu impedimentum inde proveniens ſublatum fuerit.

Nos itaque, ut omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes, quod ſponſaliorum appellatione, qua dictum Conc. utitur, nonniſi improprie matrimonium verbis de præſenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione juris veteris, quo caſu ſecundum proprietatem verborum dumtaxat procedendum eſt, præſertim cum longe majorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præſenti contracto, quam in ſponſalibus de futuro vigere a nemine dubitetur. Idcirco declaramus, & definimus, decretum Concilii hujuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio ſic, ut præfertur, contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de jure vetereri ante prædictum decretum Concilii introductum erat. Et ita ab omnibus judicari debere, mandamus atque ſtatuimus.

Quod, ſi quæras, an hactenus dicta de impedimento ex matrimonio rato, valeant etiam quando hoc nullum eſt, affirmative reſpondeo, dummodo non ſit nullum ex defectu conſenſus. Ratio eſt, quia ex una parte Tridentinum nihil innovavit circa impedimentum ex matrimonio rato: ex altera S. Pius V. declaravit, ab omnibus judicandum, quod illud perſeveret in omnibus iis caſibus, & gradibus, quibus jure veteri ante dictum Concilii decretum introductum erat. Cum ergo juxta communem DD. ſententiam eo tunc ita foret introductum, ut ex matrimonio rato, quantumvis nullo, oriretur impedimentum uſque ad quartum gradum, dummodo non eſſet nullum ex defectu conſenſus; ideo etiam nunc id valet, & ita declaraſſe Sacram Congregationem Conc. refertur in voto, eidem Congr. tradito a Secretario Lambertini die 21. Novembris 1722. ad ultimum dubium, *ut in Theſauro Reſolutionum ejuſd. Cong. tom. II. pag.* 241. & 244.

SECTIO DCXLIX.

CAPUT VIII. SPONSAM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III. Epiſcopo Vigilienſi ſcripta.*

SPonſam alterius (maxime ſi eſt nubili ætati proxima) nullus conſanguineorum aliquo modo ſibi poteſt matrimonio copulare.

Cum hæc Decretalis exprimat indefinite, quod nullus conſanguineorum ducere poſſit ſponſam alterius, neſcio cur aliqui aſſerant, per eam extenſum fuiſſe impedimentum, ex ſponſalibus determinate, uſque ad quartum gradum. Potius dicendum eſt, Alexandrum hic reſpexiſſe antiquos Canones, recenſitos etiam a Gratiano *Can. XIV. Si quis, & XV. Si quis, cauſ. XXVII, quæſt. II.* quorum primum ſignanter intelligi poteſt, ut ibi notat Gloſſa, de ſponſa, ſive de præſenti, ſive de futuro. Quidquid ſit de hoc, ſi per ſponſam in hac Decretali intelligitur ſponſa de præſenti, dico eandem fuiſſe correctam per *cap. Non debet, de Conſanguinit. & affinit.* quod reſtrinxit impedimentum ad quartum gradum incluſive. Si vero intelligatur ſponſa de futuro, ſubeſt correctioni Tridentini, ut mox notatum eſt.

SECTIO DCL.

Caput X. Ex literis, *ex Decretali laudati Alexandri, Pictavienſi Epiſcopo ſcripta.*

EX literis Sylvani Epiſcopi accepimus, quod cum duo nobiles viri ſui Epiſcopatus, G. ſcilicet de Monſtra, & B. filios, & filias impubeſcentes haberent, inter ſe convenerunt, quod eos ad invicem matrimoniis copularent: & hoc tam patres, quam filii ſub juramento ſe promiſere facturos: inter quos ſiquidem G. filiam alterius, conſentiente patre, ſe ſemel, & iterum juravit ducere in uxorem: quo volente ad alia vota migrare, eum Epiſcopus compellere voluit, ut quod juraverat, adimpleret (& infra.) Quia igitur prædicto G. periculoſum eſt contra ſuum juramentum venire: fraternitati tuæ mandamus, quatenus, ſi hoc tibi conſtiterit, eum moneas, & ſi non acquiverit monitis, eccleſiaſtica cenſura compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſtiterit (in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.

In hac Decretali ſtatuitur, virum ſine rationabili cauſa reſilientem a jurata promiſſione alieni nubendi, compellendum eſſe ſub pœna excommunicationis ad contrahendum matrimonium, ne contra juramentum veniat: & proinde ex contrario ſenſu deducitur, non eſſe per dictam cenſuram compellendum, ſi promiſſio non fuerit jurata. Verum Rota, coram Buſſio in *Majoricen. Sponſalium*, 25. *Aprilis* 1746. §. *IX.* ſentit, ex veriori recepta opinione etiam cogendum eſſe per cenſuram, licet ex parte illius ſponſalia non fuerint jurata.

Et quamvis Lucius III. poſterior Alexandro, in ſequenti Decretali, Epiſcopo Ravellenſi reſcripta, *relata hoc eod. tit. in cap. XVII. Requiſivit*, videatur aliter diſpoſuiſſe quoad compulſionem inferendam per cenſuram, eum ſtatuat, reſilientem monendum eſſe potius, quam cogendum, ea ratione quod = Libera debeant eſſe matrimonia = non inde tamen infertur, eidem Alexandri Decretali derogaſſe, cum in ea caſus erat de viro, hic autem de muliere, ut legenti patet.

Requiſivit a nobis tua Fraternitas, qua cenſura mulier compelli debeat, quæ, jurisjurandi religione neglecta, nubere renuit, cui ſe nupturam, interpoſito juramento, firmavit (& infra.) Ad quod breviter reſpondemus, quod cum libera debeant eſſe matrimonia, monenda eſt potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere.

Quidquid in contrarium ad hanc eandem Decretalem ſenſerit Gloſſa, & DD. communiter, fortaſſe ducti ex litera ſummarii, erronee contra literam textus, his verbis exarati = *Qui juravit cum aliqua contrahere, moneri potius debet, quam compelli, ut contrahat* = cum ſupponat, juramentum nubendi præſtitum fuiſſe a viro, quando textus refert, præſtitum fuiſſe a muliere. Et ita has duas Decretales conciliavit citata Rotæ deciſio, his innixa rationibus. I. Quod mitius cum fœmina procedendum ſit propter faciliorem cenſurarum contemptum, difficilioremque coacti matrimonii exitum ob ſexus imbecillitatem. II. Propter leve præjudicium, quod viro irrogaret, a ſponſalibus reſiliendo, qui cæteroquin repudiatus, facile alteri poſſet nubere, non ſic fœmina ob periculum famæ, quod ſubiret, ſaltem apud vulgares homines, propter pravæ converſationis ſuſpicionem, quam cum eodem viro præſumi poſſet interceſſiſſe.

Cæterum in praxi, ſtante etiam irrationabili cauſa reſiliendi a jurata, vel non jurata promiſſione reſpectu viri, cavere debet ſummopere judex eccleſiaſticus, ne ita facile ad compulſionem deveniat, ſive per cenſuras, ſive per alias pœnas, ne remedio deterior exitus oriatur, quem Lucius III. ex hujuſmodi coactione merito eventurum timebat.

Imo ob eandem rationem, ſi poſt inflictam cenſuram, adhuc obdurato animo in reſiliendo perſiſteret, ſentiunt communiter DD. relati a Reinfeſt. *hoc tit.* §. *V. num.* 163. *& ſeq.* debere dimitti, & abſolvi.

Nec, ſi poſt legitimas monitiones non reſipiſcat, privandus eſt Sacramentis, ac communione, & familiaritate fidelium: nec itidem puniendus tamquam de hæreſi ſuſpectus, ſi in cenſura per annum inſordeſceret, juxta præſcriptum a Conc. Trid. *cap. III. ſeſſ. XXV. de reform.* quia univerſalis Eccleſiæ praxis, & conſuetudo eſt, ut hæc conciliaris diſpoſitio non obſervetur, quando agitur de matrimonio contrahendo, in quo libertas eſt de eſſentia. Quæ tamen obſervari deberet, ſi jam excommunicatus renueret ſedictæ mulieri, aut dare dotem, aut damnum compenſare; cum ad hujus executionem libertas non requiratur, ſicut ad matrimonium.

SECTIO DCLI.

Caput XI. Non est vobis, *ex Decretali Alexandri III Archiepiſcopo, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, univerſoque Clero per Angliam, & ciſmaritanam terram Regis Anglorum conſtituti ſcripta.*

NON eſt nobis (ſicut arbitramur) incognitum, qualiter Rex Anglorum pro diſcordia, quæ inter ipſum, & filios ſuos eſt ſuborta, uxores eorum detineat (& infra.) Nos itaque attendentes, juſtum, & honeſtum eſſe, ut viri ſuas petant uxores: mandamus, quatenus eundem Regem, ad eas reſtituendas ſolicite moneatis; & ſi juxta commonitionem veſtram, filiis ſuis uxores ſuas intra certum terminum non reſtituerit, ex tunc in quacunque provinciarum veſtrarum detinentur, vel transferuntur, donec ibi fuerint, nulla divina officia (præter baptiſmum parvulorum, & pœnitentias morientium) celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari.

Hæc Decretalis, in qua tempore interdicti permittitur tantum collatio baptiſmi parvulorum, & adminiſtratio Sacramenti Pœnitentiæ, ampliata eſt ab Innocentio IV. in *cap. XI. Quod in te, de Pœniten. & remiſs.* tum a Bonifacio VIII. *in cap. XIX. Quoniam, de Senten. excom. & cap. XXIV. Alma mater, eod. tit. in VI.* ut infra oſtendam *ad cit. tit. de Pœnit. & remiſs.*

SECTIO DCLII.

Caput XIV. Cum locum, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Syro Epiſcopo Papienſi ſcripta.*

CUM locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intervenit, neceſſe eſt, ut ubi aſſenſus cujuſquam requiritur, coactionis materia repellatur: matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur: & ubi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cujus eſt animus indagandus; ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire. Quocirca mandamus, quatenus puellam, de cujus matrimonio quæſtio ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oporteat, facias honeſte teneri, donec prædicta cauſa terminata fuerit, & ſententia ſine contradictione cujuſquam valeat executioni mandari.

In hac Decretali ſtatuitur, I. Matrimonium ſolo conſenſu contrahi, II. Ut ſententia ſuper ejus validitate, aut nullitate feratur ab Epiſcopo, ſed hodie ad valide contrahendum requiritur ulterius ut conſenſus præſtetur coram parocho, & teſtibus juxta decretum Tridentini, ut notabo infra.

Quoad ſententiam vero illius validitatis, aut nullitatis, tam circa cauſæ cognitionem, quam circa ejuſdem ſententiæ prolationem, attendenda eſt ſequens Conſtitutio Benedicti XIV. *Dei miſeratione, ſub die 3. Novembr.* 1741. ita ſancientis, ibi.

Quod autem ad Judices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro litigantium commodo cauſæ matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de juſtitia unicuique integre, ſapienterque adminiſtranda ſoliciti eſſe debemus, encyclicis literis ad venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſcriptis vigeſimaſexta Auguſti anno ſecundo Pontificatus noſtri, providere curavimus, in quibus ea præſcripſimus, quæ ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis conſona, ſi diligenter, ut ſperamus, ſerventur, in poſterum cauſæ, nonniſi perſonis congrua juris peritia, & neceſſariæ probitatis, ſpectatæque fidei munitis præſidio committentur. Inſuper ad ea, quæ in iiſdem encyclicis literis conſtituta ſunt, id etiam in præſenti adjungimus: quod quamvis Concilii Tridentini decretum, quo cauſæ matrimoniales ſubtractæ fuerunt Decani, Archidiaconi, & aliorum inferiorum judicio, & Epiſcoporum tantum examini, & juriſdictioni reſervatæ, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis aliiſque inferioribus, qui in eadem diœceſi conſtituti, vel privilegio aliquo, vel præſcriptione, ſaltem in viſitatione, cauſarum matrimonialium cognitionem ſibi adrogabant; ac idcirco minime obſtet commiſſionibus, quæ, pro iiſdem cauſis ma-

matrimonialibus definiendis, a Sede Apoſtolica alicui eorum in ſecunda inſtantia fierent, nihilominus præcipimus, ac mandamus iis, ad quos hujuſmodi commiſſionum, ſeu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum cauſarum matrimonialium cognitionem non committant, niſi Epiſcopis, præſertim vicinioribus, vel ſi nullus ſit Epiſcopus, cui ex legitima cauſa commode committi poſſit, tum commiſſio, & delegatio dirigatur uni ex iis, qui ſecundum ordinem, & modum, a nobis in præfatis encyclicis literis præſcriptum, pro Judice idoneo ab Epiſcopo cum conſilio ſui capituli nominatus fuerit.

Quod vero ad ordinem, & ſeriem judiciorum in cauſis matrimonialibus pro debita, & congrua earum terminatione, ſervandum ſpectat; motu proprio, certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra, in perpetuum valitura ſanctione conſtituimus, decernimus, ac jubemus, ut ab omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis in ſuis reſpective diœceſibus perſona aliqua idonea eligatur, & ſi fieri poteſt, ex eccleſiaſtico cœtu, juris ſcientia pariter, & vitæ probitate prædita, quæ matrimoniorum defenſor nominabitur, cum facultate tamen eam ſuſpendendi, vel removendi, ſi juſta cauſa adfuerit, & ſubſtituendi aliam æque idoneam, & iiſdem qualitatibus ornatam; quod etiam fieri poterit, quotieſcumque perſona ad matrimoniorum defenſionem deſtinata, cum ſe occaſio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

Ad officium autem defenſoris matrimoniorum hujuſmodi, ut ſupra electi, ſpectabit, in judicium venire, quotieſcumque contigerit, matrimoniales cauſas ſuper validitate, vel nullitate coram legitimo judice diſceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adeſſe examini teſtium, voce, & ſcriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad matrimonium ſuſtinendum neceſſaria cenſebit.

Et demum defenſoris hujuſmodi perſona, tanquam pars neceſſaria, ad judicii validitatem, & integritatem cenſeatur, ſemperque adſit in judicio, ſive unus ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, ſive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in judicium veniant. Defenſor autem, cum ei munus hujuſmodi committetur, juramentum præſtabit fideliter officium ſuum obeundi, & quotieſcumque contigerit, ut in judicio adeſſe debeat pro alicujus matrimonii validitate tuenda, rurſus idem juramentum præbebit: quæcumque vero, eo non legitime citato, aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, caſſa declaramus, ac pro nullis, caſſis, ac irritis haberi volumus, perinde ac ſi citata, & intimata non eſſet ea pars, cujus citari intererat, & quam juxta legum, & Canonum præſcripta ad legitimam judicii validitatem, citari, aut intimari omnino neceſſarium erat.

Cum igitur coram Ordinario, ad quem cauſas hujuſmodi cognoſcere pertinet, controverſia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, & exiſtentibus in judicio, vel uno ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defenſor matrimonii partes omnes officii ſui diligenter adimpleat. Itaque ſi a Judice pro matrimonii validitate judicabitur, & nullus ſit, qui appellet, ipſe etiam ab appellatione ſe abſtineat, idque etiam ſervetur, ſi a Judice ſecundæ inſtantiæ pro validitate matrimonii fuerit judicatum, poſtquam Judex primæ inſtantiæ de illius nullitate ſententiam pronunciaverat; ſin autem contra matrimonii validitatem ſententia feratur, defenſor intra legitima tempora appellabit, adhærens parti, quæ pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus ſit, qui pro matrimonii validitate negocium inſiſtat, vel ſi adſit, lata contra eum ſententia judicium deſerverit, ipſe ex officio ad ſuperiorem Judicem provocabit.

Appellatione a prima ſententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oſcitantiam, vel colluſionem defenſoris, & partium, interpoſita, ſi ambo, vel unus ex conjugibus novas nuptias celebrare auſus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non ſolum ſerventur, quæ adverſus eos, qui matrimonium contra interdictum Eccleſiæ contrahunt, ſtatuta ſunt, præſertim, ut invicem a cohabitatione ſeparentur, quoadusque altera ſententia ſuper nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non ſit appellatum, vel appellatio interpoſita deſerta deinde fuerit; ſed ulterius, ut contrahens, vel contrahentes matrimonium hujuſmodi, omnibus pœnis contra poligamos, a ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis conſtitutis, omnino ſubjaceant, quas in eos, quatenus opus ſit, motu, ſcientia, ac poteſtate ſimili rurſus ſtatuimus, decernimus, ac renovamus.

Poſtea

Digitized by Google

Poſteaquam vero, appellationis beneficio, ad alterum Judicem cauſa in ſecunda inſtantia delata fuerit, omuia, & ſingula quæcumque coram Judice in prima inſtantia ſervanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in ſecunda exacte, ac diligenter cuſtodientur, citato in quolibet Judicii actu defenſore matrimonii, qui voce, & ſcripto matrimonii validitatem ſtrenue, ac pro viribus tuebitur. Et ſi Judex in ſecunda inſtautia tuit Metropolitanus, aut Sedis Apoſt. Nuncius, aut Epiſcopus vicinior; matrimonii defenſor ſit, qui ab ipſis fuerit deputatus, quemadmodum ipſis deputare mandamus, ut quæ a Nobis ſuperius conſtituta ſuut, peragere poſſit: ſi autem Judex in ſecunda inſtantia erit Judex commiſſarius, cui a Sede Apoſtolica cauſæ cognitio demandata ſit, & qui tribunal, & jurifdictionem ordinariam non habeat, & propterea careat defenſore matrimonii, volumus, ut illo defenſore matrimonii utatur, qui conſtitutus fuerit ab Ordinario, in cujus diœceſi cauſam cognoſcet, etiam ſi idem Ordinarius ſit, qui primam ſententiam in eadem cauſa pronunciaverit.

Inſtructo autem in hunc modum judicio, ſi ſecunda ſenteutia alteri conformis fuerit, hoc eſt, ſi in ſecunda, æque ac in prima, nullum, ac irritum matrimouium judicatum fuerit, & ab ea pars, vel defenſor pro ſua conſcieutia non crediderit appellandum, vel appellationem interpoſitam proſequendam miuime cenſuerit: in poteſtate, & arbitrio conjugum ſit novas nuptias contrahere; dumodo alicui eorum, ob aliquod impedimeutum, vel legitimam cauſam id vetitum non ſit. Poteſtas tamen poſt alteram ſententiam conformem, ut ſupra, conjugibus facta intelligatur, & locum habeat, ſalvo ſemper, & firmo remanente jure, ſeu privilegio cauſarum matrimonialium, quæ ob cujuſcumque temporis lapſum nunquam tranſeunt in rem judicatam; ſed ſi nova res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, reſumi poſſunt, & rurſus in judicialem controverſiam revocari: quod ſi a ſecunda ſententia ſuper nullitate, vel altera pars appellaverit, vel hujuſmodi ſit, ut ei, ſalva conſcientia, defenſor matrimonii acquieſcendum non putet, vel quia ſibi videtur manifeſte injuſta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia inſtantia, & ſit revocatoria alterius præcedentis ſuper validitate, in ſecunda inſtantia emanatæ, volumus, ut, firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias tranſeundi nuptias, quas ſi contrahere auſi fuerint, pœnis, ut præfertur, a Nobis conſtitutis ſubeſſe decernimus, cauſa in tertia, vel quarta inſtantia cognoſcatur, ſervatis diligeuter omnibus, quæ a Nobis in prima, & ſecunda inſtautia demandata fuerunt, uempe, in quolibet judiciali actu, citato, & audito defenſore matrimonii, qui a Judice tertiæ inſtantiæ deputatus fuerit.

Defenſor autem matrimonii, quem ad munus ſuum gratis obeundum pro amore Dei, & proximi utilitate, & Eccleſiæ reverentia, in Domiuo exhortamur, ſi operam ſuam ſine mercede, aut ſalario, aliqua ex cauſa exhibere recuſaverit, ab ipſius cauſæ Judice ei conſtituatur, & ab ea parte, quæ pro validitate matrimonii agit, ſi ipſi facultas ſit, ſolvatur; ſin minus, a Judice primæ, vel ſecundæ, vel tertiæ inſtantiæ reſpective ſubminiſtrabitur, qui pecunias ex multis ſuorum tribunalium redactas, vel redigendas, & in opera pia erogandas, in hujuſmodi ſumptus inſumere poterunt. Cum vero Judices cauſæ, erunt Judices commiſſarii, qui neque forum habent, & conſequeuter neque pecuniam ex multis collectam, volumus, ac mandamus, ut defenſori matrimonii ſatisfiat ex pecunia multarum illius Epiſcopi, in cujus diœceſi Judex commiſſarius, juxta Sedis Apoſtol. mandatum, judicium exercebit.

Hactenus quidem quoad cauſas matrimoniales, quæ extra Romanam Curiam pertractantur. Quoad cauſas vero, quæ Romæ diſceptandæ ſunt, cum earum cognitio in prima inſtantia ad S. R. E. Cardinalem, in præfata Urbe, ejuſque ſuburbiis, & diſtrictu, Vicarium noſtrum in ſpiritualibus pro tempore ſpectet; mandamus, ac jubemus, ut omnia, & ſingula, quæ in aliis cauſis extra Romanam Curiam pertractandis præſcripta fuerunt, nempe, ut judicium peragatur, citato, & audito defeuſore matrimonii, ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut ſupra, omniuo ſerventur: tum etiam in aliis cauſis, quæ in prima inſtantia, ex conſenſu partium, vel in ſecunda, per appellationem ad Sedem Apoſtolicam, omiſſo medio, interpoſitam, vel in tertia, Romam deferuntur, quas omnes judicari volumus, vel in Congregatione S.R. E. Cardinalium ſuper interpretatione, & executione Concilii Tridentini, vel in cauſarum Palatii noſtri Auditorio, dummodo Nobis, & Romano Pontifici pro tempore juſtis ex cauſis non videatur particularis Congregatio S.R. E. Cardinalium, vel Romanæ Curiæ Prælatorum deputanda. Cum autem cauſa ſuper matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concil. Trid. Interpretum, defenſor matrimonii a Cardinali Præ-

ſecto

fecto ejuſdem Congregationis : ſi vero in Palatii noſtri Auditorio, ab Auditore Decano præfati tribunalis : ſi demum in Congregatione particulari, a perſona ejuſdem Congregationis digniore deputetur.

Unica quidem reſolutio pro nullitate matrimonii emanata, ſi cauſa in Congregatione Cardinalium Conc. Trid. interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoſcatur, & ſimiliter in Palatii noſtri Auditorio, uuica ſententia ſuper eadem nullitate pronunciata minime ſufficiat ad tribuendam liberam conjugibus facultatem novas nuptias contrahendi. Sed, ſi cauſa in præfata Congregatione Cardinalium Tridentini Concil. interpretum introducta fuerit, rurſus in eadem, ad defenſoris matrimonii inſtantiam reproponatur; ſi vero Congregationi particulari commiſſa fuerit, ad petitionem ejuſdem defenſoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; ſi vero in Palatii noſtri Auditorio judicata ſit, a præfato defenſore, appellatione interpoſita, ab aliis Auditoribus juxta ordinem in gyrum, ſeu turnum definiatur; ſi autem cauſa univerſo tribunali commiſſa fuerir, ab omnibus Auditoribus rurſus examinabitur: nolentes omnino, ut ullo in caſu matrimonii vinculum diſſolutum cenſeatur, niſi duo judicata, vel reſolutiones, aut ſententiæ penitus ſimiles, & conformes, a quibus neque pars, neque defenſor matrimonii crediderit appellandum, emanaveriut. Quod ſi ſecus factum fuerit, & novum initum matrimonium, noſtræ voluntatis hujuſmodi transgreſſores pœnis a Nobis, ut ſupra, ſtatutis ſubmittantur.

Et quoniam ſæpe apud Sedem Apoſtolicam preces porrigi ſolent pro diſpenſatione matrimonii rati, & non conſummati, quæ ut plurimum pro voto conſultivo ad Congregationem S.R.E. Cardiualium Concil. interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti ſolent; ut hujuſmodi inſtantiæ ordine, ac rite procedant, volumus, ac mandamus, ut ſupplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, & accurata totius facti ſpecies contineatur, cauſæque omnes in eo exprimantur, quæ ad obtinendam petitam diſpenſationem conducere poſſe a ſupplicante cenſentur; ut Romanus Pontifex, eo lecto, & mature conſiderato, ſecum deliberare poſſit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat; a qua, poſteaquam ſuum votum conſultivum editum fuerit, a Secretario ejuſdem Congregationis totius negocii ſeries exacte Romano Pontifici pro tempore referatur; qui pro ſua providentia judicabit, an Congregationis reſolutio ſit approbanda, vel potius totius cauſæ examen alteri Congregationi, vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rurſus committendum.

In literis autem encyclicis, incipien. *Quamvis paterna*, *datis ſub die 26. Auguſti ejuſdem anni* 1741. de quibus mentio fit in ſupra tranſcripto §. *Quod autem*, ita diſponitur.

Quamvis paternæ vigilantiæ, qua de juſtitia unicuique integre, ſapienterque adminiſtranda ſoliciti eſſe debemus, jamdiu innotuerit, quod cauſæ extra noſtram Romanam Curiam, pro litigantium commodo, ad partes (ut ajunt) committi ſolitæ, iis quandoque decidendæ, ac fine debito terminandæ delegentur, qui tum congrua juris peritia, tum quoque probitatis, ſpectatæque fidei præſidio deſtituuntur; acerbiori nihilominus doloris ſenſu perculſi fuimus, poſtquam hujuſmodi abuſum, rumore publico evulgatum, multorum querelis ad Apoſtolicam Sedem delatum, eorumque literis, ad Nos crebro datis, apertius ſenſimus confirmari. Rationes præterea, & peculiares cauſæ dicti abuſus cum Nobis plures in eiſdem literis obtenderentur, eas potiſſimum referri perſpeximus eximio Protonotariorum, non participantium, numero, quibus, utpote in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, in more poſitum eſt, dictas cauſas delegari, licet tempore quo ad hujuſmodi dignitatis, & officii gradum provehuntur, nulla meritorum, & qualitatum fiat diligens inquiſitio, nec ſedulo examinetur, an polleant requiſitis ad jus dicendum, & juſtitiæ habenas moderandas neceſſariis.

Quam graves curas id animo noſtro ingeſſerit, quamve intimo mærore affecti ſimus, ubi aliorum res, & negocia, ob Judicum ignorantiam, & malitiam, periclitari, & in diſcrimen adduci reſcivimus; intelliget plane cui perſpectus erit ille, quo ſemper incenſi ſumus, juſtitiæ adminiſtrandæ zelus. Sed cum ſilere diutius, pro commiſſa Nobis populorum ſalute, paterna charitas non pateretur, & ad propulſandam hanc corruptelam, reſtituendamque judiciorum integritatem, congruis remediis manus admoveremus; novimus non recentes, ſed

obſole-

obſoletas eſſe huiuſmodi querelas, atque rem eſſe non de morbo nunc ingruente, ſed jamdudum invecto: remedia ad illum avertendum non eſſe modo excogitanda, ſed antiquitus præſtituta: originem vero non Curiæ noſtræ Romanæ, ſed iis adſcribi oportere, qui de praxi ejuſdem Curiæ iniuſte nimis conqueruntur.

Si enim longe præteriti temporis ratio habeatur, facile quiſque conjicet fel. record. Bonifacio Papæ VIII. has querimonias fuiſſe ſuggeſtas, eundemque Pontificem adimplendas Apoſtolici regiminis partes, ſua Decretali *Statutum*, *de Reſcriptis in VI.* conſulto præſcripſiſſe, ne a Sede Apoſtolica, ejuſque Legatis cauſæ in poſterum aliis delegarentur, quam perſonis in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, & quibus ſive perſonatus, ſive canonicatus in aliqua cathedrali Eccleſia obtigiſſet: judicia præterea non in obſcuro, ſed in inſigni, & populoſo Oppido, ac in Urbibus inſtrui oportere, in quibus peritorum Judicum copia commode haberi poſſet. Sacro etiam Concilio Tridentino hanc ipſam imperitorum Judicum querelam propoſitam fuiſſe, fas eſt credere: poſtquam etenim *ſeſſ. XXV. de Reform. cap. X.* præmiſſum fuit, a Sede Apoſtolica Judicibus non undequaque idoneis cauſas in partibus delegari, & id fieri tum ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, tum quoque ob locorum longiquitatem, a quibus notitia perſonarum, quibus cauſæ mandentur, haberi non poteſt. = Statuit eadem Sancta Synodus, in ſingulis Conciliis provincialibus, aut diœceſanis aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII. & alioquin ad id aptas deſignari, quibus in poſterum cauſæ committerentur; & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigeret, ſubſtitueret Ordinarius loci cum conſilio capituli alium in ejus locum, uſque ad futuram provincialem, aut diœceſanam Synodum: ita ut haberet quævis diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas, & qualificatas perſonas, quibus huiuſmodi cauſæ committerentur; alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad Summum Romanum Pontificem tranſmitterent, delegationes quæcumque aliorum Judicum, aliis, quam his factæ, ſubreptitiæ cenſerentur =.

Cum vero Concilia provincialia quolibet triennio, diœceſana anno quolibet ex præſcripto Trident. cogenda, ob varia, quæ obverſantur impedimenta, longius protrahantur, nec Epiſcopis ſubſit quandoque certa ſpes, quod iis propere ſublatis, dicta Concilia haberi poſſint, atque in illis deſignari novi Judices ſynodales, in locum illorum, qui defecerunt: ſæpe idcirco Congregatio Conc. Trid. interpres a locorum Ordinariis requiſita, conſultiſſime reſpondit, ſubrogandorum Judicum electionem ab Epiſcopis eſſe faciendam cum conſilio capituli.

Providæ igitur, & vetuſtæ hujuſmodi leges palam evincunt, antiqua eſſe vulnera in hac parte diſciplinæ illata, illaque modo recrudeſcere, non quia congrua deſit medela, ſed quia negligitur ad præſcriptum canonicarum ſanctionum Judicum synodalium deſignatio, quorum notitia, ſi Romano pro tempore Pontifici exhibita fuiſſet, eiſdem tantummodo Judicibus facta fuiſſet cauſarum delegatio, ſemota quavis querelarum occaſione.

Dum minoribus in hac Curia muneribus, atque illo præſertim Secretarii Congregationis Concilii fungeremur, nihil Nobis fuit antiquius, quam Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis hoſce ſenſus ingerere, eoſque pro viribus ad has eccleſiaſticas leges cuſtodiendas ſedulo commonere: nunc vero imperſcrutabilis conſilii altitudine ad ſupremum Apoſtolatus faſtigium, licet immerentes, evocati, paſtoralis officii exigit ratio, ut noſtris hiſce literis certa vobis in poſterum methodus præſcribatur, ad quamcumque dubiorum, & querelarum occaſionem avertendam. Volumus itaque, & mandamus, quod in iis diœceſibus, in quibus vigiles Eccleſiarum Antiſtites ad tramites Tridentinæ Synodi Judices elegerunt in Conciliis, ſive provincialibus, ſive diœceſanis, electorum nomina quamprimum Nobis renuncient; & ſi forte unum, vel plures illorum mori contingat, antequam denuo eadem Concilia cogantur, decedentibus ſubrogentur novi Judices, eligendi ab Epiſcopo cum conſilio capituli, qui nomina ſubrogatorum in dicto munere, uſque ad diem Synodi duraturo, Nobis itidem ſignificent. Ubi vero Concilia provincialia, & synodalia jamdiu coacta non ſunt, nec ulla idcirco facta dignoſcitur Judicum electio; pro injuncta humilitati noſtræ omnium Eccleſiarum ſolicitudine, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Domino jugiter hortamur, & obteſtamur, ut ſublatis quibuſvis impedimentis, eadem Concilia, ſicubi omiſſa ſunt, quamprimum haberi curent; interim vero cum conſenſu ſuorum capitulorum Judices eligant, & nomina electorum in Albo redacta Nobis remittant; & ſi mori aliquem contingat, alios cum conſilio capituli ſufficiant, ſuffectoſque Nobis indilate denuncient. Quo autem ad numerum eligendorum, etſi Tridentini decreto cautum ſit, quatuor ſaltem in unaquaque diœceſi eligi debere, plures nihilomi-

nus

nus eligi volumus, ſi diœceſis amplitudo, aliæque peculiares circumſtantiæ id probe expoſcere videantur.

Monitos tamen eſſe volumus locorum Ordinarios, quod licet ad tramites præmiſſæ Decretalis Bonifacii VIII. cui etiam conſona ſunt diſpoſita a Tridentino, facultas judicandi tribuenda ſit perſonis, dignitate aliqua eccleſiaſtica, perſonatu, vel Canonicatu cathedralis Eccleſiæ inſignitis; hujuſmodi qualitates ita eſſe accipiendas, ut non deſit in perſona, ad hoc munus aſſumenda, altera potiſſimum requiſita qualitas doctrinæ, & idoneitatis, in qua ſumma negocii eſt conſtituta. Hoc pacto deſignati, & electi Iudices noſtro ſupplicum libellorum Secretario denuncientur ab Ordinariis, vel immediate per ſe ipſos, vel mediate per ſuos in Urbe negociorum geſtores: noſtræque erit vigilantiæ ſolerter cavere, ne in poſterum ab officialibus noſtræ Curiæ, ad id deputatis, cauſæ aliis, quam dictis judicibus, delegentur.

SECTIO DCLIII.

Caput XV. Veniens, *ex Decretali Alexandri III. ignotum, cui ſcripta.*

Veniens ad nos G. ſua nobis relatione monſtravit, quod in domo ſua mulierem quandam recepit, de qua prolem habuit, & cui fidem coram pluribus præſtitit, quod eam duceret in uxorem. Interim autem cum apud domum vicini ſui pernoctaverit, ejus filia nocte illa ſecum concubuit: quos pater puellæ ſimul in uno lecto inveniens, ipſum eam per verba de præſenti deſponſare coegit. Ideoque mandamus, quatenus, ſi inveneris, quod primam poſt fidem præſtitam cognoverit, ipſum cum ea facias remanere: alioquin ſecundæ (niſi metu coactus, qui poſſet in virum conſtantem cadere, eam deſponaverit (adhærere facias, ut uxori.

In hac Decretali ſponſus cognoſcens carnaliter ſponſam de futuro, ad excludendum peccatum, præſumitur, eam cognoviſſe affectu maritali, ita ut ſponſalia de futuro tranſeant in ſponſalia de præſenti, ſeu matrimonium, quæ præſumptio eſt juris, & de jure, non admitens probationem in contrarium, ut conſtat ex *cap. XXX. Is, qui*, infra tranſcribendo: verum cum Tridentinum irritaverit matrimonia clandeſtina, ſuſtulit omnia matrimonia præſumpta. In locis tamen, ubi ejus decretum, illa irritans, facta ſcilicet ſine præſentia parochi, & duorum teſtium, publicatum non eſt, ſicuti vigent adhuc matrimonia clandeſtina, ita etiam locum habent matrimonia præſumpta.

SECTIO DCLIV.

Caput XVI. Commissum, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Exonienſi Archiepiſcopo reſcripta.*

Commiſſum (& infra.) Significavit nobis fraternitas tua, quod quidam cuidam mulieri de contrahendo matrimonio fidem dedit, & ſe cum ea intra biennium per verba de præſenti contracturum, præſtito juramento firmavit: nunc autem privata lege ductus, ad frugem melioris vitæ tranſire ſuſpirat (& infra.) Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod tutius eſt ei (religione juramenti ſervata) prius contrahere, & poſtea, ſi elegerit, ad Religionem migrare, ſi tamen poſt deſponſationem copula non dignoſcitur interveniſſe carnalis.

Duo in hac Decretali declarat Pontifex. I. Quod ſponſalia de futuro per copulam ſubſecutam tranſeunt in matrimonium. II. Quod tutius eſt, ſponſum, qui juravit, ſe aliquam ducturum in matrimonium, ad ſervandam juramenti religionem, prius illud contrahat, & poſtea, ſi velit, Religionem profiteatur.

Verum primum correctum eſt, ut in antecedenti Sectione.

Quoad ſecundum autem, placet hic referre varias hujus Decretalis interpretationes una cum ſuo ſenſu, expoſitas a Benedicto XIV. *de Synod. Diœc. edit. an. 1755. lib. XIII. cap. XII. num.* 8. = Si de ſimplicibus ſponſalibus agatur, hoc eſt de promiſſione nubendi certo viro facta, ac per mutuam repromiſſionem ab ipſo acceptata, quamvis etiam juramenti religione fuerit utrinque firmata, dummodo ultra proceſſum

non fuerit, neque ſponſi carnali copula ſe ſe cognoverint, prohiberi non poteſt mulier, quin monaſterium ingrediatur, exactoque probationis anno, ſolemnia Religionis vota profiteatur. Ita reſcripſit Alexander III. in Decretali *Commiſſum*, *de ſponſalibus*, quo tamen loco ſubdit, ſatius fore mulieri, ſi, antequam monaſterium ingrediatur, ut juratam fidem præſtet, matrimonium contrahat = Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod tutius eſt ei, religione juramenti ſervata, prius contrahere, & poſtea, ſi elegerit, ad Religionem migrare = Textum hunc nonnulli ita interpretantur, ut conſilium potius, quam præceptum præſeferat; uti videre eſt penes Sanchez *de Matrimonio lib. I. diſput. XLIII. num* 7. Alii tamen recte perpendunt, Pontificiam Conſtitutionem locum ſibi vindicare in ea facti ſpecie, qua mulier de Religionis ingreſſu adhuc deliberans, nondum re ipſa monaſterium ingreſſa fuerit. In his enim circumſtantiis poteſt utique ſponſa, abſque eo quod admirationem ingerat, jurisjurandi fidem liberare, matrimonium inire, exindeque ad clauſtra properare: quod profecto non eveniret, ſi mulier jam monaſterium ingreſſa, ſubinde aut in ipſo monaſterio manens, matrimonium iniret, aut ex eo egreſſa, nuptias celebraret, & poſtea clauſtra repeteret. Ita diſſerit Gonzalez *in Comentariis ad præcit. text.* latiorique calamo rem perſequitur Pirhing. *ad tit. Decretal. de Sponſal. & matrim. lib IV. Tit. I. num.* 52. & 53. Sed, cum in ſponſalibus, juxta nunc vigentem ſtipulationum formam, contractis, atque juratis, apponi ſoleat non ſolum contrahendi, ſed & conſummandi matrimonii obligatio; hæc ſane recentior, receptaque praxis fortaſſe poteſt efficere, ut executioni mandari nequeant, quæ ſtatuta ſunt in Decretali *Commiſſum*; ut ſcilicet matrimonium ad formam juratæ promiſſionis contrahatur, deinde vero mulier in Religionem, & clauſtra ſe recipiat; neque enim, non ſecuta conſummatione, ſatis impletum dici poſſet juramentum, quod tamen unum in cauſa fuit, ut Pontifex præciperet ei, quæ matrimonium ſe contracturam juraverat, ut matrimonium prius celebraret, ſubindeque, ſi libuiſſet, ad clauſtra migraret. Verum, quamvis diſpoſitio memoratæ Decretalis *Commiſſum* aptari nequeat propoſitæ juratæ ſponſioni, contrahendi videlicet, ſimulque conſummandi matrimonium; huic tamen omnino congruere videtur effatum illud = Propoſitum, aut promiſſum non infringit, qui in melius illud commutat: = quod legitur in Decretali *Pervenit*, *de Jurejurando*. Neque in jurata conſummandi promiſſione videtur contineri caſus, quo ipſi ſacri Canones a conſummatione abſtinendum probant, atque collaudant, juxta alteram Decretalem *in cap. Ad noſtram XX. de Jurejurando*, ubi, cum quidam jurejurando pollicitus eſſet, ſe in cauſis omnibus judicii ſolemnia ſervaturum, Innocentius III. Pontifex reſcripſit, juramentum in hunc, qui ſequitur, modum, eſſe interpretandum = Quamquam & ſecundum approbatum intellectum recte poſſit intelligi, quod ut in omnibus cauſis ordinem judiciarium obſervares, in illis videlicet, in quibus eſt ordo judiciarius obſervandus =.

Fagnanus *in cap. Ex literis*, *hoc tit. num* 3. refert declarationem Gregorii XIII. per hæc verba, „ Gregorius tamen XIII. opinionem, quod ſponſalia „ jurata omnino cogantur ſponſi adimplere juxta *cap.* „ *Ex literis*, limitavit in quodam caſu Commenſi, ut „ non procedat, quando mulier fieret monialis profeſ„ ſa, ſi enim matrimonium per verba de præſenti „ contractum non impedit, quin mulier ingrediatur „ monaſterium, & profiteatur *cap. Ex publico*, *de* „ *Converſ. conjugator.* multo minus ſponſalia de fu„ turo, & jurata, quæ minus ſunt, quam matrimu„ nium ".

SECTIO DCLV.

Caput XVIII. Cum in Apostolica, *ex Decretali Urbani III. Cenomanenſi Epiſcopo reſcripta*.

CUM in Apoſtolica (& infra.) Intelleximus, quod cum inter villicum de Arueria & uxorem ejus, matrimonii quæſtio tractaretur, ante publicationem teſtium villicus reverſus ad propria, publice inter ſe, & uxorem ſuam propoſuit ſententiam divortii, judicio Eccleſiæ promulgatam: & ſic falſitate ſuggeſta quandam aliam, facti neſciam, ſibi copulare præſumpsit. Poſtmodum vero ſuper prioris matrimonii quæſtione literis impetratis, delegati judices ſententiam divortii protulerunt. Verum quia villicum, & mulierem, quam ſuperinduxit, pendente lite prioris uxoris, invicem aſſeris conſensiſſe; conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod imposita viro pœnitentia competenti, & intra pænitentiæ tempus carnali commercio interdicto, poſtmodum in maritali copula poterunt remanere.

Hic non exprimitur, quæ pœnitentia injungenda ſit, quæque pœna infligenda conjugi, qui, pendente lite, non expectata ſententia nullitatis prioris matrimonii, privata auctoritate ad ſecunda vota tranſierit: ſed hodie ex Conſtit. Benedicti XIV. *Dei miſeratione*, §. *Appellatione*, ſupra tranſcripta Sectione DCLII. puniendus eſt pœnis contra poligamos conſtitutis.

SE-

SECTIO DCLVI.

CAPUT XIX. IN PRAESENTIA, *ex Decretali Clementis III. Cæſaraguſtano Epiſcopo reſcripta.*

IN præſentia noſtra quæſiviſti, quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos cauſa captivitatis, vel peregrinationis abſentes, ultra ſeptennium præſtolatæ fuerint: nec certificari poſſunt de vita, vel de morte ipſorum, licet ſuper hoc ſolicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate, ſeu fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari. Conſultationi ergo tuæ taliter reſpondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonice convolare, nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.

Hanc Decretalem tranſcripſi, non quod ei novi aliquid acceſſerit, ſed cum DD. diſcrepent in ſtatuendo, qualis debeat eſſe certitudo de morte prioris conjugis, antequam alter ſuperſtes tranſeat ad ſecunda vota, relictis privatis eorumdem DD. opinionibus, crederem, habendam eſſe pro certa regula praxim Tribunalis S. Inquiſitionis, a quo hujuſmodi tranſitus numquam permittitur, niſi conſtet de morte conjugis, vel per autenticum teſtimonium, ſeu fidem, puta præfecti noſocomii, aut alterius loci, in quo forte deceſſerit, ſive Rectoris Eccleſiæ, in qua ſepultus fuerit: ſive etiam per juratum teſtimonium duorum teſtium, deponentium de viſu obitus, aut etiam unius tantum, omni tamen exceptione majoris.

Si autem quæras, an habita hujuſmodi certitudine ex alienis teſtimoniis poſſit parochus aſſiſtere ſecundo matrimonio abſque ulla Ordinarii licentia: licet quamplurimi ſentiant, ea non indigere, ex vulgata juris regula XXXI. in VI. quod ſcilicet, qui certus eſt, certiorari ulterius non debet; tutius tamen crederem, imo neceſſarium, eam petere, ob fraudes, quæ ſæpius in hac materia contexuntur: potiſſimum, ſi conjugis mors in remotis partibus acciderit; ſeu caracter exaratæ fidei eidem parocho non innoteſcat. Et hæc eſt praxis cujuſcumque Curiæ eccleſiaſticæ, ut in his facti circumſtantiis nemo permittatur matrimonium contrahere, niſi in ea probatus ſit ſtatus liber contrahentium.

Huc ſpectat ſequens Inſtructio S. Congr. Univerſalis Inquiſitionis ſub die 21. Auguſti 1670. a Clemente X, confirmata.

INSTRUCTIO

PRO EXAMINE ILLORUM TESTIUM,

Qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in Curia Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis, Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis cæterorum Ordinariorum.

IN primis: Teſtis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præſertim negocio pertimeſcendi, in quo divina ſimul, & humana majeſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem; & quod imminet pœna triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.

II. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

III. An ſit civis, vel exterus, & quatenus ſit exterus, a quanto tempore eſt in loco, in quo Teſtis ipſe deponit.

IV. An ad examen acceſſerit ſponte, vel requiſitus; ſi dixerit, acceſſiſſe ſponte a nemine requiſitus dimittatur, quia præſumitur mendax. Si vero dixerit, acceſſiſſe requiſitus; interrogetur, a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

V. Interrogetur, an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.

VI. Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & a quanto tempore, in quo loco, qua occaſione, & cujus qualitatis, vel conditionis exiſtant.

Si reſponderit negative, Teſtis dimittatur; ſi vero affirmative.

VII. Interrogetur, an contrahere volentes ſint cives, vel exteri; ſi reſponderit, eſſe exteros, ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipſorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero ſtatu, de eo tempore, quo permanſerunt in ſua civitate, vel diœceſi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium ſtatum liberum pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet uſque ad tempus, quo

volunt contrahere; admittantur teſtes idonei, qui legitime, & concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſufficientem rationem cauſæ eorum ſcientiæ, abſque eo quod teneantur deferre atteſtationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero reſponderit, contrahere volentes eſſe cives.

IX. Interrogetur, ſub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præſenti.

Item, an ipſe Teſtis ſciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuiſſe uxorem, vel maritum.

Si reſponderit affirmative, non procedatur ad licentiam, niſi producantur autenticæ, & legales atteſtationes, vel Teſtes fide digni, & veriſimiliter informati de obitu conjugis defuncti.

Si vero Teſtis reſponderit, non habuiſſe uxorem, vel maritum.

X. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, & an ſit poſſibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, & quod ipſe Teſtis neſciat.

Si reſponderit affirmative, ſuperſedeatur, niſi ex aliis Teſtibus probetur concludenter, non habuiſſe uxorem, vel maritum.

Si vero reſponderit negative.

XI. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, ex qua deinde Judex colligere poterit, an Teſti ſit danda fides.

Si reſponderit, contrahere volentes habuiſſe uxorem, vel maritum, ſed eſſe mortuos.

XII. Interrogetur de loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodo ipſe Teſtis ſciat, fuiſſe conjuges, & nunc eſſe mortuos.

Et ſi reſpondeat, mortuos fuiſſe in aliquo hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione militiæ ſepultos fuiſſe a militibus, non detur licentia contrahendi, niſi prius recepto teſtimonio autentico a Rectore hoſpitalis, in quo prædicti deceſſerunt, vel a Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, ſi fieri poteſt, a Duce illius cohortis, in qua deſcriptus erat miles. Si tamen hujuſmodi teſtimonia haberi non poſſunt, ſacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi poſſunt admitti, dummodo ſint legitimæ, & ſufficientes.

XIII. Interrogetur, an poſt mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota.

Si reſponderit negative.

XIV. Interrogetur, an eſſe poſſit, quod aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque eo, quod ipſe Teſtis ſciat.

Si reſponderit affirmative, ſuperſedeatur in licentia, donec producantur Teſtes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative.

XV. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, qua perpenſa, Judex poterit judicare, an ſit concedenda licentia, vel ne.

Si contrahentes ſunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum, eſſe liberos, & in aliis ſervata forma Conc. Trid. *in cap. Multi, ſeſſ. XXIV.*

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi ordinarii, & recognita ſaltem per Teſtes, qui habeant notam manum, & ſigillum, & attente conſideretur, quod fides, ſeu teſtimonia bene, & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.

Pro teſtibus in hac materia recipiantur magis conſanguinei, quam extranei, quia præſumuntur melius informati, & cives magis, quam exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, niſi data cauſa, & maturo conſilio; & Notarius exacte deſcribat perſonam Teſtis; quem ſi cognoſcit, utatur clauſula, mihi bene cognitus; *ſin minus, examen non recipiat, niſi una, cum perſona Teſtis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius Teſtis, necnon de idoneitate ejuſdem ad teſtimonium ferendum. Et hujuſmodi examinibus debet intereſſe in Urbe, ultra Notarium, officialis ſpecialiter deputandus ab Eminentiſſimo Vicario: & extra Urbem, Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea, ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda, alias puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.*

Ordinarii præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis, in eorum diœceſibus exiſtentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus generali Vicario prius teneantur autenticam fidem reportare, quod pro tali matrim. fuerunt examinati Teſtes in eorum tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium &c. contravenientes autem ſevere puniantur.

DUBIA CIRCA EXTERORUM MATRIMONIA,

Cum Reſolutionibus Sacræ Congregationis Sancti Officii.

Relata in Appendice ad Synodum diœceſanam Civitatis Caſtellanæ, pag. 395. celebratam a Sancte Lanucci anno 1757.

Ordines, ultimo loco ab Urbe emanati circa matrimonia cum exteris contrahenda, inter alia diſponunt, quod Ordinarii præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis, in eorum diœceſibus exiſtentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis, non faciant publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus generali Vicario, prius teneantur fidem autenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerint examinati teſtes in eorum tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium.

I. Quæritur, an illi ex diœceſibus circumvicinis, & ipſi teneantur tales probationes facere? an vero ſufficiat

ſiciat fides denunciationum in eorum diœceſibus facta-rum cum legalitate Ordinarii, & probatione eorum ſtatus poſt diſceſſum ab ipſa diœceſi?

℞. Hujuſmodi habentur pro exteris, & conſequenter tenentur probationes facere

II. Item, an contrahere volentes, in confinibus eorum diœceſis habitantes, & ob vicinitatem ab eorum Rectoribus cogniti, teneantur eaſdem facere probationes? an vero ſufficiant publicationes ab ipſis Rectoribus faciendæ?

℞. Etiam iſti tenentur facere probationes.

III. An eaſdem teneantur facere probationes ii, qui ante ætatem nubilem a propria diœceſi diſcedentes, ad aliam ſe contulerunt, & in ea poſtmodum ſemper habitaverunt?

℞. Non tenentur, quia non fuerunt extra diœceſim tempore habili ad contrahendum.

IV. An in civitate, in qua milites Hiſpani, Theutonici, Alemani, & aliarum long quarum regionum, reſidere ſolent, idem cum ipſis ſervandum? vel ſufficiat, probationes in ipſa civitate recipere de eorum ſtatu, a teſtibus ipſarum regionum, de negocio edoctis?

℞. Tenentur facere probationes, juxta formam Inſtructionis; quia iſti facilius committunt polygamiam.

V. An facta per parochum monitione Ordinario contrahere volentis, fides ſtatus ejuſdem ſit ab eodem parocho, vel a contrahere volente reportanda?

℞. Tenetur fidem reportare, & parocho conſignare is, qui vult matrimonium contrahere, ſed eſt in libertate parochi, hujuſmodi onus in ſe aſſumere.

VI. An eædem probationes ſint ſervandæ in caſu neceſſitatis, & ab exiſtentibus in articulo mortis, ſic contrahere volentibus?

℞. Non ſunt ſervanda in articulo mortis, intra quem ſcilicet probabiliter non adſit tempus ſufficiens faciendi diligentias; cum hoc etiam, quod ſi infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiæ, juxta Inſtructionem, antequam ſimul conveniant.

VII. An requiratur atteſtatio proprii Ordinarii pro exteris, qui per decem annos, & ultra, domicilium acquiſierunt in loco, ubi ſunt matrimonium contracturi, ſi eorum ſtatus liber probetur per teſtes fide dignos tam originis, quam domicilii?

℞. Requiritur.

VIII. An requiratur dicta atteſtatio pro illis exteris, qui unicam, vel plures duxerunt, & e contra; ſi mortuæ fuerunt in loco, ubi iterum matrimonium contrahere deſiderant, ac amplius poſt mortem a dicto loco non diſceſſerunt?

℞. Requiritur pariter.

Cardinalis Paulus Æmilius Rondininus inſeruit in fine Synodi Aſſiſienſis anno 1636. ſequentes Literas circulares Sacræ Congregationis Sancti Officii, quæ valde utiles in praxi eſſe poſſunt.

LITERÆ CIRCULARES SACRÆ CONGREGATIONIS S. OFFICII

Super matrimoniis contrahendis, relatæ in eadem Appendice.

Illmo, e Rmo Signore come Fratello.

E così frequente il delitto della poligamia nel Sant' Offizio, ancorche ſecretamente venga caſtigato, che ha dato occaſione a queſti Eminentiſſimi miei Signori d' applicarvi qualche rimedio; perchè ſi è viſto per eſperienza, che buona cagione di queſto eccesso è la facilità, con la quale ſi eſaminano, ed ammettono i teſtimonj dagli Ordinarj non conoſciuti, ſenza farli ſpecificar bene le circoſtanze neceſſarie, e coartare la libertà di quelli, che vogliono contrarre: ha la Santità di noſtro Signore eſpreſſamente ordinato, che ſi mandi a V. S. ed à tutti gli Ordinarj, l' incluſa Iſtruzione, per eſaminare ſimili teſtimonj ſopra gl' interrogatorj contenuti in eſſa, avvertendola, che ſodisfacciano in modo nelle riſposte, che evacuino bene tutte quelle coſe, che ſe li dimandano. E perchè ciò poſſa ſeguir con maggior eſatezza, ſi ordina, che ſi debbano eſaminare avanti a V. S. o ſuo Vicario, da' quali ſaranno interrogati, prohibendo onninamente in farſi tali eſami dalli ſuoi Notari. Doverà inoltre, avanti di eſaminare il teſtimonio, doppo datogli il giuramento, ammonirlo di dire la verità; avvertendolo, che ſe deporrà il falſo, ſarà egli caſtigato di pena di galera, come il medeſimo poligamo. Ed acciò li Vicarj, e Notarj ſieno più avvertiti, ed occulati, e non allettati da intereſſe alcuno, eſpreſſamente ſi proibiſce, a gl' uni, ed a gl' altri, ſotto pena della privazione dell' offizio, ed altre arbitrarie, etiam afflitive del corpo, il pigliare per ſimili eſami mercede di ſorte alcuna; ma doveranno eſaminare gratis etiam quoad ſcripturam.

Avvertendola, che per ordine preciſo di ſua Beatitudine, che ſe non ſaranno oſſervate le coſe ſuddette per l' avvenire, e perciò ſeguirà il detto delitto di poligamia, ſarà queſta Sagra Congregazione grave riſentimento contro li Veſcovi, Vicarj, e Notarj, che averanno traſgredito, come contro di quelli, che ſaranno ſtati cauſa d' un tanto eceſſo. Farà finalmente V. S. notare la preſente Letera in coteſto Archivio, accio reſti a perpetua memoria regiſtrata per informazione de' ſuoi ſucceſſori. Pregandole per fine dal Signore Iddio proſperità, ed ogni contento.

Di Roma li 13. Luglio 1630.

Di V. S. Come Fratello

Il Cardinal Sant' Onofrio.

AL-

ALTRA LETTERA CIRCOLARE.

Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Signor mio Oſſervandiſſimo.

QUeſta Sagra Congregazione del Sant'Offizio conſiderando, che ſpeſſo, quei, che vogliano contrarre matrimonio fuori della loro patria, eſſendo poveri, per la diſtanza della Curia del Veſcovo, non poſſono avere la fede dello ſtato libero, ſe non con grave ſpeſa, ed incommodo di mandarvi i teſtimonj ad eſaminarſi; perciò ſcrive circolarmente a tutti gli Ordinarj d' Italia, concedendogli facoltà di ſuddelegare i loro Vicarj Foranei a ricevere la depoſizione de' teſtimonj ſopra lo ſtato libero delle perſone di quel Vicariato, purche oſſervino l'Iſtruzione del Sant' Offiaio, confermata da Clemente X. nella ſua Coſtituzione *Cum alias &c. la* 13. Quali Vicarj Foranei doveranno mandare l'atteſtaazione dell'eſame a' proprj Ordinarj, e queſti conceder gratis a chi vuol far matrimonio, la fede autentica del ſuo ſtato libero, con eſprimervi, che così coſta per depoſizione de teſtimonj fatta avanti il tal Vicario deputato. In queſto modo V. E. ſi degnerà contenerſi. E le baccio umilmente le mani.

Roma 31. Ottobre 1699.
Di V. E.

Umiliſs., e Devotiſs. Servitore.
Alb. Card. Cibo.

Quo vero ad illos contrahentes (ita Pyrrus Corradus in Praxi diſpenſationum *lib. VII. cap. VI. n. 23.*) qui in articulos mortis conſtituti, aut ex alia cauſa nequeunt adimplere formam ſupradictarum inſtructionum, emanarunt literæ ſupradictæ S. Congr. tenoris ſequentis, videlicet.

Al molto Rev. Signore.

Il Sig. Vicario Generale di Napoli.

Molto Rev. Sig. Conſultano coteſti Giudici deputati dal Sig. Card. Arciveſcovo ſopra i matrimonj, ſe le diligenze preſcritte da queſta S. Congr. che ſi devono fare prima di dar licenza di contrar matrimonj, ſi abbiano da uſare con coloro, che poſti nell'articolo della morte, bramano contrar matrimonio, per liberarſi dal peccato, o per altro accidente ſimigliante. E queſti miei Sig. riſpondano, che in tal caſo non ſono neceſſarie; quando però non vi ſia tempo di poterle fare, ma vogliono, che riſanato l' infermo, non poſſa venire alla copula, ed alla coabitazione, ſe non ſaranno fatte, ed eſeguite le medeſime diligenze. Potrà V. S. dar notizia del ſenſo della S. Cong. ai medeſimi Giudici. Ed il Signore la conſervi ſempre.

Da Roma li 10. Luglio 1630.
Come Fratello, il Card. Barberino.

SECTIO DCLVII.

CAPUT XX. INTER OPERA, *ex Decretali, non Clementis III. prout mendoſe legitur in collectione Decretalium Gregorii IX. qua in ſcholis utimur; ſed Innoc. III. prout vere reperitur inter ejuſdem Epiſtolas, editas a Stephano Baluzio lib. I. Epiſt. CXII. pag. 64. edit. Pariſiis 1682. quam integram, ut ab eodem refertur, tranſcribo.*

Univerſis Chriſtifidelibus ad quos literæ iſtæ pervenerint.

INter opera charitatis, quæ imitanda nobis auctoritate ſacræ paginæ proponuntur, ſicut evangelica teſtatur auctoritas, non minimum eſt, errantes ab erroris ſui ſemita revocare: ac præſertim mulieres voluptuoſe viventes, & admittentes indifferenter quoslibet ad commercium carnis, ut caſte vivant, ad legitimi tori conſortium invitare. Hoc igitur attendentes, præſentium auctoritate ſtatuimus, ut omnibus, qui publicas mulieres de lupanari extraxerint, & duxerint in uxores, quod agunt, in remiſſionem proficiat peccatorum. Datum Romæ apud S. Petrum tertio Kal. Maii Pontifi. noſtri an. I.

Huic Decretali nihil quidem novi acceſſit: ſed cum in ea declaretur, meritorium eſſe, & in peccatorum remiſſionem cedere matrimonium contrahere cum mulieribus impudice viventibus, etiam meritriciam artem exercentibus, cumque ex minus germano intellectu pontificiæ declarationis filiifamilias argumentum deſumere poſſent, id fore ſibi licitum, & ſi, aut parentibus, aut familiæ maximum inde incureretur dedecus: ideo placuit eam tranſcribere una cum recta ejuſdem interpretatione, ne dictis filiis libera præbeatur anſa ad ſimilia matrimonia, invitia parentibus, contrahenda cum manifeſta læſione tam juris naturalis, quam divini contra quartum Decalogi præceptum, quo filii obſtringuntur, & quidem ſub pœna peccati lætalis, in re potiſſimum adeo gravi, obedientiam, & reverentiam præſtare, quæ conjugia tamquam illicita ſemper deteſtata eſt etiam Tridentina Synodus *cap. I. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* & Benedictus Conſtit. *Satis vobis*, 17. *Novembr.* 1741. *§. IV.* ea reputat tamquam fontes, ex quibus quam plu

plurima gravia mala, & incommoda oriuntur. Quapropter §. VII. impenſe monet Epiſcopos, ut in illis impediendis toti ſint, ne facilem filiis inobedientiæ occaſionem præbeant.

Recta igitur hujus pontificiæ declarationis interpretatio ea certe eſt, quam ex Natali Alexandro deſumptam, ſolide ratiocinando, refert clariſſimus vir Chriſtophorus Coſci *de Sponſalibus filiorum familias voto II. num. 150. & ſeqq.* per hæc verba ,, Huic etenim objecto, opportune reſpondet *Natal. Alex.*
,, *Theol. moral. tom. VI. lib. II. de matrim. cap. II. artic. II. de conſenſ. clandeſt. reg. 24. verſ. Sexta*, ubi,
,, viro, qui ſui juris eſt, meretricem lupanari eductam ducere licet uxorem, ut eam a peccato revocet, idque in remiſſionem peccatorum proficere
,, reſpondet Clem. III. imo Innoc. III. ut ſupra innuimus. Laudatus itaque *textus* procedit quoad eos,
,, *qui ſunt ſui juris*, nec ullo jure obligantur aliorum petere conſilium, ac exequi præceptum, quemadmodum filiifamilias parentum conſilium petere
,, eiſque obedire tenentur, idque clarius explicat
,, idem *Natal. Alex. loc. cit. cap. II. art. I. reg. 15.*
,, *pag. 466.* ibi = Filius namque prorſus tenetur obedire patri prohibenti, ne ducat uxorem &c. male
,, moratam, aut infamem, vel diſparis longe conditionis. Tenetur enim quiſque lege naturæ periculum ſuum vitare, honori ſuo conſulere, familiæque
,, ſuæ dignitatem, vel honeſtatem ſartam tectam tueri. Tenetur parentibus juſta præcipientibus obedire = Nec unquam eſt temere præſumendum, quod
,, aliquando Summus Pontifex eos ad indignas nuptias
,, allicere voluiſſet, quos etiam dignas contrahere,
,, inſciis, vel invitis parentibus, *Eccleſia ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit*, & quidem cohærenter diſpoſitioni juris naturalis, ac divini ex *quarto*
,, *Decalogi præcepto* manifeſtiſſime reſultanti, & quemadmodum noluit allicere ad hujuſmodi matrimonia eos, qui emiſiſſent votum ſimplex caſtitatis,
,, ne illos induceret ad peccandum, ita nec filiosfamilias, ne peccarent contra IV. *Decalogi præceptum* allicere voluiſſe dicendum.

,, Nec etiam inſuper præſumendum venit, quod
,, Papa reliquos, etiam nobiles, honeſtoſque viros,
,, quamvis eſſent ſui juris, in dedecus familiæ, &
,, propinquorum ad ſimiles indignas nuptias invitare voluerit, cum indubitati juris ſit, quod quemadmodum in reſcriptis, & gratiis, ita in elargiendis
,, indulgentiis nunquam Summi Pontifices intellexerunt tertio præjudicium inferre, ut ex vulgatis *tex.*
,, *in cap. Ad aures VIII. de Reſcript. cap. Super eo*
,, *XV. de Offic. & poteſt. Judic. delegat.* tradunt communiter DD. quos cumulant *Barboſ. in dict. cap.*
,, *Super eo XV. num. 3. Koning. princ. Jur. Can. lib. I.*
,, *tit. III. §. IX. num. 10. verſ. Regula tertia*, & potiſſimum, ubi agitur de iis, quæ juri naturali adverſantur, ut ex *Fulgoſ. conſ. LXI. num. 4* prout
,, eſſent nuptiæ, ſive a filiis, ſive a quibuslibet aliis
,, contractæ cum dedecore parentum, fratrum, ſororum, atque totius familiæ, veluti communi nedum Theologorum, ſed & juris Interpretum, Sanctorum Patrum, ac plurium Summorum Pontificum auctoritate, ac ſolidiſſimis argumentis hucuſque comprobavimus ".

SECTIO DCLVIII.

Caput XXI. Ad id, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui reſcripta.*

AD id, quod per tuas literas intimaſti, de quadam parochiana tua, quam ſuus vitricus cuidam Teutonico matrimonialiter copulavit: taliter reſpondemus, quod quamvis undecim annos habeat, & ea initio invita fuiſſet ei tradita, & renitens: tamen quia poſtmodum per annum, & dimidium ſibi cohabitans, conſenſiſſe videtur, ad ipſum eſt cogenda redire: nec de cætero recipiendi ſunt teſtes, ſi quos memorata mulier ad probandum, quod non conſenſerit in eundem, nominaverit producendos, cum mora tanti temporis hujuſmodi probationem excludat. Mandamus igitur, ut propter hoc non omittas, quominus utrumque compellas ad alterum maritali affectione tractandum; niſi forte vellent ad Religionem pariter convolare, pœnitentia eis injuncta. pro eo, quod ad alienos, & illicitos concubitus uterque tranſivit.

In hac Decretali ſtatuitur, matrimonium per vim contractum, cohabitatione convaleſcere, & ſic per pluſquam præſumptam carnalem copulam ſubſecutam. Verum huic ſanctioni derogatum eſt a Concilio Trid. illud nullum declarante, ſi ulterius non contractum fuerit coram parocho, & teſtibus, ut *cap. I. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* cujus textum leges infra *ad tit. III. de Cland. deſponſat.* Sect. DCLXXIII.

Cui irritanti conciliari legi acceſſit etiam in hac ſubjecta materia clariſſima declaratio Congreg. Conc. *in Panormitana nullitatis matrimonii, ſub die 30. Septembris 1719.* relata *in Theſauro Reſolutionum ejuſdem Congregat. apud Liverzani tom. I. pag. 241.* per hæc verba ,, Sacra Congregat. Cardinalium Conc.
,, Trid. Interpretum ſæpius reſpondit, hodie poſt Tridentinum Conc. matrimonium metu contractum, &
,, & purgato metu, per cohabitationem cum carnali
,, copula, alioſque actus non convalidari, niſi iterum contrahatur, adhibita rurſus ejuſdem Concil.
,, forma. Et concordat alia reſolutio, *in Conſtantinopolitana 16. Decembris 1634. lib. XV. Decretorum*
,, *fol. 140. a tergo* ".

Cæterum, ſi matrimonium contractum fuerit cum impedimento occulto, & adhibita fuerit ſolemnitas

tas

tas, a Tridentino præſcripta, hoc ſublato, non eſt neceſſe renovare conſenſum coram parocho, & teſtibus, ſed etiam inter contrahentes ex declaratione S. Pii V. decretis S. Pœnitentiariæ, Congr. Conc. & S.Rotæ, ſententia, relatis a Benedicto XIV. in Inſtitutione eccleſiaſtica la LXXXVII. §§. *Magno ſtudio*, *& Hac ita*.

SECTIO DCLIX.

CAPUT XXIII. CUM APUD SEDEM, *ex Decretali Innocentii III. Arelatenſi Archiepiſcopo reſcripta*.

CUM apud Sedem Apoſtolicam (& infra.) Sane conſuluiſti nos, utrum mutus, & ſurdus alicui poſſint matrimonialiter copulari. Ad quod taliter reſpondemus, quod cum prohibitorium ſit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per conſequentiam admittatur, & ſufficiat ad matrimonium ſolus conſenſus illorum, de quorum, quarumque conjunctionibus agitur. Videtur, quod ſi talis velit contrahere, ſibi non poſſit, vel debeat denegari, cum quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarare.

SECTIO DCLX.

CAPUT XXV. TUÆ FRATERNITATI, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Epiſcopo Brixienſi reſcripta*.

TUÆ fraternitati (& infra.) Poſtulaſti, utrum ex ſolis verbis, & ex quibus matrimonium contrahatur. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris conſenſum. Sed neceſſaria ſunt quantum ad Eccleſiam, verba conſenſum exprimientia de præſenti. Nam ſurdi, & muti poſſunt contrahere matrimonium per conſenſum mutuum ſine verbis, & pueri ante annos legitimos, per verba ſola non contrahunt, cum intelligantur minime conſentire.

In his duabus Decretalibus ſtatuitur, quod etiam inter mutos, vel ſurdos conſiſtat verum matrimonium, ſi conſenſum exprimant verbis, vel ſignis, quod intelligendum eſt, ſi conſenſum præſtent coram parocho, & teſtibus: aliter nullum erit, non quidem ex defectu conſenſus, ſed ex defectu ſolemnitatis, præſcriptæ a Tridentino, irritante matrimonia aliter contracta, quam præſente parocho, & duobus teſtibus, ut ſupradictum eſt.

SECTIO DCLXI.

CAPUT XXVIII. CONSULTATIONI, *ex Decretali Honorii III. Epiſcopo Sleuvichenſi in Germania, ſub metropoli Bremenſi, reſcripta*.

COnſultationi tuæ breviter reſpondemus, quod mulieres, quæ veniunt ad valvas Eccleſiæ benedicendæ cum ſponſis, & ibi reclamantes affirmant, ſe nunquam in eorum matrimonium conſenſiſſe, audire (ſponſis legitime probantibus contrarium) non oportet: cum legitimis, & idoneis teſtibus non debeat illarum ſimplex aſſertio prævalere. Sane illis, quæ, benedictione accepta, mox a ſponſis aufugiunt, ante carnis copulam ſubſecutam, aſſerentes, ſe nunquam in illos veraciter conſenſiſſe, ſed metu illato compulſas, verba protuliſſe conſenſus, licet animo diſſentirent, non ſtatim eſt audientia deneganda, ſed de illato metu eſt cum diligentia inquirendum; & ſi talis metus inveniatur illatus, qui potuit cadere in conſtantem virum, erunt non immerito audiendæ.

Ex contrario ſenſu ſecundæ partis hujus Decretalis infertur, matrimonium, per vim, & metum contractum, convaleſcere per carnalem copulam ſubſecutam: verum hic attenda eſt correctio allata ad *caput XXI. Ad id*, Sectione DCLVIII.

SECTIO DCLXII.

CAPUT XXX. IS, QUI FIDEM, *ex Decretali Gregorii IX. Epiſcopo Cenomanenſi ſcripta*.

IS, qui fidem dedit M. mulieri ſuper matrimonio contrahendo, carnali copula ſubſecuta, etſi in facie Eccleſiæ ducat aliam, & cognoſcat, ad primam redire tenetur: quia licet præſumptum primum matrimonium videatur, contra præſumptionem tamen hujuſmodi non eſt probatio admittenda. Ex quo ſequitur, quod nec verum, nec aliquod cenſetur matrimonium, quod de facto eſt poſtmodum ſubſecutum.

Huic Decretali, per quam matrimonium præſumitur contractum, ſi ſponſus cognoverit ſuam ſponſam de futuro, derogatum eſt a Trident., quod ſuſtulit omnia matrimonia præſumpta, ut notatum eſt ad *cap. XV. Veniens*, Sect. DCLIII.

SECTIO DCLXIII.

CAPUT XXXI. SI INTER VIRUM, *ex Decretali ejuſdem Gregorii*.

SI inter virum, & mulierem legitimus conſenſus interveniat de præſenti, ita, quod unus alterum mutuo conſenſu, verbis conſuetis expreſſo, recipiat, utroque dicente; ego te in meam accipio: & ego te accipio in meum; vel alia verba conſenſum exprimentia de præſenti, ſive ſit juramentum interpoſitum, ſive non, non licet alteri ad alia vota tranſire: quod ſi fecerit, ſecundum matrimonium de facto contractum (etiamſi ſit carnali copula ſubſecuta) ſeparari debet, & primum in ſua firmitate manere. Verum ſi inter ipſos acceſſit tantummodo promiſſio de futuro, utroque dicente alteri; ego te recipiam in meam, & ego te in meum, ſive verba ſimilia; ſi alius mulierem illam per verba de præſenti deſponſaverit, etiamſi inter ipſam, & primum juramentum intervenerit, ſicut diximus, de futuro, hujuſmodi deſponſationis intuitu ſecundum matrimonium non potuit ſeparari, ſed eis eſt de violatione fidei pœnitentia injungenda.

In hac Decretali duo ſtatuuntur. I. Quod matrimonium ratum contractum cum una, non diſſolvitur per matrimonium poſterius, quamvis conſumatum, contractum cum alia. II. Quod ſponſalia de futuro diſſolvuntur per matrimonium contractum cum alia. Utrumque verum eſt, dummodo matrimonium fuerit validum, contractum ſcilicet coram parocho, & teſtibus juxta decretum Trid.

SECTIO DCLXIV.

CAPUT XXXII. ADOLESCENS, *ex Decretali laudati Gregorii*.

ADoleſcens, qui deſponſatam ſibi per verba de futuro, licet ſæpe niſus fuerit, carnaliter non cognoſcens, cum alia poſtmodum per verba de præſenti contraxit; non primam, cum qua nec fuit verum matrimonium ex forma contractus, nec præſumptum, cum conatus non habuiſſet effectum; ſed ſecundam debet habere uxorem.

Declarat hic Gregorius, invalidum matrimonium ex copula intentata, & non ſecuta: ex quo a contrario ſenſu infertur, validum eſſe, ſi ſecuta fuerit, quod abrogatum eſt, ut ſupra.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO DCLXV.

Caput Unicum, Ex sponsalibus, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

EX ſponſalibus puris, & certis, etiamſi conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis, aut alia quavis ratione ſint nulla, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur efficax ad impediendum, & dirimendum ſequentia ſponſalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis. Quare ille, qui ſponſalia pure, ac determinate cum aliqua muliere contraxit, & poſtmodum cum ſecunda prioris conſanguinea idem fecit, ex priorum ſponſaliorum vigore (quibus per publicæ honeſtatis juſtitiam ex ſecundis ſponſalibus ſubſecutam minime derogatur) ad matrimonium contrahendum cum prima remaneat obligatus.

Ille vero, qui ſponſalia cum aliqua muliere ſub conditione contraxit, ſi poſtmodum ante conditionis eventum cum alia prioris conſanguinea per verba contraxerit de præſenti, cum ſecunda remanere debebit: cum ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oriatur.

Statuit hic Bonifacius, quemadmodum etiam ſtatuerat Alexander III. in *cap. IV. Ad audientiam*, ſupra tranſcripto Sect. DCXLVIII. ex ſponſalibus de futuro, etiam nullis (dummodo non fuerint nulla ex defectu conſenſus) oriri impedimentum publicæ honeſtatis, & matrimonium dirimere uſque ad quartum gradum incluſive.

Verum utrique huic ſanctioni derogatum eſt a Concilio Tridentino, declarante, ex ſponſalibus quacumque ratione invalidis, non oriri hoc impedimentum; & ubi valida ſunt, non extendi ultra primum gradum, ut oſtendi ſupra d. Sect. DCXLVIII.

In eo autem, quod Bonifacius ſtatuit, ut impedimentum publicæ honeſtatis, ortum ex ſponſalibus initis cum conſanguinea ſponſæ non habeat vim diſſolvendi prima ſponſalia, adhuc locum habet, non ſolum ex ea ratione, quia hodie vigore Trident. ex ſponſalibus nullis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ſed etiam quia hoc impedimentum de Jure communi non habet vim retro agendi, & irritandi ſponſalia, ſemel valide inita.

Quia vero Tridentinum nihil novi diſpoſuit circa hoc impedimentum, ortum ex matrimonio rato, ſervanda eſt hæc Decretalis, ut declaravit S. Pius V. Conſtit. *Ad Romanum ſpectat*, 1. *Julii* 1568. Textum habes ſupra poſt *cap. IV. Ad audientiam*, cit. Sect.

Titulus II. De Deſponſatione Impuberum.

SECTIO DCLXVI.

Caput I. Tua nos, *ex Decretali Hormiſdæ Papæ, Euſebio Epiſcopo reſcripta.*

TUA nos requiſivit Fraternitas de filio adulto, quem pater matrimonium vult contrahere, ſi ſine voluntate adulti filii facere poteſt. Ad quod dicimus, ſi aliquo modo non conſenſerit filius, fieri non poſſe. Poteſt autem filium, nondum adultum (voluntas cujus diſcerni non poteſt) pater cui vult matrimonio tradere: & poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere.

In hac Decretali juxta duplex poſtulatum duplex reſponſum dat Pontifex. Primum eſt, quod pater nequit obligare filium, qui pubertatis annum jam explevit (in mare eſt decimus quartus completus, in fœmina vero duodecimus pariter completus) ut contrahat matrimonium, ſi in hoc aliquo modo ipſe non conſentit. Secundum eſt, quod filium adhuc inpuberem, cujus voluntas nequit diſcerni, poteſt pater, cui vult, matrimonio tradere; & ſic, poſtquam pervenerit ad perfectam ætatem, ſcilicet ad pubertatem omnino debet hoc adimplere.

Ad primum, quod attinet, nihil difficultatis occurrit, cum per omnes matrimonium non ſubſiſtat abſque mutuo contrahentium conſenſu; proindeque Tridentinem *cap. I. & IX. ſeſſ. XXIV. de reform. matr.* declarat, debere hoc eſſe liberum.

Difficultas tota eſt in ſecundo, plane ob idem requiſitum libertatis, quam valde videtur minuere tale reſponſum; imo in caſu adimiſſo, cum verbum *debet*, quo hic utitur Pontifex, juxta DD. communiter de ſui natura importet neceſſitatem, ac præceptum, maxime ſuperaddita dictione *omnino*, quæ

magis

magis abſolutam ſaltem ejuſdem præcepti neceſſitatem explicat, Wagnarek, aliique admittunt, filium regulariter non teneri implere ſponſalia abſque ſuo conſenſu promiſſa, cum quoad matrimonium ſit liber, ac ſui juris, ideoque Decretalem hanc, & alios Canones, qui neceſſitatem hac in re videntur filiis imponere, reſtringunt ad caſum, quo multum intereſt parentum, vel familiæ, & multo magis, boni publici v. g. ad componendas graves inimicitias inter parentes, & conſanguineos, vel Principes. Quamquam vero huic, aliiſque ſimilibus caſibus & ego ſubſcribam, tamquam appendiei. Dico tamen, ſive hanc, ſive alias, ſiquæ ſunt, Decretales, non eſſe amovendas a ſtatu quæſito regulæ generalis, quem habent, proindeque earumdem præſeriptum, quemadmodum, & illud aliarum legum generalium, reſtringendum, non eſſe ad caſus, per accidens contingentes, ſed eſſe intelligendum per ſe, regulariter, & ſecundum quod ut plurimum evenit. Lex enim, ut inquit D. Thomas, reſpicit id, quod utplurimum evenit. Quare dico, reſponſum Pontificis eſſe intelligendum de ſponſalibus initis pro filio, qui nondum pervenit ad ſufficientem rationis uſum: vel ſi jamdiù ſeptennium complevit una cum uſu rationis, Pontificem loqui in ſuppoſitione, quod filius proprio conſenſu ratificet contractum; vel denique hanc Decretalem, quoad hoc reſponſum, correctam fuiſſe a Trident. loc. cit. Primæ interpretationi fundamentum præbent illa verba *cujus voluntas nequit diſcerni*. Secundæ, quia etiam Hormisdæ Pontifici erat probe notum, abſque mutuo contrahentium conſenſu non valere matrimonium.

Nec obſtant ſubſequentia illa verba *poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere*; id enim intelligitur de debito honeſtatis, non vero neceſſitatis, ut cum Gloſſa explicant DD. communiter: ſiquidem verbum *debet*, etiamſi ei præcedat dictio *omnino*, quandoque importat honeſtatem, non neceſſitatem; quando ſcilicet materia non neceſſitat, prout ex Gloſſa, juncto textu, notat hic Panormitanus circa finem. Tertiæ demum aſſertioni fundamentum præbet ipſummet Tridentin. *cit. cap. I.* anathemate damnans eos, qui affirmant, parentes poſſe rata, vel irrita facere matrimonia filiorum. Item conſenſus DD. unanimiter aſſerentium, quod filii, quoad hoc, ſint ſui juris: & eſt controverſia non levis inter DD. an Deus ipſe facere poſſit, quo detur verum matrimonium ſine mutuo contrahentium conſenſu, ut optime oſtendit Jo. Angelus Boſſius *de Matrim. contract. cap. XI. §. II.*

SECTIO DCLXVII.

Caput VI. Continebatur, *ex Decretali Alexandri III. Novarienſi Epiſcopo reſcripta.*

Continebatur in literis tuis, quod cum quædam puella intra nubiles annos cuidam in uxorem tradita fuerit, & ab ipſo traducta, hæc ad nubiles annos perveniens, alii nubendi licentiam poſtulavit, aſſerens, ſe in eundem nullatenus conſenſiſſe. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cum in decretis habeatur expreſſum, quod ſi vir dixerit, quod uxorem ſuam cognoverit, & mulier negaverit, viri ſtandum eſt veritati: præfato viro, qui dixerit, ſe mulierem ipſam cognoviſſe, fides eſt adhibenda, ſi id firmaverit juramento. Si autem fuerit ætati proxima, ut in XI. vel circa XII. annum, & cum ſuo aſſenſu deſponſata, & cognita ab eodem viro, ſeparari non debet, præſertim cum parentes ejus ipſam fuiſſe ætatis legitimæ faterentur. Si vero puella intra nubiles annos alicui deſponſata fuerit, non licet alicui de conſanguinitate ipſius, cui deſponſata fuerit, eam ducere in uxorem, nec fas eſt eidem ſponſo de conſanguinitate ſponſæ ſibi aliquam copulare.

Duo in hac Decretali declarantur. I. Quod matrimonium ſola cohabitatione, & carnali copula ſit validum. II. Quod ſi puella, nondum nubilis, deſponſata fuerit, non poſſit poſtea ob impedimentum publicæ honeſtatis alicui de conſanguinitate ſponſi nubere: ſicuti nec ſponſus aliquam de conſanguinitate dictæ ſponſæ ſibi copulare.

Sed huic utrique declarationi derogatum eſt a Conc. Trid. primæ quidem, ut oſtendi ſupra ad *cap. XV. Veniens, de ſponſalib.* Sect. DCLIII. Secundæ vero, ut oſtendi *eod. tit. ad cap. IV. Ad audientiam* DCXLVIII. *& cap. VIII. Sponſam*, Sect. DCXLIX. quandoquidem hujuſmodi impedimentum ſublatum eſt.

SECTIO DCLXVIII.

CAPUT VIII. A NOBIS, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Epiſcopo Bathonenſi reſcripta.*

A Nobis tua diſcretio requiſivit, utrum iis, qui intra annos nubiles matrimonii nomine conjunguntur, vel eorum alteri, ante quam ad annos aptos matrimonio perveniant, liceat a matrimonio tali diſcedere. Ad quod reſpondemus, quod pro eo, quod ante nubiles annos conjugalem conſenſum non habent, uſque ad legitimam ætatem expectare tenentur: & tunc, aut confirmetur matrimonium, aut (ſi ſimul eſſe noluerint) ſeparentur, niſi carnalis commixtio ante intervenerit, cum interdum illa tempus anticipare ſoleat pubertatis.

In hac pariter Decretali declarat Pontifex, validum matrimonium, ſi inter contrahentes intercesſerit carnalis copula: quæ declaratio obnoxia eſt correctioni, ut ſupra.

SECTIO DCLXIX.

CAPUT IX. DE ILLIS, *ex Decretali laudati Alexandri, Januenſi Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) reſcripta.*

DE illis, qui in minori ætate desponſantur &c. Reſpondemus, quod ſi ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu ſeparari non debent, ſi unus in alium viſus fuerit conſenſiſſe, cum in eis ætatem ſuppleviſſe malitiam videatur, ſed cujuſcumque ſint ætatis ſe poſſint per illatam violentiam excuſare, niſi poſt violentiam conſenſus accedat.

Quatenus hic declaratur, matrimonium ante tempus pubertatis, mutuo conſenſu contractum, valere, ſi malitia in contrahentibus ætatem ſuppleat; id adhuc verum eſt, ſi tamen fuerit coram parocho, & teſtibus contractum; ſecus ſi in eorum abſentia.

SECTIO DCLXX.

CAPUT XI. EX LITERIS, *ex Decretali Urbani III. Ubaldo Lanfranco, Piſano Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) reſcripta.*

EX literis tuæ frat. accepimus, quod puella quædam anno XII. jurata fuit, & desponſata cuidam puero IX. vel X. annorum, & tempore procedente de voluntate parentum potius, quam ſua (ſicut aſſerit) ad domum patris pueri adducta, ubi nolens, & invita minis parentum impulſa moram fecit per annum, & amplius, & tandem inde recedens ad domum propriam eſt regreſſa. Cum autem dictus puer nondum ad XIV. pervenerit, nec ad eandem carnaliter acceſſum habuit, diſcr. tuæ taliter reſpond. quod ſi puella commonita, ut donec compleat idem puer annum XIV. expectet, non duxerit expectandum, ei ſecundum ea, quæ propoſita ſunt, accipiendi alium virum liberam tribuas facultatem.

Ex contrario ſenſu hujus Decretalis validum eſt matrimonium, ſi intervenerit copula, quod correctum eſt, ut ſupra.

SECTIO DCLXXI.

Caput XII. Duo pueri, *ex Decretali Clementis III.*

Summa, ſeu caſus hujus Decretalis, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, eſt.

Cum Guilielmus in VI. & Guilielma in VII. ætatis anno deſponſati, & per tres annos ſimul permanſiſſent, cumque poſtea pater puellæ eam M. copulaſſet, qui poſt ſeptennium eandem reliquit, credens, quod alium virum haberet, Guilielmum nempe, cui prius fuerat deſponſata, iſte vero poſt annos diſcretionis, impetrata licentia ab Epiſcopo nubendi alteri, accepiſſet in uxorem S. conſobrinam prioris, & cum ea per aliquod tempus exiſtens, negaret ipſam carnaliter cognoviſſe (ea licet aſſerente, pater Guilielmæ videns eam a priori viro relictam compulit Guilielmum, cui illam prius deſponſaverat, ut S. nepte ſua dimiſſa, ad dictam Guilielmam rediret, cum qua poſtea per biennium cohabitavit.

De hoc conſultus Pontifex, reſpondit, impediente puerili ætate, matrimonium inter Guilielmum, & Gulielmam non fuiſſe; & licet idem Guilielmus, poſtquam illa alii nupſit, potuerit ducere aliam, non debere tamen cum S. conſobrina Guilielmæ remanere propter publicæ honeſtatis juſtitiam, ſive eam cognoverit, ſive non; nec ad primam alteri legitime copulatam redire; poſſe tamen aliam ducere, & S. quoque, quam negat, ſe cognoviſſe, alteri copulari: utrique tamen pro vitando ſcandalo pœnitentiam injungendam. Si vero conſtaret, dictam S. a Guilielmo cognitam fuiſſe, neutri, vivente altero, licere contrahere. Gulielmum denique remanere debere cum M. competenti pœnitentia ipſi impoſita, quod judicio Eccleſiæ non requiſito, illam dimiſerit.

Inter cætera igitur declarat hic Clemens, nullum eſſe matrimonium contractum cum conſobrina illius, quam quis prius ante ſeptennium deſponſaverit propter impedimentum publicæ honeſtatis. Verum hoc procedit de jure antiquo Decretalium, cum hodie tale impedimentum extendatur dumtaxat ad primum gradum ex decreto Tridentini *cap. III. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* cujus textum habes ſupra Sectione DCXLVIII. ſponſalia autem inter ſeptennem, & nondum ſeptennem regulariter loquendo ſunt invalida matrimonium autem per ſolam carnalem copulam abſolute invalidum eſt, ut jam notavi.

Dixi ſponſalia inter ſeptennem, & nondum ſeptennem, regulariter loquendo, eſſe invalida: quia = *in ſponſalibus* (inquit S. Thom. *in 4. diſtin. 27. qu. 2. art. 2. ad 7.*) *ſi appropinquant contrahentes ad tempus ſeptennii, contractus ſponſalium habet robur, quia in quibuſdam magis acceleratur uſus rationis, quam in aliis* =.

Eandem ſententiam tuetur Fagnan. *in cap. Ubi non eſt, hoc eod. tit. num.* 8. cum pluribus tum Canoniſtis, cum Theologis, quos refert Lucius Ferraris *Prompta Bibliot. verb. Sponſalia num.* 15. Neque hæc ſententia eſt contemnenda, vel omittenda, cum Bonifacius VIII. nullo facto verbo ſeptennii *in capit. Ex ſponſalibus*, aſſerat ſolum, ſuppoſito rationis uſu ſufficiente in contractibus, ut ex ſponſalib. validis oriri impedimentum, & nihilominus Tridentinum quantum ad hoc, correxit præciſe quoad gradus.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO DCLXXII.

Caput Unicum, Si infantes, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Summa hujus Decretalis (cujus prolixum textum tranſcribere omitto) eſt.

Si infantes ad invicem, vel unus ſeptennio major, cum nondum ſeptenni ſponſalia, vel ipſi contrahant, vel pro eis parentes, niſi verbo, vel facto poſt ſeptennium in eadem voluntate perdurent, ſponſalia per lapſum temporis non convaleſcunt, ideoque publicæ honeſtatis juſtitiam non inducunt. Si vero tales, in quibus malitia ætatem non ſupplebat, per verba contraxerint de præſenti, ſponſalia hujuſmodi, quæ juris interpretatione ſunt tantum de futuro, per adventum pubertatis non tranſeunt in matrimonium de præſenti, niſi per carnis copulam, vel alium modum contrahentes in eadem voluntate perſeverare conſtiterit: per hunc tamen contractum, qui valuit, ut potuit, non ſicuti agebatur, publicæ honeſtatis juſtitia inducitur. Denique in ſponſalibus, quæ parentes pro filiis contrahunt, ſi expreſſe conſenſerint, vel tacite non contradicendo, ſi præſentes fuerint, vel ſi ea ratificaverint, obbligantur, & publicæ honeſtatis juſtitia inde oritur, alias nec obligantur, nec publicæ honeſtatis juſtitia inſurgit.

Bonifacius hic declarat, ut pluries declararunt deceſſores Pontifices ex ſupra notatis, validum eſſe matrimonium, aut ſolo intercedente conſenſu, aut carnali copula, quod hodie eſt nullum, niſi etiam contractum ſit coram parocho, & teſtibus juxta Tridentini decretum, ut pluries notatum eſt.

Hic quæri poſſet, an matrimonium contractum per verba de præſenti inter mulierem, & impuberem, abhibitis ſolemnitatibus, tranſeat in ſponſalia de futuro, S. Congr. Conc. *in una Viterbien. de menſe Julii 1587. apud Panimollam, deciſ. 123. Adnot. II. num* 12. reſpondit: *pendere ex diſpoſitione juris communis, quod quantum ad hunc caſum nihil proſſus correxit, aut immutavit Conc. Trid.*

Verum tamen eſt, id ſolum valere de matrimonio impuberum, aut impuberis cum impubere. Imo ſim-

ſi impuberes, aut puber cum impubere prædicto modo deſponſati, vellent contrahere matrimonium poſt pubertatem, deberent ſervare formam Conc. etiamſi hanc ſervaſſent prima vice, ut declaravit ead. Cong. 10. Martii 1583. Panimol. *loc. cit. num.* 13.

Titulus III. De Clandeſtina deſponſatione.

SECTIO DCLXXIII.

CAPUT I. SI QUIS, *ex Decretali, deſumpta a Canone, Concilio Arelatenſi tributo, quamvis, ut notat Antonius Auguſtinus ad dictum Concilium, in nullo ex Conciliis Arelatenſibus, ſeu Agathenſibus reperiatur.*

SI quis clam deſponſaverit aliquam, & mulier, vel vir negat hujuſmodi deſponſationem: viro incumbit probatio.

Sentiunt nonnulli, per hanc Decretalem declarari validum matrimonium clandeſtinum, dummodo probari poſſit, fuiſſe contractum: verum ex litera id non conſtat. Vis igitur hujus decreti in hoc tota ſita eſt, quod negante muliere, aut viro ſecutam deſponſationem, viro incumbit ejuſdem probatio: quin addatur, validane ſit deſponſatio, an invalida, facto ejuſdem probato. Propterea placet cum ſatis communi DD. intellectu allatæ Decretalis ſenſum ſic interpretari. Quod in controverſia, & dubio factæ deſponſationis, ob affirmationem unius, & negationem alterius, ſpectat ad affirmantem illam probare: ſiquidem in foro fori factum non præſumitur, niſi probetur, ſaltem cum adminiculis ſufficientibus. Cæterum, non amplius valere in præſens matrimonium clandeſtinum, contractum nempe ſine præſentia parochi, vel alterius Sacerdotis, de ejuſdem parochi, aut Ordinarii licentia, & duorum, vel trium teſtium, patet ex Tridentino *ſeſſ. XXIV. cap. I. de reform. matrim.* ibi.

Qui aliter, quam præſente parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt; eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.

Verum = certum eſt (ita Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. VIII. cap. XIII. num.* 5. *edit.* 1755.) etiam nunc matrimonia clandeſtina vera, & rata eſſe in locis, in quibus prædictum decretum (Tridentini) nunquam fuit promulgatum =.

SECTIO DCLXXIV.

CAPUT II. QUOD NOBIS, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Belvacenſi recripta.*

QUod nobis (& infra.) Si enim matrimonia ita occulte contrahuntur, quod exinde legitima probatio non appareat, ii, qui ea contrahunt, ab Eccleſia non ſunt aliquatenus compellendi. Verum, ſi perſonæ contrahentium hoc voluerint publicare, niſi rationabilis cauſa præpediat, ab Eccleſia recipienda ſunt, & comprobanda, tamquam a principio in Eccleſiæ conſpectu contracta.

In hac Decretali cohærenter ad antecedentem, quoad primam partem, ſtatuit Pontifex, quod, ſi matrimonia fuerint adeo occulte contracta, ut exinde nulla de iis afferatur, & appareat legitima probatio, quatenus unus ex contrahentibus affirmet contractum fuiſſe initum, non debeat Eccleſia, hoc non obſtante, eos compellere, ut ſimul cohabitent; imo, ut hic addit Gloſſa verb. *Compellendi*, ſint potius ſeparandi, ut evitetur periculum ſtupri, aut concubinatus. In ſecunda parte declarat, quod ſi ambo contrahentes de contractu inito conteſtentur, ipſumque publicare voluerint, hujuſmodi matrimonia ab Eccleſia recipienda ſint, & comprobanda, perinde acſi ab initio fuiſſent in Eccleſiæ conſpectu contracta, niſi rationabilis cauſa præpediat: & quoad hoc hæc Decretalis ſubeſt correctioni Tridentini, jam in antecedenti Sectione allatæ: licet enim matrimonium ex tali confeſſione ita habendum ſit juxta textum, perinde acſi contractum fuiſſet in facie Eccleſiæ, tamen adhuc verificaretur, ſervatam in eo non fuiſſe formam, ab eodem Trident. præſcriptam; ideoque hodie invalidum eſſet.

Tale matrimonium, conſcientiæ fuiſſe animadvertit

vertit Benedictus XIV. *lib. XIII. de Synod. Diœc. edit. an.* 1755. *cap. XXIII. num.* 12. = quod evulgari, & manifeſtari non debeat, quandiù conjugibus ipſis illud publicare non placuiſſet =.

Quamvis autem is ſemper fuerit Eccleſiæ ſpiritus, ut matrimonia publice celebrarentur, ſicuti quoad præterita tempora eruitur ex ſex primis Canonibus, a Gratiano relatis *quæſt. V. cauſa XXX.* quorum primus ab eodem tributus eſt Evariſto, quamvis falſo, alter Hormiſdæ, tertius Nicolao I. quartus depromptus ex Epiſtola S. Leonis, quintus ex Concilio Carthaginenſi IV. an. 398. ſextus tandem ex Concil. Arelatenſi; qui tamen legitur in Capitularibus Francorum Regum: & quoad tempora quoque noſtra etiamnum duret, cum a Tridentina Synodo renovatum fuerit Concilii Lateranenſis IV. decretum de publicis denuntiationibus matrimonii celebrationi ter præmittendis; cum tamen plurimi dentur caſus, in quibus Superior neceſſario diſpenſare debeat a dictis denuntiationibus, & matrimonia conſcientiæ permittere, contrahenda ſcilicet coram parocho, vel aliquo Sacerdote ſpecialiter deputato, & duobus teſtibus familiariſſimis, ut ſemper occulta remaneant; ideo in iiſdem certis caſibus hæc hodie ab eadem Eccleſia non improbantur.

Quia vero non levia mala, & abſurda ex hujuſmodi occultis matrimoniis ſæpe naſcebantur, laudatus Benedictus XIV. ut opportune iis obviam iret, hanc tum in illis contrahendis cum in prolibus exinde ortis cuſtodiendis, præſcripſit regulam, a locorum Ordinariis ſervandam in, quæ, ut omnibus clariſſime innoteſcat, integram ipſius Conſtitutionem tranſcribo.

Satis vobis compertum eſſe non dubitamus, Venerabiles Fratres, eam ſemper fuiſſe piæ matris Eccleſiæ vigilem curam, ut Sacramentum matrimonii, Magnum ab Apoſtolo nuncupatum, publice, & palam a fidelibus celebretur. Quod quidem, ut diligentius, quam antea factum fuerat, in poſterum ab omnibus obſervaretur, ſancta Tridentina Synodus, Lateranenſis Concilii, ſub Innocentio III. celebrati, veſtigiis inhærendo, præcepit, ut in poſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter miſſarum ſolemnia publice denuntietur, denindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Eccleſiæ, coram parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem ſancta Synodus, apud parochum diligenter librum cuſtodiri, in quo conjugum, & teſtium nomina, dieſque, & locus matrimonii deſcribantur.

§. I. Providæ tamen hujuſmodi leges, tanta auctoritate ſaluberrime inſtitutæ, pravahorum temporum conditione ſenſim prolabi viſæ ſunt, & enerves propemodum reddi, ob matrimonia uſu nimis recepta, quæ occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri poteſt obliteretur, & in tenebris ignorantiæ perpetuo jaceat conſepulta. In more etenim poſitum eſt, illa celebrari, nullis præviis factis denunciationibus, coram ſolo parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, adhibita præſentia tantum duorum teſtium, apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum eſt ſuſpecta, remque peragi ſæpe extra Eccleſiam, quandoque etiam intra illam, janvis tamen occluſis, vel eo temporis momento, quo ſemota alterius cujuſvis præſentia, ſcientia initi matrimonii, præter parochi contrahentium, teſtiumque perſonas, alios penitus effugiat.

§. II. Quantum a Sacramenti dignitate, & ab eccleſiaſticarum legum præſcripto occulta hæc matrimonia, *conſcientiæ* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, ſatis, ſuperque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitioſos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata; præſertim vero eorum, qui divini judicii interminatione poſthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia ſpe futuri matrimonii decepta, & in turpem ſecum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorundam vero mentem ita pravæ cupiditates excæcant, ut novum contrahere ſecretum matrimonium audeant, poſt alterum ſecreto itidem contractum, & nondum prioris conjugis morte ſolutum, ſeſeque magno ſcelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere, ut in hujus magni Sacramenti contemptum, poſt primas ſecreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, ſeſe audacius polygamia pariter innodare non perhorreſcant. Age vero, quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his matrimoniis mala oriantur. Si enim, ad quamcumque matrimonii ſuſpicionem ſubmovendam, virum ſeorſim a muliere vivere contingat, ſublata eſt illico individua vitæ conſuetudo, & contemptum eſt verbum Domini: *Adhærebit homo uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: ſin hæc vitæ conſuetudo ſervetur, nemo eſt, qui illam criminis non arguat, & utpote deteſtabilem, in ſcandali materiam non traducat. Neque illata per ſcandalum diſpendia rependit ſubſecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris deliteſcit, & ab omnibus ignoratur.

§. III. Leviora quoque damna non ſunt, quæ ſuſceptæ proli irrogantur. Sæpe enim contingit, illam a parentibus, & a matre præſertim, amotam, nec pie, nec liberaliter inſtitui,

ſed

ſed incertis fortunæ caſibus objectam relinqui ; niſi etiam parentes ipſi , contra naturæ leges, auſu nefario illius vitæ inſidientur . Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illoſque ad ſobolem alendam , inſtituendamque humanitas ipſa compellat ; alia imminet liberis ſuſceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum , & bonorum jactura , pro quorum poſſeſſione aſſequanda quamvis clament jura ſanguinis , illis tamen careant neceſſe eſt , propter occulta parentum matrimonia , & ademptam legitimitatis , & filiationis probationem.

§. IV. Huic etiam malorum origini ſunt referenda ipſa quoque ſecreta matrimonia , contracta a filiisfamilias contra patris, juſte diſſentientis, voluntatem: ex quibus quam gravia incommoda exoriri ſoleant , neminem latet. Quid plura? adeo invaluit malitia , ut quandoque in Minoribus Ordinibus conſtituti, penſiones, & beneficia , ad divinum cultum , & eccleſiaſtica munia inſtituta , etiam poſt initum clam matrimonium retinverint , ſibique de mammona iniquitatis loculos miſerrime comparaverint .

§. V. Deflenda hæc igitur potius uberibus lacrymis , quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apoſtolicæ Sedis ſpecula omnes ſibi vindicet noſtræ vigilantiæ curas , temperare non poſſumus , quin vos ipſos , venerabiles Fratres , in partem noſtræ ſolicitudinis evocantes , veſtram pietatem , & zelum excitemus ad cuſtodiendas vigilias noctis ſuper grege vobis credito , quem luctuoſa horum temporum conditio in diſcrimen adducit . Primum itaque periculi non infrequens occaſio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes , a quibus contracturi matrimonium ſæpe per malitioſam ſuggeſtionem petunt diſpenſari. Quam caute , ſolerteque oporteat ea in re Epiſcopos verſari , non obſcura vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta . Si enim (ait eadem ſancta Synodus) probabilis fuerit ſuſpicio , matrimonium malitioſe impediri poſſe , ſi præceſſerint denunciationes , tunc , vel una tantum denunciatio fiat ; vel ſaltem parocho , & duobus teſtibus præſentibus , matrimonium celebretur , & deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant , ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta , facilius detegantur. Præterea licet Epiſcopo relictum ſit omnimode ſuper denunciationibus diſpenſare ; hæc tamen facilitas , non a ſola diſpenſantis voluntate pendet , ſed a Tridentino coercetur arctis prudentiæ , diſcretique arbitrii legibus ; quod idem eſt , ac legitimam cauſam diſpenſationis requirere .

§. VI. Parem quoque , imo fortaſſe majorem vigilantiam neceſſe eſt a vobis adhiberi , ne, poſt remiſſas denunciationes celebretur matrimonium coram parocho , vel alio Sacerdote , ab ipſo parocho , vel a vobis deputato, præſentibus duobus , del tribus teſtibus confidentibus , ne ulla celebrationis notitia , vel rumor oriatur . Id enim , ut ad præſcriptum ſacrorum Canonum licite fieri poſſit , non ſatis eſt obvia quævis , & vulgaris cauſa , ſed gravis , urgens , & urgentiſſima requiritur . A ſacro noſtræ Pœnitentiariæ tribunali , eo potiſſimum caſu fit poteſtas ita celebrandi matrimonium , quo vir , & fœmina in figura matrimonii publice degentes , & de quibus nulla viget criminis ſuſpicio , in occulto tamen concubinatu perſeverent : facile enim quiſque conjiciet , quam abſonum eſſet, eos a ſtatu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium, præviis denunciationibus, compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam , non quia diſpenſatio præmiſſo caui ſolum congruat , cum alii ſimiles , & fortaſſe urgentiores eſſe poſſint , in quibus diſpenſari expediat; ſed quia veſtri paſtoralis officii partes verſari debent in ſedulo inveſtiganda legitima , & urgenti cauſa diſpenſationis, ne matrimonia, occulte celebrata luctuoſos habeant exitus, quos intimo cordis mærore recenſuimus.

§. VII. Hunc porro in ſcopum vos hortamur , & impenſe admonemus , ut perſonarum, matrimonium ſecreto contrahere petentium, diligens fiat a vobis inquiſitio : an ſcilicet ejus qualitatis , gradus , & conditionis ſint , quæ id probe expoſcant , an ſint ſui , vel alieni juris; an filiifamilias, quorum nuptiæ patri juſte diſſentienti ſint inviſæ : ab epiſcopali etenim , quod geritis, munere nimium eſſet alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occaſionem , an res ſit de perſonis eccleſiaſticis, licet in Minoribus Ordinibus conſtitutis , penſiones , & beneficia eccleſiaſtica obtinentibus , ut deteſtabilis illorum retentio in ſtatu uxorato congruis remediis poſtea compeſcatur . Potiſſimum vero curet veſtra ſolicitudo , antequam ſecreti matrimonii licentia concedatur , quod contrahentes clara , & indubia , & a quavis fraude immunia, exhibeant documenta ſtatus liberi , ad avertendum ab iis, qui improbi ſint ingenii , polygamiæ periculum .

§. VII. Quod attinet ad miniſtrum ſecreti matrimonii , volumus , ad id munus deputari pare-

parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia perſonarum, experientia, & diuturnus rerum uſus, quovis Sacerdote extraneo peritiorem effeciſſe præſumuntur. Si quæ tamen vobis occurrant circumſtantiæ, quæ alium Sacerdotem loco parochi expoſcere videantur, gravi impellente cauſa, is Sacerdos a vobis eligatur, qui probitate, & doctrina, & obeundi muneris peritia commendetur.

§. IX. Uni tamen, aut alteri Sacramenti miniſtro, a vobis deputando, diſtricte præcipiatur, ne matrimonio interſit, niſi prius paterna charitate conjuges in Domino monuerit, ſobolem procreandam regenerari quamprimum oportere ſacro Baptiſmatis lavacro; ac Chriſto Judici diſtrictam reddituros eſſe rationem, niſi filios, ut legitimos agnoverint, eoſque pietate, boniſque moribus imbuerint, & frui patientur bonis temporalibus, a majoribus in ſupremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

§. X. Celebrato autem matrimonio, indilate a parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum eſt, exhibeatur Epiſcopo illius ſcriptum documentum, cum nota loci, & temporis, teſtiumque, qui celebrationi interfuerunt. Veſtrum erit poſtea diligenter incumbere, quod ad perennem geſtæ rei memoriam, præfatum documentum fideliter tranſcribatur in libro prorſus diſtincto ab altero, in quo matrimonia, publice contracta, de more adnotantur. Hujuſmodi liber, pro matrimoniis ſecretis apposite compactus, clauſus, & ſigillis obſignatus, in veſtra epiſcopali cancellaria caute erit cuſtodiendus: & eo tantum caſu reſignari, & aperiri, veſtra accedente licentia, patiemini, quo alia id genus matrimonia deſcribi oporteat, vel id ſibi vindicet juſtitiæ adminiſtrandæ neceſſitas, vel demum aliquod documentum ab eo expoſcant verum intereſſe habentes, quibus probationum aliunde petendarum non ſuppetit copia: ſedulo tamen animadvertentes, quod re abſoluta, denuo claudatur, & ſigillis, ut antea obſignetur. Fides, ſeu atteſtationes clam celebrati matrimonii, a parocho, vel Sacerdote, qui vices parochi geſſit, exarandæ, vobiſque exhibendæ, tranſcribantur in dicto libro, prout jacent, de verbo ad verbum, a perſona a vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probitatique nominis luculentum habeat teſtimonium. Fides vero, & atteſtationes ipſæ in ſecretiori loco ſartæ, tectæque a vobis ſerventur.

§. XI. Quod ſi ex occulto hujuſmodi matrimonio prolem naſci contingat, eadem mundetur ſalutari Aqua Baptiſmi in Eccleſia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indiſtincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum matrimonium facile eſt in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, & eorum nomina conſulto reticeri: volumus, ac expreſſe mandamus, quod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre, ſuſcepta proles vobis denuncietur, dictaque denunciatio fiat, vel immediate per parentes ipſos, vel per literas, eorum charactere exaratas, vel per fide dignam perſonam, ab ipſis parentibus deſignatam, ut certo, & clare vobis conſtet, quod proles tali loco, & tempore, vel reticitis, vel falſo expreſſis nominibus parentum, baptizata, eſt legitima, licet occulti matrimonii fœdere procreata. Quæ ſane omnia cum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter deſcribentur ab eo, cui facta a vobis eſt poteſtas adnotandi matrimonia, occulte celebrata. Liber, in quem baptizatorum, ac utriuſque parentis nomina referentur, quamvis diſtingui debeat ab altero matrimoniorum; eadem tamen diligentia, iiſdemque cautelis in cancellaria epiſcopali clauſus, & ſigillis obſignatus, erit cuſtodiendus, prout librum matrimoniorum caute cuſtodiri ſupra mandavimus.

§. XII. Quia vero nonnulli deeſſe non poſſunt, qui propriæ conſcientiæ vocibus obſurdeſcant, & noſtris hiſce mandatis parere negligant, debita pœnarum diſtrictione pro modo culpæ a vobis puniantur: quinimmo, cum ſatis Nobis experientia compertum ſit, in hujuſmodi negociis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos reſpectus tardiores effici, & a recte agendi ſemita revocari; mandamus idcirco, matrimonia occulta a vobis evulgari, & nota fieri, ſi certo vobis conſtiterit, ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuiſſe ſobolem, & baptizatam ſuppreſſis parentum nominibus, nulla præſtita vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus, intra triginta dies a nativitate numerandos.

§. XIII. Ne autem contumaces, & inobedientes, violatæ fidei, proditique ſecreti Paſtores ſuos inſimulent; ſedulo a vobis curandum eſt, ut a parocho, vel alio Sacerdote, pro ſecreta celebratione matrimonii a vobis deputando, conjuges clare, & aperte moneantur, ea lege, & pacto illis permitti ſecreti matrimonii celebrationem, ut ſoboles inde procreanda non ſolum regeneretur ſacro Baptiſmate, ſed poſt Baptiſma denuncietur Epiſcopo cum nota

loci, & temporis adminiſtrati Sacramenti, ac ſincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum ſupra præmiſſum eſt: alioquin matrimonium, licet contractum data per Epiſcopum ſecreti fide, in lucem proferetur, in gratiam filiorum, & ad propulſandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam.

§. XIV. Volumus denique, ac mandamus, fides, ſeu atteſtationes matrimonii clam initi, & ſobolis ex eo procreatæ, excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum eſt, apud vos caute cuſtodiendis, tantam promereri fidem, quantam ſibi alii libri parochiales Baptiſmatis, & matrimonii vindicare conſueverunt.

§. XV. Hæc a vobis, venerabiles Fratres, in hac temporum calamitate obſervari enixe præcipimus, ad communem animarum ſalutem, & ad præſidium eccleſiaſticæ diſciplinæ, propter invaleſcentem hominum malitiam nova ſemper detrimenta, vel patientis, vel reformidantis. Cæterum noſtris hiſce literis ſublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo in diem ingruenti conſona dignoſcet prudentia veſtra, ad paſtorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternæ charitatis, & benevolentiæ teſtem, Apoſtolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam, die 17. Novembris 1741. Pontificatus noſtri anno II.

In hac quidem Conſtitutione clare ſtatuitur, hujuſmodi occulta matrimonia numquam evulganda eſſe, excepto caſu, de quo expreſſe cavetur in §. XII. Sed quid, ſi eadem non evulgando, ſcandalum oriatur, quod indubitanter contingere poteſt, in parvis præſertim oppidis, ac in vicinia, reſpectu eorum, qui ſecreta hæc matrimonia ignorantes, videnteſque occultos conjuges iſtos continuo ſe maritali affectu tractare, aut ſaltem ſecum invicem ſæpe frequentare, non conjuges, ſed concubinarios vel reputant, vel de iis palam acſi tales eſſent, obloquuntur.

Circa hoc dubium ſæpius ego conſultus, fui in ſenſu, evulganda omnino eſſe, & quidem a parocho, cujus præcipuum munus eſt ſcandala a populo ſibi commiſſo removere. Cum vero præfatum ſcandalum eidem parocho innoteſcere poſſit, vel quia parochiani hunc in finem ipſum adeunt, ut illud impediat, vel quia, nemine etiam reclamante, publicum eſt. In primo caſu ſatis erit, conſulto tamen prius Epiſcopo, eis ſuadere, ſibi conſtare, tuta illos conſcientia ſimul cohabitare poſſe. In ſecundo autem caſu muneri ſuo ſatisfaciet, ſi ſerio monuerit dictos occultos conjuges, ut vel ſecretum matrimonium evulgent, vel eo modo ſe gerant, quo ſcandalum omnino removeatur: quod quidem ſub mortali peccato avertere tenentur, tam lege naturali, quam divina. Quod ſi poſt ſeriam monitionem evulgare detrectent, onus erit parochi Epiſcopum, & de ſcandalo, & de hac conjugum reluctantia certiorem reddere, cujus partes erunt, quando nullum aliud ſuppetat remedium, dictum ſcandalum avertendi, initum conjugium manifeſtare.

Neque in his caſibus manifeſtatio adverſatur menti Pontificis, præcipientis, ne hujuſmodi matrimonia evulgentur, excepto caſu in §. XII. expreſſo; cum & ipſe §. II. optime animadverterit, per occultam matrimonii celebrationem = *non rependi illata per ſcandalum diſpendia* = ideoque quoties hoc adſit, ut plurimum contingit, dicendum eſt, tacite declaraſſe, & in tali caſu manifeſtandum eſſe.

Quæri hic tamen poſſet, quid conſilii capiendum, ſi ex hujuſmodi manifeſtatione, ſive ab Epiſcopo, ſive ab ipſiſmet conjugibus ex parochi monitione facta, graviſſimum aliquod damnum iiſdem obveniret? In hoc certe diſcrimine aliud fortaſſe remedium meo judicio non ſuppeteret, quam, vel ut ſe ad remotas terras transferrent, vel ita caute ſe invicem frequentarent, ut quælibet mali conſortii ſuſpicio penitus adimi poſſet. Quod ſi nec hæc ſine graviſſimo incommodo adhiberi poſſent, notiſſimum eſt, divino, ſub pœna damnationis æternæ, obſtringi præcepto, quodcumque potius malum, ac mortem ipſam ſubire, quam Deum offendere.

In pluribus Germaniæ locis, matrimonium conſcientiæ vocatur matrimonium morganaticum, ſeu ad morganaticam contractus; cum videlicet vir nobilis, defuncta prima uxore, pariter nobili, ſuſceptiſque ex ea liberis, ad vitandum periculum incontinentiæ, nubit cum fœmina inferioris conditionis coram parocho, & teſtibus, diſpenſatis tamen denunciationibus, ſed eo pacto, ut tam iſta, quam liberi ex eis naſcituri contenti ſint alimentis dumtaxat, habeanturque extranei ab omnibus titulis, dignitatibus, inſignibus, ac paternorum, avitorumque bonorum ſucceſſione, ut ſtatuitur *lib. II. Feudorum*, *tit. XXIX*. Circa hoc matrimonium, ejuſque validitatem adeantur Scriptores Germani, inter quos Remigius Maſchat Scholar. Piarum *Inſtit. Canonic. a me noviſſime cum additionibus typis editæ, lib. IV. tit. V. de Condit. appoſit. in deſponſation. num.* 24.

Adeatur etiam *Liber ſingularis de Matrimonio conſcientiæ, Franciſci Mazzei, a cap. XIII. ad XX.* nuper editus Romæ 1766.

SE-

SECTIO DCLXXV.

Caput III. Cum inhibitio, *ex Decretali Innocentii III. in Concilio lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

CUM inhibirio copulæ conjugalis ſit in ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis volumus diſtricte ſervari. Unde Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, clandeſtina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus intereſſe præſumat. Quare ſpecialem quorundam locorum conſuetudinem ad alia generaliter prorogando, ſtatuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito: ut intra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam conrrahendam, contractus interdicatur expreſſe, donec quid fieri debeat ſuper eo, manifeſtis conſtiterit documentis.

Si quis vero hujuſmodi clandeſtina, vel interdicta conjugia inire præſumpſerit in gradu prohibito, etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium; cum illi taliter contrahendo non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima cenſeatur, ſi ambo parentes impedimentum ſcientes legitimum, præter omne interdictum, etiam in conſpectu Eccleſiæ contrahere præſumpſerunt.

Sane, ſi parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempſerit, aut quilibet, etiam Regularis, qui eis præſumpſerit intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur, gravius puniendus, ſi culpæ qualiras poſtulaverit. Sed his, qui taliter præſumpſerint, etiam in gradu conceſſo, copulari, condigna pœnitentia injungatur. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitioſe impedimentum objecerit, canonicam non effugiet ultionem.

In hac Decretali inter cætera ſtatuitur, ut matrimonia contrahenda, publice in Eccleſia denuncientur, competenti termino præfinito, intra quem qui illa voluerint impedire, impedimentum opponant.

Hæc denunciatio hic generaliter præſcripta, quoties, & quando fieri debeat, declaratum eſt a Concilio Tridentino *cap. I. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* præcipiente, ot ter fiat a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus feſtis inter Miſſarum ſolemnia. Textum leges infra *part. II. cum de dicto cap. I. Trident.*

Attento traſcriptæ Decretalis ſtatuto, non poſſet Epiſcopus ſuper hujuſmodi denunciatione diſpenſare, cum nulla ſit inferiori poteſtas diſpenſandi a lege Concilii generalis, utpote ſuperioris, excepto caſu contrariæ præſcriptæ conſuetudinis: verum hodie rigor iſte temperatus eſt ab eodem Tridentino loc. cit. ut ibidem notabitur.

Ioſuper attento eodem ſtatuto, impedimenti oppoſitio, ſeu revelatio, ſi quod eſt inter contrahentes, remitti videtur arbitrio illud ſcientis, cum Pontifex utatur verbo non præceptivo, ſed ſimpliciter dicat, *ut infra illum* (terminum) *qui voluerit, & valuerit, legitimam impedimentum opponat*, ac proinde ſequitur, impedimenti conſcium nullatenus teneri in conſcientia ad denunciationem.

Verum, oe dicamus, Innocentinm ſibi contrarium eſſe, cum in *cap. VII. Tua nos, de Cognat. ſpirituali*, interrogatus a quodam Canonico Herefordenſi, an conſcii matrimonii contracti cum impedimento, orto ex cognatione ſpirituali, teneantur illud in publico accuſare, reſponderit, *qui contractum ſciverunt, debent illud Eccleſiæ nunciare*, dicendum eſt, per illud verbum = *ſi voluerit* = intellexiſſe, quemlibet admitti debere ad denunciandum, quaſi eſſet crimen publicum, ut exponit Gloſſa ad idem verbum *voluerit*.

Et revera præceptum hoc impoſitum eſt ſub gravi peccato, cum quilibet, ex notiſſimis, teneatur præcepto charitatis avertere ruvinam ſpiritualem proximi, & irreverentiam Sacrmenti; etiamſi ſub ſecreto naturali ſit conſcius impedimenti, ut ex comuni contra Guttier tenet Reiffenſt. *hoc eod. tit. §. I. n.* 49. „ Quia quiſquis tenetur avertere ruinam ſpiritualem, „ & grave peccatum alterius, atque irreverentiam „ Sacramenti, ſi comode, & abſque ſui præjudicio „ poteſt. Procedit concluſio, licet ſub ſecreto natu- „ tali, etiam juramento firmato, illud ſciat, San- „ chez *loc. cit. num.* 5. Boſco *loc. citat. num.* 27. *& „ ſeqq.* Averſa *quæſt.* 7. *Sect.* 4. citans communem, & „ alii contra Guttierez *lib. I. Canon qq. cap. II.* n. 27. „ Ratio eſt qua juxta univerſalem regulam apud D. „ Thomam 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. *ad ſecundum*, quem, „ teſte Sanchea, omnes ſequntur, ſecretum non obli- „ gat cum præjudicio tertii, ſed potius manifeſtari „ debet, ubi, ſi non manifeſtatur, vergit in da- „ mnum publicum, aut præjudicium tertii.

Eximit tamen, pariter cum communi laudatus Auctor a revelatione, quoties quis eam facere non poſſet ſine gravi ſuo incommodo, aut præjudicio, quia præceptum charitatis = non obligat magno cum damno proprio avertere alterius damnum, ſive ſpirituale, ſive aliud = quod etiam hic tacite innuere videtur idem Innoccntius: quandoquidem verbo *voluerit* addit *& valuerit*: qui enim ſine gravi ſui incommodo relevare non poteſt, idem eſt acſi non valeat.

In §. *Si quis* dictæ Decretalis ſtatuitur, ut ſi quis

clam contrahat in gradu prohibito, etiam ignoranter, proles ex matrimonio ſic contracto ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur: ſicuti & ſi ambo contrahentes impedimenti conſcii, illud in conſpectu Eccleſiæ contrahant: quam pœnam ex hoc ſecundo capite incurſam aggravavit Tridentinum cit. *ſeſſ. XXIV. de reform. matrim. cap. X.* auferendo etiam ſpem diſpenſationis, ibi,

Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſumare auſus fuerit.

In §. *Sane* ſæpedictæ Decretalis parocho, aut etiam cuilibet Regulari, præſumenti intereſſe matrimonio, cui legitimæ non præceſſerint denunciationes, infligi jubetur pœna ſuſpenſionis ab officio, triennio duratura, aut etiam gravior: a qua quidem ſuſpenſione, poſtquam ab Epiſcopo lata eſt, nequit quis abſolvi, niſi per Papam, cum ejus tempus ſit a jure determinatum, ut cum communi notavi in Additionibus *ad Theſaurum de Pœnis eccleſiaſt. cap. VI. verb. Matrimonium*. Contrahentes autem puniri jubentur pœna condigna: quæ cum a jure non ſit determinata, eſt arbitraria.

Nulla pœna hic inflicta legitur teſtibus, qui ſcienter hujuſmodi matrimonio aſſiſtunt, non factis proclamationibus: quæ iis tamen infligi poſſit, inſtituetur ſermo *part. II. cum de cap. I. Trident. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.*

Si autem quæras, quid veniat nomine officii reſpectu Sacerdotis regularis, a quo & ipſe hic ab officio ſuſpendi jubetur per triennium, laudatus *Theſaurus cap. II. verb. Simonia num.* 10. cum communi DD. aſſerit, in materia pœnali venire officium, habens juriſdictionem eccleſiaſticam, ſeu regimen ſpirituale, *ut Prioris, Guardiani, Generalis, Provincialis &c.*

Sed quid, ſi Regularis, hujuſmodi delicti reus, nullo ex his fungatur officio? liber ne erit ab omni pœna? certum eſt in hoc caſu dari non poſſe locum executioni præfatæ ſuſpenſionis, quæ eſt ferendæ ſententiæ, cum agatur de ſubjecto incapaci, proper carentiam officii, ut ſupponitur. Verum, ne dicamus, Innocentium voluiſſe, ut impunitus remaneret, crederem, puniendum eſſe pœna arbitraria, leviori, vel graviori, juxta minorem, vel majorem culpæ, & præſumptionis qualitatem, ut idem Innocentius hic puniri præcepit.

Titulus IV. De Sponſa duorum.

SECTIO DCLXXVI.

Caput I. Duobus, *deſumptum ex verbis, D. Auguſtino tributis.*

DUobus modis dicitur fides pactionis, & conſenſus. Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere, ſi aliam duxerit pœnitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa, quam duxit: non enim reſcindi debet tantum Sacramentum. Si autem fecerit fidem conſenſus, non licet ei aliam ducere, ſi autem duxerit, dimittet ipſam, & adhærebit priori. Eſt autem fides pactionis, quando aliquis promittit alicui fidem, quod eam ducet, ſi permiſerit eum rem ſecum habere, vel etiam pro conſenſu. Fides autem conſenſus eſt, quando etſi non ſtringit manum, corde tamen, & ore conſenſit ducere, & mutuo ſe concedunt unus alii, & mutuo ſe ſuſcipiunt.

Ex hac Decretali infertur, validum eſſe matrimonium ex ſolo conſenſu contrahentium, nulla alia ſervata forma: ſed hodie nullum eſt, non ſervata forma, a Concilio Tridentino præſcripta, ut oſtendi titulo antecedenti Sectione DCLXXIII.

SECTIO DCLXXVII.

Caput II. Accepisti, *ex Detretali, deſumpta a Pœnitentiali Romano, tit. de Fornicatione, a quo caput hoc tranſcripſit Brucardus.*

ACcepiſti illam in uxorem tibi, quam alter ſibi deſponſatam habuerat, dimitte illam: quia numquam poteſt tibi fieri legitima; & quadraginta dies in pane, & aqua (quod carinam vocant) cum ſeptem ſequentibus annis pœniteas.

Pœna hic inflicta obſolevit: & hodie contrahens ſecundum matrimonium, conſtante primo, denunciandus eſt S. Inquiſitioni, tamquam ſuſpectus de hæreſi, & ex Conſtitutione Urbani VIII. *Magnum*, 20. *Junii* 1637. ſi falſis atteſtationibus deceperit curiam eccleſiaſticam ad obtinendam licentiam contrahendi novum matrimonium, adhuc prima uxore vivente, ultra pœnas, quibus hujuſmodi polygami puniri ſolent, damnandus eſt ad triremes in perpetuum. Quod ſi inhabilis ſit, publice eſt fuſtigandus, ad perpetuoſque carceres damnandus. Ulterius tradendus eſt curiæ ſeculari, arbitrio S. Congr. Univerſalis Inquiſitionis, ſi pro qualitate, & gravitate delicti graviores mereatur pœnas, ibi.

Cum itaque, ſicut non ſine magna animi noſtri moleſtia accepimus, ii iniquitatis filii reperiantur, qui ſub mentito nomine, ſeu cognomine; adhuc prima uxore vivente, ad ſecundas nuptias tranſire audent.

Nos nefariam improborum hominum hujuſmodi temeritatem, juxta creditum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium, quantum cum Domino poſſumus, reprimere volentes, habita prius ſuper hoc cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus in univerſa Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, ab hac Sancta Sede deputatis, deliberatione matura, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, ut hujuſmodi ſic delinquentes, ultra pœnas, quibus ipſi ordinarie puniri ſolent, damnentur ad triremes in perpetuum: quod ſi inhabiles reperti fuerint, publice fuſtigentur, & damnentur ad carceres in perpetuum; ſi vero pro qualitate, & enormitate delicti graviores pœnas meruerint, etiam curiæ ſeculari arbitrio eorumdem præfatæ Congregationis Cardinalium puniendi tradantur,

Hanc autem Conſtitutionem non fuiſſe uſu receptam, ſaltem quoad traditionem curiæ ſeculari, ſentit Benedictus XIV. *lib. IX de Synod. Diœc. edit. an.* 1755. *cap. VI. num.* 8. ibi „ Præterea dici poteſt, hanc etiam „ Conſtitutionem ad terrorem potiſſimum editam „ fuiſſe; ſiquidem Congregatio S. Officii an. 1647. „ nimirum vix annis decem ab illius promulgatione „ elapſis, ab Archiepiſcopo Beneventano interroga- „ ta, qua pœna puniendus eſſet polygamus, ita re- „ ſpondit = *Polygamorum pœna, ſi falſos teſtes ad* „ *ſuum liberum ſtatum comprobandum non induxe-* „ *rint, poſt abjurationem de vehementi, ſolet eſſe* „ *damnatio ad triremes per quinquennium; ſi vero in-* „ *duxerint, per ſeptennium: falſi teſtes ipſi quoque* „ *damnantur ad triremes per quinquennium, aut bre-* „ *vius tempus, pro delicti ſui qualitate.*

Nota hic obiter, *Carenam*, de qua in tranſcripta Decretali, eſſe vocem Longobardorum, ut notat Gloſ. ſic dictam a carentia hominum, ac etiam ciborum; publici enim peccatores laici includebantur per quadraginta dies in aliquo loco ſecreto prope Eccleſiam, ubi carebant conſortio hominum, eiſque injungebatur pœnitencia jejunandi in pane, & aqua: & hæc pœnitentia dicebatur *Carena*, quo modo accipitur paſſim in Pœnitentiario Romano *tit. II. de Homicidio capite XXXIV.* & alibi. Concius autem *Carenam* ſic dictam putavit, quaſi *Caninam*, quod iidem peccatores pane, & aqua veſcerentur, non aliis cibis, ut cæteri homines.

S E C T I O D C L X X V I I I.

Caput III. Licet, *ex Decretali Alexandri III. Salernitano Archiepiſcopo reſcripta.*

Licet præter ſolitum (& infra.) Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſi inter virum, & mulierem legitimus conſenſus interveniat de præſenti; ita quidem, quod unus alterum in ſuo mutuo conſenſu, verbis conſuetis, expreſſe recipiat, utroque dicente; Ego accipio te in meam; & ego accipio te in meum, ſive ſit juramentum interpoſitum, ſive non, non licet mulieri alii nubere; & ſi nupſerit, etiamſi carnalis copula ſit ſecuta, ab eo ſeparari debet, & ut ad primum redeat, eccleſiaſtica diſtrictione compelli: quamvis aliter a quibuſdam Prædeceſſoribus noſtris ſit aliquando judicatum.

S E C T I O D C L X X I X.

Caput IV. Tua fraternitas, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Januenſi Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) reſcripta.*

Tua fraternitas nos conſuluit (& infra.) De his vero, qui coram te ſuper deſponſatione facta per conſenſum mutuum de præſenti, controverſiam movent, & appellatione pen-

pendente, quam ante ſententiam, vel cognitionem cauſæ, ad Sedem Apoſtolicam interponunt, accipiunt alias in uxores, hoc arbitramur agendum, ut ſi ammodo in tali caſu duxerint appellandum, eis in Eccleſia publice interdicas, ne ante deciſionem cauſæ, aliud contrahant matrimonium; et ſi contra interdictum Eccleſiæ publice factum venire præſumpſerint, matrimonium tam præſumptuoſe contractum, poteris irritare.

Ex hac utraque pariter Decretali infertur, matrimonium ex ſolo mutuo contrahentium conſenſu initum, eſſe validum, nulla alia ſervata forma, ſed recole jam notata ſupra hoc eod. tit. Sect. DCLXXIII. ſicuti & pœnam, in præcedenti Sectione allatam ſecundum matrimonium contrahenti infligendam, conſtante primo.

Nota, quod cum Alexander, in tranſcripta Decretali *Licet*, definierit, ſponſalia per verba de præſenti non diſſolvi per ſubſequens matrimonium, etiam conſumatum (quod idem definitum legitur ab Innocentio III. in ejus Decretali mox tranſcribenda) licet aliter a quibuſdam ſuis Prædeceſſoribus fuerit aliquando judicatum, inde anſam ſibi abripuerunt Hæretici calumniandi Pontifices de errore, & contradictione inter ipſos: ſi enim, ajunt, quidam Pontifices, ante Alexandrum, & Innocentium III. judicaverint, prout hic refert idem Alexander, matrimonium ratum ſolvi per conſumationem matrimonii, poſtea contracti, & ambo hi contrarium definierint, ergo, vel iſte, vel priores Pontifices erraverunt; & quidem in re gravi ad volorem Sacramenti pertinente.

Hanc criminationem confutandam aſſumpſit Melchior Canus *lib. VI. de Eccleſiæ Romanæ auctoritate*: ſibi enim cap. I. his verbis propoſito argumento ex ſententia Hæreticorum = Tertio Alexander III. *de Sponſa duorum, cap. Licet*, aſſerit, quoſdam ſuos Prædeceſſores judicaſſe, quod ſi poſt matrimonium contractum per verba de præſenti, non conſummatum tamen, aliud novum matrimonium conſumetur, primum dirimitur, ſecundum eſt validum. Hic autem error eſt ſine dubio in fide, & moribus manifeſtus = Cap. VIII. ita reſpondet = Tertio vero argumento nullum negocium eſt reſpondere: nam verbum judico, frequenter in ea ſignificatione uſurpatur, ut idem ſit, quod ſentio, ſeu opinor, quomodo Alexander accipit, cum ait, quoſdam Prædeceſſores ſuos aliter judicaſſe =.

Eandem criminationem confutat Berlarminus *lib. IV. de Pontifice cap. XIV.* reſpondens = priores Pontifices nihil de hac re definiiſſe, neque legem generalem ſtatuiſſe, ſed in facto particulari opinionem, quam tenebant, ſecutos =.

S E C T I O   D C L X X X.

Caput V. Tuas dudum, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Mutinenſi reſcripta.*

Tuas dudum (& infra.) De conſuetudine, quæ diu in Mutinen. obtinuit civitate, ut ſi quis juraret, ſe aliquam ducturum, & citra carnis copulam deſponſaſſet, ſi conſequenter deſponſaſſet aliam, & etiam cognoviſſet, primo cognita adjudicaretur viro, non quæ prius extitit deſponſata (& infra.) Ne vero turpis ſit pars, quæ ſuo non congruit univerſo, & Eccleſia Mutinen. tenere debeat humiliter, & ſervare, quod B. Petri ſedem, & ſuam metropolim ſequi viderit, & docere; in matrimoniis de cætero contrahendis illud te volumus obſervare, ut poſtquam inter legitimas perſonas conſenſus legitimus intervenerit de præſenti, cui ſufficit in talibus juxta canonicas ſanctiones: & ſi ſolus defuerit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur, ſi perſonæ junctæ legitime cum aliis poſtea de facto contrahant, quod prius de jure factum fuerat, non poterit irritari.

In hac Decretali definit Innocentius, in matrimoniis contrahendis ſufficere, juxta canonicas ſanctiones, legitimum dumtaxat contrahentium conſenſum.

Verum hodie ex præſcripto Tridentini *caput I. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* requiritur ulterius, ut prædictus conſenſus præſtetur, & quidem ſub pœna nullitatis matrimonii, coram parocho, & duobus, vel tribus ſaltem teſtibus, textum leges infra in notis ad *cap. XII. Per tuas, tit. XVII. Qui filii ſint legit.*

Nota, quod, cum Innocentius in dicta Decretali præceperit, in matrimoniis de cætero contrahendis, non obſtante contraria conſuetudine, vigente in Eccleſia Mutinenſi, id obſervandum ſit, ut ſi primum matrimonium, interveniente legitimo contrahentium conſenſu, contractum fuerit per verba de præſenti, hoc tenere debeat, non ſecundum, etiamſi fuerit conſummatum, non inde ſequi matrimonia ſecunda, antea contracta in dicta Eccleſia Mutinenſi, fuiſſe valida, ſeu ut valida tolerata ab eodem Pontifice, prout ſentit Panormitanus = hæc enim conſuetudo (ita hic Wagnarek) non potuit introduci in re tam gravi, & valorem Sacramenti concernente, niſi ſuppoſita poteſtate Pontificis matrimonia rata diſſolvendi, ex qua, poſtquam illi res innotuit, quæ facta erant, rata habere potuit =.

SECTIO DCLXXXI.

CAPUT I. QUICUMQUE, *ex Decretali, uni ex Conciliis Africanis tributa.*

QUicumque ſub conditionis nomine aliquam deſponſaverit, & eam relinquere voluerit: dicimus, quod frangatur conditio, & deſponſatio irrefragabiliter teneatur.

Ex tribus modis a Fagnano hic relatis, quibus legitur hæc Decretalis a Juris pontificii Interpetribus, magis communis, & verior eſt, ut intelligenda ſit de conditione turpi, quæ matrimonii ſubſtantiæ non adverſetur; quamquidem explicationem recipit a *caput VII. Si conditiones, hoc eod. tit.* pro quo placet hic referre appoſite notata *hoc eod. tit.* ab Ambroſyo le Grauffre in Synopſi Decretalium, ibi „ Quid, ſi natu-„ ra, ſeu facto, vel Jure impoſſibilis, turpiſve ſit con-„ ditio, quæ tamen fœderis conjugalis ſubſtantia non „ repugnet? Eo caſu, ut omiſſis &c. . . . . breviter „ tantum perſtringam, quæ palam deciſa ſunt ex eo-„ dem cap. ultimo (*Si conditiones*) hoc tit. conſtat „ omnes hujuſmodi impoſſibiles, aut turpes conditio-„ nes favore matrimonii pro non adjectis haberi, at-„ que adeo perinde eſſe deſponſationem, cui appoſi-„ tæ fuerint, acſi pure facta eſſet, & ita accipi de-„ bet cum Gloſ. id, quod ex quadam Concilio Afri-„ cano refertur in *cap. I. hoc eod. tit.* reperiturque in „ *Can. Quicumque XXVII. quæſt. II.* & babetur quo-„ que *in Appendice Conc. Lateran. III. par. VI. cap. V. Quicumque ſub conditionis nomine aliquam deſpon-„ ſaverit, & eam relinquere voluerit, frangi condi-„ tionem, & deſponſationem irrefragabiliter tene-„ ri*, quando ſcilicet ſub turpi conditione, vel impoſ-„ ſibili, quæ non ſit contra ſubſtantiam matrimoni, „ deſponſatio facta eſt, veluti exempli cauſa, *ſi uxor „ furtum fecerit, ſi hominem occiderit, ſi digito cæ-„ lum tetigerit.* Malu enim ab aliis, puta a Vincen-„ tio apud Panormit. *in d. cap. I.* & Cujacio ibidem, „ accipitur de conditione conjugii reſolutoria, qua „ uxor ſic ducitur, ut etiam poſt contractum matri-„ monium liceat eam relinquere, ſi quid factum non „ fuerit, quia ea conditio cum aperte pugnet contra „ bonum Sacramenti, ſeu individui vinculi, atque „ adeo contra ipſam contractus ſubſtantiam, ſequitur, „ eam non tantum vitiari, ſeu circumſcribi, & pro „ non ſcripta haberi, ſed etiam ipſum contractum vi-„ tiare *ex d. cap ultimo in principio, & d. cap. So-„ let quæri cauſ. XXXII. quæſt. II.* in fine “.

SECTIO DCLXXXII.

CAPUT II. CUM SIT PROPRIUM, *ex Decretali S. Gregorii Magni, Chryſanto Epiſcopo Spoletano reſcripta.*

CUM ſit proprium (& infra.) H. Presbyter conqueſtus eſt, diaconum quendam manumiſiſſe duo mancipia ſub hac conditione, ut monachi fierent, & in eo monaſterio, ubi ipſe fuerat, permanerent; adjiciens, ut ſi quis contra faceret, ſervituti iterum ſubderetur: atque unum ex his (hac conditione deſpecta) monaſterium deſerviſſe, & ſe inter clericos ſociaſſe. Tu ergo, ſi ita eſſe repereris, ſic te exhibe, ut nec illi monaſterium deſerendi ſit facultas, & mauumittentis voluntas non valeat præteriri.

Cum hodie inter Chriſtianos ſervitutes, ejus quoque mitioris, benignoriſque ſpeciei, quæ ætate ipſa S. Gregorii Magni adhuc permittebantur, penitus ſublatæ ſint, ut notavit ad titulos *De ſervis ordinan. & de Conjugio ſervor.* hæc Decretalis locum amplius non habet.

SECTIO DCLXXXIII.

CAPUT III. DE ILLIS, *ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopo Panormitano reſcripta.*

DE illis autem (& infra.) Si vero aliquis ſub hujuſmodi verbis juramentum alicui mulieri præſtiterit: ego te in uxorem accipiam, ſi tantum mihi donaveris, reus perjurii non habebitur, ſi eam nolentem ſibi ſolvere, quod ſibi dari petiit; non acceperit in uxorem; niſi conſenſus de præſenti, aut carnalis ſit inter eos commixtio ſubſecuta,

In

In parte poſtrema hujus Decretalis declaratur, per ſolum conſenſum, aut carnalem copulam iniri matrimonium de præſenti, nulla alia ſervata forma: ſed hodie ſimpliciter ſic contractum, nullum eſt, non ſervata forma a Tridentino præſcripta, ut jam oſtendi ad *tit. III. de Clandeſt. deſponſat.* Sect. DCLXXIII.

SECTIO DCLXXXIV.

CAPUT V. SUPER EO, *ex Decretali Urbani III. Cænomanenſi Epiſcopo reſcripta.*

SUper eo vero, quod poſtulaſti, utrum ille, qui in quandam mulierem conſenſit, ſi pater ejus ſuum præſtaret aſſenſum, ſit ad conſummandum matrimonium compellendus: reſpondemus, quod cum conſenſus liber dici non poſſit, qui in alieno arbitrio reſervatur, ac conditionem ipſam canonica non improbent inſtituta, niſi voluntas patris poſtmodum intercedat, nequaquam cogendus eſt ad matrimonium contrahendum. Nam licet Alexander Papa reſponderit, quod ſponſalia interpoſita conditione contracta, ipſa non impleta, ſi conſenſus de præſenti intercedat, vel carnalis copula ſubſequatur, diſſolvi non debent, ſed firmiter obſervari; nequaquam eſt noſtræ definitioni adverſum, cum hujuſmodi conſenſus non ſit de præſenti habendus, licet per verba de præſenti evidentius exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, ſed habendo, conſiſtit.

Cum hic Urbanus ſe referat ad Decretalem Alexandri mox tranſcriptam, eamque approbet circa validitatem matrimonii, initi per ſolum conſenſum, aut carnalem copulam, nulla alia ſervata forma, tu tene correctionem a Tridentino factam, ut ſupra.

SECTIO DCLXXXV.

CAPUT VI. PER TUAS, *ex Decretali Innocentii III. Marſicano Epiſcopo reſcripta.*

PER tuas literas intimaſti, quod cum quædam mulier P. nomine N. poſtularet in virum, aſſerens inter ſe mutuum de præſenti conſenſum interveniſſe, & carnalem copulam acceſſiſſe; vir ipſe, quamvis contracta ſponſalia, & carnalem copulam non negaret, aſſerebat ſe tamen illam in uxorem ducere non teneri; quia ſponſalia inter ipſos ſub hac fuerunt conditione contracta, ſi pater ejus, & patruus ſponſalibus conſentirent, ſed ipſi quamcito noverunt, & ſponſo contradixerunt, & ſponſæ: verum mulier replicabat, quod licet fides præſtita fuerit ab utroque ſub conditione præſcripta, non tamen ſibi fuerat a patre viri, vel patruo aliquando contradictum, & ante tempus contradictionis expreſſum a teſtibus, & poſt, dicebat inter ſe carnalem copulam acceſſiſſe (& infra.) Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cum liquido conſtet, quod poſt contracta ſponſalia, carnalis eſt inter eos copula ſubſecuta, pro matrimonio eſt præſumendum; quia videtur a conditione appoſita receſſiſſe. Nam etſi probatum ſit, quod poſtquam pater, & patruus viri contradixere ſponſalibus, idem vir mulierem illam carnali conjunctione cognoverit, non eſt tamen aliquo modo probatum, quod antequam ipſe cognoviſſet eandem, pater ejus, & patruus contradicere curaviſſent.

Cum pariter hæc Decretalis declaret, validum matrimonium per copulam ad contracta ſponſalia ſubſecutam, non minus, quam duæ mox tranſcriptæ, obnoxia eſt Tridentini correctioni, ut ſupra.

Titulus VI. Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere poſſunt.

SECTIO DCLXXXVI.

CAPUT I. DE DIACONO, *ex Decretali Alexandri III. Archiepiſcopo Rhemenſi reſcripta.*

DE Diacono vero, qui in Sabbatho Sancto alium Diaconum vulneravit, & uxorem accepit, hoc tuæ prudentiæ reſpondemus, quod ſi contrito, & humiliato animo ad Eccleſiam

ſiam redire voluerit, dimiſſa iſta, quam in uxorem accepit, & abſolutione obtenta, injuncta ſibi pœnitentia de utroque exceſſu poſt eam peractam, diſpenſative poteris ei Diaconatus officium reddere, & ſi perfectæ vitæ, & converſationis fuerit, eum in Presbyterum ordinare. Subdiaconum autem, ſive hominem interfecerit, ſive non, matrimonium non poſſe contrahere, Sacrorum Canonum cenſura demonſtrat.

Huic Decretali acceſſit Conſtitutio Clementis V. in Concilio, habito Viennæ in Gallia an. 1311. & relata in *cap. unic. Eos, qui, in Clementin. tit. de Conſanguin. & affinit.*, in qua fertur excommunicatio, ipſo facto incurrenda tam a matrimonium, dumtaxat etiam ratum, ſcienter contrahentibus cum moniali, quam ab hac, atque a Religioſis profeſſis; & Clericis conſtitutis in ſacris, præcipiturque Eccleſiarum Prælatis, ut hos omnes, quos ſibi conſtiterit, ſic contraxiſſe, excommunicatos publice nuntient, vel nuntiare faciant, donec ſeparentur, & abſolutionem meruerint obtinere, ibi.

Eos, qui Divino timore poſtpoſito, in ſuarum periculum animarum ſcienter in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: nec non Religioſos, & moniales, ac Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes, refrenare metu pœnæ ab hujuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipſos excommunicationis ſententiæ, ipſo facto decernimus ſubjacere: præcipientes Eccleſiarum Prælatis, ut illos, quos eis conſtiterit taliter contraxiſſe, excommunicatos publice tandiu nuncient, ſeu a ſuis ſubditis nunciari faciant, donec ſuum humiliter recognoſcentes errorem, ſeparentur ab invicem, & abſolutionis obtinere beneficium mereantur. Per prædicta quoque juribus, quæ ſic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari.

Acceſſit inſuper praxis Tribunalis Sac. Inquiſitionis, a quo hujuſmodi rei, præter ſuſpenſionem, & irregularitatem, quam reſpective incurrunt ex allata Alexandri Decretali, puniuntur tamquam ſuſpecti de hæreſi, vel de vehementi, vel de levi, juxta facti circumſtantias; ita ut hodie etiam poſt peractam pœnitentiam, & triennalem emendationem non ſit amplius in poteſtate Epiſcopi, prout permiſerat Alexander, eos ſuper irregularitate diſpenſare.

Hauc doctrinam in praxi, præter *Theſaurum de Pœnis cap. IV. verb. Matrimonium nu, 3.* recepit etiam Ludovicus de Ameno *tom. III. de Delict. & Pœnis tit. VIII. §. V. verbo Abuſus matrimonii num. 2. & ſeq.*

Nota I. Iiſdem pœnis, & eadem ratione, qua conſtituti in ſacris, & ſolemniter profeſſi, obnoxios eſſe æquites milites S. Joannis Hyeroſolymitani, cum & hi emittant tria eſſentialia vota Religionis.

Nota II. Monialem matrimonium contrahentem, eſſe inhabilem, tamquam bigamam ad gradus, ad quos ſolæ moniales virgines aſſumuntur.

Nota III. Excommunicationem inflictam ab allata Clementina non eſſe abſolute reſervatam; ſed ante ſeparationem eorum, qui ſic matrimonium contraxerunt, neque ab Epiſcopo abſolvi poſſe, cum durante tali conjunctione, duret & ipſa cenſura. Quod ſi dicti contrahentes denunciati fuerint excommunicati, ut ibidem præſcribitur, abſolvi poterunt a ſolo Epiſcopo: ſi vero non fuerint denunciati, abſolvi poterunt etiam a ſimplici Confeſſario.

Cæterum hoc intellige juxta laudatæ Clementinæ ſanctionem, non vero juxta S. Inquiſitionis praxim, quæ hodie tenenda eſt.

Nota IV. Quod, cum in dicta Alexandri Decretali impertitus fuerit Pontifex facultatem Epiſcopo abſolvendi Diaconum ab excommunicatione incurſa ob violentas manus in alium Diaconum injectas, non inde ſequitur, hanc facultatem de jure Epiſcopo competere; quandoquidem hujuſmodi abſolutio privative ſpectat ad Romanum Pontificem, ut alibi notavi: quare dicendum eſt, hunc Diaconum, vel abſolutum fuiſſe ex ſpeciali commiſſione ejuſdem Alexandri, vel percuſſionem fuiſſe levem, a qua poteſt Epiſcopus abſolvere, ut alibi pariter notavi.

Nota V. Quod, cum in eadem Decretali ſe referat Pontifex ad cenſuram Sac. Canonum prohibentium, ne Subdiaconus matrimonium contrahat, non exprimendo, qui hi Canones ſint, & a quo tempore hæc inceperit inhibitio, pro pleniori notitia inſtituetur ſermo infra *tit. XXIV. de Cleric. venatore*.

Nota VI. Ad hujus tituli rubricam potiſſimum pertinere definitionem Trident. expreſſam *Canone IX. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* ibi.

Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium coutrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nil aliud eſſe, quam damnare matrimonium, poſſeque omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; anathema ſit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.

SECTIO DCLXXXVII.

CAPUT II. EX LITERARUM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III. Cœnomanenſi Epiſcopo reſcripta.*

EX literarum tuarum tenore accepimus, quod lator præſentium in Subdiaconatus officio conſtitutus, quamdam ſibi in conjugem copulavit, quam eundem abjurare feciſti, ſuper quo prud. tuam in Domino commendamus, mandantes, quatenus ſi ad monaſticum Ordinem tranſire voluerit, & tibi poſt laudabilem converſationem ipſius viſum fuerit, eum ad majores Ordines promoveri concedas: quod ſi ad Religionem ſe transferre noluerit, eum neque in Subdiaconatu miniſtrare, neque ad altiores permittas Ordines promoveri: in minoribus tamen Ordinibus poterit miniſtrare.

Circa diſpoſita in hac Decretali idem judicium eſto, ac in antecedenti Sectione.

SECTIO DCLXXXVIII.

CAPUT III. MEMINIMUS, *ex Decretali dicti Alexandri, Epiſcopo Vigorienſi reſcripta.*

MEminimus &c. Reſpondemus, quod ſi quiſquam, qui ſe Religioni devovit, & habitu ſuſcepto profeſſionem fecit, poſtmodum ſibi aliquam copulaverit, eſt cogendus ab ea recedere, & ad Eccleſiam, cui ſe contulit, ſine contradictione tranſire. Verum ſi nec habitum ſuſcepit, nec profeſſionem, ſed votum ſolummodo fecit, & ſe ad Religionem tranſiturum promiſit, licet poſtea matrimonium contraxerit, non eſt cogendus ad Religionem tranſire, & matrimoniale votum reſcindere.

Duo hic definit *Pontifex*, *primum*, quod, qui ſe Religioni devovit, & habitu ſuſcepto, profeſſionem emiſit, nequit poſtea ſe alicui matrimonio copulare, etſi id fecerit, cogendus eſt ab uxore recedere, & ſine contradictione ad Religionem redire.

Secundum, quod ad id non ſit cogendus, ſed poſſit in matrimoniali ſtatu relinqui, ſi voto quidem ſe obſtrinxerit amplexandi Religionem, ſed in ea nec habitum ſuſcepit, nec profeſſionem emiſit.

Quantum ad primum, etſi correctioni non ſubſit in eo, quod intereſt, uxoratum ſcilicet poſt religioſam profeſſionem eſſe cogendum ab uxore recedere, & ad Religionem redire, præſuppoſita profeſſione in hac valide emiſſa: verum hodie, ut profeſſio religioſa valida ſit, ac inducens impedimentum dirimens matrimonium, plura modo requiruntur, quæ ſingula tempore Alexandri III. non requirebantur. Requiritur enim, quod fuerit emiſſa in Religione approbata; anno ætatis decimo ſexto expleto a profitente; poſt annum continuum a ſuſcepto habitu in probatione, & quidem facta intra conventum pro novitiatu deſtinatum, ut conſtat partim ex Tridentino *ſeſſ. XXV. cap. XV. de Regul.* partim ex Clementis VIII aliorumque Pontificum Conſtitutionibus, partim denique ex decretis S. Congr. Conc. de quibus infra.

Unus excipitur caſus, quo alicubi adſit conſuetudo Convertitas admittendi ad profeſſionem abſque anno probationis. Circa quem interrogata eadem S. Cong. die 2. Martii 1606. reſpondit = ſi ex inſtituto, vel Conſtitutionibus Convertitarum ad profeſſionem admitti conſueverint abſque anno probationis, decretum ejuſdem Conc. quoad Convertitas, nihil earum inſtitutis, aut Conſtitutionibus circa probationis annum detraxiſſe = ut refert Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib. XIII. cap. XII. n. I.* in fine.

Quantum ad ſecundum, adhuc ſubſiſtit reſponſum; licet enim obſtrictus tali voto peccaverit, matrimonium contrahendo, & re adhuc integra conſumando, tamen illud rite contractum, validum eſt, ut patet ex ſeq. cap. & aliis.

SECTIO DCLXXXIX.

CAPUT IV. CONSULUIT, *ex Decretali laudati Alexandri, Lucenſi Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) reſcripta.*

COnſuluit nos tua Fraternitas, quid faciendum ſit de nobili muliere, quæ veſtibus pretioſis abjectis, mutavit habitum, & de manu Presbyteri velamen aſſumpſit, ſed non renunciavit propriis, nec intravit clauſtrum, nec in manu alicujus Epiſcopi, Abbatis, vel Abbatiſſæ, aut ſuper altari profeſſa eſt, vel obedientiam promiſit: poſtmodum vero elapſo anno (abjecto

(abjecto Religionis habitu) cuidam nobili nupſit. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ſicut ſimplex votum matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum, ita habitus ſine profeſſione ſuſceptus, ne contrahatur, impedit, ſed contractum nequaquam diſſolvit.

In hac Decretali declaratur, per ſuſceptionem habitus profeſſorum extra clauſtra recepti a non habente poteſtatem incorporandi Religioni, impedire in dubio matrimonium contrahendum, ſed non dirimere contractum, & fortius impedire, ſi ex contrario ſenſu, ſuſcipiatur ab habente poteſtatem, itidem extra clauſtra; ſed quoad ſuſceptionem habitus, & profeſſionem regularem extra clauſtra attendenda ſunt mox tata.

Nota, plurimis in locis morem invaluiſſe, ut puella monaſticum habitum ſuſceptura, pretioſis ſecularibus veſtibus in publica Eccleſia exuta, illum ibidem a Suprriore, ad id poteſtatem habente, reciperet.

Verum, ut tam ejuſdem puellæ, quam adſtantium pudori magis conſuleretur, Benedictus XIV. diſtricte prohibuit, ne amplius in publica Eccleſia dictis veſtibus exueretur, ſed intra ſepta monaſterii, in crate nempe exteriori Eccleſiæ, ut ex Edicto Eminentiſſimi Urbis Vicarii, ejuſdem Pontificis juſſu publicato ſub die 13. Octob. 1753. ut videre eſt in Secretaria Tribunalis laudati Vicarii.

Hæc eadem probitio eſt hodie in viridi obſervantia, nedum Romæ, ſed etiam in quampluribus diœceſibus, & inter cæteras, in Viterbienſi, ex mandato Clementis XIII. feliciter regnantis, ut in Epiſtola ſub die 6. Septem. 1758. ad illius Eminentiſſimum Epiſcopum per organum Secretariæ Status transmiſſa; cum expreſſa declaratione, ut idem omnino ſervetur in monaſteriis omnium monialium, etiam Regularibus ſubjectarum.

SECTIO DCXC.

Caput V. Veniens, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, ignotum, cui Epiſcopo reſcripta, quam tranſcribo, prout refertur a Gonzalez.*

Veniens ad præſentiam noſtram Marcus Eremita propoſuit, quod J. mulier cuidam viro abſenti, fide data, ſe nupturam promiſit; ſed poſtmodum audiens plura de ſeveritate ipſius, ei noluit copulari: cum itaque timeret, ne illi nubere cogeretur, in manibus ſuis continentiæ votum promiſit, non tamen locum, aut veſtem mutavit: quo audito, vir aliam ſibi copulavit. Nos itaque attendentes tutius eſſe, ut præfata mulier poſt fidem, & votum ſimpliciter oblatum, matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat, mandamus, quatenus, ſi plus non præceſſerit, ſibi de fide mentita, & voto violato congruam ſatisfactionem indicas, & ei, cui vult, nubendi in Domino licentiam tribuere non poſtponas.

Ex contrario ſenſu hujus Decretalis circa profeſſionem idem infertur, quod in duabus antecedentibus.

Præterea inferri videtur, votum ſimplex caſtitatis diſpenſari poſſe ab Epiſcopo, cujus diſpenſatio, & commutatio hodie ex Decretali Sixti IV. relata in Extravaganti V. *Etſi Dominici*, *de Pænit. & remiſ.* eſt reſervata ſoli Papæ, niſi dicatur, in caſu præſenti, Epiſcopum diſpenſaſſe auctoritate, ſibi a Papa ſpecialiter commiſſa.

SECTIO DCXCI.

Caput VII. Insinuante, *ex Decretali præfati Alexandri, Uliſiponenſi, & Colimbricenſi Epiſcopo (nunc Patriarchæ.)*

Inſinuante I. nobili muliere, noſtro eſt Apoſtolatui reſeratum, quod a quibuſdam Curialibus fuit Regi Legionen. pro ipſius copula ſupplicatum; quod cum ad conſanguineorum ejus notitiam perveniſſet, ut maritum acciperet, ei ſub obteſtatione Regia ſuggeſſerunt, ipſa vero, quod tunc nollet nubere proteſtans, conſilium accepit ab eis, quod votum emitteret caſtitatis, quod in manibus cujuſdam de Fratribus Sancti Auguſtini fecit, eo adjecto tenore, ut in domo propria cum omni ſubſtantia ſua remaneret. Sane in ejuſdem Ordinis habitu biennio poſt permanſit, licet id ſe invitam feciſſe aſſerat, & coactam, non tam metu Regio, quàm parentum &c. Tandem attendens, quod invita votum emiſerit, eo dimiſſo de parentum conſilio, P. Michaeli publice fuit matrimonialiter copulata; de quo quatuor ſuſtulit filios tempore procedente &c. Nos igitur attendentes, quod in emiſſione voti, quod præceſſit, nulla, ſive modica coactio affuiſſet, quam patientia, & perſeverantia ſequentis temporis penitus

tus profugavit, & quod ſequens conjunctio potius iniqua fuit, & violenter extorta; mandamus, quatenus, ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, præfatam mulierem ad male dimiſſum Religionis habitum reaſſumendum, & ſervandum, quod vovit, monere, & inducere procuretis, & (ſi opus fuerit) per cenſuram eccleſiaſticam coercere.

In hac pariter Decretali declarat Alexander, validam profeſſionem per emiſſionem voti caſtitatis, aut per ſuſceptionem habitus regularis; ſed hodie attendendum eſt decretum Tridentini, ut ſupra notavi.

Titulus VII. De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per Adulterium.

SECTIO DCXCII.

Caput I. Propositum, *ex Decretali Alexandri III. Abbati S. Albani, Ordinis S. Benedicti in Anglia reſcripta.*

PRopoſitum eſt nobis, quod vir quidam uxorem habens, ſibi aliam, hujuſmodi rei inſciam copulavit: ſed prima mortua, nititur diſcedere a ſecunda. Licet autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dederat, uxore ſua vivente, vel quæ machinata eſt in mortem uxoris; quia tamen præfata mulier erat inſcia, quod ille aliam haberet uxorem viventem, nec dignum eſt, ut prædictus vir, qui ſcienter contra Canones venerat, lucrum de ſuo dolo reportet; conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod niſi mulier divortium petat, ad petitionem viri non ſunt aliquatenus ſeparandi.

Tam ex hac Decretali, quam ex altera Innocentii III. Capitulo Meſſanenſi ſcripta, & relata in *cap. VII. Veniens, eod. tit.* clariſſime edocemur, requiri ad incurrendum impedimentum, de quo in hac Decretali, ut utraque pars ſit conſcia de matrimonio conſtante alterius. Imo ſi adulter poſt obitum conjugis objiceret hoc impedimentum ad reſcindendum matrimonium poſtea contractum cum ea, quam matrimonii ſui neſciam cognovit, rejiciendus eſſet a limine judicii, & teneretur ipſam ducere. Hæc autem hujuſmodi impedimentum dumtaxat incurreret, ſi poſt matrimonium bona fide contractum certior facta de alterius conjugio, cum eodem maritaliter vivere pergeret, ut docet Auctor collationum Andeg. ex *cap. Si quis uxore VIII. hoc eod. tit.*

Quia autem in allata Alexandri Decretali nulla infligitur pœna contra ſecundum matrimonium contrahentem, conſtante primo, eam vide in notatis ad *tit. IV. de Sponſa duorum* poſt *cap. II. Accepiſti.*

SECTIO DCXCIII.

Caput II. Significavit, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Abbati de Fontibus in Anglia, Ordinis Ciſtercienſis ſcripta.*

SIgnificavit nobis O. Andegavenſis &c. Mandamus quatenus, ſi conſtiterit, quod eidem O. tanta vis illata fuerit, quod non ſponte in primam conſenſerit, nec poſt præſtitum juramentum ipſam carnaliter cognoverit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam, quam poſtea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem. Alioquin ſibi, ne ad ſecundam revertatur ſub interminatione anathematis inhibens, des ei licentiam ducendi aliam in uxorem.

In hac Decretali ea præſertim pars adnotanda eſt, ex qua clare infertur, eſſe validum matrimonium contractum, nulla alia ſervata forma, ſi interceſſerit carnalis copula, quod hodie nullum eſt ex definitione Tridentini, niſi contractum fuerit coram parocho, & teſtibus, ut pluries notavi.

SE

SECTIO DCXCIV.

Caput IV. Ex literarum, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui reſcripta*.

Ex literarum tuarum inſinuatione accepimus, quod T. uxorem ſuam in adulterio deprehenſam, de tui Anteceſſoris aſſenſu abjecit: quæ poſtmodum accepit habitum monachalem: ſed dictus T. antequam illa decederet, aliam ſuperinduxit, & plures ſuſcepit filios ex eadem &c. Frat. tuæ igitur reſp. quod illos debes ab invicem ſeparare. Idem vero vir, indicta ei de adulterio pœnitentia, aliam ducere poterit in uxorem.

Pœnitentia, quæ hic injungenda præcipitur adultero, hodie pro foro externo commutata eſt in varias pœnas, quas vide par. II. cum de *cap. VIII. ſeſſ. XXIV. de reformat. matrimon.*

SECTIO DCXCV.

Caput V. Cum haberet, *ex Decretali Cæleſtini III. non Clementis III. ut in veteri collectione, ignotum, cui reſcripta*.

Cum haberet uxorem legitimam A. nomine I. lator præſentium cum M. adulterium perpetravit: cumque ſuper hoc fuiſſet in jus vocatus, abjuravit adulteram, & poſtmodum, juramento contempto, vivente legitima, cum ea matrimonium contrahere, & ipſi diu cohabitare præſumpſit; demum prædicta A. de præſenti luce ſubtracta, memoratus I. cum adultera per decennium eſt moratus, de qua decem filios procreavit. Tale ergo damus conſultationi tuæ reſponſum, ut ſeparentur omnino, & eis injuncta pœnitentia, perpetua continentia indicatur; præſertim cum in dies ſuos ambo proceſſerint, & tamdiu publice in adulterio, & perjurio ex certa ſcientia perdurantes, Eccleſiam in gravi ſcandalo perturbaverint. Noſti enim, quod Leo Papa ſtatuit, ut nullus ducat in matrimonium, quam adulterio polluit, & quod hic plus proceſſum fuit, quam ſi fides præſtita dumtaxat fuiſſet adulteræ, ut defuncta legitima, eam duceret in uxorem; cum eadem, etiam prima vivente, quaſi matrimonialiter mæchæ mæchus adhærere præſumpſit, & Sacramentum ſuum temere violare, quod utique connubium (ubi etiam nulla interceſſit religio juramenti) tam Gregor. Papa, quam Triburien. Synodus deteſtatur, & utrumque hoc modo conjunctum præcepit publicæ pœnitentiæ ſubjici, ac perpetuo ſine ulla ſpe conjugii permanere. Nec aliquod eiſdem I. & M. adminiculum afferunt, ut ſimul maneant, quod decennio cohabitaverant ad invicem, ac decem filios ſuſceperunt; cum multiplicitas prolis ita ſuſceptæ magis eorum crimen exaggeret, & diuturnitas temporis peccatum non minuat, ſed augumentet. Solicitudinis tamen tuæ intererit, ut uterque liberis ſuis, ſecundum quod eis ſuppetit facultas, neceſſaria ſubminiſtret.

Pœnitentia publica injungenda adulteris, & concubinariis, ac perpetua inhabilitas matrimonium contrahendi cum quacumque jamdiù deſueverunt, uſque nempe a tempore Clementis III. Cæleſtino anterioris, ut in ejuſdem Decretali, antecedenti Sectione tranſcripta, in qua declarat, eum, qui, vivente prima uxore, alteram duxerit, prima mortua, cum quacumque alia matrimonium contrahere non prohiberi. Niſi velimus dicere, Cæleſtinum ob circumſtantias hujus caſus longe majores propter obſcenitatem, & ſcandalum, ac proinde majori pœna dignas, quam illæ, quæ in caſu Decretalis Clementis repertæ ſunt, voluiſſe hujuſmodi adulterum, hac antiqua pœna puniri.

Certum eſt hodie contra adulteras ſucceſſiſſe penas inflictas a Trident. *cap. VIII ſeſſ. XXIV. de refor. matrim.* de quibus infra parte II. cum de eod. cap.

Cæterum hæc Decretalis eſt ſingularis, cum nuſibi, ut hic notat Panormitanus, in toto jure canonico ſancitum reperiatur, quod filii ſpurii, vel nati ex damnato concubitu, alendi ſint a parentibus contra juris civilis rigorem id prohibentis *Aut. Ex complexu C. de inceſtis, & inutil. nupt.* quem rigorem ita redarguit Baldus Conſ. CCCCLVIII. numer. 10. ut recte dixerit = *Jus civile tantum amaſſe caſtitatem, ut hac in re deſtruxerit pietatem* =.

Controverti ſolet a DD. an in terris Imperii ſtandum ſit diſpoſitioni hujus juris canonici, an potius civilis. Ratio dubitandi in eo ſita eſt, quod quando jus canonicum a civili diſſidet, utrumque in ſuo foro ſervandum eſt, ad tradita per Panormitanum in *cap. I. de Novi oper. nunciat. num. 7. & in cap. Eccleſia S. Maria, de Conſtit. num.* 14. Communior tamen ſententia eſt, in utroque foro hac in re juri canonico ſtandum eſſe; potiſſimum, ſi dicti ſpurii aliunde non habeant, unde vivere; & hanc praxim ſervatam fuiſſe a Came-

ra

ra Imperiali affirmatGaillus *lib.II.obſervat.XXXVIII. numer.* 14. Et quidem valde conſonum rationi naturali eſt, ut eos quos parentes genuerunt, etiam alant; & ſicut ipſis non licet eoſdem occidere, ita nec alimenta denegare; cum hæc negare, videatur idem eſſe, ac occidere *L. necare ff. de Liberis agnoſc.*

Quæ naturalis æquitas adeo ſtricta eſt, ut etiam Clerici beneficiati teneantur eadem alimenta ſuis filiis illegitimis præſtare, non minus ex bonis patrimonialibus, quam ex redditibus eccleſiaſticis, quin obnoxii ſint cenſuræ Conſtit. S. Pii V. *Quæ ordini eccleſiaſtico*, 27. *Januarii* 1571. in qua ſub pœna nullitatis prohibentur de utriſque bonis quidquam illis teſtamento relinquere, ut probat Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. edit. an.*1755. *lib.XIII. cap.XXIV. n.*21.

SECTIO DCXCVI.

CAPUT VI. SIGNIFICASTI, *ex Decretali Innocentii III, Epiſcopo Spoletano reſcripta.*

Significaſti nobis, quod cum P. Civis Spoletanus quamdam M. mulierem duxiſſet legitime in uxorem, ea relicta, cuidam meretrici adhæſit &c. Verum cum uxor ipſius eſſet viam univerſæ carnis ingreſſa, meretricem, cui adhæſerat, deſponſavit. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod niſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel, ea vivente, ſibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices, matrimonium ſupradictum, excommunicato munus abſolutionis (ſi petierit) juxta formam Eccleſiæ impenſurus.

In hac Decretali ſtatuitur, dandam eſſe abſolutionem excommunicato per ſententiam Epiſcopi, de quo hic ſermo eſt, in eo tantum caſu, quod eam petierit, nullam addendo pœnam, ſi in eadem non petenda contumax perſtiterit.

Sed hodie tam ex Decretali Alexandri IV. relata in *cap.VII. Cum contumacia de Hæret. in VI. tam ex cap.III. Trident. ſeſſ.XXV. de reform.* hujuſmodi contumax puniendus eſt, tamquam ſuſpectus de hæreſi, ut fuſius oſtendam infra ad *cit. cap. Cum contumacia*, Sectione

Poſſet tamen dici per conditionem illam, *ſi petierit*, Innocentium voluiſſe exprimere ſpontaneam ſubmiſſionem rei propter quam hic judicaret ſibi abſque mora impendendum eſſe ab Epiſcopo beneficium abſolutionis: non quod intellexerit, illum ſinere, ut libere in excommunicatione inſordeſceret, quamvis nullam indixerit pœnam in caſu contumaciæ, ſeu inſordeſcentiæ, prout poſtea inflicta eſt ab Alexandro IV. & Trident. ut ſupra.

Titulus VIII. De Conjugio leproſorum.

SECTIO DCXCVII.

CAPUT I. PERVENIT, *ex Decretali Alexandri III. Canthuarienſi Epiſcopo ſcripta.*

Pervenit ad nos, quod cum hi, qui lepræ morbum incurrunt, de conſuetudine generali, a communione hominum ſeparentur, nec uxores viros, nec viri uxores taliter ægrotantes ſequuntur. Quoniam igitur cum vir, & uxor una caro ſint, non debet alter ſine altero eſſe diutius; mandamus quatenus, ut uxores viros, & viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt, ſequantur, & eis conjugali affectione miniſtrent ſolicitis exortationibus inducere non poſtponas. Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius injungas, ut uterque, altero vivente, continentiam ſervet. Quod ſi mandatum tuum ſervare contempſerint, vinculo excommunicationis adſtringas.

SECTIO DCXCVIII.

CAPUT II. QUONIAM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Epiſcopo Bojonenſi, alias Bajocenſi, ſcripta.*

Quoniam nemini licet (excepta cauſa fornicationis) uxorem dimittere: conſtat, quod ſive mulier lepra percuſſa fuerit, ſeu alia gravi infirmitate detenta, non eſt a viro propterea ſeparanda, vel etiam dimittenda. Leproſi autem, ſi contineri nolunt, & aliquam

quam, quæ ſibi nubere velit, invenerint, liberum eſt eis ad matrimonium convolare. Quodſi virum, ſive uxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus a ſano carnale debitum exigat: generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur, eſt ſolvendum, cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio invenitur.

Quamvis Stephanus III. an. 754. prohibuerit, ob lepram ſupervenientem alteri ex conjugibus debitum reddi, juſſeritque eoſdem ſeparari, ut ex illius decreto IX. relato a Cabaſutio *Jur. Canon. Theoria lib. III. cap. XXVIII. num.* 10. quod teſtatur etiam amplexatam fuiſſe Synodum Campidonenſem *can. XVI.* hodie tamen id abrogatum eſt a tranſcriptis Decretalibus, in quibus declarat Alexander, nedum conjuges non eſſe ſeparandos, ſed teneri ad invicem petenti debitum conjugale reddere, atque ad id etiam vinculo excommunicationis renuentem adſtringi poſſe.

Verum hac declaratione non obſtante, notat hic WagnereK „ hoc procedere, niſi debiti redditio cedat in notabile reddentis detrimentum, puta ſi judicio medicorum inde grave infectionis periculum immineret conjugi ſano, ut ex comuni docet Sanchez *lib IX. diſt. XXIV. num.* 17. quod *num.* 18. recte extendit ad quemcumque morbum contagioſum ".

Titulus IX. De Conjugio ſervorum.

S E C T I O D C X C I X.

CAPUT II. PROPOSUIT, *ex Decretali Alexandri III. ſcripta Priori, & Præpoſito Congregationis S. Crucis, Ordinis S. Auguſtini, in oppido Mortarii prope Papienſem, & Novarienſem Civitates.*

PRopoſuit nobis M. mulier, quod cum vir ejus cum ea diutius permanſiſſet, notam ei ſervilis conditionis objecit, aſſerens eam eſſe ancillam, quam liberam eſſe credebat, cum eam duxit in uxorem (& infra.) Mandamus, quatenus, ſi conſtiterit, quod idem vir præfatam mulierem, poſtquam illam audivit, eſſe ancillam, carnaliter cognovit, ipſum, monitione præmiſſa, compellaris, ut eam ſicut uxorem maritali affectione pertractet. Si vero aliter fuerit, & ſententiam divortii proferri contingat, mulieri pecuniam, quam præfato viro pro dote conceſſit, reſttiui faciatis.

In hac Decretali declarat Pontifex, per carnalem copulam reciproco contrahentium conſenſu habitam, firmari matrimonium, quod hodie ex decreto Trident. nullum eſſe pluries oſtendi.

S E C T I O D C C.

CAPUT IV. AD NOSTRAM, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Raceburgenſi in Sclavonia ſcripta.*

AD noſtram noveris audientiam perveniſſe, quod G. Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus R. militem, a muliere quadam, propter conditionis ſeparavit errorem. Ideoque mandamus, quatenus, ſi conſtiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec facto, nec verbo conſenſerit in eandem, propter quod per Cardinalem eundem ab ejus fuerit conſortio ſeparatus, contrahendi cum alia liberam ipſi concedas, auctoritate Apoſtolica, facultatem.

In hac itidem Decretali declaratur ab Innocentio, carnalem copulam in matrimonium tranſire: quæ pariter declaratio obnoxia eſt Tridentini correctioni, ut ſupra.

Inſuper hic tributa legitur Legato de latere facultas cognoſcendi, & definiendi in ſua Provincia cauſas matrimoniales in caſibus a jure permiſſis, cui ſanctioni pariter derogatum eſt a Tridentino, id ita ipſis Legatis prohibente, ut niſi ſpeciali privilegio poſt dictum Trident. ſint muniti, in prædictis cauſis ſe ingerere non poſſint, ut *cap. XX. ſeſſ. XXIV. de reform.*

Circa hunc Titulum non eſt, cur diutius immoremur, cum propriæ, & rigoroſæ ſervitutes inter Chriſtianos hodie penitus extinctæ ſint, ut notavi ad *tit. XVIII. de Servis non ordinan.* Sect. CXXX pag. 82.

Et quamvis Eccleſia uſque a ſeculo VIII. ſervorum conjugia ſine conſenſu dominorum inita, dirimi permiſerit, ut ex *can. XXX. Concilii Cabilonenſis II. celebrati an.* 813. *relato a Gratiano cauſa XXIX. q.* 2. *can. VIII. Dictum eſt nobis*, certum tamen eſt, a ſeculo XII.

lo XII. aut circiter, ab hac diſciplina receſſiſſe, ut palam facit reſponſum ad conſultationem Eberardi Archiepiſcopi Salisburgenſis datum ab Adriano IV. qui Pontificatum geſſit a die 4. Decembris 1154. uſque ad an. 1159. relatum in *cap. I. hoc tit.* per hæc verba.

Dignum eſt (& infra.) Sane juxta verbum Apoſtoli, ſicut in Chriſto Jeſu neque liber, neque ſervus eſt a Sacramentis Eccleſiæ removendus, ita nec inter ſervos matrimonia debent ullatenus prohiberi; & ſi contradicentibus dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſolvenda. Debita tamen, & conſueta ſervitia non minus debent propriis dominis exhiberi.

Unam hic tantum addo animadverſionem, non ex eo videlicet, quod tam Alexander, quam Innocentius in mox transcripſis Decretalibus nullum declaraverint matrimonium, quod liber contraheret cum muliere, cujus ſervilis conditionis ſtatum ignoraret, (qui caſus hodie certe non daretur) non inde ſequeretur, eſſe nullum ratione dictæ ſervilis conditionis, ſed ratione erroris dumtaxat, cui, licet non redundanti in perſonam, juxta communiorem tamen, & probabiliorem Canoniſtarum, & Theologorum opinionem, hæc vis illud dirimendi jure mere poſitivo competit, tanquam reliquia legum Romanarum, & antiquorum Canonum, ſervorum conjugia ægre admittentium.

Titulus X. De Natis ex libero ventre.

SECTIO DCCI.

Caput Unicum, Indecens, *ex Decretali Gregorii Magni, Anthemio Subdiacono ſcripta.*

Indecens eſſe credimus, ut progeniti ex liberta, ſive libera, filii ad ſervitium retrahantur. Propterea tibi præcipimus, ut ſi documenta nulla ſint ab Eccleſiæ parte, quæ documentis hujuſmodi debeant obviare, ab ejus moleſtia ſine aliqua retractatione compeſcas eandem, durum eſt enim, ut ſi alii pro mercede libertates tribuunt, ab Eccleſia, a qua tueri debent: revocentur.

Cum hodie inter fideles non detur amplius rigoroſa ſervitus, ut titulo antecedenti notatum eſt, ita nec huic Decretali locus.

Reſpectu tamen Tuneſinorum, Algerinorum, & Maurorum africanorum dici nequit ſervitus penitus ſublata, cum adhuc hodie emantur, & vendantur, potiſſimum ab Hiſpanis, qui in magno numero his utuntur pro ſervitio fodinarum in Regno Peruano, & Meſſicano.

Titulus XI. De Cognatione ſpirituali.

SECTIO DCCII.

Caput I. Utrum, *ex Decretali Alexandri III. Salernitano Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) ſcripta.*

Utrum autem filii, aut filiæ ante, vel poſt compaternitatem geniti, poſſint ad invicem copulari, Canones ſecundum diverſorum locorum conſuetudines contrarii inveniuntur. Et licet primus Canon exinde editus natos poſt compaternitatem ad invicem copulari prohibeat; alter tamen Canon poſterior editus primum videtur corrigere; per quem ſtatuitur, ut ſive ante, ſive poſt compaternitatem geniti ſunt, ſimul poſſint conjungi, excepta illa perſona dumtaxat, per quam ad compaternitatem venitur. Unde nobis videtur, ut ſecundum poſteriorem Canonem debeat obſervari, niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habere noſcatur.

Hæc Decretalis ſtatuens, filios duorum compatrum, natos, ſive ante, ſive poſt compaternitatem contractam, non poſſe ad invicem copulari, ubi hæc viget conſuetudo in vim *can. V. Poſt ſuſceptum, cauſ. XXX. quæſt. 13.* abrogata eſt a Conc. Trid. *ſeſſ. XXIV. cap. II. de reform. matrim.* reſtringente cognationem ſpiritualem, ortam tam ex Baptiſmo, quam ex Confirmatione, tantum inter patrinum, & ipſum baptizatum, aut confirmatum, & baptizati, aut confirmati patrem, & matrem: item inter baptizantem, aut con-

confirmantem, & baptizatum, aut confirmatum, baptizatique, aut confirmati parentes, ut notabo etiam infra in notis ad *cap. III. Super eo, hoc eod. tit.* Sectione DCCIV.

Huic Tridentini decreto acceſſit declaratio S. Pii V. ut ex ſequenti ejus Conſtit. *Cum illius*, 28. *Novembris 1566.*

Cum illius ..... ſane licet ex eo quod in Concilio Tridentino decretum fuerit, cognationem ſpiritualem inter eos tantum contrahi, qui ſuſcipiunt baptizatum de baptiſmo, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, necnon baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, in reliquis perſonis, quæ per antiquos Canones occaſione cognationis hujuſmodi contrahere prohibebantur, omne impedimentum ſublatum eſſe videatur, adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an ſaltem impedimentum cognationis ſpiritualis hujuſmodi inter maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & baptizatum, necnon inter maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & patrem, & matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de uno conjuge, de altero etiam prohibitum eſſe videatur.

Nos piarum mentium quieti, & matrimoniorum favori (quantum ex alto nobis permittitur) conſulere volentes, a præciſis verbis Concilii minime diſcedendum in præmiſſis eſſe cenſuimus: & propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis hujuſmodi ſubeſſe decernimus, & declaramus, quominus inter dictos maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, & quaſcumque alias perſonas tam ex parte ſuſcipientis, quam baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expreſſas, matrimonium libere, & licite contrahi poſſit, & ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque ſtatuimus.

S E C T I O   D C C I I I.

Caput II. Si vir, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, prædicto Salernitano Archiepiſcopo reſcripta.*

Si vir, vel mulier ſcienter, vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit, an propter hoc ſeparari debeant? Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari, quidam tamen humanius ſentientes, aliter ſtatuerunt. Ideoque nobis videtur, quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci: quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus.

Cum in hac Decretali ſtatuerit Pontifex, conjuges non eſſe ab invicem ſeparandos (intellige quoad thorum) ſi alter eorum, ſive ex malitia, ſive ex ignorantia levaverit de ſacro fonte proprium filium, ideoque teneri alterum alteri debitum reddere, non levis controverſia inter Sacrorum Canonum Interpetres orta eſt, an, ſicuti licite debitum reddere poſſunt, ita & petere, cum nihil clare ex hac eadem Decretali circa petitionem colligatur.

Verum in praxi prævaluit opinio, ubique recepta, quod ſi alter ſine neceſſitate propriam prolem vel levaverit de ſacro fonte, vel etiam baptizaverit, hunc cognationem contrahere cum altero, quæ conjugii uſum impediret, ſaltem donec Ordinarius diſpenſaſſet: ſecus vero, ſi ex neceſſitate id faceret. juxta reſponſum Joannis VIII. ad Anſelmum Lemovicenſem Epiſcopum, relatum in *can. VII. Ad limina, cauſ. XXX. quæſt. I.* in quo redarguitur idem Epiſcopus, qui in hoc caſu conjugium ſeparandum cenſuit, quaſi proinde contracta fuiſſet hujuſmodi cognatio, debiti petitionem impediens.

Hoc tamen non procedere de patre, aut matre, levante de ſacro fonte, aut ex neceſſitate baptizante propriam prolem fornicarie ſuſceptam, probat Fagnanus ad hoc idem tranſcriptum *cap. Si vir*, & conſequenter inter ſe matrimonium valide contrahere non poſſent.

Digitized by Google

SECTIO DCCIV.

CAPUT III. SUPER EO, *ex Decretali laudati Alexandri, Epiſcopo Vigorienſi in Anglia, juxta Antonium Auguſtinum, reſcripta.*

SUper eo, quod a nobis tua Fraternitas requiſivit de duorum compatrum filiis, reſpondemus, quod ſi tales filii fuerint, per quorum alterum, vel utrumque parentes ad compaternitatem venerunt, eos conjungi nulla ratione ſuſtineas, & conjuncto, pontificali auctoritate non differas ſeparare. Cæterum, ſi per neutrum eorum ad compaternitatem ventum fuerit, de his te volumus conſuetudinem tuæ metropolitanæ Eccleſiæ, vel aliarum circompoſitarum inquirere, & diligentius imitari, ita quod, ſi ejuſdem Eccleſiæ conſuetudo habeat inter eos non ſuſtinere conjugium fieri, nec factum firmitatis robur habere, tu ſimili modo in Eccleſia tibi commiſſa conjugium hujuſmodi fieri non permittas: & ſi quos taliter conjunctos inveneris, juxta earumdem Eccleſiarum conſuetudinem ipſos ſeparare ab invicem non omittas. Verum, ſi de conſuetudine habeatur, ut talia conjugia permittantur, id in Eccleſia tua diſſimulare poteris, ita quod nec contradicere, nec tuum videaris præſtare aſſenſum: quia ſicut grave eſt antiquam conſuetudinem circumadjacentium Eccleſiarum ſuper his contemnere, ſic quoque gravius videtur, ſi proper eam hujuſmodi conjugiis tuum indulges aſſenſum, cum poſſet ſic in exemplum aſſumi.

Hoc Alexandri reſponſum conforme eſt alteri, quod ipſemet dedit Archiepiſcopo Salernitano, filios ſcilicet duorum compatrum nequire ad invicem copulari; & ſi copulati fuerint, ſeparandos eſſe etiam quoad vinculum, ſi ita vigeat conſuetudo.

Verum hoc impedimentum, tam ut impediens, quam ut dirimens, ſublatum eſt a Tridentino, ut ſupra notavi Sectione DCCII.

Quod autem conſuetudine induci, aut tolli nequeat impedimentum dirimens matrimonium, fuſe probat Fagnanus in *cap. I. Vernm, hoc eod. tit. ac in cap. Quod ſuper his, de conſangninit. & affinit.*

SECTIO DCCV.

CAPUT IV. MARTINUS, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui reſcripta.*

MArtinus Bertham duxit uxorem, Tebergam ſibi copulavit Lotharius, qui Berthæ, & Martini filium de ſacro fonte ſuſcepit. L. vero, & B. ſublatis de medio, M. cum T. præfata contraxit. Nos autem conſultationi tuę duximus reſpondendum, quod cum ſecundum verbum Domini, vir, & mulier efficiantur per connubium una caro, liquidum eſt, Tebergam non poſſe matrimonialiter copulari Martino, qui compater ejus fuerat, cum quo una caro Teberga noſcitur extitiſſe.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, inter patrem baptizati, & uxorem patrini, prius ab eo cognitam, contrahi compaternitatem, efficacem ad matrimonium dirimendum, abrogata eſt a Trid. ut ſupra.

SECTIO DCCVI.

CAPUT V. CONTRACTO, *ex Decretali ejuſdem Clementis, ignotum, cui reſcripta.*

COntracto matrimonio inter P. & A. uxorem ſuam, quidam conſanguinei ejuſdem A. contra matrimonium objecerunt, quod eadem in primo ſacrati ſalis pabulo, filium quondam concubinæ ipſius P. tenuit &c. Verum, ſi conſtaret vera eſſe, quæ diximus, non ideo tamen contractum matrimonium ſolveretur, quæ res vix contrahendo matrimonio impedimentum afferet: ideoque mandamus, quatenus præfato P. auctoritate noſtra injungas, ut memoratam A. ſicut uxorem maritali affectione pertractet, & carnale debitum ab ea licenter exigat, & perſolvat, ſive ipſam ante matrimonium contractum cum P. ſive poſtea conſtiterit hoc egiſſe: dum tamen ſi in fraudem hoc fecerit cauſa matrimonii ſeparandi, pœnitentiam pro præſumptione accipiat, matrimonio in ſua firmitate durante.

Hæc

Hæc Decretalis, ſtatuens, contrahi compaternitatem per Cathechiſmum, & quaſi impedire matrimonium contrahendum, declarata eſt a Bonif. VIII. ut ex Decretali relata in *cap. II. Per Cathechiſmum, hoc eod. tit. in VI.* Textum leges infra Sect. DCCXI. Verum utraque hæc Decretalis abrogata eſt a Trid. ut notavi ſupra.

SECTIO DCCVII.

CAPUT VI. VENIENS, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Lingonienſi, & Decano de Huntedune ſcripta.*

VEniens ad Apoſtolicam Sedem C. Anglicus (& infra.) Mandamus, quatenus, ſi conſtiterit H. mulierem prædicti viri filium de ſacro fonte levaſſe, antequam eam deſponſaſſet uxorem, vos inter eos divortium, appellat. poſtpoſita, celebretis.

Hæc Decretalis, in qua declaratur, ex cognatione ſpirituali contracta per ſuſceptionem infantis in Baptiſmo, oriri impedimentum dirimens matrimonium, ampliata eſt a Bonifacio VIII. ſtatuente, contrahi etiam per ſuſceptionem in Confirmatione, ut ex ejus Decretali, quam leges infra Sect. DCCX.

SECTIO DCCVIII.

CAPUT VII. TUA NOS, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Magiſtro S. de Melun, Canonico Herfordenſi in Brittania, reſcripta.*

TUA nos duxit diſcretio conſulendos, an natus ante compaternitatem, filiam compatris patris ſui, vel commatris ſibi poſſit matrimonialiter copulari? & ſi contraxit, an debeant ſeparari? & an conſcii talis matrimonii teneantur illud in publico accuſare? Super quo reſpondemus, quod hujuſmodi perſonæ non poſſunt matrimonium contrahere, & ſi contraxerint, poſſunt ab invicem ſeparari, & qui contractum ſciverint, debent Eccleſiæ illud nunciare.

Hæc Decretalis, ſtatuens, filios duorum compatrum, ortos ante compaternitatem contractam inter compatres, vel commatres parentum ſuorum, contrahere cognationem ſpiritualem, dirimentem inter ipſos matrimonium, tam contractum, quam contrahendum, & ſcientem hujuſmodi impedimentum, teneri illud Eccleſiæ denunciare, abrogata eſt a Trid ut notavi ſupra.

SECTIO DCCIX.

CAPUT VIII. EX LITERIS, *ex Decretali Gregorii IX. ignotum, quibus reſcripta; ex caſu autem in ea expreſſo, qui contingit in Anglia, cognoſcitur Pontificem loqui cum Prælatis Eccleſiæ Anglicanæ.*

EX literis veſtris accepimus, quod cum Martha mulier coram officiali Cantuarien. Alanum peteret in virum, & ſe affidatam ab eo, ac carnaliter cognitam per teſtes idoneos probaviſſet: dictorum tandem teſtium depoſitionibus publicatis: idem A. excipiendo propoſuit, quod eam habere non poterat in uxorem, pro eo quod ipſum pater mulieris ejuſdem, qui Sacerdos extitit, baptizavit. Sed cum idem officialis, exceptione hujuſmodi non admiſſa, definitivam tulerit ſententiam contra ipſum, & idem ad Sedem Apoſtolicam appellaverit, mandamus quatenus, ſi eſt ita, eumdem A. ſuper hoc ab impetitione mulieris abſolvatis ipſius, eidem mulieri perpetuum ſilentium imponentes.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, inter baptizatum, & filium baptizantis oriri cognationem ſpiritualem, impedientem, & dirimentem matrimonium inter ipſos contrahendum, abrogata eſt a Tridentino, ut ſupra.

SECTIO DCCX.

Caput I. Nedum, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

NEdum inter baptizatum, & illum, qui eum ſuſcepit de baptiſmo, ac inter eum baptizatum, & ſuſcipientis filios, & uxorem, ante ſuſceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imoetiam inter ſuſcipientem, patremque baptizati, & matrem cognationem ſpiritualem in baptiſmo contrahi jure conſtat: quæ cognatio, & contrahendum matrimonium impedit, & dirimit poſt contractum. Et eadem, quæ de ſuſcipiente ſunt dicta, ſunt etiam de baptizante cenſenda.

Ex confirmatione quoque, ſeu frontis chriſmatione, ſpiritualis cognatio eiſdem modis contrahitur, matrimonia ſimiliter impediens contrahenda, & dirimens poſt contracta.

Declarat hic Pontifex, cognationem ſpiritualem propter ſuſceptionem infantis in Baptiſmo, & Confirmationem contrahi etiam inter baptizatum, vel confirmatum, & filios, ac uxorem ſuſcipientis; verum hæc ſanctio abrogata eſt a Concilio Trident. ut ſupra.

Nota patrinum adhibitum in ſuſceptione Sacramenti confirmationis, juxta ſecundam hujus Decretalis partem, contrahere quidem cognationem ſpiritualem, aptam inpedire matrimonium contrahendum, & contractum dirimere: verum non futilis eſt quæſtio, an ſi confirmatus & ipſe non fuerit, revera, eam contrahat.

Certum eſt ad id munus tunc aſſumi non poſſe, ut ſtatuitur in ſequenti Can. Concilii Muguntini, relato a Gratiano in *Can. CII. diſt. IV. de conſecrat.*

In baptiſmate, vel in chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus.

Ex qua prohibitione non defuerunt DD. relati a Lucio Ferraris *Prompta Bibliotheca, verbo Confirmatio art. III. num.* 19. ſentientes cum Gloſſa ad cit. Can. probabilem eſſe ſententiam, ſi de facto patrinus non confirmatus ad id munus admiſſus fuerit, non contrahere cognationem.

Hæſitaveram quidem, ſicuti & quam plurimi, licet in pontificio jure verſatiſſimi, an tuto in praxi hæc ſententia admitti poſſet: poſtquam autem mihi occurrit ſequens exemplaris declaratio Congregationis Concilii ſub die 13. Junii 1654. relata *lib. XIX. Decretor. pag.* 358. a me recognita, his verbis extenſa = Paulus Ruſſus &c. mature &c. cenſuit, non confirmatum, ſi ſuſceperit aliquem in Sacramento Confirmationis, non contrahere cognationem ſpiritualem = a dubitatione receſſi, & non amplius probabilis, ſed certa, tutaque in praxi ſeutentia dicenda eſt. Quare recedendum eſt a cenſura, quæ addita legitur contra probabilitatem dictæ opinionis relatæ a laudato Ferraris, qua aſſeritur nullibi in jure decerni, non confirmatum, patrini munus in Confirmatione obeuntem, non contrahere cognationem.

SECTIO DCCXI.

Caput II. Per cathachiſmum, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii.*

PER cathechiſmum, qui præcedit baptiſmum Sacramentorum fundamentum, & Januam reliquorum, cognatio ſpiritualis contrahitur, per quam contrahendum matrimonium impeditur: ut ex Prædeceſſoris noſtri Clementis Papæ III. Decretali colligitur evidenter: dicendo enim, quod talis res vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret, velle videtur, quod afferat, nam quod vix fit, fieri tamen dubium non exiſtit. Per illam tamen cognationem matrimonium poſt eam contractum minime ſeparatur.

Poſt declarationem Decretalis Clementis III. ſupra tranſcriptæ Sect. DCCVI. clarius confirmat Bonifacius ejuſdem Clementis ſanctionem, matrimonium nempe contractum poſt cognationem ſpiritualem ortam ex Cathechiſmo non diſſolvi: ſed hic hodie, ut dixi, nullum inducit impedimentum, nec impediens, nec dirimens.

SECTIO DCCXII.

Caput III. Quamvis, *ex Decretali laudati Bonifacii*.

QUamvis non plures, quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad ſuſcipiendum de Baptiſmo infantem, juxta ſacrorum Canonum inſtituta; ſi tamen plures acceſſerint, ſpiritualis cognatio inde contrahitur, matrimonia contrahenda inpediens, & etiam poſt contracta diſſolvens: de Confirmatione inſuper, quantum ad hoc, idem judicium eſt habendum. Ex datione vero aliorum Sacramentorum cognatio ſpiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel diſſolvat.

Tria declarantur in hac Decretali.

I. Quod unus vir, vel una mulier tantum aſſumi debeat in patrinum in collatione Baptiſmi.

II. Quod ſi plures tamen baptizandum de fonte levent, omnes ſpiritualem cognationem contrahant.

III. Quod circa hæc duo eadem habenda ſit ratio, & diſciplina reſpectu etiam ſuſcipientium in Sacramento Confirmationis.

Verum trina hæc diſpoſitio correcta eſt a Concilio Triden. *cap. II. ſeſſ. XXIV. de reformat. matrimon.* quandoquidem ſtatuit, I. ut patrini in collatione tam Baptiſmi, quam Confirmationis poſſint eſſe duo, unus vir, & altera mulier, II. ut etiamſi plures, quam unus, vel duo, vir nempe, & mulier ſuſcipiant baptizandum, vel confirmandum, cognationem contrahant deſignati tantum a parentibus, nec plures, quam duo deſignari poſſint, ibi.

Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere, & a cognationis ſpiritualis inpedimento incipiens, ſtatuit, ut unus tantum ſive vir, ſive mulier juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant; inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant; & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat; & in libro eorum nomina deſcribat; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant. Quod ſi alii, ultra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, Conſtitutionibus in contrarium facientibus non obſtantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia ſecus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniantur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis inpedimentis omnino ſublatis.

Cum autem, non obſtante hac Tridentini declaratione, ortum fuiſſet dubium, an præter perſonas ab eodem expreſſas, hoc inpedimentum oriatur etiam inter maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & baptizatum, nec non inter maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & patrem, ac matrem baptizati, S. Pius V. Conſtitut. *Cum illius* 28. *Novembris* 1566. addidit declarationem, quam habes in Textu ſupra tranſcripto poſt *cap. I. Utrum*, *hoc eod. tit.* Sect. DCCII.

Nota I. Numeri patrinorum deſignandorum præfixionem ita ſtrictam eſſe, ut neque Epiſcopus diſpenſare poſſit ſuper plurium deſignatione, cum ex vulgatis, attento tranſcripto Tridentini decreto, inferior nequeat diſpenſare in lege ſuperioris: & ita etiam declaratum fuiſſe a Congregatione Conc. refert hic Paſſarinus n. 5. addens juxta probabiliorem ſententiam eſſe peccatum mortale admittere plures, quam duos.

Nota II. Deficientibus parentibus in deſignatione patrinorum, quoad ſuſcipientes in Baptiſmo, deſignandos eſſe a parocho, qui tamen juxta Trid. prius ſciſcitari debet ab iiſdem parentibus, quem, vel quos elegerint.

Nota III. Si contra Concilium plures deſignati, & admiſſi fuerint a parocho, omneſque ſimul ſuſceperint, & baptizatum tetigerint, tunc omnes cognationem contrahere Paſſarin. *loc. cit. num.* 6.

Nota IV. Controverti a DD. an ſi ex negligentia parentum, vel parochi nullus fuerit deſignatus, & plures infantem de fonte ſuſceperint, hi cognationem contrahant? Sed idem Paſſarin. num 7. cum Navarro, Grutier, Bonacina, Barboſa, & aliis affirmativæ ſententiæ adhæret „Illi enim (ait) ſunt vere ſuſce„ptores, licet non fuerint deſignati; unde in hoc ca„ſu jus antiquum non eſt correctum. Neque enim „Conc. Triden. ſtatuit deſignationem tanquam for„mam, qua deficiente, factum ſit irritum“ & ita etiam declaratum eſt a Cong. Conc. in Cremonen.

Nota V. Ad contrahendam hanc cognationem non ſufficere, quod patrini baptizatum etiam adultum tangant eum ſolo digito „quia (ita proſequitur Paſſa„rin. num. 10. ex auctoritate S. Thomæ, Sanchez, „Barb. & aliorum) hæc cæremonia non eſt inducta „ad ſuſtendandum corporaliter baptizatum, ſed ad „ſignificandam imbecillitatem ſpiritualem, & veluti „in fide debilitatem, ob quam indiget adhuc ſuſten„tari“.

Nota VI. Ex declaratione ejuſdem Cong. *in Bobien.* 20. *Decembr.* 1653. *lib. XIX. Decretor. pag.* 296. con-

contrahi cognationem ab eo, qui in patrinum deſignatus, infantem baptizatum de manu Sacerdotis, qui baptizaverat, recepit, licet in actu Baptiſmi non tetigerit: imo eadem Sacra Congr. 18. *Decembr.* 1688. *lib. XXXVIII. Decretor. pag.* 618. ad dubium *Cognationis ſpiritualis* reſpondit, eam contraxiſſe Titium cum matre pueri, quem de ſacro fonte levavit, non obſtante, quod illum non ſuſceperit in actu baptiſmi de manu baptizantis, ſed de manu obſtetricis, contra opinionem Julii Caponi, affirmantis ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiri, ut patrinus recipiat puerum de manu baptizantis, pluribus DD. in ſuam ſententiam allegatis.

Nota VII. Non contrahi vero declaravit in *Goana lib. III. Decretor. pag.* 109. a non deſignato, etiamſi baptizatum tetigerit, ſed abſque animo illum levandi de ſacro fonte: neque ab eo, qui procuratorio nomine patrini munus obivit, tam in Baptiſmo, quam in Confirmatione, *in Piſana* 20. *Aprilis* 1589. *lib. V. pag.* 283. *& in Nullius* 15. *Martii* 1631. *lib. XIV. pag.* 398. & noviſſime in *Theatina matrim.* 13. *Sept.* 1721. *ut tom. II. Reſolut. ejuſdem Cong. pag.* 76.

Nota VIII. Quod quamvis Bonifacius in allata Decretali declaraverit, excepto Baptiſmo, & Confirmatione, non oriri cognationem ſpiritualem ex collatione aliorum Sacramentorum, non vulgaris tamen orta eſt quæſtio inter DD. an ex collatione Sacramenti pœnitentiæ exurgat quædam ſpiritualis cognatio inter confeſſarium, & pœnitentem. Pro affirmativa, & negativa ſententia hæc notat laud. Paſſarin. *loc. citato num.* 12. „ Sed nihilominus ex Sacramento pœnitentiæ oriri quandam cognationem ſpiritualem tenet hic Gloſ. *Dom. num.* 3. *Franc. in fin. D. Thomas* 4. *diſt. quæſt.* 42. *art.* 2. *ad* 8. *Palud. quæſt.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. *num.* 7. *Turecrem.* 30. *quæſt.* 1. *in ſum. ar.* 2. *num.* 4. *& probatur ex cap. Omnes, cap. Si quis Sacerdos, cap. Non debet Epiſcopus* 30. *quæſt.* 1. ubi Symaeus, & Cœleſtinus Pontifices ſpecialiter prohibent, ne confeſſarii fornicentur cum filia ſpirituali. Quod convenienter introductum fuit, & propter reverentiam Sacramenti, & ne familiaritas, quæ contrahitur in hoc Sacramento, in quo pœnitens aperit cor ſuum confeſſario, ſit occaſio peccandi; & ideo peccatum fornicationis confeſſarii cum filia ſpirituali eſt ſacrilegium Sotus 4. *diſt.* 42. *qu.* 1. *art.* 2. Et ideo hoc peccatum importat circumſtantiam aperiendam in confeſſione, ut tradunt, præter DD. citatos, *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 55. *nu.* 3. *Tabien. verſ. Circumſtantia in fin. & ibi Armil. num.* 12. *Bartholomæus a Ledeſma de Pœnit. ubi de confeſ. diſt.* 10. *Rodrig. tom.* 2. *cap.* 109. *num.* 1. *Vega t.* 1. *cap.* 13. *caſu* 19. *Nugnus in addit. quæſt.* 9. *art.* 2. *num.* 23. *Facundez præc.* 2. *l.* 4. *cap.* 3. *numer* 33. *Azor.* 1. *par. lib.* 3. *cap.* 9. *quæſt.* 5. Quidquid in contrarium dixerint Bonac. *quæſt.* 3. *de Matrim. p.* 16. Diana, & alii, quos refert, & ſequitur *Leander tom* 1. *tract.* 5. *diſp* 8. §. 3. *quæſt* 51. aſſerens, hanc circumſtantiam eſſe aggravantem, non vero mutantem ſpeciem “.

Titulus XII. De Cognatione Legali.

S E C T I O D C C X I I I.

Caput Unicum, Siqua, *ex Decretali Nicolai I. ad conſulta Bulgarorum.*

Siqua per adoptionem mihi ſoror eſſe cæperit, quandiu durat adoptio, inter me, & ipſam nuptiæ conſiſtere non poſſunt.

Huic Decretali occaſionem dedit error, qui aliquando invaluit apud Bulgaros, teſte Demetrio Chomatene, Bulgariæ Archiepiſcopo *lib. V. Jur. Oriental.* credentes fraternitatem ex ſola adoptione nullam eſſe, atque adeo nullum prorſus inde inpedimentum poſſe nuptiis afferri, auctoritatemque ſuo errori adſtruentes ex *L. Nec apud. VII. Cod. de hæred. inſtituendis*, in qua tamen Imperatores non negant, fratrem poſſe adoptione fieri, ſi quis jam filium, vel filiam habens, alium inſuper in filium adoptet, ſed negant, valere eam adoptionem, in qua quis ſibi alium in fratrem adoptaverit, quia naturam imitari debet adoptio, per quam nemo ſibi fratres, ſed filios tantum gignit.

Cum autem hæc adoptio regulanda ſit juxta legea civiles, a quibus Nicolai reſponſum deſumptum eſt, hicque exprimat Pontifex dumtaxat, contrahi non poſſe matrimonium inter filium naturalem adoptantis, & filiam adoptatam; ne quis inde putet, inter hos ſolos hujuſmodi inpedimentum inſurgere, pro praxi, & regula, a parochis potiſſimum hac in re obſervanda, operæ pretium duxi exponere inter quos alios inſuper juxta dictas leges oriatur.

I. Igitur oritur inter adoptantem, & adoptatum, hujuſque poſteros uſque ad quartum gradum; quod quidem durat, etiam ſoluta adoptione, *Can. Diligere cauſ. XXX. quæſt.* 3. Cum ſemper vigeat quædam pudoris, & publicæ honeſtatis ratio, juxta textum expreſſum in *L. adoptivus XIV. ff. de rit. Nupt.* ibi: *Adoptivus filius, ſi emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor eſt, ducere non poteſt, quia Novercæ locum habet.*

II. Inter uxorem adoptantis, & adoptatum, & inter hujus uxorem, & adoptantem, & hoc pariter durat poſt ſolutam adoptionem *L. adoptivus D. de rit. Nupt.*

III. Inter filios legitimos, & naturales in poteſtate adoptantis exiſtentes (non autem naturales, tantum) & adoptatum, ſeu adoptatam, aut filias adoptantis, & adoptatum, ſeu adoptatam: quod tamen deſinit, ceſſante adoptione; ideſt quando filii, aut filiæ adoptantis exierint ab ejus poteſtate per illius mortem, vel per emancipationem, *L final. D. de adoption.* de quo inpedimento loquitur tranſcripta Nicolai Decretalis.

Nota I. Duas eſſe adoptionis ſpecies, unam perfectam, quæ adrogatio vocatur, qua ſcilicet mediante,

te, aliquis ſui juris exiſtens, auctoritate, ſeu reſcripto ſupremi Principis in filium aſſumitur, atque tranſit in poteſtatem, & familiam adoptantis, ejuſque agnomen, ſtemmata, ſeu, ut loquimur, ſcuta, deſumit, ſitque illius hæreditarius hæres, tam ab inteſtato, quam ex teſtamento *§. I. Inſtit. de adopt. L. Si paterfamilias, leg. Adrogato, & L. Generalis ff. de adopt. L. II. Cod. eod.* vel quæ fit ab aſcendente materno, per quam adoptionem ſolvitur a patria poteſtate patris ſui legitimi, & naturalis, & tranſit in poteſtatem adoptantis.

Alteram imperfectam, quæ fit ab extraneo a quolibet competenti Judice, illiuſque vigore filius adoptivus ſub priſtina patris naturalis poteſtate manet, & patris adoptantis neceſſario hæres eſt dumtaxat ab inteſtato *§. I. & II. Inſtit. de adopt.*

Nota II. Hodie apud plures videtur receptior ſententia, quæ docet, oriri inpedimentum cognationis legalis tam ex perfecta, quam ex inperfecta adoptione, cum Canones, eam admittentes, indiſtincte loquantur, ut *Can. Ita diligere, Can. Poſt ſuſceptum, Can. Per adoptionem, cauſ. XXX. quæſt. 3.* & allata Nicolai Decretali, DD. cumulate relati a Benedicto XIV. *de Synod. Diœc. lib. IX. cap. X. edit. an. 1755. n. 5.*

Cæterum conditiones a jure requiſitæ, ut quis adoptare poſſit, compendioſe referuntur a Cabaſutio *Jur. canon. Theoria lib. III. cap. XXII. num. 14.* ibi, ,, I. Ut adoptans ſui juris ſit. II. Ut ſit major viginti quinque annis. III. Ut ſit maſculini ſexus, fœminæ namque adoptari quidem poſſunt, ſed non adoptare, niſi ex privilegio. IV. Ut adoptans habeat naturalem generandi potentiam, non tamen excluduntur ii, qui cum a nativitate habuiſſent, illam ex accidenti amiſerunt, ut ſecti gladio, aut facti ex morbo eunuchi, ſed excluduntur frigidi ex natura, *l. 2. D. de adopt.* V. Ut adoptans ſit ejus ætatis, quæ adoptati ætatem excedat annis decem, & octo. His poſitis conditionibus, quæ exprimuntur *Inſtit. tit. de adoption.* & alibi in jure, poteſt quilibet adoptare, quamvis ſit Sacerdos, & modo adoptatus ſit præſens; non enim fieri poteſt per literas, aut per procuratorem adoptio, *l. Neque, & l. Poſt mortem, §. fin. D. de adopt.* ".

Nota III. Ex juribus mox allatis, *§. Cum autem,* filium adoptantis poſſe, durante etiam adoptione, matrimonium contrahere cum filio adoptati, ſicut & filiam adoptantis cum filio adoptati, cum id nullo jure prohibeatur: qua etiam ratione, addit laudatus Cabaſutius *loc. cit. num. 13.* = Plures ab uno, eodemque adoptati poſſunt inter ſe matrimonio jungi =.

Nota IV. Cum Sanchez *lib. VII. diſt. LXIV. n. 19.* Quod cognatio legalis matrimonio ſuperveniens, debiti petitionem minime inpediat, cum nullus textus ad hoc inveniatur, & odioſa non debeant extendi.

Titulus XIII. De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ.

S E C T I O D C C X I V.

CAPUT I. SI QUIS, *ex Decretali, deſumpta a Concilio, habito an. 725. a Gallicanis Epiſcopis, cum interventu Pipini Regis, apud Pagum Vermeriæ, ſitum in Inſula Galliæ inter Silvaneticum, & Sueſſionem: vel potius a Can. XII. Concilii apud Compendium an. 757. non longe diſtans a Vermeria.*

SI quis cum filiaſtra (ſeu privigna ex altero conjuge genita) ſua ſcienter fornicatus fuerit, nec a matre debitum petere, nec filiam unquam habere poteſt uxorem: nec filiaſtra, nec ille ullo unquam tempore alii ſe poterunt matrimonio copulare.

In hac Decretali, præter inpedimentum petendi debitum, contractum ab eo, qui ſcienter inceſtum commiſit cum conſanguineis ſuæ uxoris, vel ſui mariti reſpective, declaratur, etiam contrahi aliud, quod nempe utrique interdictum ſit matrimonium contrahere cum quocunque, vel cum quacunque alia.

Verum hoc ſecundum inpedimentum videtur deſuetudine, ſublatum ,, ut non ſit neceſſe (ita *Theſaurus de pœnis cap. I. verb. Inceſtus, limita IV.*) petere diſpenſationem, regulariter loquendo, Sanchez *lib. 7. diſt. 17. num. 8. & 9. in fine, & lib. 8. diſt. 25. num. 8. circa medium,* Coninch. *diſt. 30. num. 25.* unde neque in diſpenſatione ad petendum tenetur qui habet jus diſpenſandi, injungere, ut ſi ſupervixerit conjugi, maneat cælebs, niſi ubi talis pœna ſit uſu recepta, ut notatur in *Compend. privil. Societ. noſtræ, verb. Diſpenſatio,* §. 8. poſſet tamen, ſi vellet, eam injungere, ut Garzias *de Benefic. par. 8. cap. 3. num. 35.* Stylus autem Sacræ Pœnitentiariæ hanc pœnam obſervari vult, & injungit in diſpenſatione ad petendum debitum; & ſtylus Datariæ eam injungit in diſpenſatione ſuper conſanguinitate uſque ad quartum gradum, ubi interceſſerit copula inceſtuoſa, Garzias *loc. cit. num. 36.* Sanchez *lib. 8. diſt. 25. num. 8.* Quis autem, & ob quam cauſam, poſſit diſpenſare ſuper hoc inpedimento, aliiſve non dirimentibus, vide Sanchez *dict. diſ. 17. a num. 13. de Matrim.* ".

Licet in hac Decretali inflicta tantum ſit pœna relati inpedimenti; placet tamen hic referre etiam corporalem pœnam a Sixto V. inflictam in Urbe, & toto eccleſiaſtico ſtatu contra ſequentes inceſtuoſos, ut magis intelligatur, quanta ſit hujus criminis turpitudo, & deformitas. Itaque juſtiſſimus Pontifex in Conſtit. *Volentes, Non. April. 1587. ſtatuit.*

Quicunque auſu nefario ſcienter matrem, & filiam, ſive duas ſorores germanas carnaliter cognoverit, etiamſi eæ, earumve altera publicæ meretrices fuerint, ſive clam, ſive palam, aut figura matrimonii tale crimen admiſerit, ſive etiam cum altera earum legitimo matrimonio conjunctus extiterit, pœna ultimi ſupplicii plectatur.

Qua itidem pœna mulier puniatur, quæ ſciens matrem, aut filiam, vel ſororem ſuam cum aliquo viro rem habuiſſe, eidem viro ipſa quoque ſui corporis copiam fecerit.

Similiter volumus, unamquamque mulierem, etiamſi inſtigante humani generis hoſte, eo devenerit impudentiæ, ut corpore publice quæſtum faciat, quæ cum patre, & filio, ſive cum duobus germanis fratribus, ſcienter ſe carnaliter commiſcuerit, ſive a prædictis ſciens ſe carnaliter cognoſci permiſerit, etiamſi eorum alteri legitimo toro copulata fuerit, pœna ultimi ſupplicii puniri.

Idque etiam in eum virum obſervari volumus, qui ſciens, patrem, aut filium, vel fratrem ſuum cum muliere aliqua rem habuiſſe, ipſe etiam eandem mulierem carnaliter cognoſcere non erubuerit.

SECTIO DCCXV.

Caput II. Veniens, *ex Decretali Alexandri III. Pictavienſi Epiſcopo reſcripta.*

Veniens ad nos præſentium lator &c. Inquiſit. t. t. reſp. quod ſi matrem ſponſæ ſuæ cognovit, & ſponſæ nunquam carnaliter adhæſit, imponenda eſt ei pœnitentia paulo major, quam pro adulterio: qua peracta, vel parte ipſius, poterit ex diſpenſatione cum alia matrimonium contrahere. Cæterum ſi ſponſam cognovit, antequam matrem, vel poſt, numquam eam, vel aliam poteſt accipere in uxorem.

In hac pariter Decretali declaratur, idem perpetuum impedimentum contrahi ab inceſtuoſo conjuge, ne ſcilicet poſt mortem uxoris, vel mariti reſpective, matrimonium contrahere poſſit cum quacumque, vel quocumque: ſed de hoc juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam idem judicium eſto, ut in antecedenti Sectione.

SECTIO DCCXVI.

Caput IV. Transmissæ, *ex Decretali Cæleſtini III. ignotum, cui reſcripta.*

Tranſmiſſæ nobis tuæ litteræ demonſtrarunt, quod C. uxore ſua defuncta, filiam ejus, privignam videlicet propriam (hoc eſt genitam ab uxore ex alio marito) copula carnali cognovit; poſtmodum aliam accipiens in uxorem, cum privigna publice tanquam canis ad vomitum rediens, illicitam rem committere non expavit. Quia vero ſuper his conſilium requiſiſti, præſenti pagina reſpondemus, quod legitimæ uxori cohabitans, & neceſſaria ſubminiſtrans, non cognoſcat eam, quamdiu vixerit, niſi ab ea fuerit requiſitus, & tunc ad ipſam non ſine gravi cordis dolore accedat: qui etiam pro inceſtu, & adulterio, donec cum ea permanſerit, juxta moderamen tui arbitrii pœnitentiam agens, poſtmodum, ſi ſupervixerit, perpetuo ſine ſpe conjugii permanebit.

In hac Decretali Cœleſtinus, pœna inflicta in præcedentibus duabus Decretalibus ne dum obſtringi voluit eum, qui inceſtum commiſit, vivente uxore, ſed etiam poſt illius mortem, & ſic ampliatæ ſunt eædem Decretales, cum loquantur ſolum de inceſtu commiſſo cum filiaſtra, & filiaſtro reſpectu proprii conjugis ante, vel poſt matrimonium; cujus pœnæ rigor hodie pariter temperatus eſt, ut ſupra notavi.

S E C T I O   D C C X V I I.

Caput V. Super eo, *ex Decretali ejuſdem Cæleſtini, ignotum, cui reſcripta.*

SUper eo, quod poſtulas edoceri, utrum conjugatus, qui ante contractum matrimonium uxoris ſuæ conſanguineam carnali commixtione cognovit, cum id fateatur uterque, & aliqua pars viciniæ hoc acclamare dicatur, ſit ab uxore ſua judicio Eccleſiæ ſeparandus: tuæ Frater. reſpondemus, quod propter eorum confeſſionem tantum, vel rumorem viciniæ, ſeparari non debent: cum & quandoque nonnulli inter ſe contra matrimonium velint colludere, & ad confeſſionem inceſtus facile proſilirent, ſi ſuo judicio crederent, per judicium Eccleſiæ concurrendum. Rumor autem viciniæ non adeo eſt judicandus validus, quod niſi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant, poſſit bene contractum matrimonium irritari.

Ex contrario ſenſu hujus Decretalis infertur, dirimi poſſe matrimonium quoad vinculum, ſi ex legitimis probationibus, vere conſtet, contractum fuiſſe poſt commiſſum inceſtum cum conſanguinea uxoris.

Cum autem hic ſermo ſit de inceſtu cum quacumque conſanguinea commiſſo, ex quo juxta antiqui juris ſanctionem oriabatur impedimentum affinitatis, matrimonium dirimens, protendebaturque uſque ad quartum gradum, id hodie reſtrictum eſt a Tridentino uſque ad ſecundum tantum, ut *cap. IV. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* ibi.

Præterea Sancta Synodus eiſdem, & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit; In ulterioribus verò gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere.

S E C T I O   D C C X V I I I.

Caput VIII. Ex literis, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Gerundenſi reſcripta.*

EX literis fraternitatis tuæ accepimus, quod G. Lator earum, matrem puellæ, quam intra nubiles annos deſponſaverat in uxorem, carnaliter ſæpe cognovit, & poſt carnali commixtione puellam tractavit adultam &c. Nos autem eidem viro pœnitentiam injungi fecimus pro peccato, conſultat. t. reſpondentes, quod eis ab invicem ſeparatis, mulier alteri viro non nubat, ſi poſtquam novit viri, & matris delictum, ei non erubit commiſceri.

Vir etiam, & mater mulieris nunquam debent ad alias nuptias convolare, ſed ſemper continentiam ſervare tenentur, & enorme deflere delictum, quod pro tam nefanda libidine contraxerunt, præſertim ſi circa perſonas hujuſmodi de lapſu carnis minime timeatur.

In hac Decretali Innocentius declarat, inceſtuoſum perpetuo privatum eſſe facultate nubendi cum quacumque alia: ſed hodie tu tene praxim, quam præſens Eccleſiæ diſciplina amplectitur, ut oſtendi ſupra ad *cap. I. Si quis*, Sect. DCCXIV.

Titulus XIV. De Conſanguinitate, & Affinitate.

S E C T I O   D C C X I X.

Caput I. Ex literis, *ex Decretali Alexandri III. Abbati Caſſinenſi in Campania, Ordinis S. Benedicti reſcripta.*

EX literis tuis accepimus, quod cum quidam ſecreto quandam viduam ſubarrhaſſet, & carnaliter cognoviſſet &c. Tandem cum vir paratus eſſet eam in conſpectu Eccleſiæ ſubarrhare, ſurrexerunt duo, proponentes, quod iſte, qui eam ſub arrhare volebat, priorem virum quarto gradu conſanguinitatis attingit: unus autem ita ſe audiviſſe juravit, alius noluit id juramento firmare &c. Nunc quæſtio prima revixit, & juraverunt duo coram Archipresbytero Plumbarolæ, quod primus vir fuit ſuperſtiti quinto conſanguinitatis gradu con-

unctus. Quocirca mandamus, quatenu s utramque partem ante tuam præſentiam convoces, & facias teſtes coram te jurare &c. Inquiſita vero diligentius veritate, ſi per teſtes circumſpectos, omni exceptione majores inveneris, quod primus vir ſuperſtitem quarto gradu conſanguinitatis attingit, non differas divortii ſententiam promulgare: æque enim (ut Canones dicunt) abſtinendum eſt a conſanguineis uxoris, ut propriis. Cæterum tuam prudentiam volumus non latere, quod non ſunt cauſæ matrimonii tractandæ per quoslibet, ſed per judices diſcretos, qui poteſtatem habeant judicandi, & ſtatuta Canonum non ignorent.

Io hac Decretali declaratur, in matrimonio, tam contrahendo, quam contracto attendendos eſſe eoſdem gradus in affinitate, quos io conſanguinitate Sacri Canones ſervari ſtatuerunt: intra quartum videlicet, ſi agatur de affinitate, orta inter contrahentes ex copula illicita. Hoc tamen impedimentum hodie ex Trident. *cap. IV. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* ſecundum gradom non excedit, ut notavi ſupra.

Addit inſuper Alexander, ut cauſæ matrimoniales cognoſcantur non per quoſcumque judices, ſed per ſelectos, Sacrorum Canonum ſtatuta callentes. Quod ut rectius, & maturius fieret, ſatis proviſum eſt a Benedicto XIV. Conſt. *Dei miſeratione*, ſupra traoſcripta ad *tit. I. de Sponſalib.* Sect. DCLII.

SECTIO DCCXX.

CAPUT III. QUOD DILECTIO, *ex Decretali Cæleſtini III. ignotum, cui ex Novergia, ſeu Daniæ Prælatis reſcripta.*

Quod dilectio &c. Quæſiviſti, utrum is, qui a ſtipite per deſcendentem lineam ſexto, vel ſeptimo gradu diſtat, poſſit ei, quæ ex altera parte per lineam deſcendentem ab eodem ſtipite ſecundo, vel tertio gradu diſtat, matrimonialiter copulari, propter indulgentiam Apoſtolicæ Sedis Legati, qua permiſſum eſt hominibus terræ illius in ſexto gradu conjungi? Quod videtur poſſe fieri ſecundum regulam, qua dicitur: quoto gradu quis diſtat a ſtipite, & a quolibet, per aliam lineam deſcendentium ab eodem: cum tamen de conſuetudine terræ, ſi quando talis caſus emerſerit, incolæ propter proximiorem gradum conjunctos ſeparent, & impediant copulari volentes. Nos itaque reſpondemus, quod indulgentia illa ſic eſt intelligenda, quod uterque conjungendorum diſtet a ſtipite ſexto gradu. Si vero alter ſexto, vel ſeptimo gradu diſtat a ſtipite, alter autem ſecundo, vel tertio, conjungi non debent; unde in hac parte conſultius duximus multitudini, & obſervatæ conſuetudini deferendum, quam aliud in diſſenſionem, & ſcandalum populi ſtatuendum, quadam adhibita novitate.

Circa ſextum, & ſeptimum gradum conſanguinitatis, de quo ſermo eſt in hac Decretali, vide notanda infra ad *caput VIII. Non debet*, Sectione DCCXXIII.

SECTIO DCCXXI.

CAPUT V. QUOD SUPER, *ex Decretali Innocentii III. Archiepiſcopo Roſſanenſi, Syriæ Civitatis in Cilicia, reſcripta.*

Quod ſuper his &c. Super eo igitur, quod pater, & filius cum matre, & filia, & duo cognati cum duobus cognatis, avunculus, & nepos cum duabus ſororibus contrahunt matrimonia, taliter tibi duximus reſpondendum; quod licet omnes conſanguinei viri ſint affines uxoris, & omnes conſanguinei uxoris ſint viri affines: inter conſanguineos tamen uxoris, & viri, ex eorundem, ſcilicet uxoris, & viri conjugio nulla prorſus affinitas eſt contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Ne autem inter gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debes publice inhibere, & præſumptores eccleſiaſtica diſtrictione punire, non obſtante conſuetudine, quæ dicenda eſt potius corruptela.

Hæc Decretalis, in qua præcipit Innocentius, diſtrictione eccleſiaſtica puniendos eſſe præſumentes contrahere matrimonium intra gradus ab Eccleſia prohibitos, ampliata eſt, primum a Clemente V. in Concilio Viennenſi, declarante, eſſe ipſo facto excommunicatos, ac præcipieote, ut tales publicentur,

nec

nec abſolvendi, donec ſeparentur, poſt ſeparationem vero abſolvi dumtaxat poterunt ab Epiſcopo, ſi prius fuerint denunciati; ſin minus a quocumque confeſſario, cum hujuſmodi cenſura non ſit reſervata, ut notavi ad *tit. Qui Clerici, vel voventes*, Sect.DCCXXIII. ubi habes textum.

Deinde tam allata Decretalis, quam cit. Clementina ampliata eſt etiam a Conc. Trid. *cap.V. ſeſſ.XXIV. de reform. matrim.* in quo ulterius ſtatuitur, ut ita matrimonium contrahere, & multo magis conſumare præſumentes, ſeparentur, ac ſpe diſpenſationis careant; ſicut & illos, qui ignoranter in dictis gradibus prohibitis contraxerint, ſi requiſitas ſolemnitates in contrahendo neglexerint, ibi,

Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrim. neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis: non enim dignus eſt, qui Eccleſ. benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Si vero, ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit; tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

SECTIO DCCXXII.

CAPUT VI. QUIA CIRCA, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. ignotum, cui reſcripta.*

QUia circa &c. Porro de nobili viro N. pro cujus diſpenſatione, indulgentia ſcilicet remanendi cum ea, quæ ipſum quinto conſanguinitatis gradu contingit, a Sed. Apoſt. obtinenda, falſa nobis fuerat cauſa allegata, proles videlicet. Cum tamen ante diſpenſationem obtentam unica filia, quam habebat, viam fuerit univerſæ carnis ingreſſa, prout tua conſultatio continebat; diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione (ſicut aſſeris) grave videas ſcandalum imminere.

Circa quintum conſanguinitatis gradum, de quo in hac Decretali, attende notanda in ſequenti Sect.

SECTIO DCCXXIII.

CAPUT VIII. NON DEBET, *ex Decretali laudati Innocentii, edita in Concilio generali Lateranenſi IV. habito anno 1215.*

NON debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundum varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cum urgens neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcit; quoniam ipſe Deus ex his, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in Novo. Cum ergo prohibitiones de conjugio in ſecundo, & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis, cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum, cum, ceſſante prohibitione, ceſſet effectus: Conſtitutiones ſuper hoc editas, ſacri approbatione Concilii revocantes, præſenti Conſtitutione decernimus, ut ſic contrahentes de cætero libere copulentur. Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari. Quaternarius vero numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apoſtolus: Quod vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, neque mulier habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor elementis. Cum ergo jam uſque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ ſit reſtricta, eam ita volumus eſſe perpetuam, non obſtantibus Conſtitutionibus ſuper hoc dudum editis, vel ab aliis, vel a nobis, ut ſi quis contra prohibitionem hujuſmodi præſumpſerit copulari, nulla longinquitate defenda-

tur annorum; cum diuturnitas temporum non minuat peccatum, ſed augeat, tantoque ſunt graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinet alligatam.

Cum in hac Decretali prohibitio conjugii inter conſanguineos, & affines reſtringatur uſque ad quartum gradum incluſive quoad affinitatem, hæc intelligenda eſt de orta ex copula conjugali, non vero ex fornicaria, quæ hodie ex decreto Tridentini non extenditur ultra ſecundum, ut ſupra notavi ad *cap. I. Ex literis*, *hoc eod. tit.* Sect. DCCXXVI.

Circa hanc noviſſimam Tridentini reſtrictionem notandæ etiam ſunt in praxi declarationes Congregationis Conc. relatæ hic a Fagnano *num.* 17. *& ſeq.* per hæc verba „ Sacra Congregatio, ejuſdem Conc. interpres, declaravit, hoc habere locum etiam in impedimento affinitatis ſuperveniente matrimonium contractum, ut ultra ſecundum gradum non extendatur; quia ſi Concilium ſuſtulit quod eſt majus, cenſebitur etiam ſuſtuliſſe, quod eſt minus, nempe hanc affinitatem ſupervenientem, & quia ſi Concilium primum, & ſecundum gradum, ergo in omnibus &c. Sanctiſſimus Congregationis ſententiam ſibi relatam approbavit, non tamen voluit edi hac de re aliquam regulam; ſed ore tantum, & literis Congregationis petentibus reſponderi, Rurſus cenſuit Sacra Congregatio, hujuſmodi reſtrictionem ad primum, & ſecundum gradum extendi etiam ad ſponſalia per verba de futuro contracta, adeo, ut niſi in primo, & ſecundo gradu hujuſmodi affinitatis non dirimantur.

„ Et quamvis contextus Conc. non addat affinitatem ex copula illicita ultra ſecundum gradum impedire matrimonium contrahendum, ſed tantum dicat dirimere poſt contractum: tamen S. Pius V. in ſuo motu proprio incipien. *Ad Romanum*, *edito anno* 1566. *die* 28. *Novembris*, declaravit, prædictam affinitatem nec dirimere, nec impedire “.

Quæ Piana declaratio eſt, ut ſequitur.

Ad Romanum ...... ſane poſtquam ex eo quod Tridentina Synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens, per quod non ſolum matrimonium contrahi prohibetur, ſed etiam poſtea factum dirimitur, ad eos tantum reſtrinxit, qui primo, & ſecundo gradu conjunguntur, in ulterioribus vero gradibus ſtatuit, matrimonium poſtea factum non dirimi, a pluribus Chriſtifidelibus, ut accepimus, eſt dubitatum, an licet in ulterioribus gradibus, hujuſmodi matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen juxta antiquos Canones contrahi prohibeatur.

Et propterea nos *omnem* ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, ac matrimonii libertati, quantum cum Deo poſſumus, conſulere volentes, declaramus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, nullum alium impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujuſmodi libere, & licite matrimonium contrahi poſſit.

Si autem quæras, an etiam affinitas orta ex matrimonio conſumato, ac nullo poſtea ob aliquod impedimentum dirimens declarato, cenſeri debeat reſtricta a Tridentino uſque ad ſecundum gradum, eſſem in ſenſu negativo cum Barboſa hic num. 5. & Vagnarek; quandoquidem copula in tali matrimonio habita bona fide, dici nequeat formaliter fornicaria, ſed materialiter dumtaxat: ideoque attendenda eſt juris communis diſpoſitio, ita ut neuter ex contrahentibus inire poſſit matrimonium cum conſanguineis alterutrius reſpective uſque ad quartum gradum incluſive.

Nota hic, quod cum per hanc Decretalem ſublatum ſit ſecundum, & tertium genus affinitatis, & primum dumtaxat conſtituat impedimentum dirimens matrimonium inter collaterales uſque ad quartum gradum, inter aſcendentes vero, & deſcendentes uſque in infinitum, ſequitur, valide contrahi poſſe matrimonium inter vitricum, & uxorem privigni, puta inter Petrum, ſecundum maritum Bertæ, & Titiam, viduam relictam a Franciſco, quem dicta Berta conceperat ex primo marito, cum Petrus, & Franciſcus conjuncti ſibi ſint ſecundo dumtaxat affinitatis gradu, non obſtante juris civilis prohibitione, per hæc verba expreſſa in *L. Uxorem* 15. *ff. de ritu Nuptiar.* = Uxorem quondam privigni conjungi matrimonio vitrici non opportet = propter impedimentum ſcilicet publicæ honeſtatis, ſurgens ex dicto ſecundo affinitatis gradu; quandoquidem hæc lex abrogata eſt a laudata Decretali. Et ita in hac eadem facti ſpecie, cæteroquin rara, declaratum fuit a S. Cong. Conc. ex ſenſu etiam binorum Theologorum, quorum judicium præexquirendum cenſuit, ut videre eſt in folio diei 8. *Junii* 1720 *in Bojanen. Matrimonii*, *in Theſauro Reſolut. ejuſd. Congreg. tom. I. pag.* 325. *& in folio diei* 8. *Martii* 1721. *tom. II. pag.* 22. *&* 26.

Titulus XV. De Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi.

SECTIO DCCXXIV.

CAPUT IV. CONSULTATIONI, *ex Decretali Lucii III. ignotum, cui reſcripta.*

Conſultationi tuæ, qua nos conſuluiſti, utrum fœminæ clauſæ, impotentes commiſceri maribus, matrimonium poſſint contrahere? & ſi contraxerint, an debeat reſcindi?

taliter

taliter reſpondemus, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium; romana tamen Eccleſia conſuevit in conſimilibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores.

In hac Decretali quamvis declaretur nullum matrimonium ſcienter contractum a perpetuo impotentibus ad copulam, iis tamen juxta Eccleſiæ conſuetudinem permittitur cohabitatio tanquam inter ſororem, & fratrem.

De hac quidem conſuetudine teſtimonium primo reddidit Alexander III. ut ex ſequenti ejus Decretali, relata in *cap. II. hoc eod. tit. in prima collectione.*

Super eo vero, quod de illo nobis ſignificaſti, qui cum procreare velit filios, uxori ſuæ nunquam carnis debitum reddidit, vel reddere potuit; inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod diverſa ſunt inde decreta, & diverſæ ſententiæ; ſed conſuetudo eſt romanæ Eccleſiæ in ſimilibus taliter tenere, quod ſi non poteſt eam ſicut uxorem habere, ipſam habeat ſicut ſororem.

Secundo idem teſtimonium reddidit poſt Lucium etiam Clemens III. ut ex ejus Decretali Verulano Epiſcopo reſcripta, & relata in *cap. IV. hoc eod. tit. in dicta prima collectione.*

Literas tuas recepimus, ex quarum tenore cognovimus, quod cum lator præſentium quandam fœminam, jam elapſo quinquennio, ſibi matrimonio copulaſſet, & ſecum per tres menſes in eodem lecto dormiſſet, maleficio ſuo creditur impeditus, quod cognoſcere illam nequit. Super quo Sedis Apoſtolicæ literas recepiſti, in quibus continebatur, quod de romanæ Eccleſiæ conſuetudine non erat talium matrimonium ſeparandum; unde convocatis eis ad tuam præſentiam, cum viverent ſeparatim, compuliſti eos ad habitationem redire communem; & licet poſtmodum in eadem domo, & lecto fuiſſent, & homo multa verba, ſicut tibi conſtitit, eidem fœminæ contuliſſet; ei tamen non potuit carnaliter commiſceri: propter quæ tu timens, ne idem vir homicidii reatum incurrat, quid in hoc caſu eſſet agendum, nos conſulere voluiſti. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus pro memoratis occaſionibus non dimittas, quin prædictum virum, & uxorem per cenſuram eccleſiaſticam inſimul habitare compellas.

Si credimus Gratiano, dicta conſuetudo initium ſumpſit uſque a ſeculo VI. in Pontificatu divi Gregorii Magni; refert enim *Can. II. Requiſiſti, cauſa XXXIII. q. I.* ita reſcripſiſſe Joanni Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Ravennatenſi.

Requiſiſti de his, qui ob cauſam frigidæ naturæ dicunt, ſe non poſſe invicem operam carni dantes commiſceri. Iſte vero ſi non poteſt ea uti pro uxore, habeat eam quaſi ſororem. Quod ſi retinaculum conjugale voluerint reſcindere, maneant utrique innupti. Nam ſi huic non potuit concordare naturaliter, quomodo alteri conveniet? Si igitur vir aliam vult uxorem accipere, manifeſta patet ratio, quia ſuggerente diabolo odii fomitem, exoſam eam habuit, & idcirco eam dimittere mendacii falſitate molitur. Quod ſi mulier cauſatur, & dicit, volo eſſe mater, & filios procreare, & uterque eorum ſeptima manu propinquorum tactis ſacroſanctis Reliquiis jurejurando dicat, quod nunquam per commixtionem carnis conjunctiuna caro effecti fuiſſent; tunc videtur mulierem ſecundas nuptias contrahere poſſe. Humanum dico propter infirmitatem carnis eorum. Vir autem, qui frigidæ naturæ eſt, maneat ſine conjuge. Quod ſi & ille aliam copulam acceperit; tunc hi, qui juraverint, perjurii crimine rei teneantur, & pœnitentia peracta, priora cogantur recipere connubia.

Cæterum citatus Canon in nulla inter Gregorii epiſtolas reperitur, qui ex loqutionis ſtylo potius convenit Capitularibus Francicis, quam Gregorio, cui a Bruchardo tributus eſt, ut in recenſendis horum Capitularium fragmentis plura Gregorii nomine referre conſuevit.

Sed quidquid ſit de hujuſmodi conſuetudine, certum eſt hodie, perpetuam impotentiam matrimonium antecedens, recenſeri inter impedimenta illud dirimentia *cap. VI. Fraternitatis, hoc eod. tit.* Neque admitti conjugum cohabitationem tanquam inter fratrem, & ſororem; potiſſimum, ſi cum ſcientia hujuſmodi impotentiæ contraxerint, in quo caſu omnino prohibenda eſt, ut prohibuit Sixtus V. per literas in forma Brevis Epiſcopo Novarienſi, Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Legato *ſub die 27. Jun 1587. relatis a Quaranta verb. Matrim. impedimenta*, ibi,

Cum

Cum frequenter in iſtis regionibus eunuchi quidam, & ſpadones, qui utroque teſte carent, & ideo certum, & manifeſtum eſt, eos verum ſemen emittere non poſſe, quia impura carnis tentigine, atque in immundis complexibus cum mulieribus ſe commiſcent, & humorem forſan quendam ſimilem ſemini, licet ad generationem, & ad matrimonii cauſam minime aptum effundunt, matrimonia cum mulieribus, præſertim hunc ipſum eorum defectum ſcientibus, contrahere præſumant, idque ſibi licere pertinaciter contendant, & ſuper hoc diverſæ lites, & controverſiæ ad tuum, & eccleſiaſticum forum deducantur, requiſivit a nobis Fraternitas tua, quid de hujuſmodi connubiis ſit ſtatuendum: Nos igitur attendentes, quod ſecundum canonicas ſanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ ſunt, & impotentes iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque prædicti eunuchi, aut ſpadones, quas tanquam uxores habere non poſſunt, eaſdem habere, ut ſorores volunt, quia experientia docet, tam ipſos, dum ſe potentes ad coeundum jactitant, quam mulieres, quæ eis nubunt, non ut caſte vivant, ſed ut carnaliter invicem conjungantur, prava, & libidinoſa intentione, ſub prætextu, & in figura matrimonii, turpes hujuſmodi commixtiones affectare, quæ cum peccati, & ſcandali occaſionem præbeant, & in animarum damnationem tendant, ſunt ab Eccleſia Dei prorſus exterminandæ. Et inſuper conſiderantes, quod ex ſpadonum hujuſmodi, & eunuchorum conjugiis nulla utilitas provenit, ſed potius tentationum illecebræ, & incentiva libidinis oriuntur; eidem fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut conjugia per dictos, & alios quoſcunque eunuchos, & ſpadones, utroque teſte carentes cum quibusvis mulieribus defectum prædictum, ſive ignorantibus, ſive etiam ſcientibus contrahi prohibeas, eoſque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declares, & tam locorum Ordinariis, ne hujuſmodi conjunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui ſic de facto matrimonium contraxerint, ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta nulla, irrita, & invalida eſſe decernas. Eos etiam, qui ſic jam contraxerunt, ſi appareat illos, non ut caſte ſimul vivant, contraxiſſe, ſed actibus carnalibus, & libidinoſis operam dare, ſimul in uno, & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire convincantur, omnino ſimiliter ſeparari cures. Sequitur decretum irritans.

Non prohibetur autem cohabitatio triennalis a Juſtiniano in Novella XXII. §. *Per occaſionem*, præfinita, & etiam expreſſe approbata a Cœleſt. III. in ſeq. *cap. V. Laudabilem*, atque ab Honorio pariter III. in *cap. VII. Literæ*, *hoc eod. tit.* ac proinde in foris eccleſiaſticis ubique religioſe cuſtodita, ſi poſt matrimonium, bona fide contractum, detegatur antecedens impotentia ex parte alterutrius conjugis, & dubitetur, an ſit perpetua, vel potius temporanea, ſeu an inſanabilis ſit, vel naturali arte ſuperari poſſit, ad hoc ut experiri valeant, an intra tale tempus potentes reddantur ad dandam rei conjugali operam.

SECTIO DCCXXV.

CAPUT V. LAUDABILEM, *ex Decretali Cœleſtini III. ignotum, cui reſcripta.*

Laudabilem (& infra.) Requiſiſti, quantum tempus indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis (& infra.) Nos vero præſenti conſultatione ſentimus, ut a tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas prius probari non poſſet, cohabitent per triennium: quo elapſo, ſi nec tunc cohabitare voluerint, & juxta decretum Gregorii mulier per juſtum judicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non poſſit, accipiat alium; ſi autem ille aliam acceperit, ſeparentur. Quod ſi ambo conſentiant ſimul eſſe, vir eam, etſi non ut uxorem, ſaltem habeat ut ſororem. Si autem, quod nunquam ſe invicem cognoverint, ambo fatentur, cum ſeptima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ (ſi propinqui defuerint) tactis ſacroſanctis Evangeliis, uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuiſſent, & tunc videtur, quod mulier valeat ad ſecundas nuptias convolare. Verum ſi ille aliam duxerit, tunc hi, qui juraverant, rei perjurii teneantur, & peracta pœnitentia, cogatur ad priora connubia redire.

In

In hac pariter Decretali, ſi matrimonium nulliter contractum fuiſſe conſtiterit, contrahentes vero ſimul cohabitare voluerint tanquam frater, & ſoror, id eis a Cœleſtino permittitur, ut jam permiſerat Lucius III. in ejus Decretali mox tranſcripta.

Quæ indulgentia ex hodierna Eccleſiæ diſciplina, ſi impotentia, quæ matrimonium anteceſſerit, perpetua probetur, non admittitur, ob periculum incontinentiæ, potiſſimum ſi conjuges juvenes ſint, vel ſtimulis carnis obnoxii: etiamſi non inſtiterint pro declaratione nullitatis matrimonii.

Excipe tamen in hoc caſu cohabitationem late ſumptam, puta ſi vivant in eadem domo, ſed ita adinvicem ſaparati, ut nullam prorſus peccandi occaſionem inde poſſint deſumere; quod in praxi vix contingere poſſe nemo non videt.

Nota in Rubrica hujus tituli tria diſtingui capita, ex quibus inhabilitas ad opus conjugale provenire poteſt, a frigiditate nempe, maleficio, & impotentia naturali coeundi.

Verum in nulla ex Decretalibus a Sancto Raymundo, in hoc eod. tit. relatis mentio fit de inhabilitate ex maleficio proveniente: cæteroquin facta fuit ab Alexandro III. in Decretali, Ambianenſi Epiſcopo reſcripta, ut ex integro ejuſdem textu apud Gonzalez, ſed a Sancto Raymundo mutilate relata in *cap. II. Quod ſedem, hoc eod. tit.* ſic enim legitur in laudato integro textu.

Verum licet Eccleſia romana non conſueverit propter naturalem frigiditatem, nec propter alia maleficia (intellige, ſi ſupervenerint matrimonio jam contracto) legitime conjunctos dividere.

Quidquid autem ſit de efficacia horum maleficiorum ad cautandam impotentiam generandi; illorum reos ſequenti hac pœna puniendos ſtatuit Gregorius XV. Conſtit. *Omnipotentis Dei*, 20. *Martii* 1623. ibi.

Quapropter, ut tam exitioſa ſcelera a Chriſtifidelibus arceantur, gravioribus pœnis vindicanda duximus: motu itaque proprio, tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus, ut conſtito, quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & a fide apoſtatando, maleficiis, ſive ſortilegiis unam, ſeu plures perſonas ita læſerit, ut ex maleficio, ſeu ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam primo lapſu, Curiæ ſeculari tradatur, debitis pœnis puniendus: qui vero ſimiliter apoſtatando, pactum cum diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit, ex quo, licet mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, ſive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, ſive perpetuis carceribus, in Sancto. Inquiſitionis Officio, ubi illud exiſtit, fabricandis, mancipari debeat.

Qui vero ſimilium delinquentium notitiam habuerint, eos Epiſcopo, ſive Inquiſitori denunciare teneantur.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Titulus XVI. De Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.

SECTIO DCCXXVI.

Caput I. Literæ, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Paduano reſcripta.*

Literæ, quas tua nobis Fraternitas deſtinavit, expreſſe declarant, quod cum quidam ſororem ſuam jam nubilem, cuidam ſe daturum in uxorem, ea præſente, & conſentiente, præſtito juramento, firmaſſet, & illa non poſt multos dies, dona, & munera viri ſecundum morem terræ ſponte ſuſcipiens, ipſum tamquam proprium virum, ſæpe amplexata fuiſſet: tandem mortuo fratre, a proprio viri ſui fratre ſe deſponſari permiſit, & quod ab illo cognita fuiſſet, mendaciter aſſeverat. Cumque ei prohibuiſſes publice, ne cui illorum, vel alicui ſe copularet, ipſa ſpretis monitis tuis, alii nubere non expavit. Demum cum mulieri præcepiſſes, ut ad domum matris rediret, ipſa noſtram audientiam appellavit (& infra.) Mandamus, quatenus, ſi eſt ita, præfatam mulierem (ne mandatum tuum contemptibile videatur) ad domum matris redire compellas, & impoſita ſibi de tanto exceſſu pœnitentia condigna, poſtquam in domo materna per menſem ſteterit, ad tertium reverti permittas.

Hanc

Hanc Decretalem tranſcribo, non quod ei novi aliquid acceſſerit; ſed eum in ea declaret Pontifex, matrimonium non dirimi ex hoc ſolum, quod contrahentes illud contraxerint contra inhibitionem eis ab Epiſcopo publice indictam, non ſemel ortum eſt dubium, an hæc ſanctio etiam locum habeat, ſi inhibitio non contrahentibus, ſed parocho indicta ſit, ne aliquorum matrimonio aſſiſtat; perindeac per talem inhibitionem ſublata ſit eidem parocho juriſdictio hujuſmodi matrimonio aſſiſtendi.

Huic dubio, aliiſque ei affinibus ſatis proviſum eſt a Congregatione Conc. in ſequentibus reſponſis, datis anno 1581. ad dubia ſibi propoſita ab Epiſcopo Giennenſi, & relata *lib. III. Decretor. ejuſdem Cong. pag. 59. & ſeq.*

I. Utrum prohibitione facta ab Ordinario, ne parochus aliquos deſponſaret, ita tollatur juriſdictio ipſius parochi, ut ad contrahendum matrimonium contra talem prohibitionem non ſit legitimus parochus.

II. Utrum matrimonium, in quo intervenerit Vicarius parochi, non invitus, ſed volens, contra prohibitionem tantum Ordinarii, ſit validum, vel potius invalidum, quia non intervenit Sacerdos habens juriſdictionem, cum ſit ſublata ab Ordinario.

III. Si invitus, & compulſus per vim adſit Sacerdos, dum contrahitur matrimonium, præcedente, vel non præcedente dicta prohibitione, utrum tale matrimonium ſubſiſtat.

S. Congregatio ad I. reſpondit, valere matrimonium contractum coram parocho, cui interdictum eſt ab Epiſcopo, ne interveniat.

Ad II. Eſſe validum. Ad III. Subſiſtere.

Nota I. Hanc inhibitionem, juſta interveniente cauſa, fieri poſſe, & debere, nedum a Papa, & Epiſcopo, ſed etiam a parocho, extrajudicialiter tamen, donec cauſa cognoſcatur, ut colligitur ex Decretali ejuſdem Alexandri, relata *hoc eod. tit. cap. III. de Muliere*.

Nota II. Cauſas juſtas hanc inhibitionem indicendi, eſſe, I. Sponſalia priora cum tertio inita, II. Gravem ſuſpicionem latentis impedimenti, tam dirimentis, quam impedientis. III. Timorem rationabilem gravium diſcordiarum, & ſcandalorum, inde probabiliter eventurorum.

Nota III. Contrahentes contra inhibitionem, mortaliter peccare, cum violent præceptum legitimi Superioris in re gravi, quod injungi poteſt etiam ſub pœna excommunicationis, ut *cap. II. Ex literis, hoc eod. tit.* quæ infligi nequit, niſi ob mortale peccatum.

Nota IV. Cum in mox tranſcripta Decretali non exprimatur, qua pœna plectendi ſint matrimonium contrahentes contra inhibitionem, infertur, eam eſſe arbitrariam pro qualitate contumaciæ, & facti circumſtantiis, puta pecuniaria. Imo eadem pœna puniri poſſunt, tam parochus, quam teſtes, ſi doloſe matrimonio intervenerint, ut ex ſequentibus decretis Congreg. Conc. *in Florentina, ſub die 10. Feb. 1629. relatis lib. XIV. Decretor. ejuſdem Cong. pag. 35.*

I. An Epiſcopus poſſit punire contrahentes matrimonium contra ejus prohibitionem contractum?

II. An eos, qui contrahunt coram parocho ex cauſa juſta diſſentiente?

III. An eos, qui contrahunt, omiſſis denuntiationibus.

IV. An poſſit punire teſtes intervenientes in ſupradictis caſibus?

V. An poſſit in eiſdem caſibus punire pœnis pecuniariis, locis tamen piis applicandis?

Sacra &c.

Ad I. II. & III. reſpondit, Epiſcopum poſſe.

Ad IV. poſſe, quatenus teſtes ſint in dolo.

Ad V. pariter reſpondit, poſſe.

Et in *Savonen 2. Martii 1595.* reſpondit, matrimonium contractum, ſervata forma Concilii, eſſe validum, etiamſi antea Epiſcopus inhibuiſſet parocho, licet hic puniri valeat ab inobedientiam; *lib. VIII. Decretor. pag. 106.*

Titulus XVII. Qui filii ſint legitimi.

SECTIO DCCXXVII.

CAPUT VI. TANTA, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III. ad Epiſcopum Exonienſem ſcripta.*

TAnta eſt vis matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium, legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore ſua, aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, licet poſt mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius, & ab hæreditate repellendus; præſertim, ſi in mortem uxoris prioris, alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.

In Gonzalez vero ita legitur.

Meminimus, nos fraternitati tuæ ſuper cauſa, quæ inter P. & R. de quadam hæreditate vertitur, quam idem P. nomine Sibyllæ uxoris ſuæ petebat, tali modo ſcripſiſſe, ut ſi conſtaret, prout literæ tuæ continebant, inter prædicti R. patrem, & matrem, poſt ejus nativitatem matrimonium fuiſſe contractum, eum, omni appellatione remota, legitimum eſſe denunties, & ab hæreditate paterna propter cauſam prædictam nullatenus debere repelli. Tanta eſt enim vis ſacramenti (legendum eſt matrimonii) ut qui antea ſunt geniti, poſt contra

ctum

ctum matrimonium habeantur legitimi. Verum quoniam P. ultra quam in literis tuis continetur, nobis ſignificavit, quod pater ſuus vivente uxore, matrem R. tenebat, & eum in adulterio procreaſſet, & quod in mortem ipſius uxoris mater fuerit machinata, fraternitati tuæ &c. quatenus rei veritatem inquiras, & ſi tibi conſtiterit, quod, vivente uxore, pater prædicti R. matre ipſius publice abuſus fuiſſet, eum ſpurium, & ab hæreditate repellendum, præſertim ſi mater ipſius in mortem prioris uxoris fuerit machinata, decernas: quoniam inter ſe legitimum matrimonium contrahere non potuerunt.

Additum eſt in Decretali, a Gonzalez relata, legendum eſſe *Matrimonii non Sacramenti*, ut legitur etiam in Collectione Arduini, nec aliter legendum eſt, „ Vis enim (ut animadvertit Bened. XIV. in Conſt. „ *Reddita nobis*, 5. *Decembris* 1744. §. *XXXIX.*) „ ac dignitas matrimonii, qua Sacramentum eſt, in „ eo eſt poſita, quod gratiam ſanctificantem confert, „ quod unionem hypoſtaticam verbi divini cum hu„ mana natura repræſentat; itidemque illam, qua „ Chriſtus cum Eccleſia per gratiam conjungitur: non „ autem in eo ſita eſt, quod ſpuriam prolem legiti„ mam efficiat. Neque enim hanc efficaciam Jeſus „ Chriſtus tribuit matrimonium, quum illud ad digni„ tatem Sacramenti novæ legis evexit; ſed id ab Ec„ cleſia inſtitutum eſt, cui placuit pro auctoritate ſibi „ conceſſa ſtatuere, ut proles extra matrimonium, „ non tamen ex adulterio procreata, per ſubſequens „ matrimonium legitima fieret".

In hac igitur Decretali declarat Alexander, ut etiam declaravit in altera, relata in *cap. I. Conqueſtus hoc eod. tit.* filium, genitum ante matrimonium ex utroque parente libero, legitimari per ſubſequens matrimonium, nedum quoad paternam hæreditatem, ſed etiam quoad Ordines, & honores, ut Gloſſ. hic verb. *Legitimi*, & DD. communiter. Verum huic generali regulæ expreſſe derogavit Sixtus V. Conſtit. *Poſtquam*, 3. *Decembris* 1586. quoad eos, qui ad Cardinalatum aſſumuntur, ut §. XII. ibi.

Præterea, qui Cardinales creandi erunt, legitimis, & honeſtis ſint exorti natalibus, neque ulla prorſus labe, aut illegitimorum natalium ſuſpicione quovis modo laborent, ſed omni macula, & impuritate careant, alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum, penitus inhabiles, & illius incapaces ſint, & eſſe cenſeantur. Quocirca conſiderantes, quod licet tanta ſit vis & efficacia Sacramenti matrimonii, quod, Apoſtolo teſte, magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſia, ut qui antea geniti erant, ex ſoluto, & ſoluta, inter quos rite matrimonium conſtare poterat, poſt illud contractum legitimi habeantur, in nonnullis tamen Provinciis, & dominiis, nobilitatis privilegiis non gaudent, nec ad ſecularia officia, honores, & dignitates, neque ad nobilium feudorum, & ſtatuum ſucceſſiones admittuntur, quodque multo magis indecorum videretur, & ab Apoſtolicæ Sedis dignitate alienum, ſi hujuſmodi illegitimi per ſequens matrimonium, ut præfertur, legitimati, in Cardinales aſſumerentur, ac Cardinalatus celſitudo, & ſplendor, qui dignitati Regiæ comparantur, facile deprimi, commaculari, aut quodammodo inobſcurari poſſet. Ideo ut puriori dignitati puriores natales reſpondeant, quoſcunque illegitime natos, quorumvis, etiam magnorum Principum, etiam ducali, aut majori, etiam regia, & imperiali auctoritate fulgentium, filios quoſcunque gradu, dignitate, & præeminentia præditos, etiam genitos ex ſoluto, & ſoluta, inter quos tunc matrimonium conſtare poterat, ac poſtea per ſubſequens matrimonium, etiam rite, & ſolemniter in facie Eccleſiæ contractum, vel alias legitimatos, & quomodolibet habilitatos, & natalibus reſtitutos, ac quorumvis honorum capaces effectos, etiamſi cum eis, ut hanc ipſum dignitatem obtinere valeant, ſuper defectu natalium fuerit expreſſe, & in ſpecie auctoritate Apoſtolica quomodolibet diſpenſatum, nihilominus prædictæ Cardinalatus dignitatis prorſus incapaces, & ad eam obtinendam perpetuo inhabiles decernimus, ac declaramus.

Nota hic obiter ex Conſtitutione Gregorii XI. *Etſi*, 3. *Idibus Novembr.* 1374. Clericos illegitimos, etiam ex diſpenſatione legitimatos cum clauſula, ut obtinere poſſint in quibuſvis cathedralibus, etiam metropolitanis, & patriarchalibus Eccleſiis canonicatus, præbendas, dignitates, perſonatus, vel officia, admitti non poſſe ad canonicatus, præbendas, dignitates, perſonatus, & officia in Eccleſiis patriarchalibus Urbis Romæ, videlicet S. Joannis in Laterano, S. Petri, & S. Mariæ Majoris, niſi in literis diſpenſationis mentio facta fuerit de dictis patriarchalibus & de hac eadem Conſtitutione.

SECTIO DCCXXVIII.

CAPUT VIII. PERLATUM, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo, & Archidiacono Vicentiæ ſcripta.*

PErlatum eſt ad audientiam noſtram, quod cum H. ad partes Conſtantinopolitanas tranſiſſet, & ibi moram per decennium, & amplius faciens, ad I. uxorem ſuam non rediens, ipſa apud bonæ memoriæ Vincentinum Epiſcopum, adverſus eum querelam depoſuit; & quod eum non poſſet diutius expectare, nihilo minus allegavit: Epiſcopus vero, ſicut vir providus & diſcretus, parentibus viri mandavit, ut pro eo mitterent, & ipſum ad propria revocarent: cumque elapſo longi temporis ſpatio, vir non remearet ad propria, Epiſcopus in conſpectu Eccleſiæ, auditis rationibus mulieris, inter eos ſententiam divortii promulgavit, & mulieri, ut alium duceret, facultatem indulſit. Ideoque mandamus, quatenus, ſi conſtiterit quod Epiſcopus inter eos ſententiam divortii tulerit, filios, quos ſuſtulit de alio, ad cujus copulam auctoritate prædicti Epiſcopi migravit, legitimos judicetis, eos hac occaſione ab hæreditate non patientes excludi.

Cum ex hac Decretali appareat, uxorem iſtam de licentia Epiſcopi tranſmiſſe ad ſecunda vota, non expectato certo nuntio de morte mariti abſentis, contra vulgatiſſimam declarationem Lucii III. in *cap. II. Dominus, de ſecund. Nupt*. & Clement. III. *cap. XIX. In præſentia, de Sponſalib.* prohibentium hujuſmodi tranſitum, niſi firma certitudine conſtiterit de morte alterius ex conjugibus. quantocumque annorum ſpatio fuerit abſens, videaturque, id, ſaltem tacite, etiam probatum fuiſſe ab Alexandro III. cum hic nec factum Epiſcopi reprobaverit, nec filios ex ſecundo matrimonio ſic contracto progenitos, tamquam illegitimos a paterna hæreditate excluſerit, decipi fortaſſe poſſent Tyrones in ſtudio juris pontificii, inferendo, nullatenus expectandum eſſe certum nuncium mortis conjugis abſentis pro contrahendo ſecundo matrimonio, dummodo longiſſimo tempore abſuerit, & Epiſcopi licentia interceſſerit. Verum eos monitos velim (quid quid ſit de facto hujus Epiſcopi) Alexandrum illud non probaſſe, ſed reſpondiſſe dumtaxat ad ſolum poſtulatum, an filii in hac ejuſdem facti ſpecie eſſent legitimi; quales revera declarari mandavit, tamquam procreatos ex matrimonio putativo, bona fide ab eorum matre in facie Eccleſiæ contracto.

Certitudo igitur de morte prioris conjugis omnino habenda eſt, antequam fiat tranſitus ad ſecunda vota juxta citatam declarationem Lucii, & Clementis: nec ſufficit, aut captivitas, aut abſentia, quantumcumque diuturna, ut ab iiſdem Pontificious cautum eſt. Et licet in eorum Decretalibus certum probationis genus de morte prioris conjugis non exprimatur, ideoque remittendum ſit judicio, ex examini judicis eccleſiaſtici; ex ſtylo tamen Sac. Univerſalis Inquiſitionis numquam hujuſmodi tranſitus permittitur, niſi, præter publicam vocem, & famam, per duos teſtes juratos, & quidem fide dignos, probetur mors ejuſdem conjugis.

SECTIO DCCXXIX.

CAPUT XII. PER TUAS, *ex Decretali Innocentii III. Archiepiſcopo Hidruntino reſcripta.*

PER tuas literas intimaſti, quod R. ex muliere, quam ſecundum opinionem majoris partis viciniæ in concubinam habebat, prole ſuſcepta, quandam poſt, & aliam, ea defuncta, duxit in uxorem, & ea, de qua prolem ſuſceperat, virum ſibi alium copulavit; proceſſu vero temporis idem R. in præſentia multorum firmavit proprio juramento, quod eam, quam habere viſus fuerat concubinam, prius affidaverat in uxorem, quam ex ea filium genuiſſet: & poſtea cum ageret in extremis, eum, quem ex ea ſuſceperat, in teſtamento hæredem inſtituens, legitimum filium appellavit. Cum autem tuæ inquiſitioni fuiſſet commiſſum, an filius ſic ſuſceptus, legitimus eſſet hæres ipſius R. & ad ejus patrimonium admittendus: tu præter id, quod ex quadam Decretali bonæ memoriæ Alexandri Papæ Prædeceſſoris noſtri, ſtandum eſſe ſuper hoc verbo viri, & mulieris credebas: receptis teſtibus a filio ejuſdem R. productis, quibus legitime comprobavit, prædictum R. matrem ſuam in capella S. Sergii affidaſſe, eum ipſius R. hæredem eſſe legitimum judicaſti. Nos autem attendentes, quod plus eſt, quod in veritate agitur, quam quod ſimulate concipitur; licet dictus R. cum ea dimiſſa, quam ut concubinam habuerat, ad alia vota tranſiverit, videatur ipſo facto matrimonium, quod inter eos celebratum fuerat, denegaſſe; quia tamen deſponſatio per teſtes legitimos comproba-

ta, eos matrimonialiter fuiſſe conjunctos, oſtendit: ſive deſponſatio ipſa fuerit de præſenti, ut per conſenſum legitimum per verba de præſenti expreſſum copula matrimonii inter eos fuerit celebrata, ſive per verba de futuro, carnali copula ſubſecuta; non tam Decretali dicti Prædeceſſoris noſtri, quæ in caſu diſſimili loquitur, quam inductis probationibus innitentes, te proceſſiſſe legitime, reſpondemus, ſententiam tuam auctoritate Apoſtolica confirmantes.

In hac Decretali definit Pontifex, ſponſalia de futuro per copulam ſubſecutam tranſire in matrimonium; ideoque filium, natum ex ſponſa de futuro, carnaliter cognita, eſſe legitimum, licet matrimonium numquam in facie Eccleſiæ ſit publicatum.
Verum hodie huic ſanctioni derogatum eſt a Concilio Tridentino *cap. I. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* ſtatuente, nullum eſſe matrimonium, niſi celebratum fuerit coram parocho, & duobus teſtibus: ac proinde ſequitur, nec prolem antea genitam in matrimonio, aliter contracto, eſſe legitimam, ibi.

Qui aliter, quam præſente parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt; eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.

S E C T I O D C C X X X.

CAPUT XIII. PER VENERABILEM, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, ſcripta Villelmo Comiti Montis Peſulani, intra Narbonenſem Provinciam in Gallia.*

In hac Decretali, quam ob ejuſdem prolixitatem tranſcribere omitto, declaratur, Romano Pontifici dumtaxat competere facultatem legitimandi illegitimos quoad ſpiritualia, & temporalia in terris Eccleſiæ; in terris vero alienis quoad ſpiritualia tantum directe, quoad temporalia autem indirecte, certis inſpectis cauſis.
Ex ſpeciali conceſſione Sedis Apoſtolicæ facultas legitimandi illegitimos quoad ſpiritualia, & temporalia competit ſpeciatim Comitibus Palatinis, & Protonotariis Apoſtolicis, limitato tamen modo; quod nimirum legitimatio non fiat in præjudicium vocatorum ex fideicommiſſo, aut teſtamento, vel quavis alia valida diſpoſitione, & hujuſmodi exorbitans privilegium, quo fruebantur Comites Palatini, aliique privilegiati, ſublatum fuit a Pio IV. Conſtit. *Quamvis*, *1. Januarii 1562.* §. *V.* ibi.

Decernentes, Comites Palatinos, & alios quoſcumque legitimandi facultatem habentes, ut præfertur, nullas in præjudicium fideicommiſſorum, & voluntatum teſtatorum hujuſmodi legitimationes in poſterum facere poſſe, & aliter factas, & forſan faciendas juxta diſpoſitionem, & declarationem noſtram hujuſmodi reſtringi, & limitari.

Iiſdem clauſulis in Conſt. Sixti V. *Laudabilis*, *5. Feb. 1586.* reſtrictum legitur privilegium legitimandi, conceſſum duodecim Protonotariis Apoſtolicis (quorum Collegium ad hunc numerum ex ſeptem, ut prius conſtabat, ampliatum fuit ab eodem Sixto, Conſt. *Romanus Pontif. 16. Novem. 1585.* §. *V.* ibi.

Cum ſpuriis, baſtardis, manſeribus, inceſtuoſis, & aliis, ex quovis illicito, & damnato coitu procreatis, ut in parentum & aliorum bonis, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, ſine tamen præjudicio venientium ab inteſtato, aut ex fideicommiſſo, vel alia de jure valida diſpoſitione, & citra bona emphyteutica & feudalia eccleſiaſtica, aut ex fructibus, aliiſque rebus eccleſiaſticis confecta, vel per Eccleſiam acquiſita, necnon derogationem Conſtitutionis felicis recordationis Pii Papæ V. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri in illegitimos emanatæ, ſuccedere, & quoſcumque actus legitimos exercere, & ad quoſvis honores, dignitates, & officia publica, vel privata aſſumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, ac ſi de legitimo matrimonio procreati eſſent, libere & licite valeant diſpenſandi.

Digitized by Google

SECTIO DCCXXXI.

Caput III. Videtur, *ex Decretali Cæleſtini II. (non III. juxta hic notata ab Antonio Auguſtino) Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Florentino reſcripta.*

Videtur nobis (& infra.) Quod parentes, fratres, & cognati utriuſque ſexus, in teſtificatione ſuorum ad matrimonium conjungendum, vel dirimendum admittantur, tam antiqua conſuetudine, quam legibus approbatur. Ideo enim maxime parentes, & ſi defuerint parentes, proximiores admittuntur, quoniam unuſquiſque ſuam genealogiam, cum teſtibus, & chartis, tum etiam ex recitatione majorum ſcire laborat. Qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius ſciunt, & quorum eſt intereſſe, ita ut, ſi non interfuerint, & conſenſum non adhibuerint, ſecundum leges nullum fiat matrimonium. Quod vero legitur, pater non recipiatur in cauſa filii, nec filius in cauſa patris, in criminalibus cauſis, & contractibus verum eſt: in matrimonin vero conjungendo, & disjungendo, ex ipſius conjugii prærogativa, & quia favorabilis res eſt, congrue admittuntur.

In hac Decretali videtur Pontifex, tacite approbare ſanctionem juris civilis, quod in *L. II. Si filius, ff. de ritu Nupt.* nulla declarat matrimonia filiorumfamilias, inita ſine conſenſu parentum cum aſſerat = Quorum (ideſt parentum) eſt intereſſe, itaut, ſi non interfuerint, & conſenſum non adhibuerint ſecundum leges, nullum fiat matrimonium = Verum hic Cæleſtinus enunciative, ſeu narrative dumtaxat, non diſpoſitive loquitur, ut legenti patet. Sed circa hoc vide jam notata ad *caput I. Tua nos, titulo II. de Deſponſat. impuber.* Sect. DCLXVI.

SECTIO DCCXXXII.

Caput IV. Insuper, *ex Decretali Cæleſtini III. ut legitur in pluribus Codicibus.*

Inſuper adjeciſti, quod aliquis, cum quadam innubili puella contraxit, quæ tandem ætatis metas attingens, ab illo pluries cognita, contra matrimonium proclamavit, aſſerens, ſe ſemper ab initio diſſenſiſſe, quod per teſtes probat, fama & converſatione præclaros. In hoc itaque caſu ſentimus, quod adverſus matrimonium audiri non debet quæ ante cognitionem ſui, legitimum annum attingens, cum potuit, minime reclamavit: ſicut enim ante legitimum conſenſum (qui in duodecimo anno ſpectatur) potuit diſſentire, ſic poſtquam, legitimo tempore accedente, ſemel etiam copulæ carnali conſenſit, ex ratihabitione, ſibi ſuper hoc ſilentium non ambigitur indixiſſe.

Ex hac Decretali infertur, ſponſalia de futuro per copulam ſubſequentem tranſire in matrimonium; verum hodie hoc nullum eſt, ſi non ſit contractum coram Parocho, & teſtibus juxta jam notata ſupra ad *tit. III. de Clandeſt. deſponſat.*

Titulus XIX. De Divortiis.

SECTIO DCCXXXIII.

Caput I. Si qua mulier, *ex Decretali, deſumpta a Can. V. Concilii apud Vermeriam, habiti tempore Pipini Regis an. 752.*

Si qua mulier in mortem mariti ſui cum aliis conſiliata eſt, & ipſe aliquem illorum ſe defendendo occiderit, poteſt ipſe poſt mortem uxoris, ſi voluerit, aliam ducere; ipſa autem inſidiatrix pœnitentiæ abſque ſpe conjugii ſtet ſubjecta.

In

In hac Decretali nihil ſtatuitur de divortio ob ſævitiam , & capitale odium uxoris contra maritum, ſed tantum declaratur , contrahi perpetuum impedimentum impediens matrimonium contrahendum eum alio quocunque ab uxore machinante in mortem mariti , etiam poſt illius mortem , ſicuti ex paritate rationis contraheretur a marito , ſi machinatus eſſet in mortem uxoris .

Verum hoc impedimentum ſublatum eſt a contraria conſuetudine , ut notabo infra Sect.

Cum vero in cit. Can. V. Concil. Vermerienſis legatur ,prout etiam legitur in hac integra Decretali, relata a Gonzalez = *Etſi probare poteſt ipſe vir eam , (uxorem) ream eſſe conſilii , poteſt , ut nobis videtur , ipſam uxorem dimittere , & ſi voluerit , aliam ducere* = ne Tyrones in ſtudio juris pontificii decipiantur , inferendo ex allatis verbis , conſulto omiſſis a S. Raymundo in collectione Decretalium Gregor. IX. matrimonium diſſolvi poſſe ob hanc cauſam , etiam quoad vinculum , eos monitos velim cum Berardo ad Gratiani Canones *tom. I. part. I. cap. XLII. de Concilio Vermerienſi* , hunc eſſe intellectum dicti Canonis quod „ Tum demum poſt mortem uxoris maritus di„ mittens aliam ſuperducere poſſit ; etenim Verme„ rienſis Concilii Patres diſcrimen conſtituerunt inter „ uxorem , quæ vitæ mariti fuerat inſidiata , a mari„ to dimiſſam , & virum , qui inſidias ab uxore , aut „ ab adultero paſſus fuerat , dimittentem , ut , que„ madmodum uxori indixerunt , ut in perpetua ma„ neret pœnitentia , nec etiam poſt mariti obitum al„ teri cuicumque jungeretur , ita e converſo marito „ hoc onus minime imponerent , licet maritus ipſe „ adulterum ſe defendendo interfecerit , qui propte„ rea non perpetuæ pœnitentiæ addicendus judicatur , „ ſed ipſi nova poſt mortem prioris cum alia conjugia „ celebrare permittitur .

Quod autem neque ex hoc, neque ex alio quocumque crimine , matrimonium diſſolvi poſſit quoad vinculum , palam facit ſequens reſponſum Alexandri III. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem , ut colligit Gonzalez , relatum in *caput II. Quæſivit , hoc eod. tit.*

Quæſivit a nobis &c. Nos itaque taliter reſpondemus , quod mulier pro furto , vel alio crimine viri ſui (niſi fidei ſuæ religionem corrumpere velit) ab eo ſeparari non debet . Verum ſi conjugem ſuam ad infidelitatis maleficium traxerit , a viro poterit ſeparari , ita quod ei nubere alii non licebit , quia , licet ſeparentur , ſemper tamen conjuges erunt . In viris quoque præſentis ſententiæ forma ſervetur .

Quæ doctrina adeo vera , adeoque conſtans ſemper fuit in Eccleſia Catholica , ut Tridentini Patres *Can. V. & VII. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* anathematizaverit contrarium ſentientes , ibi .

Si quis dixerit , propter hæreſim , aut moleſtam cohabitationem , aut affectatam abſentiam a conjuge , diſſolvi poſſe matrimonii vinculum ; anathema ſit . Si quis dixerit Eccleſiam errare , cum docuit , & docet , juxta Evangelicam , & Apoſtolicam doctrinam , propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi , & utrumque , vel etiam innocentem , qui cauſam adulterio non dedit , non poſſe , altero conjuge vivente , aliud matrimonium contrahere ; mœcharique eum , qui , dimiſſa adultera , aliam duxerit , & eam , quæ , dimiſſo adultero , alii nupſerit , anathema ſit .

SECTIO DCCXXXIV.

Caput IV. Significasti , *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Trecenſi reſcripta .*

Significaſti , quod quidam , uxore ſua ſine Judicio Eccleſiæ dimiſſa , pro eo , quod ſuggeſtum ſibi fuerat , ipſam inceſtum cum quodam conſanguineo ſuo commiſiſſe , vinculo fuit propter hoc excommunicationis adſtrictus ; verum mulier non continuit , ſed ſobolem de alio viro ſuſcepit : nec minus poſtulat viro reſtitui , aſſerens , ſe ab iſto injuſte dimiſſam , & eundem ſibi materiam adulterandi dediſſe . Conſult. tuæ taliter reſpond. quod ſi notorium eſt, mulierem ipſam adulterium commiſiſſe , ad eandem recipiendam præfatus vir cogi non debet , niſi conſtaret , ipſum cum alia adulterium commiſiſſe .

Huic Decretali acceſſit Conſtitutio Sixti V. *Ad compeſcendum* , cujus textum leges infra *ad cap. II. Pervenit , de Adulteriis* , Sect. DCCCXXXII. in qua ſtatuit , divortium quoad habitationem fieri non poſſe ſine judicio Eccleſiæ , ideſt ſine judicis eccleſiaſtici ſententia .

Hujuſmodi divortium , ſine Judicis ſententia fieri quidem non poteſt, quoties agitur de divortio perpetuo fieri tamen privata auctoritate poſſe crederem ad tempus , ob grave aliquod periculum animæ , vel corporis imminens , quod aliter declinari nequiret : vel etiam ad inſpiciendum , an pars adultera det ſigna emendationis ; dummodo tamen ſeparatio fiat abſque ſcandalo , & prævio conſilio confeſſarii , aut alterius viri prudentis .

SE-

SECTIO DCCXXXV.

Caput VII. Quanto, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Ferrarienſi, reſcripta:*

QUanto te novimus in canonico jure peritum &c. Sane tua Fr. intimavit, quod altero conjugum ad hæresim tranſeunte, qui relinquitur, ad ſecunda vota desiderat convolare; quod utrum poſſit fieri, per tuas nos duxiſti literas conſulendos. Nos igitur conſult. t. reſpondentes, diſtinguimus, licet quidam Prædeceſſor noſter ſensiſſe aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem; ſi enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit: & in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus; ſi infidelis diſcedit, diſcedat: frater enim, vel ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi. Et Canonem etiam, in quo dicitur: contumelia Creatoris ſolvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur. Si vero alter fidelium conjugum, vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc caſu is, qui relinquitur, vivente altero, poſſit ad ſecundas nuptias convolare, licet in hoc caſu major appareat contumelia creatoris. Nam etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum; inter Fideles autem verum, & ratum exiſtit; quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipſum in conjugibus illo durante perduret: nec obſtat, quod a quibuſdam forſan objicitur, quod fidelis relictus non debeat jure ſuo ſine culpa privari: cum in multis caſibus hoc contingat, ut ſi alter conjugum incidatur. Per hanc reſponſionem quorundam malitiæ obviatur, qui in odium conjugum, vel quando ſibi invicem diſplicerent, ſi eas poſſent in tali caſu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipſa (nubentibus conjugibus) resilirent. Per hanc ipſam reſponsionem illa ſolvitur quæſtio, qua quæritur, utrum ad eum, qui ab hæresi, vel infidelitate revertitur, is, qui permansit in fide, redire cogatur.

In §. *Si vero* hujus Decretalis aſſerit Pontifex, ſe credere non diſſolvi matrimonium quoad vinculum, ſi alter conjugum labatur in hæreſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem; quod tamen hodie de fide declaratum eſt a Tridentino contra Hæreticos noſtri temporis *Can. X.* ſuperiori Sectione tranſcripto: & quidem ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ a contrarium ſentientibus.

Quod autem §. *Nos igitur*, aſſerat, aliter cuidam ſuo Prædeceſſori viſum fuiſſe (quam criminationem, quæ objici ſolet ab Hæreticis, Gloſſa falſo hic imputat Cæleſtino III. quod ita definiverit in Decretali, contenta in altera relata in *cap. I. Laudabilem*, *de converſ. Infidelium*, cum nullum de hac re ibi verbum legatur = fuit ergo (ita hic criminationem diluit WagnereK cum Azorio) alia Decretalis, quam olim corpori Juris fuiſſe inſertam teſtatur Hoſtienſis in dicto tit. Deinde reſpondetur Cæleſtinum nihil unquam hac de re definiviſſe, ſed ſolum antequam res examinaretur, inclinaſſe in illam ſententiam; unde Innocentius non dicit „ Prædeceſſorem ſuum aliter „ definiviſſe, ſed ſolum videri aliter ſenſiſſe, qualia „ plura habentur in corpore juris, ubi Pontifices non „ definiunt, ſed ſententiam ſuam ſubinde referunt de „ re aliqua non bene diſcuſſa, & necdum a ſe, vel „ aliis Pontificibus definita, ut tradit Azorius *par. II.* „ *lib. V. cap. IV. q. III.* Simile exemplum habemus in „ *cap. Licet*, *de Sponſa duorum* “.

SECTIO DCCXXXVI.

Caput VIII. Gaudemus, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Epiſcopo Tiberiadenſi reſcripta.*

Summa hujus Decretalis, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, hæc eſt.

I. Conſultus Pontifex, utrum Pagani in ſecundo, vel tertio, vel ulteriore gradu copulati, poſt converſionem debeant ſeparari, reſpondet = Cum Sacramentum conjugii apud fideles, & infideles exiſtat, quemadmodum oſtendit Apoſtolus 1. *Cor.* 7. & Pagani Conſtitutionibus canonicis non arctentur = in favorem religionis, & fidei ſic copulati libere, & licite remanent conjuncti.

II. Conſultus, utrum Pagani, habentes plures uxores, omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant; reſpondet = nulli unquam licuiſſe inſimul plures uxores habere, niſi cum fuerit divina revelatione con-

Digitized by Google

conceſſum, ut Patriarchis = quod probat ex utroque teſtamento.

III. Qui autem ſecundum ritum ſuum (Judæos intellige) repudians uxorem = cum tale repudium Chriſtus in Evangelio reprobavit *Mat. 19. Luc. 10.* converſus ea utens, non poteſt alteri nubere, niſi poſt converſionem illa renunciet habitare cum ipſo; aut certe non ſine contumelia Creatoris, vel perverſionis periculo; quibus caſibus reſtitutionem petenti, etiam injuſte ſpoliato, reſtitutio negatur.

IV. Si converſum ad fidem, & illa converſa ſequatur, antequam propter prædictas cauſas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellitur.

V. Quamvis denique propter Evangelicam veritatem, qui duxerit dimiſſam, mœchatur, non tamen dimiſſor poterit objicere fornicationem dimiſſæ, pro eo, quod nupſerit alii poſt repudium, niſi alias fuerit fornicata.

Catholica doctrina, quam hic Pontifex exponit de prohibita uxorum pluralitate, hodie confirmata, & de fide declarata eſt a Tridentino *can. II. ſeſſ. XXIV. de reform matrim.* addendo excomunicationem ipſo facto incurrendam a contrarium ſentientibus, ibi.

Si quis dixerit, licere Chiſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.

Titulus XX. De Donationibus inter virum, & uxorem, & de Dote poſt divortium reſtituenda.

S E C T I O   D C C X X X V I I.

CAPUT I. MULIERES, *ex Decretali, deſumpta a Concilio Vormatienſi, celebrato tempore Adriani II. & Ludovici II. Imperatoris anno 868. apud Vvormatiam intra Palatinatum Rheni, ſub Archiepiſcopatu Moguntino. Tribuitur tamen huic Concilio cum in nullo ex ejus Canonibus reperiatur.*

MUlieres, cum pro aliqua licita cauſa a propriis viris fuerint ſeparatæ, totam dotem præcipimus ſibi reddi.

Cum in hoc textu generaliter præcipiatur reſtitutio dotis poſt divortium ex aliqua licita cauſa ſecutum, non diſtinguendo, an divortio cauſam dederit maritus, vel uxor, explicatus eſt a Cœleſtino III. ſtatuente, ut ſi divortium ſecutum fuerit ob adulterium uxoris, non obſtringatur maritus ad dotis reſtitutionem, ut ex ejus Decretali relata *cap. IV. Plerumque, hoc cod. tit.* ibi.

Plerumque &c. ſi mulier ob cauſam fornicationis judicio Eccleſiæ, aut propria voluntate a viro receſſerit, nec reconciliata poſtea ſit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non valebit.

Hic Tyrones in ſtudio Juris pontificii monitos velim, ne, ſi forte legerent hunc integrum textum *Mulieres* apud Gonzalez, in quo poſt verba *ſibi reddi* legitur, & hæc alia (conſulto omiſſa a Sancto Raymundo) = *& poſt expletum annum accipiant alios viros, ſi voluerint, ſimiliter, & vir uxorem* = decipiantur, putantes, matrimonium diſſolvi poſſe etiam quoad vinculum ob quamcumque licitam cauſam divortii, cum juxta catholicam doctrinam antecedenti Sectione traditam, intelligenda ſint, diſſolvi dumtaxat quoad vinculum, quando declaratum fuerit invalidum fuiſſe ab initio.

Quod autem in dictis poſterioribus verbis permittat textus tranſitum ad ſecunda vota poſt annum, relationem habet ad diſpoſitionem legis cæſareæ, relatæ *in L. Si conſtante, C. de repud.* id prohibentis ob incertitudinem prolis, quæ cæteroquin ratio, licet non procedat in viro, mirum eſt, quod Patres Conc. hic æquales fecerint conjuges in contrahendo ſecundo matrimonio.

Prohibebatur etiam viduæ hujuſmodi tranſitus ante annum *a L. I. & II. C. de ſecundis Nupt.* ſub variis pœnis, & potiſſimum infamiæ, ſed iis derogatum eſt ut oſtendam infra Sectione DCCXL.

Titulus XXI. De Secundis Nuptiis.

S E C T I O   D C C X X X V I I I.

CAPUT I. CAPELLANUM, *ex Decretali Alexandri III.*

CApellanum (quem benedictionem cum ſecunda conſtiterit celebraſſe) ab officio beneficioque ſuſpenſum, cum literarum tuarum teſtimonio, ad Sedem Apoſtolicam nullatenus deſtinare poſtponas.

Duo

Duo in hac Decretali ſtatuuntur, I. Quod ſi Capellanus (ideſt parochus, cui ex officio juxta Tridentinum *cap. I. ſeſſ. XXIV. de reform. matr.* privative competit matrimonio intereſſe, & benedictionem nuptialem conjugibus impartiri) benedixerit ſecundo nubentibus, ſuſpenſionem ab officio, & beneficio incurrat. II. Quod pro obtinenda abſolutione ab hujuſmodi ſuſpenſione, poſtquam promulgata fuerit ab Ordinario, mittendus ſit ad Sedem Apoſtolicam.

Sed juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam ex communi Doctorum ſententia, quos refert *Theſaurus de pœn. eccleſiaſt. cap. II. verb. Matrimonium*, eſt in arbitrio Epiſcopi eum punire, vel ſuſpenſionis pœna, vel alia: per conſequens ſublata eſt pariter miſſio ad Sedem Apoſtolicam, cum abſolutio non ſit amplius Papæ reſervata: idque nedum ex recepta praxi, ſed etiam ex Extravaganti Joannis XXIII. quæ licet in nulla Decretalium collectione reperiatur, refertur tamen a Covarruvia *part. II. cap. VIII. §. II. num.* 2. quem ſecuntur Canoniſtæ omnes.

Hujuſmodi benedictio prohibetur etiam ab Urbano III. nulla tamen adjecta pœna, per hæc verba, ut ex ejus Deceetali, relata in *cap. III. hoc eodem tit.*

Vir autem, vel mulier ad an bigamiam trosiens, non debet a presbytero benedici, quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.

Quæ Decretalis, utpote poſterior illa Alexandri, nullam tantum prohibitionem præſeferens, cauſam fortaſſe dedit, ut pœna in contrafacientem infligenda remitteretur arbitrio Epiſcopi.

Quamvis autem de rigore utriuſque Decretalis, inſpecto generali loquendi modo, hæc benedictio interdicta intelligatur tam ſi uterque, quam ſi alter ex conjugibus, ſive fœmina, ſive vir, ad ſecundas nuptias tranſeat; hodie tamen ex generali conſuetudine, fere ubique recepta, dari poteſt, ſi unus tantum dict. primo nubens. Quæ quidem praxis conformis eſt Rituali Romano, juſſu Pauli V. edito: verum cum limitatione, ut in ſequent. §. *Rubricæ de Sacramen. matrim.* ibi.

Caveat etiam parochus, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in ſecundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad ſecundas nuptias tranſeat. Sed ubi ea viget conſuetudo, ut si mulier nemini unquam nupſerit, etiam si vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea ſervanda eſt. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir numquam uxorem duxerit.

SECTIO DCCXXXIX.

Caput II. Dominus, *ex Decretali Lucii III. univerſis Chriſtianis in Saracenorum captivitate poſitis ſcripta.*

Dominus, ac Redemptor noſter &c. Sane ſuper matrimoniis, quæ quidam ex vobis (nondum habita obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt: id vobis reſpondemus, ut nullus amodo ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus. Si vero aliquis, vel aliqua id hactenus non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget poſtulanti: quod a ſe tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si poſt hoc de prioris conjugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur.

Qualis, & quanta eſſe debeat certitudo de morte prioris conjugis in hac Decretali præſcripta, ut conjux ſuperſtes tranſire poſſit ad ſecunda vota, jam notavi ſupra ad *caput XIX. In præſentia, de Sponſalibus.*

SECTIO DCCXL.

Caput IV. Super illa, *ex Decretali Urbani III. Epiſcopo Exonienſi, ſeu potius Brixienſi reſcripta.*

Super illa quæſtione, qua quæſitum eſt, an mulier poſſit ſine infamia nubere intra tempus luctus, ſecundum leges definitum; reſpondemus, quod cum Apoſtolus dicat: Mulier, viro ſuo mortuo, ſoluta eſt a lege viri ſui; in Domino nubat, cui voluerit; per licentiam, & auctoritatem Apoſtoli ejus infamia aboletur.

SE-

SECTIO DCCXLI.

Caput V. Cum secundum, *ex Decretali Innocentii III. B, nobili mulieri reſcripta.*

CUM ſecundum Apoſtolum mulier, mortuo viro ſuo, ab ejus ſit lege ſoluta, & nubendi, cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem; non debet legalis infamiæ ſuſtinere jacturam, quæ licet poſt viri obitum intra tempus luctus (ſcilicet unius anni ſpatium) nubat, conceſſa ſibi tamen ab Apoſtolo utitur poteſtate, cum in his præſertim ſeculares leges non dedignentur ſacros Canones imitari.

In utraque hac Decretali declaratur, mulierem, ſecundo nubentem intra annum luctus, non mereri infamiæ notam a civilibus legibus inflictam, *L. ſcilicet I. & II. §. I. ff. De his, qui notantur infamia, & L. I. & II. C. de ſecund. Nupt.* tam in ipſam, quam in maritum, qui eam ducebat, ac in patrem, qui illam nuptui collocabat, atque etiam in patrem mariti, cum poſſet filium prohibere.

An autem una cum infamia hodie ſublatæ ſint etiam aliæ pœnæ, ab iiſdem legibus contra viduas intra dictum annum nubentes decretæ, affirmativam ſententiam amplectitur Van Eſpen *part. II. tit. XV. cap. III. num.* 12. ibi „Nec tantum pœna infamiæ, ſed „ eadem ratione aliæ pœnæ contra viduas intra an- „ num luctus nubentes legibus civilibus decretæ, ho- „ die omnino ſunt ſublatæ, & ita judicatum refert „ Antonius Faber *ad Codicem lib. V. tit. V. definit. I. & ibidem Nota V. infertur*. Itaque non eſt dete- „ rior conditio viduæ intra annum, quam poſt annum „ nubentis. Id ipſum notavit Gudelinus *lib. I. de Ju- „ re noviſſimo cap. XII.* ubi etiam ex Julio Claro mo- „ net, quod ſi mulier non quidem intra annum luctus „ nubat, ſed luxurioſe vivat, & ex ſtupro pariat, „ eam hanc infamiam, & alias pœnas a legibus decre- „ tas non evadere. Inſuper ſi quæ pœnæ in odium ſe- „ cundarum nuptiarum per leges decretæ fuerunt, ho- „ die ſublatæ ſunt: at ea, quæ tam in pœnam iteran- „ tium nuptias in favorem liberorum primi matrimo- „ nii, aliave conſideratione ſtatuta ſunt, etiamnum „ in uſu ſunt, ut obſervat Gudelinus *loc. cit.* & Zy- „ pæus, in *notitia juris Belgici, tit. de ſecund. nupt.* „ non enim (ait) = mens D. Pauli fuit aliquid cor- „ rumpere ex publicis legibus, jura parentum, & „ liberorum juſte moderantibus “.

Cæterum a muliere ita feſtinanter ſecundo nubente non contemnenda eſt præcipua ratio, ob quam citata Lex II. eidem prohibuit tranſitum ad ſecunda vota, ut ſcilicet evitaretur ſanguinis turbatio, & ne frequenter incertum fieret quis natæ prolis pater eſſet, an primus, an ſecundus maritus. Nec itidem contemnenda hæc altera, quod ſi mox a morte mariti alteri nuberet, non levem ſuſpicionem ingereret perpetrati adulterii, viro adhuc vivente, vel ſaltem jam pridem cogitaſſe de ſecundis nuptiis, cui nubere feſtinat.

Sublatæ etiam ſunt pœnitentiæ, quæ imponi ſolebant biganis, ſeu nuptias iterantibus, ut ex *Can. III. Synodi Neocæſarienſis*, relato a Gratiano *Can. VIII. De his, cauſ. XXXI. q. I.* de quibus meminit etiam Baronius ad annum 314. num. 91. = *Non quod ſecundum matrimonium contrahendo peccent* (inquit) *ſed quod ſuam ipſius incontinentiam manifeſtent, & bigamiam, quæ in humanæ imbecillitatis remedium inſtituta eſt, licentius uſurpent* =.

APPENDIX I.

AD HUNC LIRBUM IV. DECRETALIUM

In qua tamquam in corollario referuntur capita, in hoc eodem libro ſparſim ſancita, ob quæ nulla ſunt ſponſalia, nullumque matrimonium,

ET QUOAD SPONSALIA, NULLA SUNT.

I. SI Sponſalia inita ſint ante ſeptennium, dummodo rationis uſus non præveniat, & malitia non ſuppleat ætatem, in quo caſu valida erunt *cap. 3. Puberes, cap. 9. de illis, cap. 8. A nobis, & cap. 14. Tuæ de Deſponſat. impuberum*.

II. Si inita ſint cum coactione, auferente libertatem; cum hæc requiratur ad ſubſtantiam actus humani moralis.

III. Si inita ſint ficte, ſine animo ſcilicet ſe obligandi, ex cujus defectu nulla oritur in conſcientia obligatio fidelitatis: quod etiam locum habet, ſi ſecuta fuerit defloratio puellæ ſub ficta promiſſione matrimonii *cap. 26. Tua nos*, non tamen in foro externo, in quo verba cenſentur conformia menti, niſi probetur fictio. In foro vero conſcientiæ tenebitur dumtaxat reparare damna illata parti læſæ. Si vero deflorator aliter hæc reparare non poſſit, niſi ei nubendo, tunc tenetur eam ducere, cum injuſtus damnificator teneatur reſarcire eo modo, quo poteſt.

IV. Si inita ſint ſine conſenſu reciproco *L. 1. §. 2. & 3. ff. de Sponſal.* Nec taciturnitas fœminæ, dum vir ei matrimonium promittit, eſt ſignum ſufficiens ſponſalium, cum in re, obligationem inducente, tacens non habeatur pro conſentiente, licet interne conſentiret, quia conſenſus in mente retentus nihil operatur in contractibus humanis.

V. Si, non diſſolutis primis, vel ex mutuo conſenſu, vel ex canonica cauſa, ab Ordinario approbanda, ineantur ſecunda *L. 1. ff. De his, qui notantur infamia*.

VI. Si ineantur ſecunda ante tranſactum tempus ab Ordinario præfigendum, ſi ſponſus, vel ſponſa poſt prima inita alio abierit, non animo mutandi domicilium, ſed ob aliquam juſtam cauſam, cum tunc non cenſeatur mutare terram. *L. Clam poſſidere §. Qui ad nundinas ff. De acquirend. vel amittend. poſſeſs.* Lege quidem civili expectandus erat abſens biennio, ſi degeret intra provinciam *L. 2. C. de Sponſal.* triennio vero, ſi extra, *L. 2. C. de Repud.* Imo etiam longiori tempore, ſi abſentiæ cauſa eſſet neceſſaria, ut valetudo, mors parentum &c. *L. penult. C. de Sponſal.* Qui tamen juris rigor temperatus eſt ab Alexandro III. qui reſpondens Archiepiſcopo Panormitano, abſolute declaravit liberum eſſe ſponſo, vel ſponſæ reſpective *ad alia vota ſe transferre*, ut ex ejus Decretali, relata in *cap. 5. De illis, tit. de Sponſalib. & matrim.* Verum id eis ita liberum erit, ſi tranſactum fuerit tempus ad expectandum, ab Ordinario præfixum, ut cum communi DD. ſentit Benedictus XIV. *Inſtit. Eccleſiaſt. XLVI num. 4. 5. & 6.* ex declaratione Cong. Conc. 2. Octobr. 1723.

CAPITA, OB QUÆ NULLUM EST MATRIMONIUM.

I. Ex defectu ætatis legalis, a jure canonico ſcilicet præſcriptæ, quæ in maſculis debet eſſe XIV. in fœminis autem XII. annorum completorum *cap. 3. Puberes, cap. 11. Ex literis, cap. 10. Atteſtationes, & cap. 19. Tuæ de Deſponſat. impuberum*: dummodo adſit plenus rationis uſus, & malitia non ſuppleat hanc legalem ætatem, in quo caſu, cum puberes poſſint copula carnali conjungi, matrimonium erit validum, *cap. 5. De illis, cap. 3. Puberes, cap. 1. Tuæ de Deſponſat. impuberum*, ac ex declaratione Congregat. Conc. in *Jannen: apud Fagnan. ad cap. De illis eod. tit.*

An autem malitia vere ſuppleat ætatem, intercedere ſemper debet judicium Ordinarii, vel Sedis Apoſtolicæ, ſi agatur de matrimonio contrahendo, ut declaravit Benedictus XIV. in Epiſtola ad Poloniæ Primatem *Magna nobis*, 29. *Junii* 1748.

II. Ex defectu conſenſus per vim, & gravem metum cadentem in conſtantem virum, a quocunque injuſte incuſſum, *cap. 2. Abbas, cap. 4. Ad audientiam, & cap. VI. Cum dilectus, de iis, quæ vi metuſve cauſa fiunt, ac cap. 14. Cum locum, cap. 13. Veniens, & cap. 38. Conſultationi, de Sponſalib.* qui ut talis dicatur, hæc quatuor ſimul requiruntur. I. Ut malum, quod timetur inferendum, ſit grave. II. Ut prudenter timeatur. III. Ut illum incutiens, minas exequi poſſit. IV. Ut huic a metuente reſiſti nequeat, nec malum, quod timet, vitare poſſit.

Non tamen metus, licet gravis, invalidat matrimonium, vel ſi ab habente poteſtatem juſte incutiatur *cap. 11. Ex literis, de Sponſalib. & cap. 2. Pervenit, de Adulterio, & Stupro*, vel ſi incutiatur ad alium finem, quam ad extorquendum conſenſum: vel tandem, ſi oriatur ab intrinſeco, puta, ſi a metuente dumtaxat concipiatur, aut ob ſui animi perturbationem, aut ob cauſam aliquam naturalem.

III. Ex errore ſubſtantiali perſonæ, cum ſcilicet unus ex contrahentibus putat, ſe matrimonium inire cum Antonia, & hæc eſt Franciſca, & e converſo, *Can. 1. Quod autem cauſ. 29. quæſt. 1.* errantis enim nullus eſt conſenſus, *cap. 14. Cum locum, de Sponſalib.*

Error vero fortunæ, & qualitatis non dicitur redundare in ſubſtantiam perſonæ, puta, ſi mulier contraheret cum Titio, credens eſſe divitem, & eſt pauper: ſi quis contraheret cum muliere putans eſſe caſtam, & virginem, & eſt meretrix, vel corrupta *cit. Can. Quod autem*.

Si quis autem expreſſe contrahere nollet, niſi ſub alterutra ex his qualitatibus, vel alterius conditione, hac deficiente, deficeret etiam conſenſus, ideoque nullum eſſet matrimonium, *L. Cum ad præſens ff. De rebus credit.*

IV. Ex impotentia ad coeundum, ſeu ad perfectam conjugalem copulam habendam, ante, vel etiam poſt contractum matrimonium cognita, ſive ſit naturalis, & intrinſeca, ſive accidentalis, & extrinſeca, puta, orta ex maleficio, ſeu opera hominis; dummodo utraque ſit perpetua, tam abſoluta, quam reſpectiva *cap. 1. Accepiſti, cap. 2. Quod ſedem, cap. 3. Ex literis, de frigid. & malefic.* & Conſtit. Sixti V. *Cum frequenter* 27. *Junii* 1587.

Quod, ſi dicta impotentia matrimonium præceſſerit, & dubitetur, an perpetua ſit, vel temporalis, indulgetur conjugibus a Cæleſtino III. triennalis cohabitatio a tempore attentatæ copulæ ad experiendum, an haberi poſſit copula perfecta, *cap. 5. Laudabilem, cit. tit. De frigid.* & Gloſſ. hic, vel juxta praxim a die decreti a judice eccleſ. interpoſiti.

V. Ex ligamine, tam jure divino, quam eccleſiaſtico, quando ſcilicet adhuc conſtante primo matrimonio valido, attentatur ſecundum *1. ad Cor. cap. 7. verſ. 39. Trident. Can. 2. ſeſſ. XXIV. de Sacram. matrim. cap. 8. Gaudemus, De divortiis*.

VI. Ex cognatione naturali, ſpirituali, & legali.

Ex naturali quidem, quæ conſanguinitas dicitur, oritur impedimentum dirimens in infinitum, ſi eſt in linea recta aſcendentium, & deſcendentium, ex Nicolao I. *cap. 37. ad Conſulta Bulgarorum*. In linea vero tranſverſali, ſeu collaterali, quæ olim uſque ad ſeptimum gradum incluſive matrimonium dirimebat, hodie illud dirimit uſque ad quartum dumtaxat incluſive, *cap. 8. Non debet, de conſanguinit. & affinit.*

Ex ſpirituali cognatione, quæ ſolum contrahitur a baptizante, & confirmante, ac ſuſcipiente, ſeu tenente baptizatum, & confirmatum, oritur idem impedimentum, *cap. 3. Quamvis, de cognat. ſpirit. in VI. & cap. 2. Trident. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* Contrahitur itaque a baptizato, & confirmato cum baptizante, & confirmante, ac cum patrino, vel matrina, & dicitur paternitas, & filiatio ſpiritualis, atque a patrino, vel matrina cum patre, & matre baptizati, & confirmati, vel confirmati, & baptizati cum confirmante, & baptizante, vocaturque compaternitas, & commaternitas.

Notandum tamen eſt, quod tenens confirmandum, ſi ipſe non ſit confirmatus, nullam contrahit cognationem, ut declaravit Cong. Conc. *in Licien. 13. Julii 1654. lib. 19. Decretor. ejuſdem Cong. pag. 358.* prout retuli Sect. DCCX. pag. 524.

Ex cognatione etiam legali oritur prædictum impedi-

pedimentum dirimens, *L. Adeptiuns ff. De ritu nupt. & §. 1. & 2. Inſtit. de nupc. Can. 1. Ita diligere , & Can. 6. Per adoptionem (Palea) cauſ.30. quaſt. 3. cap. 1. Signa , de Cognat. legali* , quæ contrahitur in linea recta inter adoptantem, tanquam legalem patrem & adoptatum, tanquam filium , ejuſque deſcendentes uſque ad quartum gradum incluſive , & dicitur paternitas , quæ matrimonium dirimit , licet per emancipationem ſoluta fuerit adoptio *cit. Can. 1. Ita diligere , & L. Quin etiam , de ritu nuptiar.* ſive adoptio ſit perfecta , quæ adrogatio vocatur , ſive imperfecta ut notavi Sectione DCCXIII. §. *Nota 1. pag. 526.*

Itidem oritur in linea collaterali inter filios naturales legitimos adoptantis , & adoptatos tanquam inter fratres , & ſorores legales , *cit. cap. Signa , & L. Qui in adoptionem ff. de optionibus* , & dicitur fraternitas , quæ expirat , expirante adoptione , *cit. cap 1. Si qua* .

Oritur inſuper inter adoptantem , & uxorem adoptati , ac inter hunc , & uxorem adoptantis , & dicitur affinitas legalis , quæ durat etiam ſoluta adoptione , *L. Adoptivne , ff. de rita nuptiar.*

VII. Ex affinitate , quæ oritur ex carnali copula , perfecta tamen , ideſt cum effuſione ſeminis intra vas naturale , tam licita , nempe conjugali , quam illicita , unius cum alterius conſanguineo , vel conſanguinea , etiam invita , ebria , aut dormiente *Can. 11. Extraordinaria pollutio , cauſ. 35. quaſt. 2. & 3. & Can. 1. Fraternitatis , ead. cauſ. quæſt. 10.* Quæ affinitas oritur inter conſanguineos fœminæ perfecte carnaliter cognitæ , & virum cognoſcentem , & inter hujus conſanguineos , & fœminam cognitam . Quæ ſi orta ſit ex copula conjugali , dirimit matrimonium uſque ad quartum gradum incluſive], *cap. 8. Non debet , de conſanguinit. & affinit.* ſi vero ex illicita , uſque ad ſecundum tantum pariter incluſive *Trident. cap.4. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* S.Pius V. Conſtit. *Ad Romanum* , 18. *Novemb.* 1566.

Eſt hic notandum , quod olim affinitas pariebat affinitatem , non autem hodie , *cit. cap. Non debet* . Unde valide contrahitur matrimonium a duobus unius familiæ fratribus cum duabus alterius familiæ ſororibus , a patre , & filio unius familiæ cum matre , & filia alterius familiæ .

VIII. Ex juſtitia publicæ honeſtatis , quæ oritur ex ſponſalibus validis de futuro , *cap. 3. Juvenis , cap.4. Ad audientiam , cap.8. Sponſam , de Sponſalib. & matrim. & cap. unico , Ex ſponſalibus , eod. tit. in VI.* Quæ dirimit matrimonium , non ut olim uſque ad quartum gradum , quacumque ratione invalida fuiſſent, excepto defectu conſenſus, *cit. cap. Ex ſponſalibus , & cit. cap. Sponſam* , ſed uſque ad primum tantum , ſi valida erant *Trident. cap.3. cit. ſeſs.* Quod impedimentum non aufertur , etiamſi ſponſalia valida diſſoluta fuerint mutuo conſenſu , ex declaratione Congreg. Conc. 6. Julii 1658. confirmata die 10. ejuſdem menſis , & anni ab Alex. XII. teſte Fagnan. ad *cap. Ad audientiam , de Sponſalibus num. 29.*

Oritur etiam hoc impedimentum ex quocumque matrimonio rato ; etiam invalido , dummodo invalidum non fuerit ex defectu conſenſus dirimitque matrimonium , ut olim ex *cit. cap. Ex ſponſalibus* , uſque ad quartum gradum incluſive, prout declaravit S. Pius V. Conſt. *Ad Romanam* , 1. Julii 1568.

IX. Ex ſervili conditione , quando quis ſcilicet liber nubit mulieri , quam liberam eſſe credit , cum tamen libera non ſit , ſed ancilla , *Can.4. Si quis ingenuus , cauſ.29. quaſt.2. & cap.4. Ad noſtram, de conjug. ſervor.* Valide vero contraheret, ſi ſciens, eſſe ancillam , ei libens nuberet, *Can.5. Si fœmina, cit. cauſ. & quaſt.*

Et hic notandum eſt ex mox citt. Teſtibus , quod validum eſſet matrimonium , initum inter duas perſonas ſervilis conditionis , etiam invitis dominis . Verum cum hodie rigoroſa ſervitus inter Chriſtianos in deſuetudinem abierit, ut notavi ad *tit. De conjug. Servor.* Sect.CXXX. pag.82. & Sect.DCXCIX. ac DCC. pag. 519. hoc impedimentum locum amplius non habet .

X. Ex cultus diſparitate , diverſitatis nempe Religionis , ut ſi fidelis contrahat cum infideli , ſeu non baptizato, ex ſolo jure eccleſiaſtico , tradito potius , quam ſcripto, ut communiter tenent DD. ex uſu, & praxi Eccleſiæ , prout etiam declarat Bened. XIV. Conſt. *Singulari nobis , 9. Febr.* 1749. §§. *IX. & X.*

Circa matrimonium duorum infidelium valide contractum , & conſummatum , quid agendum ſit , quando unus ex conjugibus ad chriſtianam fidem converſus baptizetur , & alter in infidelitate remaneat , adeatur Conſtit. laudati Benedicti , *Apoſtolici miniſterii 17. Kalend. Octob.* 1747.

XI. Ex voto ſolemni caſtitatis , ſolemnizatum per ſuſceptionem Ordinis ſacri , aut per profeſſionem religioſam , emiſſam in aliquo Ordine regulari , a Sede Apoſtolica approbato , *cap. 1. de Diacono , cap. 2. Ex literarum , cap.3. Meminimus, cap.7. Inſinuante , qui Clerici , vel voveat. cap. 1. Si qui clericor. de Clericis conjug. cap. unic. Quod Votum , de Voto in VI. Trident, Can. IX. ſeſſ. XXIV. de matrim,*

Et notandum , quod votum per Ordinis ſuſceptionem ſolemnizatum dirimit matrimonium contractum poſt Ordinem ſuſceptum , non autem contractum ante , licet ſit ratum dumtaxat , non conſummatum , *Extravagant. Joann. XXII. cap. unic. Antiquæ , de voto* . Votum vero ſolemnizatum per profeſſionem religioſam dirimit etiam matrimonium ante contractum, ratum tantum , non vero conſummatum *Trident. Can. 6. cit. ſeſſ.*

XII. Ex Ordine ſacro , *cap.7. Conc. Lateranen. II. celebrati ſub Innocentio II. anno 1139. & cap. 8. de Monialibus , & cit. cap. de Diacono , Ex literarum , cap. Si qui clericorum , ac cap. 6. Cum olim , de Cleric. conjug. Trident. cit. Can. IX.*

XIII. Ex crimine nullum eſt matrimonium, quod eſt quadruplex . I. Homicidium alterutrius conjugis patratum a viro, ſeu muliere ex mutua machinatione ad finem contrahendi matrimonium poſt obitum innocentis, *can. V. Si quis vivente, cauſ. 31. quaſt. 1. cap. 1. Laudabilem , de Convers. infidel.* II. Homicidium alterutrius conjugis , etiam non conventum , cum adulterio ab utroque cognito , ad finem pariter contrahendi matrimonium , *cap. 2. Significavit nobis , cap. 3. Super hoc , & cap.6. Significaſti , de eo , qui duxit in matrim.* III. Adulterium conſummatum , ab utroque cognitum cum reciproca promiſſione , ſive ante , ſive poſt illud habitum , futuri matrimonii , licet ſine conſpiratione homicidii , *cap. 1. Propoſitum , cap. 4. Ex literarum , cap.6. Significaſti , cap.7. Veniens , cap.8. Si qui , de eo , qui duxit in matrim.* IV. Matrimonium attentatum cum adultero , vel adultera, conſtante primo matrimonio valido , etiam dumtaxat rato ; quod crimen matrimonium dirimit , etiam defuncto

 adul-

adulteræ viro, aut adulteri uxore, ſi tamen utrique adultero innotuerit primum matrimonium validum, *cap.5. Cum haberet, cap. 7. Veniens, cap. 8. Si qui, cit. tit. De eo, qui duxit &c.*

XIV. Ex defectu præſentiæ Parochi proprii contrahentium, aut alterius Sacerdotis, ab eo deputati, & duorum teſtium, *Trid. cap. I. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* circa quam præſentiam notandum eſt.

I. Parochum proprium ſponſi, vel ſponſæ, cum eſſe, in cujus parochia ille, vel illa habet domicilium, aut quaſi domicilium, *Cong. Conc. in Mutinen. 18. Novemb.* 1702. & Conſtit. Benedicti XIV. *Paucis ab hinc 19. Martii* 1758. & ſufficere præſentiam ſolius parochi proprii ſponſæ, quando matrimonium contrahitur in hujus parochia; ſicuti & ſufficere præſentiam ſolius parochi ſponſi, ſi in ejuſdem parochia contrahatur Cong. Conc. anno 1573. *lib. 1. Decretor. pag. 125.* & laudatus Benedictus *Inſtit. eccleſiaſt. XXXIII. n.5.*

Quaſi domicilium autem contrahitur, quando quis ſpatio ſaltem unius menſis degerit in loco, ubi matrimonium celebrat, *cit. Conſtit. Paucis ab hinc*: dummodo tamen eo ſe tranſtulerit animo figendi domicilium.

II. Si alteruter ex contrahentibus duo domicilia in diverſis parochiis habeat, cum ſcilicet æqualiter, moraliter tamen, non arithmetice, in utroque degat, ſufficere præſentiam parochi, ſub cujus juriſdictione degit, quando nubet.

Nullum vero eſt matrimonium contractum coram parocho loci, ad quem ſe quis tranſtulit non animo figendi domicilium, ſed vel peragendi cauſa rem familiarem, vel ruſticandi, *Cong. Conc. In Romana 22. Februar. 1631. lib. XIV. Decretor. pag. 390. In Abulen. & Urbinaten. 1. Decemb. 1640. lib. XVI. pag. 456. & 457. In Lauretana 13. Julii 1725.* & alibi paſſim. Sicuti etiam nullum eſt, ſi contractum fuerit ſine parocho, & teſtibus a tranſeuntibus per locum, in quo Trident. in puncto matrimonii non eſt promulgatum, vel ad illum a ſe transferentibus ſolo animo contrahendi ſine dicto parocho, & teſtibus, non mutato domicilio, ex declaratione ejuſdem Cong. 5. Septemb. 1626. confirmata ab Urbano VIII. in Brevi, edito 14. Auguſti 1627. & a Benedicto XIV. *Conſtit. Cum venerabilis, 19. Martii* 1758.

III. Etiam nullum eſt, ſi contractum fuerit coram parocho, & teſtibus, intereſſentibus præſentia dumtaxat phyſica, & materiali, nihil eorum, quæ aguntur, videntibus, vel audientibus, eadem Congreg. in *Lauden. matrim. 28. Jan. 1678. in Giennen. anno 1581. lib. III. Decretor. pag 59. in Romana ſuper dubiis matrimoniorum 7. Martii* 1700. & laudatus Benedictus *de Synod. Diœc. lib. 13. cap. 23. num. 1.* Validum tamen eſt, ſi parochus affectaſſet non videre, aut non audire, aures ſibi obtrudendo, vel faciem velando, vel terga vertendo, dictus Benedictus *loco cit. num. 10.* & noviſſime in *Carthaginen. matrim.* 1753. Sicuti etiam validum eſt, ſi tam parochus, quam teſtes ad intereſſendum non expreſſe vocati, neque ſponte, ſed vel fortuito, vel dolo, aut vi adacti audierint vel mutuum contrahentium conſenſum, vel ſigna hunc ſignificantia, *L. coram Titio, ff de verbor. ſignific. L. non multum ff. de Auctorit tutorum L. teſtium, Cod. de teſtib. & cit. Giennen. ad V.*

Proprius vero parochus prætoris, Judicis, medici, facultatum profeſſoris, diſcipulorum, & famulorum, licet exteri ſint, ille eſt, in cujus parochia degunt, ſi per aliquod temporis ſpatium ibi morati fuerint, cum quaſi domicilium ibidem contraxerint, *Cong. Conc. in Abulen.* penes Garziam *de benefic. part. 5. cap. 7. nn. 11.* & Benedictus XIV. *cit. Inſtit. eccleſiaſt. XXXIII. num. 10.*

Proprius etiam parochus vagorum, qui nempe, relicto domicilio, ſedem alibi inquirunt, ille eſt, in cujus ditione degunt, cum matrimonium contrahunt *L. Ejus §. Celſus, ff. Ad municipalem.* Quid autem faciendum ſit parocho, antequam horum matrimonio interſit, adeatur *Trident. cap. VII. ſeſs. XXIV. de refor. matrim.* Vagorum vero nomine non veniunt peregrini, cum peregrinentur animo revertendi ad ſuum domicilium.

Proprius inſuper parochus carceribus detentorum ille eſt, in cujus parochia ſiti ſunt carceres: ſi tamen perpetuo, vel ad certum tempus in pœnam ibi detineantur, *L. filii, §. Ad municipalem*, non vero ſi detineantur dumtaxat, donec eorum cauſa a Judice per ſententiam definiatur *Cong. Conc. in Farfen. matrim. 26. Maii* 1707. tunc enim proprius eorum parochus ille eſt, in cujus parochia domicilium habent.

Ex decretis ejuſdem Cong. relatis a laudato Benedicto cit. Inſtit. XXXIII. rite contrahere poſſunt matrimonium, ut alibi jam notavi, coram parocho loci, intra cujus parochiæ limites degunt. I. Puellæ expoſitæ in hoſpitio ſpuriorum detentæ. II. Puellæ, quæ in aliis hoſpitiis, ſeu conſervatoriis ſervantur, & eorundem proventibus aluntur, licet per breve tempus diſcedant, ſuos domeſticos inviſuræ. Puellæ vero, quæ, data fide, & viro jam deſtinatæ, per conſanguineos invitæ monaſteriis detinentur, ex generalibus decretis *Cong. Epiſc. & Regul. cit. Inſtit.* relatis, extrahi debent ab iiſdem monaſteriis, licet Ordinario minime ſubjectis, ut contrahere poſſint coram parocho, cujus ditioni paterna ædes adjecta judicabitur. Quod ſi difficile ſit ad extractionem devenire, illæque in alia parochia domicilium non habeant, tunc matrimonium contrahent coram parocho, intra cujus parochiam ſitum eſt monaſterium: ſi vero proprium domicilium habeant, coram hujuſmodi domicilii parocho contrahent, ut probat idem Benedictus loc. cit.

Quis autem debeat aſſiſtere matrimonio, quod aliquando ineundum eſt ab iis, qui in Xenodochiis in gravi vitæ periculo verſantur, ut animæ ſaluti proſpiciant, an ſcilicet capellanus, vel parochus, in cujus ditione illa ſita ſunt; magna eſt contentio inter DD. ideoque ſtandum erit in tali caſu declarationi, ſeu deputationi Ordinarii, ut ibidem ſentit idem Pontifex. Verum tunc monendus erit ægrotus, ne ſanitati reſtitutus ad uxorem accedat, donec paruerit iis, quæ a S. Officio præſcribuntur circa juramentum ab eo præſtandum de ſua libera conditione, cæteriſque impedimentis, juxta Inſtructionem d. Tribunalis, jam a me impreſſam poſt Sect. DCLVI. pag. 491. quam tamen in tali vitæ periculo locum habere non poſſe credit laudatus Pontifex, ſi temporis ſpatium non ſuppetat ad illam executioni mandandam.

Validum eſt etiam matrimonium contractum coram proprio parocho, licet juxta communiorem ſententiam, aut non ſit Sacerdos, aut ſit ſuſpenſus, aut excommunicatus, etiam non toleratus, cum cenſuræ non tollant titulum parochiæ, commun. Aut pariter, ſi ei interdictum ſit ab Ordinario *Cong. Conc. in citat. Giennen. ad I.* aut item, ſi ſit vitæ criminoſæ, vel cum occulto defectu tituli, dummodo ex errore communi

habea-

habeatur pro parocho, *L. Barbarius*, 3. *ff. de Offic. Prætor.*

Et notandum, quod non obſtantibus his defectibus, poteſt ex eadem ratione loco ſui deputare alium Sacerdotem, ſive ſecularem, ſive regularem ad aſſiſtendum matrimonio, etiam extra fines ſuæ parochiæ, imo & diœceſim, quemadmodum & ipſe poteſt, cum hæc aſſiſtentia non ſit actus juriſdictionis contentioſæ, ut cum communi Fagnan. *in cap. Quod nobis, num.* 33. *de Cland. deſponſ.* abſque tamen conſuetis ſolemnitatibus, quæ adhiberi non poſſent ſine licentia illius parochi, in cujus parochia aſſiſtentiam præberet, cum tunc exerceret juriſdictionem in alieno territorio. commun.

Notandum eſt etiam, quod ſi parochus loco ſui deputaret aliquem Sacerdotem ad generalem Sacramentorum adminiſtrationem, cenſeretur etiam incluſa facultas aſſiſtendi matrimonio, ut cum communi & praxi tenet Sanchez, relatus a Mſchat. *Inſtit. Canon. de Cland. deſponſat. num.* 17. cum talis generalis commiſſio, ſeu deputatio non prohibeatur a Tridentino.

IV. Nullum pariter eſt matrimonium, ſi teſtium præſentia fuerit ſucceſſiva & non ſimultanea, *Trid. cap. I. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* Nulla autem in his requiritur peculiaris qualitas præter uſum rationis, cum Trident. nullam determinet. Unde poſſunt eſſe teſtes impuberes, conſanguinei domeſtici, Religioſi, fœminæ, excommunicati, infames, hæretici, & alii etiam ex jure poſitivo inhabiles ad ferendum teſtimonium, *arg cap.6. de Hæreticis in VI.*

XV. Ex capite tandem raptus fœminæ nullum eſt matrimonium, quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris, *Trident. cap.II. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* quæcunque ea ſit, ſive virgo, ſive corrupta, ſive vidua, ſive meretrix, cum Trident. generaliter loquatur, & reſpiciat dumtaxat ad libertatem matrimonii, non ad raptæ qualitatem. Quod vero impedimentum locum non habet, quoties mulier poſt tractatum de matrimonio contrahendo, vel poſt ſponſalia de futuro conſentiens abducatur a domo patris, aut tutoris, his licet invitis *cap.6. Cum cauſa, de raptoribus*: nec quoties rapta ſit ad alium finem, quam ad matrimonium contrahendum, ut ex declaratione Cong Conc. 23. Junii 1586.

Circa impedimenta, matrimonium impedientia, vide notata ad *cap.*12. *Literis, tit. de Præſumptionib.* Sect. CCLXIX. pag. 177.

APPENDIX II.

PRAXIS SERVANDA

Pro obtinenda facultate a S. Pœnitentiaria convalidandi matrimonium, nulliter contractum, juxta Inſtructionem

BENEDICTI XIV.

Exaratam in Inſtitutione eccleſiaſtica in ordine la LXXVII.

CUM difficile admodum ſit ei, qui nulliter matrimonium contraxit, ad S. Pœnitentiariam pro illius revalidatione recurrere, & idcirco munus ſit parochi, aut confeſſarii, ſupplicem ad eam libellum dirigere, ne in ejuſdem Pœnitentiariæ reſcriptis executioni demandandi ſerror obrepat, ſequentia ab eodem parocho, vel confeſſario obſervanda ſunt.

In dicto ſupplici libello, latino, vel italico idiomate exarato, ad Cardinalem majorem Pœnitentiarium dirigendo, res tota cum ſuis cauſis, & neceſſariis circumſtantiis fideliter eſt declaranda. In eo reticetur nomen illius, qui diſpenſationem poſtulat; cujus loco ponitur litera N. locus tamen deſignatur, ubi dantur literæ, & nomen, ac cognomen illius, ad quem reſponſum dari poſſit.

Si confeſſarius, vel parochus deprehenderit, conjuges conſcios eſſe impedimenti occulti, curare debet, ut clam, & caute (ne ex occulto fiat publicum) ſeparentur, donec obtenta fuerit a S. Pœnitentiaria diſpenſatio: ſi enim eſſet publicum, diſpenſatio non a Pœnitentiaria, ſed a Dataria obtineri deberet.

Quando diſpenſationis literæ ad confeſſarium diriguntur cum clauſula: *Diſcreto viro confeſſario, magiſtro in theologia, vel decretorum doctori, ex approbatis ab Ordinario*, duo ſimul requiruntur in earum executore, 1. ſcilicet quod lauream doctoralem in theologia, vel in Jure canonico ſit conſecutus in aliqua Univerſitate, 2. quod ſit approbatus ad excipiendas ſacramentales confeſſiones ab Ordinario, in cujus territorio executurus eſt hujuſmodi literas. Idque requiritur etiam in Regularibus, non habentibus privilegium. Propterea non ſufficit, quod hi ſint approbati ab Ordinario ad confeſſiones, ac theologiam, ſeu Jus canonicum profiteantur, aut doceant; neque quod magiſtri titulo inter ſuos fruantur; neque quod in alterutra, vel etiam in utraque facultate ſint licentiati, ut contra Rotarium *Theol. Regul. tom.* 3. *lib.*1. *cap* 1. *pun.* 9 *num* 25. docet communis opinio. Ex privilegio tamen Ven. Innocentii XI. in Conſt. *Exponi* 17. *Novembris* 1679. eas exequi poſſunt veri Lectores jubilati Min Obſerv. qui ſcilicet triennio philoſophiam, & decennio theologiam legerint; non ſic qui per minoris temporis ſpatium legerunt, ac ſolis literis Generalis lauream jubilationis obtinuerunt, ut animadvertit Mattheuccius *Offic. cur. cap* 31. *n.*34. Eodem privilegio gaudent ex conceſſione Greg. XIII. 3 April. 1582. PP. Societ. Jeſu per Præpoſitum generalem, vel de ejus licentia per alium ſuperiorem ejuſdem Societatis deſignati, & per Ordinarios locorum approbati. Quæſtio eſt, an Regulares participantes de hoc privilegio Patrum Societatis Jeſu, eodem beneficio fruantur? & ſententia affirmativa videtur communis, ac de Mendicantibus Ordinibus in eodem commu-

communicantibus expreſſe affirmant Marcua Paulus Leo in *Praxi ad lit. M. Paait. par. 1. de For. vot. pag.15. de Jaſtis, de diſpen. matr. lib.1. cap.8. aumero* 104. aliique paſſim, ex Pyrrho Corrado *in Prax. diſp. apoſt. lib.8. cap.10. nam.* 30. hoc peculiariter adnotantea, quod diſpenſatio matrimonialis facienda eſt *audita ſacramentali coafeſſioae, & noa aliter*, ſiquidem tempore Pontificatus Pauli V. introducta fuit in formulam, talis clauſula, quæ de ſtylo Curiæ evaſit neceſſaria, proindeque ſervanda: quidquid in contrarium ante hujuſmodi introductionem, ac ſtylum, ſcripſerint Saochea, Merolla, & alii, quoad hoc propterea non audiendi, ut videbimus.

Si prædictæ literæ conſignatæ, & ſimul apertæ fuerint a confeſſario, ut ſupra, non laureato, non idcirco novæ erunt poſtulandæ, ſed tantum primæ alicui ſunt tradendæ, qui ſupradictis qualitatibus præditus ſit.

Diſputant DD. an pollens facultate eligendi quemlibet inter confeſſarios, ſi poſtquam dictas literas aperiendas tradiderit alicui confeſſario, aut doctori, eas poſſit repetere, ſimulque illarum executionem alteri cnmmittere, Paulus Leo in voce *Literæ num.*8. probat, tuto repeti poſſe, quoties primus confeſſarius imperitus, ignaruſque deprehenditur.

Litera diſpenſatioais ſemper muaita ſunt clanſulis, expreſſis in ſeqnenti exemplari, vel ſimilibus.

Sacra Pœnitentiaria tibi confeſſario a latrice electo, facultatem cuncedit, ipſam latricem. I. Si expoſita veritati nitantur. II. Audita prius ejus ſacramentali confeſſione, ac remota occaſione amplius carnaliter peccandi cum dicti viri fratre, a quibuſvis ſententiis, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, quibus propter præmiſſa quomodolibet innodata exiſtit, inceſtus reatu, & exceſſibus hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica abſolvendi hac vice in forma Eccleſiæ conſueta. III. Et dummodo præfatum primi affinitatis gradus impedimentum ex illicita hujuſmodi copula proveniens, occultum ſit. IV. Aliudque canonicum non obſtet, cum eadem latrice, ut præmiſſis non obſtantibus, matrimonium cum recenſito viro. V. De nullitate prioris conſenſus certiorato, ſed ita caute, ut latricis delictum uſquam detegatur. VI. Et uterque inter ſe de novo, ſecreto ad vitanda ſcandala, renovato conſenſu, contrahere, & in eo poſtmodum remanere licite valeant, pari Apoſtolica auctoritate, miſericorditer diſpenſandi, prolem ſuſceptam, ſiqua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo, & reſpective nunciando. VII. Injuncta ei pro modo culpæ gravi pœnitentia ſalutari, & confeſſione ſacramentali ſemel quolibet menſe, per tempus arbitrio tuo ſtatuendum, aliiſque injunctis, de jure injungendis. VIII. In foro conſcientiæ, & in ſacramentali confeſſione tantum, & non aliter. IX. Ita, quod hujuſmodi abſolutio, & diſpenſatio in foro judiciario nullatenus ei ſuffragentur. X. Nullia ſuper his teſtibua adhibitia, aut literis datis. XI. Sed præſentibua ſub pœna excommunicationis, latæ ſententiæ, ſtatim per te poſt executionem laceratis.

I. Quoad clauſulam = *Si expoſita veritati aitantur* = Quilibet confeſſarius, earundem literarum executor, maxime attendere debet, antequam ad illarum executionem deveniat, ut impedimento ligatus, verum cum omnibua neceſſariis circumſtantiis in ſupplici libello expoſuerit: diſpenſatio enim non pro foro conſcientiæ tantum, ſed pro mixto etiam conceditur. Quapropter, ne incommodum hoc ſequatur, confeſſarius prius monere debet diſpenſationem petentem, ut nihil a veritate diſſonum exponat; non tamen jusjurandum ab eo exigere debet, reprobata circa hoc Pontaſii opinione. Quodſi illi conſtet, falſum fuiſſe expoſitum Majuri Pœnitentiario, a diſpenſationis executione omnino abſtineat, licet mendaciter contrarium ab oratore aſſeratur; dummodo tamen falſitatem ex ſacramentali confeſſione non deprehenderit.

II. Quoad clauſulam = *Aadita prius ejus ſacramentali coafeſſione* = Hæc ita arctat, ut ſub pœna nullitatis diſpenſatio non aliter executioni demandari debeat; cum appoſita ſit tamquam conditio, ſine qua non, quod magia confirmatur ex hac altera clauſula, circa finem tranſcripti exemplaris addita = *Ia foro conſcientiæ, & ia ſacramentali coafeſſione tantum, & aon aliter* =.

III. Quoad clauſulam = *Dummodo præfatam impedimeatum occultum ſit* = Vi hujus ſimplicia clauſulæ (non addito ſcilicet adverbio (*omnino*) licet impedimentum pauciſſimis ſit notum, adhuc cenſetur occultum, juxta Fagnanum, Marcum Paulum Leonem, Theſaurum, Navarrum, & præcipue Syrum, *in Praxi exec. ejud. Pœnit. pag.*269. ibi = Si delictum ſit notum duobus, vel tribus alicujus loci, aut communitatia, aut capituli, occultum cenſetur, ſi in oppido ſit notum quinque, aut ſex perſonia, in civitate numero 7. aut 8. adhuc cenſetur occultum = Quod tameu Fagnan. in *cap. Veſtra, de cohabit. Cleric. & mulier. nam.*120. impugnat, ſi dicta clauſula munita ſit adverbio *omaino*, videlicet, dummodo impedimentum *omnino* occultum ſit. Illud vero monent Navarrus, & Theſaurus, ut confeſſarius abſtineat a diſpenſationis executione, quando prudenti conjectura intelligit, crimen, ſeu impedimentum, quod paucis antea notum erat, poſt breve tempus fieri poſſe publicum. Plerumque autem a S. Pœnitentiaria addi ſolet ly (*omnino*) cum impedimentum (ſunt verba Benedicti cit. Inſtit. §. XLIV.) = criminis diſpenſandum proponitur, potiſſimum cum uterque conjux novo matrimonio copulatus, necem prioris conjugis molitus fuerit: dummodo impedimentum omnino occultum ſit, quod uterque oratorum in morte dicti mariti machinatus ſit, & plene ignoretur, quod ejus mors inde ſecuta ſit, & delinquentibus ſulum innoteſcat =.

Quando impedimentum publice in eo loco cognoſcitur, in quo contractum fuit, ſive alibi, hoc caſu, licet occultum ſit, ubi degunt diſpenſationem petentes, tamen juxta Navarri doctrinam *Manaduc. pract. lit. S. Tæait. pag.* 20. *& ſeq.* diſpenſatio executioni non eſt demandanda, niſi in ſupplici libello declaratum fuerit, crimen eſſe alicubi publicum. Qua propter pro gratia, iterum obtinenda, denuo recurrendum erit ad Pœnitentiariam, & quod reticitum fuit, manifeſtandum.

Impedimentum, quod fuit aliquando publicum, temporis diuturnitate occultum fieri poteſt; ac proinde S. Pœnitentiariæ diſpenſatione poterit relaxari; dummodo tamen quoad matrimoniales diſpenſationes decennium effluxerit.

Ut dignoſcatur, an occultum cenſeri debeat impedi-

Digitized by Google

pedimentum, quod Theologi materialiter publicum, formaliter vero occultum appellant, diſtinguendum eſt; & affirmative ſentiendum, quoties factum, in ſe publicum, eſt occultum, tam ratione criminis, quam pœnæ, ſeu impedimenti; negative autem, quando factum eſt publicum ratione criminis, ſed occultum ratione pœnæ, ſeu impedimenti. Juxta hanc autem diſtinctionem procedere Pœnitentiariæ praxim teſtantur *Theſaurus de pœn. eccleſiaſt. cap.25. part.1. §. Advertendum ſecundo*, & Benedictus *cit. Inſtit. §. XLVIII.*

Licet crimen, ſeu impedimentum deductum fuerit ad forum contentioſum, occultum tamen cenſetur a S. Pœnitentiaria, quando reus in eodem foro per judicis ſententiam abſolutus fuit, vel tamquam repertus innocens, & non culpabilis, vel ex hactenus deductis, vel ab obſervatione judicii, vel demum tamquam non repertus culpabilis, nec de jure punibilis: ſecus quando in libertatem redditus fuit cum cautione de ſe repræſentando, Fagnan. *ad cit. cap. Veſtra*, & laudatus Benedictus *cit. Inſtit. §. XLIX.*

Cæteri, qui de his rebus ſcripſerunt, occultum fore docent crimen, quod in foro contentioſo examinatur, ſi forte ex ſupradictis ſententiis per falſos teſtes, aliaſque rationes, ab æquitate abhorrentes, comparetur; nam licet hoc pacto ſemper impedimentum ſuperſit, infamia tamen obliteratur, & crimen ipſum quibuſdam tenebris obducitur.

Notandum vero eſt, quod ſi prædictæ clauſulæ = *Dummodo præfatum impedimentum occultum ſit* = unita fuerit hæc altera = *& ſeparatio inter latorem, & dictam mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo*, cum appoſita eſſet tamquam conditio, ſine qua non, valide deveniri non poſſet ad diſpenſationem, ſi abſque hoc ſeparatio fieri poſſet.

Sapienter autem conditionate a S. Pœnitentiaria præciperetur ſeparatio = *ſi (nempe) fieri poſſet abſque ſcandalo* = etenim ſi matrimonium publice contractum fuerit = procul dubio (ita Benedictus *citata Inſtit. §. LX.*) veri conjuges exiſtimantur; ideoque, ſi ſejungantur, admirationem id populo, & ſcandalum concitabit. At vero id continget, ſi domicilii, non autem, ſi *thori* ſeparatio præſcribatur; nam ſi jubeantur ejuſmodi conjuges fraterno tantum amore ſe proſequi, donec obtineant diſpenſationem, tunc major difficultas objicitur. Etenim, ſi mulier impedimenti ſit ignara, ex hac nova vitæ ratione aliquid mali ſuſpicabitur. Sin autem uterque ipſum impedimentum noverit, tunc periculum incontinentiæ intercedet. *Animadvertas (inquit de Juſtis)* quod rariſſime, aut nunquam erit neceſſarium experiri, an poſſint conjuges ſeparari, & honeſte vivere, tanquam frater, & ſoror, quia ſæpe ex hujuſmodi ſeparatione oriuntur ſcandala, & periculum incontinentiæ, ſicut etiam ex habitatione, dicto modo facta. Itaque judicamus a parocho, qui literas a Pœnitentiaria, & facultatem expoſcit, vel ab aliis expoſci deprehendit, monendos eſſe conjuges (ſi impedimentum uterque cognitum habeat) vel alterum ex conjugibus, qui rei conſcius eſt, ne in copulam conſentiat, donec diſpenſatio reddatur. Monendus eſt (ait Navarrus) a confeſſario, ne prius conſentiat in copulam, quam contrahat matrimonium, renovato conſenſu; quia tunc, quamvis abſolutio, & diſpenſatio non redderetur nulla, fornicaretur tamen, quia ante matrimonium in copulam conſentiret =.

IV. Quoad clauſulam = *Aliudque canonicum non obſtet* = Per hanc denotatur, nullam eſſe expreſſis in precibus impedimenti diſpenſationem, ſi aliud reticitum fuit; ita, ut ſi matrimonium nondum ſit contractum, ullo modo contrahi nequeat: ſi vero contractum fuerit, & impedimentum reticitum pro publico habeatur, conjuges ſeparari omnino debent, donec rurſus ad Datariam confugerint, vel ad ipſam Pœnitentiariam, ſi idem impedimentum adhuc occultum remanet. Quapropter literarum executor, antequam eas exequatur, exquirere debet, utrum aliud impedimentum ſubſit, præter jam S. Pœnitentiariæ declaratum.

V. Quoad clauſulam = *Viro* (aut muliere, ſi vir diſpenſationem petat) *de nullitate prioris conſenſus certiorato* = Per hæc verba ſatis evincitur eſſentialis conditio ad convalidandum matrimonium, vigore ablativi abſoluti, quidquid in contrarium nonnulli ſenſerint.

Plura adhiberi poſſunt remedia, recenſita a Bened. XIV. in laudata Inſtitut. a §. LXXI. ad LXXII. quæ pariter locum habent, quando unus ex conjugibus per vim, ſeu metum in matrimonium conſenſit, & hujus nullitas, ex metu reſultans ab uno ex dictis conjugibus ignoratur. Ex omnibus autem remediis probabilius, & tutius juxta Theologorum, ac præfati Benedicti ſententiam in utroque caſu eſt, quod literarum executor moneat conjugem impedimenti conſcium, qui diſpenſationem obtinuit, ut comparti libere aperteque declaret, ſe non rite matrimonio conſenſiſſe; ideoque oportere conſilio confeſſarii, & internæ tranquillitatis cauſa, ut ambo conſenſum renovent, ſeque id libenter facturum oſtendat: quod ſi alter conjux eandem patefaciat voluntatem, id ſatis erit, ut novus conſenſus juxta præſcriptam normam elicitus intelligatur. Atque ita ignarus conjux matrimonium irritum cognoſcit, & crimen, ex quo idem impedimentum provenit, in tenebris remanet, abſque eo quod ullum mendacium admiſceatur; cum jure dici poſſit, non præſtitum fuiſſe conſenſum, qui rite præſtitus non fuit, juxta unanimem Theologorum ſententiam.

Si vero conjux, impedimenti conſcius, ex vehementiſſimis, & ſaltem moraliter certis conjecturis, ac circumſtantiis ſuſpicetur ne conjux ignarus de irrito matrimonio, poſtea certior factus, novum conſenſum dare recuſet, ſolutoque matrimonii vinculo, procreati jam liberi, tamquam ſpurii haberentur, aliaque inde ſequerentur incommoda; hoc certe caſu, ut omnis timor abjiciatur, ſimulque conſcientiæ conſulatur tranquillitati, hæc a parocho, & confeſſario reſpective, illi, qui diſpenſationem obtinuit, ſunt inſinuanda. I. Pro certo haberi debet, legitimam cenſeri prolem, quando impedimentum non innoteſcit, & unus ex conjugibus rite contractum fuiſſe matrimonium arbitratur coram parocho celebratum. II. Quando revera ex ſupradicta renovatione conſenſus graviſſima provenirent incommoda ad majorem Pœnitentiarium iterum eſt recurrendum, qui ſane magnis recenſitis difficultatibus adductus, vel aliquid de ſeveritate remittet, vel neceſſarias facultates a Pontifice poſtulabit: qui, ſi non agitur de impedimento erroris perſonæ, quod ad naturale jus refertur, ſed de aliis a jure ſcripto ſtatutis, non ſolum de medio auferre poterit incommoda ex invalido matrimonio ſecuta, legitimam etiam prolem, ſi opus fuerit, declarando, ſed etiam ob naturalem conſenſum ab inj-

Digitized by Google

ab initio præſtitum, diſpenſare poterit, ſi velit, a nova ejuſdem conſenſus præſtatione (& ſic abſque onere certiorandi partem) ut in ſæpedicta Inſtitut.

Et bie monitum velim parochum, aut confeſſarium, ut quoties dicta incommoda, & ſcandala certitudine ſaltem morali obfutura dignoſcat, eodem tempore, quo ad Sacram Pęnitentiariam pro facultate convalidandi matrimonium recurrit, ea ſimul in ſupplici libello exponat, ne cogatur iterum ad eandem recurrere pro obtinendis ſecundis literis; potiſſimum, ſi periculum ſit in mora.

VI. Quoad clauſulam = *Et uterque inter ſe de novo, ſecreta ad vitanda ſcandala, renovato conſenſu* = Vigore hujus clauſulæ renovandus eſt quidem mutuus conſenſus, ſed ſine parocbi, & teſtium interventu (imo etiam ſine præſentia executoris literarum S. Pęnitentiariæ) hæc enim ſolemnitas ſolum requiritur, quando matrimonium contractum fuit coram dictis parocho, & teſtibus cum impedimento publico, ut decrevit eadem S. Pęnitentiaria auctoritate S. Pii V. prout ex authenticis documentis id tamquam certum oſtendit Benedictus XIV. in cit. Inſtitutione §. LXIII.

VII. Quoad clauſulam = *Injuncta ei pro modo culpæ gravi pęnitentia ſalutari, & confeſſione ſacramentali, ſemel quolibet menſe per tempus, arbitrio tuo ſtatuendum, aliiſque injunctis de jure injungendis* = Hæc pœnitentia injungi debet a confeſſario executore, juxta arbitrium boni viri, regulatum a jure, & pręcipue ſpectatis conditione, ætate, & ſexu illius, cui pęnitentia ipſa injungitur. Menſtrua autem pęnitentia, ſingulis menſibus peragenda numquam prætermitti poteſt ſine gravi peccato, idem militat de aliis pœnis, infligi ſolitis.

VIII. Quoad clauſulam = *In foro conſcientiæ, & in ſacramentali confeſſione tantum, & non aliter* =

Vi hujus clauſulæ diſpenſatio non aliter executioni demandari debet, quam in ſacramentali confeſſione poſt impertitam a cenſuris, & peccatis abſolutionem, cum appoſita ſit, tamquam conditio, ſine qua non, ut præſeferunt *ly tantum*, *& non aliter*.

IX. Quoad clauſulam = *Ita, quod hujuſmodi abſolutio, & diſpenſatio in foro judiciario nullatenus ei ſuffragetur* = Hujus clauſulæ vi, ſi contigerit, etiam poſt contractum matrimonium, vigore diſpenſationis, impedimentum ex occulto publicum fieri, poterit loci Ordinarius contra conjuges procedere, & erunt ſeparandi. Hac tamen ſeparatione non obſtante, ii adhuc in foro conſcientiæ ſunt veri conjuges; & ſi tempore ſeparationis, remoto ſcandalo, debitum conjugale ſibi invicem reddant, nullius criminis rei erunt; per obtentam enim diſpenſationem, impedimentum, quod tunc erat occultum, vere ſublatum fuit. Quinimo, ſi Epiſcopus moneatur ſecreto ab eo, qui Pœnitentiariæ literas executioni demandavit, de obtenta diſpenſatione, ejus teſtimonio debet omnino aquieſcere, nec ullam afferre diſpenſatis moleſtiam; alias recurritur ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarium, qui eidem Epiſcopo injunget, ut ab omni moleſtia, judicioque abſtineat. Ita Benedictus XIV. in laudata Inſtit. §. LI.

X. Quoad clauſulam = *Nullis ſuper his teſtibus adhibitis, aut literis datis* = Satis proviſum eſt in explanatione clauſulæ numero VI. contentæ.

XI. Quoad clauſulam tandem = *Præſentibus ſub pęna excummunicationis, latæ ſententiæ, ſtatim per te poſt executionem laceratis* = Hanc clauſulam S. Pęnitentiaria omittit, quando vir, & mulier ſimul impudice viventes, vulgo pro conjugibus putati, ab ea obtinent facultatem matrimonium ineundi coram parocho, & teſtibus, conſuetis omiſſis proclamationibus, in quo caſu eadem S. Pęnitentiaria in ſuis literis ſolum parocho indicit (non ſimplici confeſſario, qui, cum agitur de matrimonio ineundo pœnitentes remittere debet ad parochum) ut matrimonium jam initum adnotet in conſueto libro, eum in finem, ut, ſi forte ejuſdem matrimonii fides requiratur, hanc facere poſſit, ſeq.tueatur iiſdem literis, quas ſecreto apud ſe retinebit.

Quando vero concubinarii pro veris conjugibus habiti ligantur impedimento dirimente, tunc S Pęnitentiaria duas ſeorſum literas concedit: in primis diſpenſat ſuper impedimento, additque laceratis: in ſecundis tribuit parocho facultatem, ut ineatur matrimonium coram ſe, & teſtibus abſque mandato eas lacerandi, ſimulque jubetur in libro adnotare idem matrimonium, ea diligentia, quam Benedictus XIV. præſcripſit in Conſt. de matrimoniis conſcientiæ, quam leges poſt, *cap. II. Quod nobis, de Clandeſtin. deſponſit.* Sect. DCLXXIV. Atque ita tum conjugum, procreatorumque liberorum, tum ejuſdem parochi indemnitati conſulitur.

Quibus omnibus ſerio, & accurate perpenſis, poſtquam hujuſmodi literarum exſecutor conſueta verba abſolutionis pronunciaverit (ſi agitur de matrimonio ineundo, in quo caſu executor eſt parochus. non ſimplex confeſſarius utatur hac formula = *Et inſuper auctoritate Apoſtolica, mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento, ut præfato impedimento non obſtante, matrimonium cum dicta muliere publice, ſervata forma Cancilii Tridentiui, contrahere, conſummare, ac in eo manere licite poſſis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen* =.

Inſuper, eadem auctoritate Apoſtolica, prolem, quam ex matrimonio ſuſceperis, legitimam fore nuntio, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Si vero agatur de matrimonio jam inito, parochus, vel confeſſarius utatur hac ſequenti = *Et inſuper auctoritate Apoſtolica, mihi ſpecialiter delegata, diſpenſo tecum ſuper impedimento, ut eo non obſtante, matrimonium conſummare, & in eo remanere licite poſſis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Et pariter, eodem auctoritate Apoſtolica, prolem, ſi quam ſuſcepiſti, & ſuſceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen* =.

His, peractis literas, ſeu diploma dilaceret, ſi illud indicatur *laceratis*, ex explanatione hactenus expoſitarum clauſularum, executor earundem literarum, ſive parochus ſit, ſive ſimplex confeſſarius reſpective, regulam ſibi figere poterit pro intellectu aliarum clauſularum, quas juxta diverſi facti ſpeciem, & circumſtantias S. Pęnitentiaria apponere cenſuerit.

Finis Decretalium, ex Libro IV, excerptarum.

Digitized by Google

PARS PRIMA

EX LIBRO V. DECRETALIUM

TITULUS I.

De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denuntiationibus.

SECTIO DCCXLII.

Caput II. Si quis Episcopus, *ex Decretali Felicis I. non II. juxta Gonzalez, Epiſcopis per Galliam conſtitutis reſcripta.*

Si quis Epiſcopus ab illis accuſatoribus, qui recipiendi ſunt, accuſatus fuerit, poſtquam ab eis charitative conventus fuerit, ut cauſam emendet, & eam corrigere noluerit: non olim [ideſt non ante] ſed tunc ad Primates cauſa ejus canonice deferatur.

In hac Decretali præcipitur, cauſas criminales Epiſcoporum deferendas eſſe ad Primates, ideſt Patriarchas. Verum hodie ex Concilio Trident. earum delatio, & cognito privative ſpectat ad Romanum Pontificem, ut etiam uſque a ſeculo II. in uſu erat; quandoquidem Comprovinciales, & Metropolitani audire tantum poterant eaſdem cauſas, ſed non definire, prout ex *Can. VII. Quamvis, cauſ. III. quaeſt. VI.*

Circa dictas cauſas laudatum Trident. ſtatuit.

I. Epiſcopos non eſſe citandos, ut perſonaliter compareant, niſi ex cauſa, ex qua deponendi, aut privandi eſſent, *cap. VI. ſeſſ. XIII.* ibi.

Epiſcopus, niſi ob cauſam, ex qua deponendus, ſive privandus veniret, etiamſi ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denunciationem, vel accuſationem, ſive alio quovis modo procedatur, ut perſonaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur.

II Non eſſe in cauſa criminali teſtes contra eos recipiendos, niſi conteſtes, & bonæ converſationis, exiſtimationis, & famæ fuerint, hoſque graviter puniendos eſſe, ſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerint, ut *cap. VII. ejuſdem ſeſſ.* ibi.

Teſtes in cauſa criminali ad informationem, vel indicia, ſeu alias in cauſa principali contra Epiſcopum, niſi conteſtes, & bonæ converſationis, exiſtimationis, & famæ fuerint, non recipiantur: & ſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerint, gravibus pœnis multentur.

III. Eorundem Epiſcoporum cauſas, quando pro objecti criminis qualitate comparere debent, coram Pontifice referendas, ac per ipſum terminandas eſſe, ut *cap. VIII. cit. ſeſſ.* ibi.

Cauſæ Epiſcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipſum terminentur.

Et *cap. V. ſeſſ. XXIV. de reformat.* ibi.

Cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Summo Romano Pontifice cognoſcantur, & terminentur.

IV. Ut cauſæ, quæ contra præfatos Epiſcopos criminaliter accuſatos extra curiam neceſſario committuntur, nemini committi debent, niſi Metropolitano, aut Epiſcopo, ſpeciali commiſſione ipſius Papæ manu ſignata, eligendo, pro ſumenda facti inſtructione, ſententia definitiva ipſi ſoli Papæ reſervata, ut mox cit. *cap. V.* ibi.

Quod, ſi ejuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſario extra romanam Curiam ſit committenda; nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis, a Beatiſſimo Papa eligendis. Hæc vero commiſſio, & ſpecialis ſit, & manu ipſius Sanctiſſimi Pontificis ſignata; nec unquam plus his tribuat, quam ut ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque con-

ficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant: reſervata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva. Cætera alias ſub fel. rec. Julio III. ſuper his decreta, necnon & Conſtitutio ſub Innocentio III. in Concilio generali, quæ incipit. *Qualiter, & quando*, quam ſancta Synodus in præſenti innovat, ab omnibus obſervetur.

V. Tandem ſtatuit, & declarat, ut ſi dictæ cauſæ criminales ſint minores, cognoſcantur tantum, & terminentur in provinciali Concilio, vel a deputandis per dictum Concilium, eodem *cap.V.* ibi.

Minores vero criminales cauſæ Epiſcoporum in Concilio tantum provinciali cognoſcantur, & terminentur, vel a deputandis per Concilium provinciale.

Nota I. Circa citationem, & monitionem, de qua loquitur ſupra allatum *cap. VI. ſeſs. XIII.* juxta Gonzalez *ad regulam VIII. Cancellariæ, Gloſſa XLI. n. 5.* intelligi debere de Epiſcopis non reſidentibus = Epiſcopos autem reſidentes, etſi cauſa ſit atrociſſima, v. g. hæreſis, aut læſæ majeſtatis, non poſſe citari, aut moneri ad perſonaliter comparendum, niſi de expreſſa commiſſione, & ſpeciali, manu Papæ ſignata =.

Nota II. Etiam cauſas criminales minores Epiſcoporum deferendas eſſe ad Summum Pontificem, & ab ipſo definiendas, quando Concilium provinciale vel numquam, vel niſi poſt longum tempus convocatur; ne remaneant indeciſæ, vel dicantur ſuſpenſæ.

Ad hunc finem Sixtus V. erexit Congreg. S.R.E. Cardinalium ſuper conſultationibus Epiſcoporum, quæ eſt duodecima, inſerta in Conſt. *Immenſa* 1. *Feb.* 1587. eidemque facultatem conceſſit in Conſtit. 74. quæ incipit: *Eximiæ*, cognoſcendi cauſas Epiſcoporum; in quibus tamen non requiritur diſcuſſio formalis proceſſus (in his enim ſe non ingerit, ut declaratum eſt etiam in reformatione ultima Innocentii XII. & controverſias eorundem, etiam a ſubditis promotas, ac teſtatur Petra *tom.* 1. *Commentar. ad Conſtit.* 2. *Leonis IX. Sect.* 1. *n.* 36. de facto ita ſervari in praxi præviis recurſibus contra Epiſcopos, ſupplicibuſque libellis partium; ut ſcilicet præfati Eminentiſſimi PP. cum matura conſideratione, ac diligenti informatione extrajudiciali, paſſim edant reſcripta opportuna, quoad exceſſus, vel indemnitatem Epiſcoporum. Subdit nihilominus idem Petra, pluribuſque oſtendit, facultatem cognoſcendi cauſas etiam majores Epiſcoporum, & quorumcumque Prælatorum exemptorum, etiam archiepiſcopali, primatiali, vel majori eccleſiaſtica dignitate præditorum, competere Auditori Cameræ, tum ex quadam Conſtit. Gregorii XIV. cum ex alia Pauli V. quæ eſt 28. ejuſdem incip. *Eximiæ tom.* 3. *Bullar.* ubi revera §. 12. Auditor Cameræ declaratur Judex ordinarius omnium prædictorum, tam per accuſationem, quam per denunciationem, inſtigationem, & inquiſitionem, in caſu omnium, & ſingulorum, ac quorumcumque, & quantumcumque enormium criminum, delictorum, & exceſſuum, tam in Urbe, quam extra commiſſorum; nec non quoad pœnas contra culpabiles repertos, juxta exceſſuum exigentiam. Vide eundem Petra ex profeſſo tractantem rem præſentem per fere totam cit. Sect. ubi docte etiam oppoſita reſolvit.

SECTIO DCCXLIII.

Caput VIII. Accusasti, *ex Decretali deſumpta a Brochardo ex cap. XXV. Pœnitentialis romani.*

Accuſaſti aliquem; & per tuam accuſationem occiſus eſt: niſi pro pace hoc feceris, XL. dies in pane, & aqua [quod carena vocatur] cum ſeptem ſequentibus annis pœniteas. Si autem per tuam delaturam debilitatus eſt, per tres debes Quadrageſimas pœnitere.

Pœnitentia hic injuncta falſo accuſanti, hodie obſolevit, ut alibi oſtendi, tam in foro conſcientiæ, quam in foro externo, & in hoc hujuſmodi reus punitur pœna falſariis, vel calumniatoribus debita.

SECTIO DCCXLIV.

Caput X. Cum P. Manconella, *ex Decretali Alexandri III. ſcripta Electo Calaciæ, vulgo Calazo in Campania.*

Cum P. Manconella Presbyter ex una parte, & Bonus Presbyter, & I. Bonus Cocti laicus, frater ejus ex altera, in noſtra eſſent præſentia conſtituti: eundem I. quia laicus erat, in dicti P. accuſationem non duximus admittendum. Cumque præfatus B. eundem P. ſuper crimine ſimoniæ conſtantius accuſaret, nos eum, quia in teſtimonium illius cauſæ adductus fuerat, & quia prædictus I. frater ejus ipſum P. coram te prius accuſaverat,

ab

ab accuſatione repulimus, præſertim cum frater P. memoratum B. antea de cauſa conſimili accuſaſſet: unde quoniam unus poſt alterum prædictum P. inſtanti viciſſitudine accuſabant, neutrum ad ejus accuſationem admiſimus; ſed utrique Presbytero de objectis criminibus purgationem duximus indicendam. Ideoque mandamus, quatenus uterque illorum cum tribus Sacerdotibus faciat ſe purgare.

Huic Decretali, in eo, quod ſpectat ad purgationem canonicam indicendam, derogatum eſt contraria conſuetudine, cum hodie hæc purgatio fere in omnibus eccleſiaſticis tribunalibus obſoleverit, ut infra notabo ad eundem titulum.

S E C T I O D C C X L V.

Caput XII. Si constiterit, *ex Decretali Alexandri III. Ambianenſi Epiſcopo, & Abbati S. Remigii ſcripta.*

SI conſtiterit, quod D. Eccleſia non perpetuo conceſſa, ſed ad tempus fuerit commendata, & de vinolentia, & quod in taberna pernoctaverit, ita quod altera die, nulla præmiſſa dormitione, Miſſam cantaſſet (& infra.) Si de hoc rationabiliter convictus fuerit in judicio ante Epiſcopum ſuum, ſive accuſatus, vel ad rationem poſitus, ſine coactione fuerit confeſſus, ei ſuper eadem Eccleſia perpetuum ſilentium imponatis, ipſum ab impetitione B. deſiſtere compellentes. Cæterum, ſi eidem fuit Eccleſia canonice conceſſa, & tradita, & poſtea de crimine aliquo non fuit convictus, propter quod de jure debeat ſpoliari, vel poſt appellationem (ſicut aliquando allegavit) Eccleſia illa fuerit ſpoliatus, ipſam ei faciatis reſtitui, & in pace dimitti.

Caſus hujus Decretalis eſt: quidam parochus vino deditus, cum in taberna pernoctaſſet, ſequenti die, nulla præmiſſa dormitione, Miſſam celebravit; de quo, ſi aut legitime convictus, aut poſt accuſationem, vel inquiſitionem ultro id ipſum fuerit confeſſus mandat Pontifex, illum parochiali Eccleſia privari, ſi eidem ad tempus tantum commendatam fuiſſe conſtiterit. Secus autem, ſi perpetuam de illa inſtitutionem, & inveſtituram obtinuiſſet: in quo caſu declarat Pontifex, privari non poſſe, niſi convictus fuerit de crimine, cui ex juris diſpoſitione annexa eſt privatio beneficii.

Hanc Decretalem tranſcripſi, ut palam fiat, qualis ſit illius germanus intellectus in ea parte, in qua videtur decerni, puniendum eſſe Sacerdotem, qui poſt cibum, vel potum ſumptum ante mediam noctem, poſtridie celebrat, non præmiſſa dormitione, ne aliquibus ſcrupulus fortaſſe ingeratur, Miſſæ ſacrificium celebrari, aut Euchariſtiam ſumi nullatenus poſſe ante cibi, vel potus digeſtionem, ſomni adjumento obtinendam: quemadmodum nonnulli per errorem ſenſerunt tam ex hac Decretali, quam ex Gloſſa verbo *Minimum* ad Canonem II. *Concilii Toletani VII.* relatum a Gratiano *in Can. CXVI. Nihil, cauſa VII. q. I.* contra communiſſimam, & ubique receptam doctrinam, quam poſt S. Thomam *III. par. quæſt. 80. art. VIII. ad 5.* ſine ulla hæſitatione ſecuti ſunt DD. cummulate hic a Gonzalez relati: cum ad eſſentiam jejunii communicaturis ab Eccleſia præſcripti non requiratur cibi, aut potus concoctio, ſed omnimoda abſtinentia alterutrius ſumptionis, etiam in quantacumque minima quantitate: alias qui ſtommachi debilitate laborant, cruditateſque adhuc ſequenti die patiuntur, prohiberentur a receptione hujus Sacramenti.

Germanus itaque tranſcriptæ Decretalis intellectus is eſt, ut parochus ille puniri debuerit, non quia poſt potationem nullam præmiſſerit dormitionem, ſed quia potationi indulſerit etiam poſt mediam noctem, ut clare infertur ex verbo illo *pernoctaverit*, quod ſignificat totam noctem; & ſic quod celebraverit non jejunus.

Cum autem in ea ſtatuatur, non eſſe ſpoliandum beneficio, ad quod quis perpetuo inſtitutus eſt, niſi propter crimen, quod de jure privationem inducit, ſi cupias ſcire quæ ſint crimina, propter quæ jure Decretalium quicumque beneficiatus beneficiis, vel ipſo facto privantur, vel privari poſſint, adeas Rebuffum, Paſtorem, Loterium, Cabaſutium *Theor. & Prax. jur. Canc.* & Petrum Gibert *tom. III. tractat. de benef.* Hic ſubdam quæ a Concilio Tridentino recenſentur.

I. Si turpiter, & ſcandaloſe vivunt, ſi poſtquam præmoniti, correcti, & caſtigati fuerint, adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeverent *cap. VI. ſeſſ. XXI. de reform.*

II. Si ultra bimeſtre abſentes, & per edictum citati, contumaciter abſint. Cenſetur autem contumaciter abeſſe, ſi poſt adhibitas cenſuras, & ſequeſtrationem, ac ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia pergant abeſſe *cap. I. ſeſs. XXIII. de reform.*

III. Si excommunicatus, poſt legitimas monitiones non reſipuerit, & cenſuris ligatus, in illis per annum inſorduerit, contra eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum, procedi, adeoque etiam a beneficio deponi poterit, *cap. III. ſeſſ. XXV. de reform.*

IV. Si concubinarius fuerit, aut mulierem, de qua poſſit haberi ſuſpicio, domi, vel extra detineat, aut cum ea ullam conſuetudinem habere audeat, & a ſuperioribus monitus, ab ea ſe non abſtinuerit, tertia parte fructuum beneficii ipſo facto ſit privatus. Si vero in eodem delicto perſeveret cum eadem, vel alia fœmina, & ſecundæ monitioni non paruerit, non

ſolum omnes fructus beneficii amittat, ſed etiam a beneficii adminiſtratione, quandiu Ordinario videbitur, ſuſpenditur, & ſi nihilominus eam non expellat, vel cum ea verſetur, beneficio in perpetuum privetur, & inhabilis ad quæcunque beneficia, vel officia declaretur, donec cum eo fuerit diſpenſatum, *cap. XIV. eadem ſeſſ. XXV. de Reformat.*

Quibus addendum eſt crimen ſimulationis, quo quis pro obtinendis beneficiis, ſe ipſum pro aliis ſupponit, vel annuas penſionea offert, aut beneficia impetrat pro aliis, ut ab eis aliquid conſequatur, vel pro ſe ipſo, ut aliis poſtea cum penſione reſignet, ex Conſtit. Pauli IV. *Inter cæteras*, 27. *Novembr.* 1557. in qua §. I. præter excommunicationem Papæ reſervatam, incurrit ipſo facto privationem omnium beneficiorum, quæ obtinet, & conceſſiones factæ nullæ ſunt.

Item crimen ſimoniæ confidentialis, ob quod ex Conſtit. S. Pii V. *Intolerabilis* 1. *Junii* 1569. §. *VIII.* quis privatur ipſo facto, nedum beneficio, confidentiæ vitio recepto, ſed etiam quocumque alio antea legitime obtento. Quæ Pii Conſtit. in Galliis executioni mandaretur, juſſit Sixtus V. Conſtit. *Paſtoralis* 13. *Aug.* 1587. idem fere ſtatuens, & tantum moderatus pœnaa in ea ſancitas. Sed de hac ſimoniæ ſpecie alibi inſtituetur ſermo.

SECTIO DCCXLVI.

CAPUT XIII. MEMINIMUS, *ex Decretali Alexandri III. ignotum, cui reſcripta.*

MEminimus tibi mandaſſe, ut C. Abbatiſſæ, cujus electionem confirmavimus, munus benedictionis impendere procurares. Sed quia H. pro alia parte a te ad noſtram audientiam appellavit, proponens, quod de ſimonia accuſaret eandem, mandatum noſtrum diſtuliſti effectui mancipare. Quia vero te non decet in hac parte appellationi ejuſdem H. deferre, cum idem illius manifeſtus fuerit inimicus, & contra eam teſtimonium tulerit; mandamus, quatenus (cum inde fueris requiſitus) præfatæ Abbatiſſæ munus benedictionis non differas impartiri.

Duo in hac Decretali incidenter extra Rubricam tituli decernuntur. I. Quod Abbatiſſa, poſt electionem confirmari debeat a Superiore, & in caſu hujus Decretalis, a Summo Pontifice, cui monaſterium, quod hic eruitur fuiſſe immediate ſubjectum, prout etiam in terminis hujus ſubjectionis declaratur a Bonifacio VIII. *cap. XXXVI. Si Abbatem*, *de Elect. in VI.* Si vero monaſterium Sedi Apoſtolicæ non ſit ſubjectum, confirmatio facienda ſit ab Epiſcopo.

II. Ut ſi Abbatiſſa munus benedictionia expetierit, ab Epiſcopo impendatur.

Ad benedictionem quod ſpectat, quæ ſit hodierna Eccleſiæ diſciplina, ſatis oſtendi in Clementina *Attendentes, de ſtatu Monachor.* Sect. DLXII. p. 373.

Quoad confirmationem vero, cum ex contraria hypotheſi Decretalis, ſi nempe Monaſterium S. Sedi non ſit immediate ſubjectum, clare ut dixi, inferatur ſpectare ad Epiſcopum, non ſemel ortum eſt dubium, an ad eum etiam ſpectet, ſi agatur de Monialibua Ordinibus regularibus ſubjectis in vim Conſtitutionis Gregorii XV. *Inſcrutabili*, *nonis Feb.* 1622. in qua conceditur Epiſcopo facultas intereſſendi una cum Superiore regulari electioni Abbatiſſæ; ſed eodem dubio propoſito S. Cong. Conc. his verbis extenſo inter alia num. V. = An per eandem Conſtitutionem in illis verbia = poſſit Epiſcopus una cum Superioribus regularibus quarumcumque Abbatiſſarum electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, jus Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur =.

S. Congregatio reſpondit = Ad V. Jua confirmandi Abbatiſſas minime fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributum = ut videre eſt in calce ejuſdem Conſtitutionis una cum approbatione Urb VIII.

Neque itidem ex decreto Cong. Epiſcopor., & Regul. ſub die 15. Maii 1671. relato a Ferraris *Prompta Bibliotheca verb. Abbatiſſa num.* 38. poteſt Epiſcopus intereſſe confirmationi ejuſdem Abbatiſſæ, quæ penes aliquos Regulares quotannis fieri ſolet.

In propoſito caſu tranſcriptæ Decretalis, cauſa cur Epiſcopus diſtulerit benedictionis munua Abbatiſſæ impartiri, aſſeritur, quod accuſata fuerit de ſimonia; ignoratur tamen, an hæc interceſſerit in electione, vel ob aliquod aliud caput. Controvertitur autem a Canoniſtis, an ſimonia locum habere poſſit in electione Abbatiſſæ, cum Abbatiſſatus neque ſit beneficium proprie dictum, neque officium eccleſiaſticum cum juriſdictione ſpirituali, *Theſaurus de pœnis c. II. verb. Simonia*, §. *Amplia prædictas*, & Rota Caſſiodori *deciſ. I. de Simonia*, affirmativam ſententiam vocat tutiorem, & probabiliorem. Subdit tamen eſſe materiam ſimoniæ quoad peccatum, non vero quoad pœnas.

SE-

SECTIO DCCXLVII.

Caput XXIV. Qualiter, *ex Decretali Innocentii III. in Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato an.* 1215.

QUaliter, & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum ſubditorum exceſſus, ex auctoritatibus vet. & novi Teſtamenti colligitur evidenter, ex quibus poſtea proceſſerunt canonicæ ſanctiones; ſicut olim aperte diſtinximus, & nunc ſacri approbatione Concilii confirmamus. Legitur enim in Evangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audivit ab illo = Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ; jam enim non poteris amplius villicare. = Et in Geneſi Dominus ait = Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint = . Ex quibus auctoritatibus manifeſte probatur, quod non ſolum cum ſubditus, verum etiam cum Prælatus excedit, ſi per clamorem, & famam ad aures ſuperioris pervenerit, non quidem a malevolis, & maledicis, ſed a providis, & honeſtis, nec ſemel tantum, ſed ſæpe, quod clamor innuit, & diffamatio mauifeſtat, debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentius perſcrutari, ut (ſi rei popoſcerit qualitas) canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis, non tanquam idem ſit accuſator, & judex, ſed quaſi denunciante fama, vel deferente clamore, officii ſui debitum exequatur. Licet autem hoc ſit obſervandum in ſubditis, diligentius, tamen eſt obſervandum in Prælatis, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam. Et quia non poſſunt omnibus complacere, cum ex officio ſuo teneantur non ſolum arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdum ſuſpendere, nonnunquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur. Et ideo Sancti Patres provide ſtatuerunt, ut accuſatio Prælatorum non facile admittatur, ne, concuſſis columnis, corruat ædificium; niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolum falſæ, ſed etiam malignæ criminationi janua præcludatur. Verum ita voluerunt providere Prælatis, ne criminarentur injuſte, ut tamen caverent, ne delinquerent inſolenter: contra morbum utrumque invenientes medicinam congruam: videlicet, ut criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem capitis, id eſt, degradationem intenditur, niſi legitima præcedat inſcriptio, nullatenus admittatur. Sed cum ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, ut jam clamor aſcendat, qui diutius ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, vel ſine periculo tolerari, abſque dubitationis ſcrupulo ad inquirendum, & puniendum ejus exceſſus, non ex odii fomite, ſed ex charitatis procedatur affectu: quatenus, ſi fuerit gravis exceſſus, etſi non degradetur ab Ordine, ab adminiſtratione tamen amoveatur omnino; quod eſt ſecundum ſententiam evangelicam a villicatione villicum amoveri, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem. Debet igitur eſſe præſens is, contra quem facienda eſt inquiſitio, niſi ſe per contumaciam abſentaverit; & exponenda ſunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi ſe ipſum; & non ſolum dicta, ſed etiam nomina ipſa teſtium ſunt ei, (ut quid, & a quo ſit dictum appareat) publicanda, necnon exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ: ne per ſuppreſſionem nominum, infamandi, per exceptionum vero excluſionem deponendi falſum audacia præbeatur. Ad corrigendos itaque ſubditorum exceſſus tanto diligentius debet Prælatus aſſurgere, quanto damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas. Contra quos, ut de notoriis exceſſibus taceatur, etſi tribus modis poſſit procedi, per accuſationem videlicet, denunciationem, & inquiſitionem ipſorum, ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ue forte per leve compendium ad grave diſpendium veniatur; ſicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio, ſic & denunciationem charitativa monitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio prævenire; illo ſemper adhibito moderamine, ut juxta formam judicii, ſententiæ quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares perſonas non credimus uſquequaque ſervandum, quæ (cum cauſa requirit) facilius, & liberius a ſuis poſſint adminiſtrationibns amoveri.

In hac Decretali, innovata a Conc. Tridentino *cap. V. ſeſſ. XXIV. de reform.* præſcribitur theoria, & praxis inſtituendæ inquiſitionis contra Epiſcopos, & ſubditos ſuper exceſſibus, de quibus fuerint graviter diffamati. Ad Epiſcoporum exceſſus quod ſpectat, jam oſtendi ex cit. *cap. V. Trid.* Sect. DCCXLII. hodie eorum cognitionem privative ad Summum Pontificum pertinere.

Digitized by Google

Quoad ſubditos vero pro regula inquiſitionis inſtituendæ inter cætera ſtatuitur. I. Ut Epiſcopus ante punitionem præmittere debeat inquiſitionem diffamationis, eiſque ejuſdem diffamationis capitula tradat. II. Ut facta inquiſitione, contra tales criminoſos non procedat, niſi adhibito capituli conſilio.

Verum ad primum quod attinet, hæc regula limitata fuit a Bonifacio VIII. in ſequentibus Decretalibus relatis *hoc eod. tit. in VI. in cap. I. Poſtquam*, & *cap. II. Si is cui*, decernente, valere proceſſum, etiam omiſſa inquiſitione infamiæ, ac traditione capitulorum, ibi.

Poſtquam coram eo, qui contra te ſuper certis criminibus inquiſitor fuerat deputatus, eadem crimina fuiſti confeſſus, fruſtra confeſſionem tuam (quominus puniaris ex ea, prout juſtitia ſuadebit) eo prætextu impugnare contendis, quod ſuper iiſdem criminibus non fueras ante diffamatus, vel quod per eundem Inquiſitorem capitula, ſuper quibus contra te volebat inquirere, tibi tradita non fuerunt.

Si is, cui contra te commiſſa fuerat ſimpliciter inquiſitio ſuper certis criminibus facienda, proceſſerit, te præſente, nec reclamante, aut quidquam ſuper hoc excipiente (infamiæ inquiſitione omiſſa) ad veritatem eorundem criminum inquirendam; proceſſum hujuſmodi ex eo, quod non fuit de infamia primitus inquiſitum, ulterius impugnare nequibis.

Ad ſecundum vero quod ſpectat, nempe quoad capituli conſilium ab Epiſcopo exquirendum, hodie ex communi Canoniſtarum ſententia, Fagnani potiſſimum ad hanc eandem Decretalem num. 14. Epiſcopus contra capitulum præſcripſit, ut ipſe ſolus de criminibus inquirat. Et hanc præſcriptionem valere expreſſe declaravit etiam Bonifacius VIII. in ſequenti *cap. III. Non eſt, de conſuetud. in VI.* ibi.

Non eſt, dum tamen alias ſit præſcripta canonice conſuetudo, quam allegat Epiſcopus, reprobanda, quod in inquirendis, puniendis, & corrigendis ſubditorum exceſſibus conſilium ſui capituli requirere minime teneatur.

Quæ tamen præſcriptio locum non habet in capitulis, quæ exemptionis privilegio, vel alio ſpeciali jure ſe tuentur adverſus juriſdictionem Epiſcopi: tunc enim hic non poteſt ſolus procedere, ſed ſervare debet formam a Concilio Tridentino præſcriptam *cap. VI. ſeſſ. XXV. de reform.* ut notavi *in cap. Irrefragabili, tit. de Offic. Judic. Ordin.* Sect. CLXXXI. pag. 107.

SECTIO DCCXLVIII.

CAPUT XXV. SICUT OLIM, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. in Concilio Lateranenſi IV. celebrato An.* 1215.

Sicut olim a Sanctis Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis cum ſuis Suffraganeis provincialia non omittant Concilia celebrare; in quibus de corrigendis exceſſibus, & moribus reformandis, præſertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, maxime quæ ſtatutæ ſunt in hoc generali Concilio, relegentes, ut eas faciant obſervari, debitam pœnam tranſgreſſoribus infligendo. Ut autem id valeat efficacius adimpleri per ſingulas diœceſes ſtatuant perſonas idoneas, providas videlicet, & honeſtas, quæ per totum annum ſimpliciter, & de plano abſque ulla juriſdictione ſolicite inveſtigent, quæ correctione, vel reformatione ſunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum, & Suffraganeos, & alios in Concilio ſubſequenti, ut ſuper his, & aliis, prout utilitati, & honeſtati congruerit, provida deliberatione procedant; & quæ ſtatuerint, faciant obſervari; publicaturi ea in epiſcopalibus Synodis, annuatim per ſingulas diœceſes celebrandis. Quiſquis autem hoc ſalutare ſtatutum neglexerit adimplere, a ſui executione officii ſuſpendatur.

In hac Decretali ſtatuit Pontifex. I. Ut ſemel in anno celebrentur Concilia provincialia, ad Cleri præſertim exceſſus corrigendos. II. Ut hunc in finem deputentur in qualibet diœceſi perſonæ idoneæ, quæ per totum annum abſque ulla juriſdictione, & de plano inveſtigent, quæ vel correctione, vel reformatione indigeant, eiſdem Conciliis deferenda. III. Ut quotannis celebretur Synodus diœceſana, in qua quæ in dictis Conciliis ſtatuta fuerint, publicentur: additurque pœna, ferendæ tamen ſententiæ, a ſui executione officii hoc ſtatutum adimplere negligentibus.

Ad primum quod attinet: hæc fuit Eccleſiæ diſciplina. Ex Canone V. Nicænæ œcumenicæ Synodi, habitæ an. 325. Concilium provinciale celebrari debebat bis in anno. Ex Canone vero VIII. Generalis VI. Synodi Conſtantinopolitanæ, nempe III. celebra-

lebratæ an. 680. ſemel tantum ; qui canon refertur a Gratiano *diſtin. XVIII. Can. VII. Quoniam* , & renovatus fuit a Patribus VII. Œcumenicæ Synodi Nicænæ , videlicet II. habitæ an. 787. *Can. VI.* ad quem hic ſe refert Innocentius. Poſtea an. 1512. ob difficultates & incommoda ita ſæpe cogendi dicta Concilia, placuit primum Patribus Concilii generalis Lateranenſis V. ſub Leone X. *ſeſs. X*, itemque deinde an. 1563. Patribus Concilii Trident. hoc tempus extendere ad quodlibet triennium ut ex *cap. II. ſeſſ. XXIV. de reformat.* Textum leges parte. II. cum de eodem cap. II.

Verum hodie convocatio Concilii provincialis , fere ubique obſolevit : in Germania quidem : id non ſervari de facto notorium eſt , neque ſervari moraliter , & ordinarie poſſe ; ideoque nec de jure debere convincit Archiepiſcopatuum, & Epiſcopatuum latitudo , Cleri amplitudo , ſumptuumque magnitudo , qui pro his Synodis requiruntur : ita Wagnerk ad ſupra tranſcriptum *cap. Sicut olim* , *in Commentariis exegeticis SS. Canonum*. In Italia etiam, teſte Cardinal. de Luca *diſcurſ. XXX. Conc. Trid.* = Nimium rara eſt, adeout in hac re præſens (Tridentini) decretum pene ab aula receſſiſſe videatur .... quare (ita proſequitur laudatus Auctor) ex iiſdem , aliiſque rationibus (diſſentionum nempe inter Metropolitanos , & Suffraganeos) prohibita quoque fuit convocatio Synodi provincialis , inconſulta hac S. Cong. Concilii , quæ aliquando , ſed raro , Suffraganeorum , informationibus prius auditis, omnibuſque diligenter penſatis, id demandare ſolet = .

Quod ad ſecundam allatæ Decretalis partem pertinet , ad deputationem nempe perſonarum , quæ corrigenda inveſtigent , & provinciali Concilio referant , in deſuetudinem penitus abiit , etiam in iis Provinciis , in quibus adhuc forte viget diſciplina convocandi Concilii , ut in confeſſo eſt apud omnes.

Quoad tertiam vero, de onere videlicet diœceſanæ Synodi ſemel in anno celebrandæ , hæc habet dictus de Luca loc. cit. ,, Quo vero ad Synodum diœceſanam pariter uſus parum recepit hujus decreti obſervantiam circa tempus , ut ſcilicet ſingulis annis celebrari deberet , cum iſta frequentia , nedum Epiſcoporum , ſed etiam ſubditorum , ſuperfluam incommoditatem , aliaque inconvenientia potius producere videatur : ideoque rara pariter eſt praxis , ut ſcilicet Epiſcopus pene unica Synodo , toto tempore præſulatus contentus eſſe ſoleat , atque plures omnino abſtineant , demandando obſervantiam Conſtitutionum ſynodalium Prædeceſſorum". Ita etiam nimium benigne hoc Tridentini præceptum moderantur DD. relati a Benedicto XIV. *lib. I. cap. VI. num. 5. de Synod. diœc. edit. an. 1755.* quibus tamen objicienda ſunt verba ejuſdem Pontificis , ibi ,, Nos vero , quamquam non negemus , potuiſſe Tridentini decretum contraria conſuetudine nonnihil emolliri , & temperari ; non idcirco tamen approbamus effrænem iſtam licentiam, quam privati Doctores ſibi uſurpant , illud pro libito , etiam contra expreſſa ejuſdem verba , interpretandi , & limitandi : neque illos excuſamus Epiſcopos , qui , cum nihil ſit , quod eos impediat ex ſola ſocordia , & negligentia , Synodum facere prætermittunt : eoſque magis redarguimus , qui cum plures annos diœceſim gubernaverint , ne de cogenda quidem Synodo unquam cogitarunt ; hi enim, cæterique , qui ex mera incuria , & inertia præfato Tridentini præcepto non parent , & ſine ulla cauſa Synodum facere omittunt , meminiſſe deberent , ſe, præter reatum inobedientiæ , pœnam incurrere ſuſpenſionis ab officio , ſtatutam *in cap. Sicut olim , de accuſat. Quiſquis autem hoc ſalutare ſtatutum neglexerit adimplere , a ſui executione officii ſuſpendatur*: licet pœna hujuſmodi , ut ipſa indicat vox *ſuſpendatur* , non ſit latæ , ſed ferendæ ſententiæ , quod in eodem *cap. Sicut olim* adnotarunt Hoſtienſis in fine , Joannes Andreas num. 7. Fagnan. n. 105. & ſeq. referens etiam reſolutiones Sacræ Congreg. Conc. Thomaſſin. *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. par. II. lib. III. cap LXXV. num.* 10 Neque audiendi ſunt , qui ad propriam obtegendam ignaviam , ſe conſulto , & prudenter abſtinere dictitant a Synodi coactione , ne novarum Conſtitutionum in dies acceſſione , commiſſæ ſibi diœceſis ſtatus perturbetur: nam in primis neceſſe non eſt, ut novæ Conſtitutiones in Synodo edantur , ſed quandoque expedit , ſolam urgere executionem illarum , quæ jam ſancitæ fuerunt .... Deinde difficile videtur hoc tempore , quo eccleſiaſtica diſciplina quotidie conſeneſcit , & labefactatur , aliquam inveniri diœceſim , cui opus non ſit ulla nova Conſtitutione, qua ſaltem antiquæ leges corroborentur , & quæ morum corruptela pene obſoleverunt , revireſcant ".

Ex quibus verbis patet , Pontificem excuſare Epiſcopos , diœceſanam Synodum cogere prætermittentes ob certa dumtaxat , quæ obverſari poſſent , impedimenta , ut etiam innuit in Conſtitutione *Quamvis paternæ 26. Auguſti 1741.* §. III. in qua permittitur Epiſcopis eligere extra Synodum , ſi hæc non celebretur , Judices ſynodales cum conſilio capituli, cujus Textum habes ſupra ad *cap. Statutum* , *de Reſcriptis in VI.*

Cæterum , poſito quod provinciale Concilium celebratum fuerit , tenetur Epiſcopus poſt ſex menſes ab illius celebratione, præfatam Synodum cogere , ut in ea publicentur dicti Concilii decreta . Cumque dubitatum fuerit in Cong. Conc. ut refert Fagnan. in cit. *cap. Sicut olim* , an eam negligens , incurreret pœnam ſuſpenſionis duorum menſium , juxta *Can. Decernimus XVII. diſt. XVIII. deſumptum ex cap. VI. Conc. Toletani XVI.* Cong. reſpondit = Epiſcopum teneri ad congregandam dictam Synodum diœceſanam juxta dict. cap. fin. & DD. ibidem . Nec Tridentinum Concilium Epiſcopum ab hoc onere liberavit : ideo ad tollendum omnem ſcrupulum ab eo , qui omiſit eam Synodum celebrare , petendam abſolutionem a Papa , & monendum Epiſcopum per literas Congreg. , ut deinceps ſervet. d. cap. fin. =

Nota I. Quod ſi Epiſcopus habeat duas Cathedrales unitas , tenetur Synodum alternatim celebrare in ambabus , ex decreto dict. Congr. *in Ampurien. 8. Maii 1694. ut lib. LXIV. Decretor.*

Nota II. Quod , licet Tridentinum loc. citato nullam mentionem faciat pœnæ inferendæ recuſantibus accedere ad Synodum diœceſanam, ſi de jure ei intereſſe teneantur , poſſunt tamen per Epiſcopum cenſuris , aliiſque pœnis , etiam pecuniariis , coerceri ; prout etiam ii , qui vel ad eam ita cunctanter ſe conferunt , ut perveniant , cum jam abſoluta eſt , vel priuſquam abſolvatur , recedunt , ut ex declaratione Cong. Conc. probat laudatus Bened. *in cit. tract. lib. III. cap. I. n. 5. & cap. XII. num. 1. & 2.*

De Synodo diœceſana , quotannis peragenda agi-

agitur etiam in Conſtit. Alexandri VII. *Inter cætera*, 26. *Maii* 1658. qui Pontifex Conſtit. *Gravibus*, 10. *Novemb.* 1657. eam congregandam eſſe præceperat etiam ab Archiepiſcopis, & Epiſcopia Poloniæ, & Lituaniæ.

An, & quando, Prælati regulares, vocati teneantur diœceſanæ Synodo intereſſe? Vide Benedictus XIV. *de Syn. diœc, cap.* 1. & 2. *libri* 3.

Titulus II. De Calumniatoribus.

SECTIO DCCXLIX.

CAPUT I. CUM FORTIUS, *ex Decretali S. Gregorii ad Anthemium Subdiaconum Campaniæ.*

CUM fortius punienda ſint crimina, quæ inſontibus, & maxime ſacratis hominibus inferuntur, quam ſitis culpabiles, qui in cauſa Joannis diaconi reſediſtis, attendite, ut Hilarium criminatorem ipſius nulla ex definitione veſtra pœna proveniens caſtigaret (& infra.) Quia ergo tantæ nequitiæ malum ſine digna non debet ultione tranſire, jubemus eundem Hilarium prius Subdiaconatus, quo indignus fungitur, privari officio, & verberibus publice caſtigatum in exilium deportari.

Verberatio, qua inter cæteras pœnas hic puniendum ſtatuitur Clericum calumniatorem, ex contraria, & longiſſima conſuetudine non eſt amplius in uſu, ut præter teſtimonium *Clari §. final. qu. LXX. num.* 2. patet ex praxi eccleſiaſticorum tribunalium.

S. Pius V. & Gregorius XIII. varias pœnas inflixerunt contra calumniatores, & alienam famam lædentes libellis famoſis, quorum Conſtitutiones habes infra *tit. XVI. de Maledicis.*

Benedictus XIV. Conſtit. *Sacramentum pœnitentiæ* 1. *Junii* 1741. §. *Et quoniam*, reſervavit Summo Pontifici abſolutionem cujuſcumque perſonæ, falſo, vel per ſe de ſolicitatione accuſantis innocentes confeſſarios, vel procurantis, ut id ab aliis fiat: qui caſus eſt eidem Pontifici reſervatus, licet nullam cenſuram adnexam habeat, ibi.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliarum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud eccleſiaſticos Judices falſo ſolicitationis inſimulant. Ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſam innocentes confeſſarios impie calumniando, vel ſcelеſte procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote, quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, noſtriſque Succeſſoribus; niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus, perpetuo careat.

Et nota, quod dictus caſus eſt Papæ reſervatus, etiam poſt factam a falſo accuſante retractationem.

Propoſitiones proſcriptæ ab Innocentio XI circa calumniatores ſub die 2. Martii 1679. ſub pœnis in eas docentes, defendentes, edentes, aut de iis etiam diſputative publice, aut privatim tractantes, niſi forſan impugnando, excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & Papæ reſervatæ, ac prohibitionis in virtute S. obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii eas a quoquam ad praxim deducendi, ſunt in ordine la.

XLIII. Quid, non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere.

XLIV. Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat: & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in tota Theologia.

SECTIO DCCL.

CAPUT II. CUM DILECTUS FILIUS, *ex Decretali Innocentii III. ad Epiſcopum Zamorenſem, Segonienſem, & Abulenſem.*

CUM dilectus filius magiſter ſcholarium Palentinus ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſet, & de ſuo Epiſcopo exceſſus varios nuntiaſſet, examinatione m commiſimus exceſſuum objectorum (& infra.) Cum autem proceſſum negotii examinav erimus diligenter, nec intelligere potuerimus, probatum eſſe ſufficienter aliquid de præd ictis, eundem Epiſcopum abſolvendum decernimus ab objectis; vobis mandantes, quate nus memoratum magiſtrum ſcholarium, donec canonice ſuam purgaverit innocentiam, ſcili cet, quod non calumniandi animo ad hujuſmodi crimina proponenda proceſſit, ab officio, & beneficio ſuſpendatis; ut cæteri ſimili pœna perterriti, ad infamiam ſuorum facile non proſiliant Prælatorum.

In hac Decretali Innocentius, ſtatuit iſtum calumniatorem admittendum eſſe ad purgationem canonicam, antequam condemnetur, aut abſolvatur, & interim, donec ſe purgaverit, ſuſpendatur, ab officio, & beneficio,

Verum cum hodie purgatio canonica fere in deſuetudinem abierit, ut, notabo in dicto titulo alias innui, & ideo contra calumniatores, qui ad ſe purgandum amplius non admittuntur per hoc remedium, procedendum erit prout de jure, pro qualitate delicti.

Titulus III. De Simonia.

SECTIO DCCLI.

CAPUT I. IN ORDINANDO, *ex Decretali, juxta Gonzalez, deſumpta a Canone V. Synodi Romanæ, celebratæ a S. Gregorio Magno an.* 595.

Hæc Decretalis penes Gonzalez diverſum habet initium ideſt *Antiquam*, ac de Epiſcopi ordinatione procedit, ut videri poteſt apud illum. Sed cum in Codice Decretalium, quo in ſcholis utimur, his ſequentibus terminis eandem expreſſam habeamus, & ſub quibus eandem commenteutur Jo. Andr., Fagnanus, aliique celebriores canonici juris Interpretes: ideo cum eiſdem hic eam tranſcribo,

IN ordinando (& infra.) Sicut non debet Epiſcopus manum, qu am imponit, ita nec miniſter, vel notarius in ordinatione ejus vocem, vel calamum v endere. Pro ordinatione igitur, vel uſu pallii, ſeu chartis, atque paſtellis, eum, qui ordi natur, omnino aliquid dare prohibemus.

Cum tot Eccleſiæ legibus prohibitum jam fuerit quidquam recipere pro collatione Ordinum, temporibus Gregorii cæpit conſuetudo, ut Ordinatores nomine pallus, ſeu paſtelli, aliquid exigerent ab ordinatis; quod occaſionem præbuit eidem Gregorio, ut præſenti Canone eandem prohibitionem innovaret, paſtellique uſum ſpeciatim interdiceret, prout etiam interdictus legitur a Paſchali I. & Innocentio II. in *Can CVII. Si quis objecerit, & Can. CXV. Si quis prebendas, cauſ. I. q.* 3.

Quas pœnas hodie incurrant tam Ordinans, quam ordinatus ſymoniaee, & quæ limitatio huic prohibitioni acceſſerit ex decreto Concilii Tridentini, & taxa innocentiana, tam quoad Ordinatores, quam quoad notarios, exponam infra parte II. ad *caput I. ſeſſ. XXI.* ejuſdem Trident.

SECTIO DCCLII.

CAPUT III. SI DOMINUS, *ex Decretali, tributa Adeodato, ſeu Deodato Papæ,*

SI Dominus, & Magiſter omnium, qui ſine peccato fuit, accuſandi licentiam uni dedit, (& infra.) Non igitur quilibet catholicus eſt reſpuendus, ſed ut veritatem afferat ad propalandam ſimoniacam tabiem (ideſt pravitatem) magnis eſt precibus exhortandus.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, neminem catholicorum excludi ab accuſatione ſimoniacæ labis, magis explicatur ſequenti Decretali relata in *cap. VII. Tanta, hoc tit.* eidem Deod ato tributa, in qua ad hujuſmodi accuſationem admit tuntur, tam ſervi contra dominum, quam quilibet criminoſi, adin-

ſtar publici delicti, & læſæ majeſtatis, ad cujus accuſationem admittuntur etiam qui a civilibus legibus excluduntur ab accuſando, cum crimen ſimoniæ maxime periculoſum ſit, & vocetur a Sacris Canonibus flagitium horribile, comparandum blaſphemiæ Judæorum, & peccato Judæ proditoris, bes, & peſtis tanta, ut ſui gravitate alios morb ipſamque hæreſim vincat, *Can.XIV. Cum ordinari L. qu.1. Can. fin. 1. qu.7.*, ibi.

Tanta eſt labes hujus criminis, quod etiam ſervi adverſus dominos, & quilibet cri noſi admittuntur ad accuſationem. Item omnis peccator Miſſam cantare poteſt, præter moniacum, quem quilibet, ut ab Ordine male accepto removeatur, accuſare poteſt, etiam meretrix.

Nota I. Quod cum in prima Decretali dixerit Pontifex, neminem catholicorum eſſe reſpuendum ab accuſatione ſimoniæ, infertur ex contrario ſenſu reſpuendum eſſe judæum, & hæreticum; excepto caſu, ſi ſimonia adjunctam haberet hæreſim, puta, ſi ſimoniacus crederet cum pertinacia, ſpiritualia, aut ſpiritualibus adnexa poſſe temporali pretio comparari; tunc enim admitti debet, vel ut accuſator, vel ut teſtis, juxta *cap. XIII. Contra, de Hæretic. in VI.*

Nota II. Quod ex Extravaganti Pauli II. *Cum deteſtabile*, relata inter *Extravagantes communes*, *hoc eod.tit.cap.II.* nedum quilibet catholicus reſpuendus non eſt ad revelandum ſimoniacum, ſed etiam revelare tenetur, ſi agatur de crimine ſimoniæ commiſſo ſuper beneficio: itaut, ſi non revelaverit nemine abſolvi poſſit, donec id onus impleverit.

Similem Conſtit. ediderat Eugenius IV. Conſ *Cum deteſtabile 15. Kal. Junii 1434.* ubi imponi hoc idem onus ſub eadem pœna = Sed hodie (teſt *Theſaur. de pæn. eccleſ. cap.II. verb. Simonia n.* cum D.D. ibi cit.) hæc obligatio non eſt in uſu =.

Nota III. Quod cum in ſecunda Decretali dix rit, omnem peccatorem Miſſam cantare poſſe præ ſimoniacum, eſt intelligendus, declaraſſe, licere c libet alteri peccatori Sacerdoti poſt pœnitentiam M ſam celebrare, non autem ſimoniaco, etiam poſt p ractam pœnitentiam, cum quo non ſolet diſpenſari, in Ordinibus miniſtret.

SECTIO DCCLIII.

Caput IV. Accusatum, *ex Decretali Deodati Papæ.*

Accuſatum ſimoniacum neceſſe habuimus prohibere, ne Miſſarum ſolemnia celebrare donec, quid eſſet verius, conſtitiſſet.

SECTIO DCCLIV.

Caput V. Quoties, *ex Decretali eidem Deodato tributa, ſed eſt Divi Gregorii, Præſumptori Eccleſiæ Salonitanæ ſcripta.*

Quoties &c. Pervenit ad nos, quod per ſimoniacam hæreſim fueris ordinatus: pr pterea neceſſe habuimus te prohibere, ne Miſſarum ſolemnia celebrare debuiſſes, do nec, quid ſit, verius diſcerneremus.

In his duabus Decretalibus ſtatuitur, ut pendente accuſatione de ſimonia, vel accuſatus, ſeu etiam de ea inquiſitus, interim ſuſpendatur a celebratione Miſſæ, ut in utraque tam accuſatus, quam inquiſitus, de facto ſuſpenſi fuerunt, quamvis propter præviam eorundem infamationem circa ſimoniæ labem de jure jam eſſent ſuſpenſi, tam quoad ſe, quam quoad alios, ut probat Fagnanus ad hanc primam Decretalem ex *Can. VI. Præter hoc, diſtin. XXXII.* itaut, inſpecta antiqui juris diſpoſitione, prohiberentur fideles audire Miſſas eorum, qui accuſati, vel inquiſiti tantum fuiſſent de ſimoniæ, aut de alio crimine, de quo prius præceſſiſſet infamia.

Verum hodie rigor iſte temperatus eſt a Martino V. Conſtit. *Ad evitanda ſcandala*, poſt Concilium Conſtantienſe, inchoatum a Joanne XXIII. die 5. Novembris 1414. & clauſum, ac confirmatum a laud to Martino die 22. Aprilis 1418. virtute cujus Con ſtitutionis hodie, licite (ita Fagnan. *loc. cit.* cum „ communi) communicamus etiam in divinis offici „ & receptione Sacramentorum cum excommunic „ tis, ſuſpenſis, & interdictis, niſi ſint publice de „ nunciati per ſententiam hominis, aut notorii Cl „ ricorum percuſſores “ quorum percuſſio nulla te giverſatione celari poſſit.

De hac Conſtitutione fuſior inſtituetur ſermo i fra in notis ad *cap. VIII. Nulli, de Sent. excom* Sect.DCCCCXIX. ubi eandem leges per extenſum ſeu Articulum in concorda tis initis cum natione ge manica in dicto Concilio Conſtantienſi.

Sl

S E C T I O D C C L V.

Caput VIII. Non satis, *ex Decretali Alexandri III. in Concillo Turonenſi celebrato an.* 1163.

NON ſatis (& infra.) Prohibemus igitur, ne ab iis, qui ad Religionem tranſire volunt, aliqua pecunia requiratur. Nec prioratus, vel capellaniæ quælibet Monachorum, aut Clericorum annua diſtractione vendantur. Nec ab eo, cui regimem ipſarum committitur, pro earum commiſſione ullum pretium exigatur. Unde quiſquis contra hoc decretum attentare præſumpſerit, tam ille, qui dederit, quam ille, qui receperit, vel conſenſerit, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum. Pro ſepoltura quoque, & chriſmatis, & olei receptione, nulla cujuſquam pretii exactio attentetur, nec ſub obtentu cujuſquam conſuetudinis reatum ſuum quis tueatur: quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget.

In hac Decretali inter cætera prohibetur ſub reatu ſimoniæ quidquam exigi, nec pro ingreſſu in Religionem, nec pro ſepoltura, nec pro adminiſtratione Sacramentorum.

Quoad primum, quæ ſit hodierna praxis, notabo infra ad Decretalem Urbani V. relatam in *cap. I. Sane, hoc eod. tit. inter Extravagantes commun.* Sectione DCCLXIII.

Quoad ſecundum, ſi accipiatur ſepultura pro loco ſacro, ubi ſepeliuntur fidelium cadavera, certum eſt tam ex *Can. XII. Quæſta, & ſeqq. cauſ. XIII. quæſt. 2.* quam ex hac Decretali, ac altera Honor. III. relata in *cap. XIII. Abolendæ, de Sepult.* citra ſimoniæ labem nec emi, neç vendi poſſe: ex communiſſima tamen praxi vendi poteſt locus honorabilior, & capella pro conſtruenda ſepultura, etiam ſine beneplacito Apoſtol. ex decreto Congreg. Conc. 6. Septem. 1659. in *Meliten. alienat.* relat. a Card. Petra *tom. V. ad Conſtit. Pauli II. ſect. 2. num.* 18. quod tamen requiritur, ſi concedatur uſus capellæ, ſeu ſepulturæ jam conſtructæ, *ibid. num. 19.*

Si vero accipiatur pro actu ſepulturæ, ſeu exequiis, quid exigi poſſit, notabo infra ad *cap. XXIX. hoc eod. tit*, Sect. DCCLVII.

Quoad tertium, adminiſtrationem videlicet Sacramentorum, attendenda eſt Conſtitutio S. Pii V. *Cum primum*, 1. *Aprilis* 1566. qui §. *IX.* locorum Ordinarios urget, ut hujuſmodi reos ſeveriſſime puniant juxta Conc. Triden.

S E C T I O D C C L V I.

Caput IX. Cum in Ecclesiæ, *ex Decretali ejuſdem Alexandri in Concilio lateranenſi III. celebr. an.* 1179.

CUM in Eccleſiæ corpore (& infra.) Horribile nimis eſt, quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere, itaut pro Epiſcopis, vel Abbatibus, ſeu quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis ponendis in ſedem, ſive introducendis Presbyteris in Eccleſiam, nec non & pro ſepulturis, & exequiis mortuorum, & beneditionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures ex eo licere, quia legem mortis longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur, non attendentes, quod tanto graviora ſunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro perſonis eccleſiaſticis deducendis in ſedem, vel Sacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu benedicendis nubentibus, ſeu aliis Sacramentis conferendis, ſeu collatis aliquid exigatur, diſtrictius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe noverit habiturum.

In hac Decretali innovatur ſub pœna ſimoniæ prohibitio aliquid exigendi pro inſtitutione, inſtallatione, vel miſſione in poſſeſſionem beneficii, & ſimilium. Quam etiam innovavit Tridentinum *ſeſs. XXIV. cap. XIV. de reformat.* mandavitque Epiſcopis, ut hujuſmodi quaſcumque conſuetudines tanquam pravas, & ſcandaloſas penitus rejiciant, & aboleant ſub pœnis in contrafacientes a SS. Canonibus, & Summorum Pontificum Conſtitutionibus contra ſimoniacos inflictis, quoties datum, & receptum in uſos pios non convertatur, ibi.

In pluribus Eccleſiis, tam cathdralibus, quam collegiatis, & parochialibus, & earum Conſtitutionibus, aut ex prava conſuetudine obſervari intelligitur, ut in electione, præſentatione, nominatione, iſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione, ſive

admiſſione ad poſſeſſionem alicujus cathedralis Eccleſiæ, vel beneficii, canonicatuum, aut præbendarum, vel partem proventunm, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones, ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationesve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur turnorum lucra, interponantur: hæc cum ſancta Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis, ut quæcumque hujuſmodi in uſus pios non convertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant; ipſique diligenter de eorum conſtitutionibus, ſive conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas, ut pravas, ac ſcandoloſas, rejiciant, & aboleant. Eos vero, qui adverſus hæc, in præſenti decreto comprehenſa, quavis ratione commiſerint, pœnis contra ſimoniacos editis ſacris Canonibus, & variis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit. Non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, conſtitutionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis: de quarum ſubreptione, obreptione, & intentionis defectu, Epiſcopus, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatus, cognoſcere poſſit.

Huic Tridentini prohibitioni acceſſit Conſtitutio S. Pii V. *Durum nimis*, 31. *Maii* 1570. in qua eadem innovatur cum additione pænarum, ut ſequitur.

Durum nimis, & incommodum arbitramur, quod Eccleſiarum miniſtri in iis, quæ ad ipſorum ſuſtentationem ſuppeditant, diſpendia patiantur: quocirca cum hanc ad rem, ſimulque prohibendam ab Eccleſia Dei avaritiæ pravitatem, editas antehac ſanctiones minime ſatis eſſe intelligimus, novæ Conſtitutionis ſubſidio cogimur providere.

§. I. Cum itaque alias ex plurium Eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum Conſtitutionibus, aut ex prava conſuetudine obſervari intelligeretur, ut in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus cathedralis Eccleſiæ, vel beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones, ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur turnorum lucra, interponerentur, licet ſancta Synodus hæc deteſtata, mandaverit Epiſcopis, ut quæcumque hujuſmodi, quæ in uſus pios non converterentur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem haberent, fieri non permitterent, ipſique diligenter de eorum Conſtitutionibus, ſive conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcerent, & illis tantum, quas probarent, exceptis, reliquas, ut pravas, & ſcandaloſas rejicerent; eos vero, qui adverſus prædicta quavis ratione commiſiſſent, pœnis contra ſimoniacos editis teneri decreverit, multorum tamen indomita cupiditate, tam prædicta, quam alia ad beneficium, & commodum ipſorum miniſtrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios ſenſus traducta perperam eluduntur.

§. II. Quare nos pro divini cultus exercitio, ſimulque evocatorum ad illum, auxilio plenius, evidentiuſque conſulendum fore rati, revocamus, & abolemus omnia, & quæcunque privilegia, conſuetudines, & ſtatuta quarumcumque Eccleſiarum cathedralium, & metropolitanarum, ac majorum, necnon collegiatarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut alio quovis præſidio munita, ac etiam ſupra hominum memoriam, & longiſſimo, ac quantocunque tempore etiam continuo obſervata, ſive pro ſolvendis Eccleſiarum, vel Prælatorum debitis, ſive pro ſupportandis illorum oneribus, ſive aliis etiam majoribus, maximis, & urgentiſſimis cauſis conceſſa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extenſa, & moderata, quod vacantibus ipſarum Eccleſiarum dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, portionibus, beneficiis, & officiis, fructus, ac etiam quotidianæ diſtributiones ex eis primo ab ipſo vacationis anno, aut longiore, vel etiam breviore tempore proventuri, menſæ epiſcopali, ſeu capitulari, aliove loco, integre, vel partim remaneant, ſeu applicentur, aut in communes uſus cedant, ſeu inter alios Canonicos, & perſonas Eccleſiæ, ſeu capituli dividantur. Quodque nullus etiam Apoſtolica auctoritate proviſus in Canonicum recepi, aut ad dignitatem, ſeu portionem, beneficium, vel officium admitti, vel alias in ejus poſſeſſionem induci poſſit, niſi prius de obſervandis hujuſmodi privilegiis, conſuetudinibus, & ſtatutis juramentum præſtiterit, & obtentæ illorum derogationi,

tioni, ac fructuum, & diſtributionum perceptioni renunciaverit, ſeu capitulo, & perſonis prædictis ceſſerit, ſeu (ut appellant) dulciaria, aut quid aliud præſtiterit; quorum omnium tenores, cauſas, & effectus habemus præſentibus pro expreſſis, quibuſcunque illa concepta ſint formulis, nec non irritantibus, & aliis decretis roborata. Volentes ea omnes vires, & effectum de cætero non habere.

§. III. Præcipimus igitur, & interdicimus omnibus Epiſcopis, Capitulis, collegiis, & perſonis, ad quos id pertinet, ne poſthac fructus, aut diſtributiones hujuſmodi, nec prorſus ullam eorum partem retineant, neve ipſorum ceſſionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocunque petant, vel exigant, aut quemquam, ſive ordinaria, ſive Apoſtolica auctoritate proviſum, ad præſtandum hujuſmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti poſſeſſionem impediant, vel remorentur. Quicunque contrafecerint, ſi Eccleſiarum Antiſtites, tamdiu a pontificalis officii exercitio ſint ſuſpenſi, donec, ſatisfactione prævia, illis per Sedem Apoſtolica ſuſpenſio relaxetur. Capitula vero, & collegia quæcunque eccleſiaſtico ſuajaceant interdicto, ac ſingulares perſonæ in excommunicationis ſententiam incurrant, a qua, niſi in mortis articulo conſtituti, ab alio quam a Rom. Pont. abſolutionis beneficium nequeant obtinere; decernentes hujuſmodi præſtita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimmo jurantes in hujuſmodi cenſuram incidere, necnon irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his per quoſcunque ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. IV. Et nihilominus ſtatuimus, ut ubicunque hujuſmodi fructus, & diſtributiones fabricæ, vel ſacriſtiæ, aut alterius pii loci uſibus ultra ſemeſtre tempus reperiuntur conceſſi, horum dumtaxat dimidia pars ipſi ſacriſtiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero Beneficiati prædicti integre percipiant.

Hanc Conſtitutionem innovavit Innocentius XII. additione pœnarum, ut ſequitur. Conſtit. *Eccleſia Catholica*, 22. *Septembr.* 1695. cum

Hinc eſt, quod Nos... omnia, & ſingula præmiſſa a præfatis Nicolao, Pio, & Gregorio Prædeceſſoribus conſtituta, ordinata, interdicta, decreta, & reſpective declarata, ut præfertur, expeditaſque deſuper illorum Conſtitutiones, ſeu literas ſupradictas tenore præſentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus, illiſque perpetuæ, atque irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, patrocinium, & præſidium adjicimus. Præterea, ut eadem præmiſſa firmius, atque inviolabilius de cætero obſerventur, ultra omnes, & ſingulas pœnas in iiſdem Conſtitutionibus, ſeu literis impoſitas, privationis Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum, & quoad Regulares, etiam vocis activæ, & paſſivæ, ac graduum, munerum, & officiorum quorumcumque per eos reſpective obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcumque in poſterum quomodolibet obtinendam pœnas per contrafacientes ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendas, adjungimus. Porro ad penitus extirpandum, atque evellendum abuſum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum, ſeu ſtatutorum quorumcumque, quæ perperam, ac adverſus ſacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitionem, occurrente Eccleſiarum quarumlibet, præſertim cathedralium, & metropolitanarum, ſeu monaſteriorum quorumvis vacatione, ab iis, ad quos electio perſonarum idonearum ipſis Eccleſiis, ſeu monaſteriis ad electionem hujuſmodi reſpective præficiendarum juxta privilegia, & indulta Apoſtolica eis deſuper conceſſa, aut alias legitime ſpectat, ſive ante, ſive poſt electionem prædictam interdum iniri, condi, aut fieri conſueverunt, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus earundem tenore præſentium omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, ſub eiſdem omnino pœnis ſuperius expreſſis, quarum abſolutionem, ſeu relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti dumtaxat ſpecialiter reſervamus, diſtricte prohibemus, & interdicimus, ne capitulationes, pactiones, conventiones, concordata, ſeu ſtatuta hujuſmodi ante ipſam quidem electionem, ſeu etiam poſt electionem de cætero inire, condere, aut facere audeant quovis modo, ſeu præſumant; illaque proinde, quatenus de facto contra præſentis noſtræ prohibitionis formam inita, condita, ſeu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribuſque, & effectu penitus, & omnino va-

cua,

Digitized by Google

cua, ac nullius roboris, & momenti eſſe, & perpetuo fore, neminemque ad illorum, ſeu cujuslibet eorum, etiamſi juramento vallata ſint, obſervantiam teneri, aut obligatum exiſtere, vel fore decernimus, & declaramus. Quæ vero, electione, ſeu poſtulatione hujuſmodi ſecuta, quomodolibet iniri, condi, ſeu fieri contigerit, ad Nos, ſeu eundem Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem quamprimum deferri, atque ita noſtro, & Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjici præcipimus, ſuſpenſa interim eorum omnium, & ſingulorum executione, donec, & quouſque ab eadem Sede, ſine cujus auctoritate nihil omnino in ſimilibus paciſci fas eſt, Apoſtolicæ confirmationis robur in totum, vel in partem receperint. Cæterum per præſentes non intendimus ea, quæ antehac contra ſupradictarum Nicolai, Pii, & Gregorii Prædeceſſorum, ſeu forſan aliarum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ſeu literarum formam quomodolibet geſta fuerunt, ullatenus approbare, nec pœnas ea de cauſa per transgreſſores incurſas remittere, vel condonare.

Circa hanc materiam vide notanda infra ad *caput XLIV. Jacobus*, Sectione DCCLXXVIII.

Quod ſpectat ad exactionem pretii pro ſepultura mortuorum, ac Sacramentorum adminiſtratione, attendenda ſunt mox notata, & notanda infra.

SECTIO DCCLVII.

CAPUT XI. DE HOC AUTEM, *ex Decretali laudati Alexandri III. Archiepiſcopo Toletano reſcripta*.

DE hoc autem, quod Epiſcopus Oxonien. Archid. beneficium, & cuidam Clerico ante electionem ſuam prioratum dicitur promiſiſſe, ut uterque conſentiret eidem: tuæ prudentiæ reſpondemus, quod ſi manifeſtum eſt, eundem Archid. & Clericum ob cauſam illam promiſſa recepiſſe, aut exinde confeſſi fuerunt in jure, vel legitime convicti, ab Altaris miniſterio ſunt perpetuo deponendi. Si vero id manifeſtum eſt, nec tamen inde convicti, vel confeſſi fuerint, ſed tantum publica laborant infamia, eis canonica purgatio debet indici: in qua, ſi defecerint, tanquam auctores tanti ſunt ſceleris puniendi. Regem autem, & Principes ejus debes inducere, ut, ſi qua receperint a præfato Epiſcopo, ut ejus electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ Oxonien. ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint.

In hac Decretali præcipit Alexander, indici purgationem canonicam diffamatis de ſimonia. Verum hodie hæc fere obſolevit, ut animadvertam ad eundem titulum.

Diſtinctio autem, quam hic Pontifex aſſert inter ſimoniam manifeſtam, & occultam, attento jure, quo nunc utimur, ex Decretali Pauli II. relata in *cap. II. Cum deteſtabile, in Extravagan. commun. hoc eod. tit.* locum amplius non habet: ſublato enim in ea inter occultam, & manifeſtam ſimoniam omni diſcrimine, ordinatus ſimoniace ipſo facto ab Ordinum executione ſuſpenditur.

Neque obiicias, S. Pium V. Conſt. *Cum primum*, 1. *Aprilis* 1566. quodammodo poſtea renovaſſe dictam diſtinctionem, ſtatuendo, quod ſimoniace ordinatus, ad incurrendam ſuſpenſionem, debeat prius eſſe convictus ſimoniacæ pravitatis; *quicumque deteſtabile vitium ſimoniacæ pravitatis convictus fuerit commiſiſſe in conſequendis Ordinibus, eo ipſo ab illorum executione per decennium, ſine ſpe diſpenſationis, ſit ſuſpenſus*. Nam, quidquid dicant aliqui, per hæc verba non negat Sanctiſſ. Pontifex, quod ſimoniacus occultus, & qui non eſt convictus, incurrat ſuſpenſionem; ſed tantum quoad eum, qui ſimoniacæ pravitatis convictus fuerit, ſuſpenſionem, antea triennalem, extendit ad decennalem, inſuper addendo pœnam carceris per annum, ut videri poteſt in eadem Conſtitutione. Propterea cum in præfata II. *Extravag. hoc eod. tit.* ſtatuerit Paulus II. ut ſimoniaci (& quidem exprimendo *eorum quemlibet tam manifeſtum, quam occultum*) *a ſuorum ſint Ordinum executione ſuſpenſi*: dicendum etiam a ſimoniaco occulto, & non convicto, hujuſmodi ſuſpenſionem contrahi, cum hactenus revera tale ſtatutum non fuerit ablatum, imo pluries confirmatum, ut in decurſu videbitur. Textum dictæ Decretalis, *Cum deteſtabile*, leges infra Sect. DCCLXIX.

Notandum hic velim cum Panormitano ad hoc idem *caput num.* 5. quod quamvis pretium ſimoniacum regulariter reſtituendum ſit danti; in præſenti tamen caſu reſtituendum præcipitur Eccleſiæ, licet non provenerit ex ipſius bonis.

SECTIO DCCLVIII.

CAPUT XIII. INSINUATUM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III. Epiſcopo Ciceſtrenſi in Anglia ſcripta.*

INſinuatum eſt, quod in Eccleſiis tui Epiſcopatus plurimi Clerici per ſimoniam habere dicuntur ingreſſum, & infamia inde reſpergi. Unde mandamus, quatenus, ſi qui fuerint, quos in prædictis Eccleſiis publicum, & notorium eſt ſimoniace intraſſe, eos amoveas ab Eccleſiis taliter acquiſitis. Illis autem, quorum crimen non eſt publicum, & notorium, ſi publica laborant infamia, cum quinta, vel ſexta manu ſui Ordinis purgationem indicas: in qua ſi defecerint, beneficiis hujuſmodi Eccleſiarum perpetuo prives eoſdem.

In hac pariter Decretali præcipit Alexander, diffamatis de ſimonia indici purgationem canonicam: ſed ex hodierna diſciplina tu tene notata in antecedenti Sectione.

Circa diſtinctionem, quam affert inter ſimoniam manifeſtam, & occultam, idem judicium eſto ac in eadem præcedenti Sectione.

Quod vero ſpectat ad beneficium ſimoniace obtentum, hic quidem eo proviſus privari jubetur. Verum ex poſteriori jure, ex Decretali ſcilicet Pauli II. relata in *cap. II. Cum deteſtabile, hoc eod. tit. in Extravag. commun.* cujus Textum leges infra Sectione DCCLXIX. eſt ipſo jure privatus, ut ante omnem declarationem illud dimittere omnino debeat, fructuſque inde perceptos ſub animæ ſuæ periculo, peccato ſcilicet, adſtrictus ſit: in qua inſuper infligitur excommunicatio latæ ſententiæ, Papæ reſervata, in univerſos, & ſingulos, cujuſcumque ſtatus ſint, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ, etiam cardinalatus, patriarchalis, epiſcopalis, regalis, vel reginalis, qui quomodolibet, dando, vel recipiendo, in hoc ſimoniam commiſerint, ejuſque mediatores.

Hæc Papalis Decretalis nedum confirmata eſt a S. Pio V. *Cum primum*, 1. *Aprilis* 1566. ſed etiam ampliata, excepto, quod expreſſam mentionem non faciat de dignitate cardinalatus, ut §. VIII. ibi.

Et ut ſimoniacæ pravitatis, & labes prorſus aboleatur, Conſtitutiones Anteceſſorum noſtrorum contra ſimoniacos editas, & præſertim Pauli ſecundi inviolabiliter obſervari mandamus, & delinquentes tam in ſacrorum Ordinum receptione, quam in beneficiorum aſſecutione, ſtatutis etiam inferius pœnis noſtra auctoritate affici volumus. Quicunque igitur deteſtabile crimen ſimoniacæ pravitatis commiſiſſe convictus fuerit in conſequendis Ordinibus, eo ipſo ſit ab illorum executione per decennium, ſine ſpe diſpenſationis, ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates eccleſiaſticas ſimoniace acquiſiverit, illis ſit ipſo jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcunque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium eccleſiaſticum ſimoniace adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo jure privatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia eccleſiaſtica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commiſiſſe convictus fuerit, præter ſupradictas pœnas, etiam corporaliter puniatur, & ab Ordinibus eccleſiaſticis degradatus, a fidelium conſortio ejiciatur, Qui vero Ordines, & beneficia ſimoniace contulerint, pœnis a jure ſtatutis puniantur, cujuſcunque gradus, conditionis, & dignitatis, etiamſi Epiſcopi, Archiepiſcopi, vel majores fuerint.

Huc etiam ſpectant pœnæ, quas leges in ſequenti Conſtitutione *Romanum Pontificem*, 16. *Octobris* 1564. a Pio IV. inflictæ contra committentes ſimoniam ſuper beneficiis, quam vulgo vocant confidentiam, cum ſcilicet contracta fiducia, illa recipit cum pacto eadem conferentibus, vel reſignantibus dimittendi, ſeu retrocedendi, ſive gratis, ſive cum penſione, vel ex eis fructus, vel penſiones in alios trasferendi, ibi.

Sane licet dudum, cum certam ſimoniacæ pravitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, etiam Romanæ Curiæ, atque adeo in ſacrum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, quaſi per cuniculos irrepſiſſe, ac nonnullos ex ipſis Fratribus, nimia quadam facilitate, ſeu potius importunis amicorum, familiariumque precibus adductos, beneficia eccleſiaſtica in confidentiam hujuſmodi recepiſſe, & frequenter recipere intelleximus, hanc illicitam beneficientiæ exercendæ, ſeu amicitiæ colendæ viam, a tanto ſaltem Collegio prorſus eliminare cupientes, eoſdem Fratres in Conſiſtorio noſtro ſecreto, non ſemel admonuerimus, huic aliena beneficia cuſtodiendi modo ne aſſueſcerent, neve illa hoc pacto reciperent, utque ſic recepta dimitterent, nihilominus nuper

ad

aures noſtras pervenit, eorum aliquos, monitionis noſtræ, immo potius ſuimet oblitos, ea, quæ cuſtodienda receperant beneficia, nondum tamen dimiſiſſe. Et inſuper illos, & nonnullos alios, etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, & alios Epiſcopos, ac etiam Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Eccleſias, monaſteria, dignitates, & alia beneficia hujuſmodi, in ſui favorem reſignata, ceſſa, vel alias dimiſſa, acceptaſſe, aut de illis, per obitum, vel alias vacantibus, a nobis, & Prædeceſſoribus noſtris, ſeu etiam ab Ordinariis, & aliis inferioribus collatoribus, etiam ad patronorum præſentationem, ad alterius commodum ſibi provideri obtinuiſſe, illaque, ac etiam alia aliter vacantia, ſibi in titulum, commendam, vel adminiſtrationem, aut alias dicta auctoritate conceſſa, quandoque in reſignantium, vel cedentium, ſeu etiam aliorum favorem ceſſiſſe, vel alias dimiſiſſe. Ac ſibi propterea penſiones annuas, ac fructus, redditus, & proventus Eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, & aliorum beneficiorum hujuſmodi in toto, vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas, & illos transferendi, ac etiam collationem, proviſionem, præſentationem, & aliam diſpoſitionem beneficiorum eccleſiaſticorum ad earundem Eccleſiarum, monaſteriorum, & dignitatum Prælatos pro tempore exiſtentes, ac alios hujuſmodi beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, necnon regreſſus, ſive acceſſus, & ingreſsus ad Eccleſias, etiam cathedrales, monaſteria, ac alia diverſa beneficia eccleſiaſtica, ſibi reſervari procuraſse, & obtinuiſse, ad hoc videlicet, ut confidentes ſic decimarum Apoſtolicarum, vel communis dicti Collegii, & annatæ, aliorumque jurium dictæ Cameræ debitorum, ſolutionem eludant, integriſque beneficiorum, etiam in menſibus Apoſtolicis vacantium, aut alias diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ generaliter reſervatorum collationibus, ac interdum, ut beneficia ipſa, tempore procedente, in aliquorum tunc forſan de jure inhabilium, & incapacium, vel nondum adhuc natorum, favorem, cedantur, ſeu reſignentur, vel ut perſonæ inhabiles, & incapaces hujuſmodi, etiam laici, penſionibus, ac fructibus, redditibus, & proventibus eccleſiaſticis fruantur, & gaudeant, ſeu potius illis, & facultate transferendi prædicta abutantur, in animarum ſuarum periculum, & pernicioſum exemplum.

Quare nos hanc Cardinalium eorundem in monitionibus noſtris parendo incuriam, & tam illorum, quam cæterorum Prælatorum, etiam Clericorum, ac aliorum quorumcumque indignam fallaciam, conniventibus oculis, diutius minime diſſimulandam, ſed huic errori, ne radices altius agat, occurrendum tandem eſse cenſentes. Et quoniam hanc ipſorum, qui monitioni noſtræ non parentes, beneficia hujuſmodi in confidentiam, ut præfertur, retinuerunt, & fructus ex eis indebite, vel percipiendo, vel per alios nomine ſuo, etiam per ſimulatas illorum locationes, & fictas de receptis quietantias, ac donationes, & remiſſiones percipi ſinendo, graviter exceſserunt Cardinalium metam, potius ex immoderata erga ſuos indulgentia, quam aliquo præceptorum noſtrorum ſpretu proceſſiſse facile reputamus. Idcirco omnes, & ſingulas Eccleſias, etiam metropolitanas, & alias cathedrales, ac monaſteria, etiam conſiſtorialia, prioratus, præpoſituras, præpoſitatus, dignitates, etiam majores, & principales, etiam conventuales perſonatus, adminiſtrationes, & officia, cæteraque beneficia eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ſecularia, & quorumvis Ordinum, regularia, etiam de jurepatronatus, etiam laicorum, etiam nobilium, & illuſtrium, etiam ex fundatione, & dotatione exiſtentia, per ejuſdem Rom. Eccleſiæ, etiam Epiſcopos Cardinales, & quoſcumque alios, etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, & alios Epiſcopos, ac etiam ejuſdem Cameræ Clericos, in titulum, commendam, vel adminiſtrationem, aut alias in hujuſmodi confidentiam jure prohibitam, cujuſvis perſonæ, ut præfertur, contemplatione, vel intuitu, quovis modo recepta, illorum liberam collationem, & diſpoſitionem Nobis, & Sedi Apoſtolicæ harum ſerie reſervantes, ipſo jure a die receptionis eorundem vacaviſſe, & vacare. Ac fructuum, & penſionum reſervationes, ac facultates transferendi, & collationis beneficiorum conceſſiones, eis, ut præmittitur, factas, ac regreſſus, ſive acceſſus, & ingreſſus conceſſos hujuſmodi ceſſaſſe, & ceſſare, ac extinctos eſſe.

Et eoſdem Cardinales, ſeu quoſvis alios, a prima die receptionis beneficiorum hujuſmodi, citra fructus, redditus, & proventus earundem Eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, & aliorum beneficiorum, ac penſiones prædictas indebite percipere, ſuoſque facere non potuiſſe, neque debuiſſe, ſed illos omnes, & ſingulos ad Cameram eandem devolutos fuiſſe, & eſſe, illique deberi, ac ipſos Cardinales, & alios, ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, & eorum hæredes, ad integram illorum reſtitutionem in utro-

que

que foro teneri, & ad id opportunis juris remediis compelli debere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernims, & declaramus.

Et inſuper univerſis, & ſingulis tam ejuſdem Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, etiam Epiſcopis, quam Prælatis, & Clericis, ac aliis prædictis præſentibus, & futuris, ne deinceps ullo unquam tempore aliquas Eccleſias, monaſteria, dignitates, vel alia beneficia, etiam de dicto jurepatronatus, uti præfertur, exiſtentia, aut fructus, vel penſiones, aut regreſsus, ſeu acceſsus, in confidentiam prædictam, aut ad effectum reſervationum hujuſmodi ſibi poſtmodum cedentibus procurandarum, recipere præſumant, Cardinalibus videlicet, & aliis Prælatis hujuſmodi, in virtute ſauctæ obedientiæ, & ſub interdicti ingreſsus Eccleſiæ, reliquis vero ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ pœna, per contrafacientes eo ipſo incurrenda, a qua, niſi a Nobis, aut Rom. Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, diſtrictius inhibemus.

Ac quaſcunque collationes, proviſiones, præfectiones, commendas, reſervationes, facultates, etiam transferendi, ac regrediendi, ſive accedendi, & ingredlendi, ac alias diſpoſitiones de Eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, & aliis beneſiciis, eorũmque fructibus, & beneficiorum collationibus, per Nos, & alios Roman. Pontifices Succeſsores noſtros, etiam motu proprio, ſeu conſiſtorialiter, aut etiam per Ordinarios, & alios inferiores collatores, etiam ad patronorum eorundem præſentationem, & alias quomodolibet cum interventu confidentiæ hujuſmodi, expreſse, ſive occulte, ac de jure præſumpto, & alias contra præmiſſa pro tempore factas, nullas, & invalidas, nulliuſque roboris, vel momenti fore, neque cuiquam ſuffragari, ſed Eccleſias, monaſteria, dignitates, ac alia beneficia hujuſmodi, ipſo jure vacare, ac noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſervata, fructuſque, & penſiones Cameræ Apoſtolicæ applicatos, ut præfertur, eſse, & cenſeri.

[f] Hæc Conſtitutio confirmata fuit cum declaratione regularum ad dignoſcendum, in quibus caſibus locum habeat hujuſmodi confidentia, & cum aggravatione pœnarum, a S. Pio V. ſequenti Conſtit. *Intolerabilis, ſub die* 11. *Junii*, *&* 14. *Novembr.* 1569. ibi.

Intolerabilis multorum perverſitas, qui ſacroſanctas Conſtitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, ſæpe illarum auctores in neceſſitatem adducit cautius providendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus graviore ſanctione propoſita reprimantur.

Bene quidem, & providenter fel. record. Pius Papa IV. Prædeceſsor noſter ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum eccleſiaſticorum corruptelam, ſtatuit, & decrevit &c.

Verumtamen propter improbas multorum cupidltates prædictas, quæ ad purgandam hac pernicie Eccleſiam, & animarum ſalutem ab ipſo Prædeceſsore edita ſunt, in multis deprehendimus viam aperviſse gravius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querolis pridem concitati, quod Judices in cauſis hujuſmodi confidentiarum expediendis remiſſiores eſsent, omnes, & ſingulas cauſas ipſas, ubicunque, & inter quoſcunque motas ad nos advocaviſsemus, ac omnimodam hujuſmodi cauſarum præſentium, & futurarum, rerumque omnium ex ipſis reſultantium cognitionem Nobis, & Succeſsoribus noſtris reſervaviſſemus, & ſuperquibuſdam coram Nobis proceſsum fuiſset, variis inde, nec levibus conjecturis, intelleximus, vitium quidem confideutiæ occulte Irrepſiſse, ſed pleriſque cauſis præſumptiones, & conjecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime ſufficere, ejuſque rei cauſa plurimos, qui ante literarum prædictarum editionem hujuſmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obſtructam veritatem propter difficultates probandi in judiciis confidentias ipſas, contempta Conſtitutione prædicta, Eccleſias, monaſteria, & beneficia ſic recepta, ut prius retinere, alios fructus, penſiones, & alias res accipere, alios eorum exemplo ad ſimilia, & graviora fidentius commoveri. Multi enim ipſa beneficia Iure retinere nequeuntes, alii, ne cogantur ad ſacros Ordines, ad reſidentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiſcantur, ut inimicos occidant; alii, ut alieno nomine lites agant, aut defendant; alii propter crimina incapaces; quidam, ut purgato delicto, vel abſolutione conſecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, & in pleriſque fructus ipſorum, aut eis miniſtrantur, aut quibus ipſi ſtatuunt, ſæpe laicis, & inhabilibus. Plerique,

vel ſenes, vel infirmi, ut beneficia in domibus ſuis perpetuent, illa renunciarunt, & renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus eccleſiaſticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut naſcituris aſſervent, facto interdum circuitu retroceſſionis, cum reſervatione fructuum, & aliarum rerum, aut acceſſu, præſertim ab illis, qui præſtandorum jurium Cameræ Apoſt. ſunt immunes, alii aut incapaces, aut aliis beneficiis eccleſiaſticis onuſti, aut eccleſiaſtico Ordini ſeſe mancipare refugientes, aut mere laici beneficia eccleſiaſtica aliis conferenda procurant, ut de illis poſtmodum ad libitum ſuum diſponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique Ordinarii, & collatores, ac etiam patroni laici, curant deponenda beneficia, ut fructus, ſeu penſiones capiant eorundem, aliiſve faciant miniſtrari. Alia item per multa ejuſcemodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, diſciplinæ eccleſiaſticæ neruus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum.

Quare nos volentes periculoſam talium audaciam novi juris ſubſidio cohibere, præſentium auctoritate ſtatuimus,

I. Ut, ſi quis quacunque auctoritate Eccleſiam, vel monaſterium, aut aliud beneficium eccleſiaſticum qualecunque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcunque perſonæ, ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu, etiam ſola dimittentis intentione, receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus, eidem dimittantur, vel alteri poſtea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur, ex eiſdem hæc confidentia cenſeatur.

II. Itidem, ſi Ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum, beneficium eccleſiaſticum quovis modo vacans, ea conditione, tacita, vel expreſſa, ut poſtea in alterum pro arbitrio Collatoris, ſeu alterius cujuſcunque contra juris communis ordinationem diſponatur, ſive ut de eo proviſus, fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & remittat, ſeu penſionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per ſe, vel per alium, ſcripto, aut verbo juſſerit, ſeu ſignificaverit, perſolvat, & pariter ſi a patrono etiam laico, vel alteri præſentatori, ſeu electori contingerit, aut contingat id fieri.

III. Adhæc, ſi Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius a ſolutione jurium ipſius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apoſt. exemptus, poſt reſignationem, vel ceſſionem alicujus extranei, de Eccleſia, monaſterio, vel alio beneficio eccleſiaſtico in ſe, apoſtolica, vel alia auctoritate factam, & admiſſam, illam, vel illud, etiam confectis literis Apoſtolicis, & poſſeſſione apprehenſa, in eundem reſignantem, vel cedentem, modico ſpatio interdicto veluti duorum, vel trium menſium retroceſſerit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retroceſſione fructus Eccleſiæ, ſeu monaſterii, aut beneficii, vel eorum pars, ſeu penſio, ſeu quid aliud ſuper his reſervatum, aut regreſſus, ſeu acceſſud, & ingreſſus ad illam, vel illud, ipſi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto ſit, fueritve conceſſus.

IV Poſtremo, ſi quis crimine aliquo abſolutus, aut cum quo ſuper irregularitate diſpenſatum eſt, denuo receperit quacunque auctoritate Eccleſiam, monaſterium, vel aliud beneficium eccleſiaſticum, quod ante, vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſerit, in quibus horum caſuum confidentiæ pravitas ſit contracta, caſuſque hujuſmodi literis prædictis comprehendantur, ac ſi illis ſpeciatim expreſſi fuiſſent, licet ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientia ſit admiſſum.

Ad probandum vero plene confidentiarum abuſum, inter alias etiam hæ præſumptiones, & conjecturæ habeantur legitimæ videlicet.

I. Si quis poſt ceſſam ab ſe Eccleſiam, vel monaſterium, aut beneficium, & publicatam reſignationem, ſeu ceſſionem, captamque a ſucceſſore poſſeſſionem, ſeſe in illa, vel illo, ſeu rebus illius, per ſe, vel alium, ſeu alios, de facto ingeſſerit, aut fructus perceperit, aut quicunque ſucceſſor illi, vel ejus propinquis ipſe, aut partem aliquam remiſerit eorundem.

II. Si recipiens beneficium conſtituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimiſſi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

III. Si vel ſola procuratoris depoſitione, vel libris rationalibus menſariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ perſonam recipientis concernit, proſecuta ſit, ſimulque expenſæ pro ea neceſſariæ ab illo factæ fuerint. De-

Denique ſi quis pro conceſſione alicui facta, quacunque auctoritate, de beneficio eccleſiaſtico per ſe, vel alium, ſeu alios interceſſerit, vel alias in negocio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſeris fuerit diſpoſitum quandocunque.

Teſtes autem de quaque re ſingulares ſingulas probare valeant præſumptiones, & conjecturas, pluresque hujuſmodi præſumptiones, & conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.

Cæterum criminoſi, & cæteri omnes, qui ad prohibendum in caſibus ſimoniæ teſtimonium recipi poſſunt, ad prædicta omnia admittantur.

Sed, ne quiſquam, etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra ſe judicii, in crimine perſeveret, utque hoc malum gravioris cenſuræ ſtimulo uſquequaque prohibeatur, omnes, & ſingulos qui hucuſque Eccleſias, monaſteria, beneficia, fructus, penſiones, aliaſve res, intercedente hoc confidentiæ vitio, receperunt, ac retinent, niſi ſtatim ad ſe reverſi, & reſipiſcientes, celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, & quiquid tale admiſerint in futurum, etiam omnibus, & ſingulis aliis Eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, adminiſtrationibus, officiis, & beneficiis obtentis, quæ pariter ſub dicta reſervatione comprehendi volumus, necnon fructibus, penſionibus, & aliis rebus eccleſiaſticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & aliis officiis temporalibus præſentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in juris ſubſidium excommunicationis ſententia innodamus, a qua nullus, niſi in mortis articulo conſtitutus, ab alio quam a Romano Pontifice, abſolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim advocatione cauſarum hujuſmodi, & reſervatione cognitionis illatum, rerumque omnium inde emergentium, Nobis, & prædictis Succeſſoribus, ut prædictum eſt, facta, cauſis illis dumtaxat exceptis, quæ jam coram Nobis pendere noſcuntur, ac etiam iis, quas ratione Eccleſiarum, & monaſteriorum, quorum diſpoſitio in Conſiſtorio fieri conſuevit, aut debet, itemque contra ordinarios collatores, Epiſcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales, haberi contigerit, uti jam aliis noſtris literis ſtatutum eſt, audiendis, decidendis, & terminandis, harum ſerie prorſus relaxata, decernimus, ita deinceps quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictæ S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & ipſorum cuicunque, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, interpretari, & definire debere, necnon irritum, & inane quidquid ſecus in prædictis per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca omnibus locorum Ordinariis diſtrictius injungimus, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, Civitatibus, Diœceſibus, & locis, etiam exemptis, ad prædicta ſtudioſe attendant, & quatenus illis relaxavimus, in delinquentes ſevere animadvertant, si divinæ majeſtatis judicium, dictæque Sedis cenſuram voluerint evitare. In cæteris vero cauſis, & negociis (Nobis, & prædictis Succeſſoribus exceptis) eoſdem locorum Ordinarios præſentium auctoritate delegamus, ut gratia, & favore poſtpoſitis, pro ſe quiſque, cum venerit uſus, contra prædictos omnes ſub ipſa exceptione comprehenſos diligenter inquirant, ſuoque inquiſitiones omnes ſigillo obſignatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant, ut nos, & prædicti Succeſſores in cauſis hujuſmodi procedentes, quod juſtum fuerit, decernamus.

Nos enim ſingulis Ordinariis ipſis prædictos omnes, & quoſcunque alios, etiam exemptos, etiam per edictum publicum, conſtito prius ſummarie, & extrajudicialiter de non tuto ad illos acceſſu, citandi, & monendi, eiſque, ac Judicibus ordinariis, & delegatis, aliiſque perſonis quibuſcunque, ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis ſeſe interponant, etiam per ſimile edictum inhibendi, eoſdemque, ac alios contradictores, & rebelles quoſcunque per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, ac omni alia juris, & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii ſecularis, quandocunque opus erit, invocandi, cæteraque in prædictis omnibus, & ſingulis neceſſaria faciendi, & exequendi, plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem.

Hodie in Conſiſtorio noſtro ſecreto, ut moris eſt, accepto, quod a nonnullis prætendebatur S. R. E. Cardinales obtentu privilegiorum ſub Conſtitutione noſtra de confidentiis beneficialibus, ſaltem quoad privationem, cenſuras, & alias pœnas in dicta Conſtitutione contentas, propter non factam in clauſula impoſitionis illarum ſpecialem, & expreſſam

de dictis Cardinalibus, & privilegiis mentionem minime comprehendi, licet aliter mentis, & intentionis noſtræ fuerit quemadmodum, & ex literis dictæ Conſtitutionis colligi poſſet.

Adtollendum tam omne dubium, atque impedimentum, quominus Conſtitutio præfata commune bonum, & ſalutem animarum concernens, plenarium effectum ſortiatur, declaravimus, omnes S. R. E. Cardinales, in Conſtitutione, & literis præfatis, ac ſingulis earum partibus, etiam quoad privationes, omneſque, & ſingulas alias cenſuras, & pœnas in ipſis literis contentas, comprehendi, ac contrafacientes, privationes, cenſuras, & pœnas ipſas incurrere, prout nos illos omnes includi, & incurrere volumus eo ipſo.

Decernentes ſic per quoſcunque &c. etiam Cardinales, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata &c. judicari &c. debere necnon irritum &c. attentari.

Ac privilegia præfata, necnon exemptiones, conſervatorias, & indulta omnia, per quoſcunque Romanos Pontifices &c. etiam motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac etiam conſiſtorialiter, & ex quibuſcunque cauſis in genere, vel in ſpecie conceſſa, confirmata, extenſa, & moderata, & quantocunque tempore obſervata, ad effectum præfatorum revocavimus, & annullavimus, viribuſque, & effectu quoad hæc prorſus carere decrevimus, voluimuſque, & ſtatuimus, tenores privilegiorum &c. qualiacunque ſint, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis haberi.

Solamque hanc ſchedulam manu noſtra ſignatam, & in Cancellariæ Apoſtolicæ libro ad perpetuam rei memoriam regiſtratam, abſque alia literarum confectione, ſufficere, eamque, & ejus exempla ubique locorum in judicio, & extra illud fidem facere.

Sixtus autem V. Conſtit. *Divina Dei providentia 1. Novembr.* 1586. ſtatuit regulam, qua Judex cauſarum confidentialis confidentiæ, & ſimoniæ procedere debeat in Romana Curia movendarum, aut per appellationem a judicibus extra Curiam introducendarum.

Qui tamen quoad executionem allatarum Conſtitutionum Pii IV. & V. in Regno Galliæ ſub die 13. Auguſti 1587. edidit ſequentem Conſtitutionem cum moderatione pœnarum in iiſdem inflictarum, *Paſtoralis officii*, ibi.

Paſtoralis officii ... Cum autem ſicut accepimus literæ prædictæ in Regno Galliæ obtemporum injuriam, aliaſque varias ſubortas difficultates, diverſaque impedimenta adhuc debitæ executioni non fuerint demandatæ, ac propterea tam pernicioſum confidentiæ vitium, quod celeriter extirpari, & eradicari oportuerat, in dies magis ſerpere, ac propagari noſcatur in maximum animarum periculum, ac ſcandalum plurimorum: Nos ad hanc corruptelam e Regno illo, quod non ita dudum omni chriſtianarum virtutum genere florebat, & adjuvante Domino, etiam in poſterum florebit, tollendam, ac prorſus eliminandam, animarumque ſaluti in primis conſulere volentes, omnibus, & ſingulis dicti Regni Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eorumque officialibus, & ad quos de jure, & conſuetudine pertinet, per præſentes mandamus, ac ſub interminatione divini judicii diſtrictius injungimus, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, Civitatibus, Diœceſibus, & locis, etiam exemptis, ad prædicta ſtudioſe attendant, & in eos, quos in confidentiæ crimine, præſertim vero in aliquo ex caſibus ſuperius expreſſis, etiam per præſumptiones, & conjecturas prædictas deliquiſſe conſtiterit, ſevere animadvertant. Qui ſi in præmiſſis exequendis negligentiores fuerint, eorum negligentiam ſuppleri volumus a capitulis Eccleſiarum metropolitanarum, & cathedralium, ac etiam collegiatarum, ubi de beneficiis ipſarum collegiatarum Eccleſiarum agatur, ac etiam ab Abbatibus, ſeu Prioribus clauſtralibus, & conventibus monaſteriorum, aliorumque regularium locorum, ubi de eorundem monaſteriorum, ſeu locorum officiis, & beneficiis quæſtio extiterit.

Et nihilominus appellationes a ſententiis, quas contra delinquentes hujuſmodi fieri contigerit, ad proximos ſuperiores juxta canonicas ſanctiones devolui, executionem tamen ſententiarum prædictarum minime impedire, aut retardare.

Beneficia vero occaſione confidentiæ hujuſmodi ad præſens vacantia, & in poſterum vacatura ab ipſorum beneficiorum ordinariis collatoribus, perinde ac ſi diſpoſitioni dictæ Sedis Apoſtolicæ minime reſervata fuiſſent, libere conferri, & de illis provideri poſſe, & debere decernimus; dum tamen talium criminum participes, aut conſentientes non fuerint. Quo caſu, ac etiam ubi iidem ordinarii collatores per ſex menſes a die detectæ, & comprobatæ, ſeu convictæ confidentiæ beneficia ipſa, ut præfertur, vacantia, canonice conferre, & de illis providere neglexerint, beneficiorum eorundem Collegio, & proviſio ad proximos Superiores

riores

riores devolvatur. Quæ vero beneficia de jure patronatus laicorum fuerint, ad eorundem patronorum præſentationem, dummodo in crimine hujuſmodi non fuerint participes, conferri. De Eccleſiis vero, ac monaſteriis, aliiſque beneficiis eccleſiaſticis, ac chariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici III. Francorum Regis Chriſtianiſſimi nominationem ſpectantibus, novam ipſius Regis nominationem juxta concordata, ſeu indulta a Sede Apoſtolica ei conceſſa volumus ſpectare.

Fructus vero ex Eccleſiis, monaſteriis, & aliis beneficiis prædictis male, & indebite perceptos, in uſum, ac reparationem Eccleſiarum, monaſteriorum, & beneficiorum prædictorum, ſuper quibus confidentia hujuſmodi contracta, & commiſſa fuerit, per Archiepiſcopos, Epiſcopos, ſeu officiales, alioſque prædictos converti, & applicari poſſe volumus, ac decernimus.

Magnopere hortantes, & enixe in Domino requirentes eundem Regem Chriſtianiſſimum, ut omne ſtudium, operam, & auctoritatem ad prædicta peragenda, & exequenda præſtare, & impertiri velit.

Abſolutionem autem a cenſuris, & pœnis, ac irregularitatibus propter crimen confidentiæ hujuſmodi quomodolibet incurſis, pro tempore exiſtenti noſtro, & Sedis Apoſtolicæ apud Regem prædictum Nuncio, & quoad Provincias ſub Legatione Avenionen. comprehenſas, eidem Avenionen. Legato, cum facultate etiam alios ſubdelegandi, de quorum pietate, & prudentia magis confidant, per præſentes committimus, & demandamus.

Non obſtantibus Pii IV. & Pii V. Prædeceſſorum prædictorum literis, quas quoad dictum Regem in ſuperius expreſſis duximus relaxandas, & moderandas, illis nihilominus, quoad alia Regna, & loca in ſuo robore duraturis, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, privilegiis quoque, & indultis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut in totum non inſerta præſentium effectus, & executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda ſit, in noſtris literis mentio ſpecialis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Præter relatas ſimoniæ confidentialis ſpecies ſuper beneficiis, locum etiam habet procuratio beneficii in Curia romana pro perſona cognita, ſed id ignorante cum ſpe ſuper eod. beneficio cum proviſo contrahendi, ſeu paciſcendi, vel etiam procuratio beneficii pro ſe, ſive per alio cum oblatione penſionis annuæ; vel tandem procuratio pro aliis cum ſpe penſionis ab eis obtinendæ, vel recipiendi aliquod, quantumvis modicum, temporale commodum. Quæ omnia probibita ſunt a Paulo IV. Conſtit. *Inter cæteras* 27 *Novembris* 1557. ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ, ac inſuper nullitatis proviſionis, ibi.

Nos præmiſſis fraudibus, & dolis, ac hæreſi ſimoniacæ, quantum cum Deo poſſumus, efficaciter occurrere volentes, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, ſtatuimus, & ordinamus, atque decernimus, quod de cætero omnes, & ſinguli, qui poſt publicationem præſentium in locis infraſcriptis faciendam, occaſione beneficiorum obtinendorum, ſe alios eſſe ſimulaverint, & tanquam tales ſe in examine ſuppoſuerint, aut beneficia pro perſonis id ignorantibus, ſeu pro ſe, vel pro aliis, cum oblatione alicujus penſionis annuæ, aut pro aliis, cum ſpe penſionem annuam, aut aliud, quantumvis modicum, temporale commodum ab eis conſequendi, vel pro ſeipſis principaliter, animo, & intentione ea poſtmodum in favorem aliorum, etiam quantumvis idoneorum, & benemeritorum, cum ſimili penſione, aut commodo, aut etiam ſine eo reſignandi, obtinere procuraverint, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, etiamſi epiſcopali, aut alia majori dignitate eccleſiaſtica, vel Cardinalatus honore, ſeu mundana, etiam regia, ducali, aut marchionali, præminentia præfulgeant, excommunicationis, & anathematis, ac maledictionis æternæ ſententiam, a qua, niſi a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, necnon privationis omnium, & ſingulorum beneficiorum eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſecularium, & quorumvis Ordinum regularium per eos in titulum, vel commendam, aut alias quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, pœnam eo ipſo abſque alia deſuper facienda declaratione, incurrant, itaut, conſtito ſolum ſummarie, & extrajudicialiter, quod ipſi contra tenorem præſentium, aliquid fecerint, per Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalem Auditorem, ſeu vice Auditorem, vel ejus Locumtenentem pro talibus, & ut tales publicari poſſint.

Et ni-

Et nihilominua, ſic, ut præfertur, obtenentæ proviſiones, & commendæ, aliæque diſpoſitiones, nullæ ſint, irritæ, & inanes, nullumque alicui jus in ipſis beneficiis, vel ad illa tribuant, nec aliquis earum vigore fructus ſuos faciat, ſed ad eorum reſtitutionem teneantur, poſſintque beneficia tam ſic impetrata, quam per eos antea obtenta, tamquam modo præmiſſo vacantia, a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente dumtaxat libere impetrari.

Volumuſque ſtatutum, ordinationem, & decretum noſtra hujuſmodi, etiam quoad monaſteria monialium, & alia beneficia per moniales, aut alias mulieres obtineri ſolita locum habere.

Circa allatam S. Pii V. Conſtitutionem *Cum primum*.

Nota I. Beneficium ſimoniace obtentum, in foro conſcientiæ ante ſententiam tenetur quis reſtituere ei, a quo receptum eſt, & ſic, ſi erat vacans per obitum, dimittere debet in manibus collatoris; ſi vero reſignatum, reſignanti, qui licet illud ſimoniace contulerint, ſecundum magis communem noo ſunt privati jure ſuo ante ſententiam ob nullitatem collationis factæ. Quamvis ſi agatur de beneficio reddendo reſignanti, juxta *Theſaurum de pæn. cap. II. verbo Simonia*, § *Sed quod*, ſit moraliter impoſſibile ad praxim deducere „ Nam ſi id fieret ſine nova canonica collatione, in foro externo, punirentur tanquam ſimoniaci confidentiales ex Bulla Pii V. 85. incipit *Intolerabilis* §. *IV*. Nova autem reſignatio ad favorem primi reſignantis vix unquam admitteretur a Sede Apoſtolica, ob ſuſpicionem confidentiæ: multo minus poterit reſignans via juris beneficium repetere, ut Garzias *ibi num.* 218. niſi quando ſimonia eſſet contracta a mediatore cum reſignatario, inſcio reſignante, ut Garzias *ibi num. 224. in fin.*"

Nota II. Ad reſtitutionem pretii ſimoniaci quod ſpectat, faciendam in foro conſcientiæ, etiam ante ſententiam, varias eſſe DD. ſententias, cui facienda ſit, quas referens laudatus *Theſaurus loc. cit. num. 4.* aperit ſenſum ſuum, cui ex his adhæreat, ibi „ Et quidem, ſi ſimonia non fuit realis contracta, ideſt utrinque completa, ſed alter dedit pretium, alter beneficium non contulit, ſeu diſpoſitionem non fecit conventam, communis ſententia docet, pretium ante ſententiam declaratoriam reſtituendum eidem, a quo ſolutum eſt, Sanchez *dub.* 114. *n.* 2. cum ibi allegatis: ſi autem ſimonia fuit utrinque completa, tunc alii dicunt, reſtituendum Eccleſiæ, cui per ſimoniam injuria illata eſt, alii dicunt ante ſententiam declaratoriam reſtituendum ei, qui illud dedit; alii dicunt, reſtituendum pauperibus; alii vero reſtituendum pauperibus, vel Eccleſiæ læſæ, & ſunt omnes illæ probabiles ſententiæ, ut tute quis eligere poſſit, quam maluerit, ut Sanchez *dub.* 114. *num.* 12. Prima, & ſecunda ſunt magis communes, ut patet ex Doctoribus recenſitis a Sanchez *ibi*: tamen veriorem puto ultimam opinionem, ſcilicet Eccleſiæ, vel pauperibus reſtituendum, per *cap. De hoc cap. Audivimus de ſimon.*"

Nota III. Circa pœnam generalis inhabilitatis ad quæcumque alia beneficia ſuperadditam a S. Pio V contra ſimoniace beneficium obtinentem, ſecundum veriorem, & ſtylum S. Pœnitentiariæ, ut ibidem probat *cit. Theſaur.* eidem obnoxium eſſe ante omnem ſententiam, cum ſit pœna mere privativa: quidquid in contrarium nonnulli ſenſerint, eam nempe non habere locum, niſi ratione infamiæ, & irregularitatis per ſententiam condemnatoriam, per notorietatem criminis incurſæ, aſſerentes, allatam Pianam Conſtit. in hac particula non fuiſſe uſu receptam.

SECTIO DCCLIX.

Caput XIV. Nemo, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III.*

NEmo Presbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imo ſpirituale detrimentum a quocunque publice peccante accipiat, ut Epiſcopo, vel miniſtris ejus peccatum illius celet: nec pro reſpectu cujuſcunque perſonæ conſanguinitatis, aut familiaritatis alienis communicans peccatis, hoc Epiſcopo innoteſcere detrectet. Nec quenquam pœnitentem, vel minus digne pœnitentem, gratia, vel favore ad reconciliationem adducat, & teſtimonium reconciliationis ferat eidem, vel quocunque livore digne pœnitentem a reconciliatione removeat, quia ſimoniacum eſt utrumque.

Hanc Decretalem tranſcribo, non quod ei novi aliquid acceſſerit, ſed cum ejus intellectus ſit valde obſcurus, & Interpretes diſcrepent, an omiſſio actus ſpiritualis pro temporali, ſimoniæ crimen involvat, pro ejuſdem elucidatione refero, quæ a Gonzalez ſubjiciuntur „ Circa actum ſpiritualem omiſſum pro temporali pretio, non conſentiunt Interpretes, an ſimonia ſit, vel non, & eo caſu ſimoniam committi, probari videtur in hoc textu, cujus auctoritate docuerunt in pura omiſſione actus ſpiritualis, pretio, aut favore, ſimoniam committi, Gloſa, Panormit., Felinus, & Paludanus *in 4. diſtinct. 25. quæſt. 5.* Contrariam vero ſententiam, videlicet, non committi vere, ſed improprie ſimoniam, ſe-

„ cun-

cundum quandam ſimilitudinem, exiſtimarunt Innocentius, Holſtienſis, & Joannes Andreas, Victoria *relect. 2. de Simon. Aragon. 2, 2, qu.* 100. *art.* 1. Biſelsdius in præſenti, qui textum hunc accipiunt de ſimonia ſimilitudinaria, & impropria. Sed hanc quæſtionem, variis diſtinctionibus adductis, explicant Barboſa hic, Gibalinus *de Simon. quaſt.* 6. *conſectar.* 12. juxta quorum doctrinam ſciendum eſt, Alexandrum in præſenti duas ſuæ deciſionis partes proponere. In priori parte duos decidit caſus. Primus videlicet, eſt quando Presbyter, ideſt parochus, aliquod emolumentum temporale recipit a publico peccatore, ut Epiſcopo, vel ejus Vicario celet peccatum illius. Secundus cum ipſe propter conſanguinitatem, vel familiaritatem alicujus, ejus peccatum celat, ne innoteſcat. Quibus caſibus certum eſt, presbyterum peccare contra officium, juſtitiam, & charitatem. Unde turpiter accipi pretium pro fure non revelando, aut ſervo fugitivo non indicando, docetur *in l.* 4. §. 1. *ff. de condict. ob turpem*. Attamen his duobus caſibus nulla proprie committitur ſimonia, niſi in tali occultatione utatur parochus aliqua poteſtate ſpirituali. In ſecunda parte deciduntur ab Alexandro alii duo caſus. Primus eſt, cum Presbyter peccatorem non vere pœnitentem, propter gratiam, & favorem ad reconciliationem admittit, ut ita teſtimonium reconciliationis ferat. Secundus, cum ipſe parochus propter favorem, aut odium removet a reconciliatione pœnitentem. Quibus duobus caſibus vere ſimonia committitur, cum poteſtas ſpiritualis exerceatur, aut omittatur ob pretium, aut favorem; unde illa verba Alexandri, *quia ſimoniacum eſt utrumque*, ad hos duos caſus in ſecunda parte relatos referunt Suarez *lib. IV. de Simonia, cap. XXII. nu.* 14. Barboſa hic, *num.* 2. Et ſi adhuc inſtes, ad totam Conſtitutionem referenda eſſe prædicta verba, ſupponendum eſt, in prioribus caſibus ultra omiſſionem interceſſiſſe exercitium aliquod ſpiritualis poteſtatis, ut docuit Gibalinus ſupra, *conſect.* 3. qui inde infert reſolutionem ad varios caſus, in quibus propter omiſſionem actus ſpiritualis ſimonia committitur“. Sanctus Thom. *in Summa theologiæ quaſt. C. art. III. ad tertium* ſentit eſſe ſimoniacum, ibi „ Et propter hoc non licet pro quacumque diſpenſatione aliquid accipere; nec etiam pro hoc, quod vices ſuas committant nec etiam pro hoc quod ſubditos ſuos corrigant, vel a corrigendo deſiſtant“. Quoad duos ſecundos caſus idem ſentit hic Maſch. *Inſt. can.* §. I. *n.* 12.

SECTIO DCCLX.

CAPUT XVIII. ETSI QUÆSTIONES, *ex Decretali laudati Alexandri III. Archiepiſcopo Strigonienſi in Hungaria reſcripta*.

Etſi quæſtiones tuas de fervore religionis exurgere, & ex intimæ devotionis affectu, quem circa nos, & Eccleſiam habes, ad noſtram cognitionem perferri nullatenus ignoremus; non tamen eſt tibi in his ultra, quam oporteat, dubitandum, cum leges humanæ dicant, quod quidam tenui religione Sacramenta etiam neceſſaria, & legitime exhibere contemnunt: tenuem religionem vocantes, quæ in talibus hæſitat, ubi non eſt aliquatenus hæſitandum. In hoc itaque, Presbyter Cardinalis, Apoſt. Sedis Legatus, pro electione tua, ut pallium tibi traderet, ad partes illas acceſſit, & frater tuus, ejus præſciens neceſſitatem, ei equum unum, te ignorante, tranſmiſit, quoniam per mare veniens nullas, aut paucas ſecum adduxit equitaturas, te nullo modo timere oportet, cum in accipiendis, vel dandis muneribus tria ſint maxime attendenda, perſonæ ſcilicet dantis, & accipientis qualitas muneris quantitas, & donationis tempus: qualitas perſonarum, ut a quo, & cui, videlicet; an a paupere diviti, vel e converſo, ſive a divite locupleti datum fuerit, eſtimatio muneris, & donationis tempus, ſi magni, vel minoris pretii res data exiſtat; & an inſtante neceſſitate, ſeu alio tempore conferatur. Si ergo prædictorum Cardinalis, & fratris tui perſonam, & qualitatem penſamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali equum unum tranſmitti, quem etiam joculatori non petenti vir tantus, & tam abundans forte donaret. Verum ſi temporis neceſſitatem perpendimus, non alia intentione hoc conſtat factum fuiſſe, quam ut Cardinali in articulo prænotato ſubveniretur (& infra.) Quod autem ſcriptum eſt: Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere, de illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere ſolent; quoniam ſi ipſa etiam perſona electi offerat Ordinatori, vel Conſecratori ſuo electuarium, aut de vino, aut de aliis hujuſmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant, non tamen Eccleſia Romana interpretari conſuevit accipientem, vel dantem in his delinquere.

Hanc Decretalem tranſcribo, in eum dumtaxat finem, ne ex ejus intellectu, cæterhquin claro, Tyrones in ſtudio juris canonici, minus fortaſſe cauti, aut laxioris ſenſus, inde arugumenta deſumant, in ſimonia dari poſſe parvitatem materiæ; cum revera dari nequeat contra naturam ejuſdem ſimoniæ, cujus malitia ſita eſt in contemptu rei ſpiritualis formaliter ſumptæ, & non materialiter: adeoque ejus malitia utpote

utpote indiviſibilis, tota ſemper relucet tam in magno, quam in parvo.

Nec enim Alexander, dicendo in propoſito caſu, nullius dubitationis ſcrupulum de ſimonia emergi debere, cum res data modici pretii, quantum ad perſonam dantis, vel accipientis extiterit, docet dari parvitatem materiæ, ſed infert dumtaxat ex parvitate doni, & qualitate perſonæ dantis, & recipientis argui non poſſe, utrumque habuiſſe in mente animum alliciendi, & reſpective ab honeſtatis propoſito ad aliud declinandi, dando aliquid modici valoris; quando do vere argui non poteſt, eo fine dari.

Quapropter permiſſum eſſe concludit, ſponte offerre poculenta, & eſculenta, dummodo ſint modici pretii = quæ voluntatem recipientis inclinare, vel mutare non debeant =.

Hæc eſculenta, & poculenta permittuntur etiam a Bonifacio VIII. *in cap. XI. Statutum*, §. *Inſuper*, *de Reſcriptis in* VI. reſpectu Judicis, a Sede Apoſtolica delegati, ibi.

Inſuper, ut gratis, & cum omni puritate judicium coram ipſo procedat, nullum munus, vel quidquid aliud, niſi forſan eſculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis conſumi poſſit diebus,

Paucos iſtos dies Gloſſa hic ſentit, intelligendos eſſe, nedum de biduo, ſed etiam de pluribus diebus. Idem ſentit Theſaurus de pœnis, cum Sanchez *verbo Munera cap.* VI.

Permittuntur etiam a Paulo II. Conſtit. *Munera* 18. *Martii* 1466. reſpectu Gubernatorum Civitatum ſtatus eccleſiaſtici, quibus prohibet, ne aliquod munus a Communitatibus recipiant, exceptis dictis eſculentis, & poculentis, ſed §. I. breve tempus, intra quod eadem conſumi poſſint, reſtringit ad biduum, ibi.

Prohibemus, ne .... aliquod genus muneris, nec aurum, nec argentaum, aut veſtem, aut equum, vel aliquod cujuslibet ſpeciei munus accipiat, præter eſculenta, & poculenta, quæ brevi tempore conſumi poſſunt, quod tempus, ab biduum moderamur.

Permittuntur inſuper ab Alexandro VII. Conſt. *Inter graviſſimas*, 2. *Maii* 1656. de datis, & promiſſis pro obtinenda gratia, vel juſtitia apud Sedem Apoſtolicam, ut §. XII. ibi.

Porro xenia ſolita, eſculenta, & poculenta, quæ judicibus, miniſtris, & officialibus romanæ Curiæ exhiberi conſueverunt, præfatis Prædeceſſorum noſtrorum literis, ac præſentibus noſtris minime prohibita fuiſſe, nec prohiberi decernimus.

SECTIO DCCLXI.

Caput XIX. Veniens, *ex Decretali Alexandri III. ignotum autem, cui reſcripta*.

Veniens ad nos F. Presbyter propoſuit, quod Abbas, & fratres Sancti R. noluerunt eum in monachum recipere, quouſque triginta ſolidos dare convenerit: conventione autem facta, ſequenti die eum monaſticum habitum induerunt: & iidem monachi triginta ſolidos, Abbas vero decem, & familia duodecim pro paſtu (aſſerentes hoc eſſe de conſuetudine monaſterii) paſtularunt. Quam ergo factum hujuſmodi perniciosum videtur, mandamus, quatenus, ſi ita eſſeo inveneris, Abbatem, & monachos ad reſtituendam pecuniam præfato F. tam indigne acceptam compellas, & Abbatem, & majores perſonas monaſterii pro tantæ pravitatis exceſſu ab officii executione ſuſpendens, præcipias dicto F. ut in alio monaſterio in habitu monaſtico Domino ſtudeat deſervire.

Cum hic exactum, & receptum ceſſerit in privatum commodum Abbatis, & monachorum, ideo redarguuntur de magnæ pravitatis exceſſu. Cæterum quid hodie recipi poſſit pro ingreſſu tam virorum, quam mulierum in Religionem, inſtituetur ſermo infra, cum de Extravaganti Urbani V. agetur, relata *hoc eod. tit cap.* I. *Sane* Sect. DCCLXXX.

Ad reſtitutionem pecuniæ quod ſpectat, quæ hic fieri præcipitur eidem monacho, intelligendum crederem, ut fieri deberet alteri monaſterio, ejuſdem nempe Ordinis, & profeſſionis, in quo ille tanquam vere profeſſus præceptus eſt vivere: cum enim vi voti paupertatis renunciaverit proprio, non ſibi, ſed monaſterio reſtituta pecunia acquiri deberet.

Tranſlatio, ſeu detruſio in aliud monaſterium hic præcepta, in deſuetudinem abiit, ut notabo infra *ad caput Sane* Sect. DCCLXXX.

Vide infra ad *caput XXV. de Regularibus* Sectione DCCLXVI.

Digitized by Google

SECTIO DCCLXII.

CAPUT XX. EX TUÆ, *ex Decretali laudati Alexandri ignotum, cui reſcripta.*

EX tuæ fraternitatis literis, & ex confeſſione Sacerdotis præſentium latoris accepimus, quod cum ad Sacerdotii Ordinem non aliter voluiſſet eum ejus Archidiaconus præſentare, ſex ſolidos ſolvit eidem, & ſic Ordinem ipſum per eum præſentatus accepit.

Unde tibi ſic duximus reſpondendum, ut, ſi hoc non eſt publicum, ſed ſecretum, eundem Sacerdotem ſecreto convenias, monens ſine ulla coactione propenſius, & inducens, ut Ordinem alicujus Religionis aſſumat, & perpetuo ab officio abſtineat, quod illicite acquiſivit. Alioquin non erit tutum (cum ſit ſecretus exceſſus) ipſum invitum ab eodem officio coercere, cui tamen ſecretam pœnitentiam, ſecundum quod tibi viſum fuerit, injungere non poſtponas.

In hac Decretali præſervatur facultas Archidiacono examinandi, & renunciandi, ſeu præſentandi tanquam idoneos promovendos ad Ordines Diaconatus, & Presbyteratus juxta veterem morem, de quo in *cap. unico Ex parte, de Scrutinio in Ordine facien.* Sed hic mos hodie fere in totum obſolevit, ut notavi ad eundem titulum.

Quam pœnam vero ex poſteriori jure tam ſimoniace præſentans Ordinandum, ut fecit ille Archidiaconus, quam ordinatus, patebit infra ex Decretali Gregorii IX. relata in *cap. XLV. Si quis ordinaverit*, & ex Conſtit. Sixti V. Sect. DCCLXXIX.

Circa diſtinctionem inter ſimoniam manifeſtam, & occultam, quam hic affert Pontifex, vide notata ſupra ad *cap. XI. De hoc autem* Sect. DCCLVII.

Cum autem ſæpius in Decretalibus mentio fiat de moneta ſolidorum, quæ pro varietate temporum fuerit ſoli valor, adeatur Gonzalez ad hoc idem caput X.

SECTIO DCCLXIII.

CAPUT XXI. AD NOSTRAM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, Herefordenſi Archidiacono ſcripta, quam integram ex Gonzalez tranſcribo.*

AD noſtram noveris audientiam perveniſſe, unde, ſi verum eſt, plurimum admiramur, & adverſus vos jure movemur, quod in Eccleſiis in veſtra Iuriſdictione conſtitutis Vicarios, niſi ab eis extorta pecunia, nulla ratione miniſtrare permittitis, & perſonas Eccleſiarum, quaſi ſervos, & cenſuarios, ſingulis annis indebitis exactionibus gravare præſumitis, extorquendo ab eis pecuniam, & procurationes, eas diverſis nominibus, aliquando auxilium Epiſcopi, interdum ejuſdem Epiſcopi, & veſtras conſuetudines nuncupantes: quas ſi vobis forte reddere contendunt, vos eaſdem perſonas, & Eccleſiarum Vicarios ab officio ſuſpenditis, & in eorum Eccleſiis divina prohibetis officia celebrari, & inter cætera denarium chriſmatis pro voluntate veſtra ab eis in veſtræ ſalutis periculum extorquere præſumitis, hujuſmodi exactionem, ut eam liberius videamini exigere, quandoque conſuetudinem Epiſcopalem, quandoque ſynodalia, quandoque Paſchale denarios appellantes [& infra.] Quia vero non decet vos Clericos ita viliter, & inhoneſte tractare, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ab eis pro miniſterio eccleſiaſtico exercendo, ſive pro Vicariis aſſignandis, ſeu pro chriſmate nullatenus exigatis pecuniam, & eos indebitis exactionibus, aut procurationibus de cætero gravare, vel perſonas eorum, aut Eccleſias ſine manifeſta ratione, & rationabili cauſa nullatenus interdicto ſupponere præſumatis &c. alioquin ſi ad nos exinde iterata querela pervenerit &c.

Quæ prohibitio acceſſerit exactionibus, de quibus in hac Decretali, notabo infra ad titulum *Ne Prælati vices ſuas.*

SECTIO DCCLXIV.

Caput XXII. De ſimoniace, *ex Decretali Lucii III. Archiepiſcopo Spalatrenſi in Sclavonia, vulgo Spalatta, reſcripta.*

De ſimoniace ordinatis certum tibi non poſſumus dare reſponſum, niſi plenius cognoſcamus, qualiter fuerint ordinati: cum quidam, licet ſecundum quandam ſpeciem ſimoniæ, utpote ipſis ignorantibus, ſimoniace ordinentur, poſſunt (quia ſimoniaci non ſunt) in ſuis Ordinibus remanere.

Cum pro praxi valde utilis ſit hujus Decretalis intellectus, cumque non una, eademque ſit Canoniſtarum ſententia, ideo ſubjicio quæ de eodem intellectu exponit *Theſaurus de pænis cap.* IX. *verb. Simonia*, ibi „ Limita I. Ut Epiſcopus non poſſit quidem abſolvere, neque diſpenſare cum ſimoniace „ promoto ſcienter, vel cum ignorantia craſſa, vel „ ſupina; ſed bene poſſit cum ſimoniace omnino „ ignoranter promoto, ſcilicet quando tertius, eo „ ignorante, pecuniam dedit; quamvis enim etiam „ hoc caſu promotus ſit ſuſpenſus ſecundum communem ſententiam Canoniſtarum, & Summiſtarum, „ per *cap. Si quis a Simoniacis* 1. *quæſt* 1. tamen „ Epiſcopus poteſt cum tali diſpenſare, ex *cap. de* „ *Simoniace*, 22. *de Simon.* & ita diſtinguunt, & „ docent ibi Gloſſ. *verbo Remanere*, & Canoniſtæ „ communiter, & plurimi, quos allegat Sanchez „ *Opuſ. lib. 2. cap. 3. dub.* 120. quod tamen limitant „ communiter Doctorea; dummodo Epiſcopus ipſe „ nou ſit complex ſuper illa ſimoniaca ordinatione, „ ut apud Saneh. *num* 14. licet ipſe *num* 15. cum „ Navarro teneat, etiam tunc poſſe diſpenſare: addit Sanch. *dub.* 104. *num.* 46. eſſe valde probabile, „ promotum ſimoniace omnino ignoranter, ex ignorantia invinoibili, vel non craſſa, nec ſupina, non „ eſſe ipſo jure ſuſpenſum, neque irregularem; & „ & hoc tenent multi Canoniſtæ, quos ipſe allegat, „ *ibidem*.

SECTIO DCCLXV.

Caput XXIV. Ad aures, *ex Decretali ejuſdem Lucii III. ignotum, cui reſcripta.*

Ad aures noſtras perveniſſe noveris, quod cum C. de Senevilla propter pecuniam, quam debebat, vinculo fuiſſet excommunicationis adſtrictus, creditoribus ſatisfecit, ſed excommunicatoribus decem libras pro abſolutione quærentibus, non valuit abſolutionis beneficium obtinere. Quoniam igitur indignum eſt, & eccleſiaſticæ rationi contrarium, ut abſolutionis beneficium redimatur diſcr. V. mandamus, quatenus ſi præfatus C. debitum ſolvit, ipſum gratis faciatis abſolvi, ſi excommunicatores id non fecerint requiſiti.

Ad hanc prohibitionem ſolvendi pecuniam pro obtinenda abſolutione a cenſuris referri poteſt Conſtitutio S. Pii V. *Quam plenum* 2. *Januarii* 1570. in qua prohibetur publicatio indulgentiarum, & confeſſionalium ad quæſtum; attentanteſque licentiam impertiri ſolventibus pecuniam ſub prætextu cauſæ piæ eligendi confeſſarium cum facultate abſolvendi a caſibus reſervatis, ſi Epiſcopi ſint, etiam Cardinales, incurrunt ſuſpentionem, ſeu interdictum ab ingreſſu Eecleſiæ; eiſque interdicitur perceptio fructuum ſuarum Eccleſiarum, donec a Papa abſolvantur, ſatisfactione præmiſſa: *his vero inferiores excommunicationem Papæ pariter reſervatam, ibi.*

Quicumque ſecus egerint, ſeu attentaverint, Antiſtites, etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeant, ab ingreſſu, & perceptione fructuum ſuarum Eccleſiarum tandiu ſuſpenſi jaceant, donec, ſatisfactione prævia, illis per Sedem prædictam ſuſpenſio relaxetur. Inferiores vero ab Epiſcopis ſententiam excommunicationis incurrant, a qua, niſi in mortis articulo conſtituti, ab alio, quam Romano Pontifice abſolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes etiam irritum, & inane, quidquid ſecus per quoſcunque, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

SE-

SECTIO DCCLXVI.

Caput XXV. De regularibus, *ex Decretali Clementis III, ignotum, cui reſcripta.*

De regularibus Canonicis, ſeu monachis nos conſulere voluiſtis, qui per ſimoniam ingreſſum, ipſis ſcientibus, habuerunt. Unde cum ſuper hoc auctoritates multæ reperiantur expreſſæ, non aliud, quam ſtatutum eſt, reſpondemus, ut locum, quem taliter adepti ſunt, omnino dimittant, & ſolitudines, ſeu alia monaſteria diſtrictiora adeant, in quibus tam execrabilem exceſſum ſine intermiſſione deplorent. Si autem, ignorantibus ipſis, pecunia data fuerit, cogas eos ad renunciandum loco eidem, & poſtmodum in ipſum reducere, ſi ibi abſque ſcandalo potuerint remanere, vel in alio, qui ſit de Ordine ipſo, ad ſerviendum Deo poteris collocare.

Hic loquitur Pontifex de Abbatibus, Epiſcopo immediate ſubjectis. Cæterum hodie Regulares cujuſcumque criminis rei non poſſunt in pœnam transferri ad monaſterium alterius Ordinis abſque ſpeciali commiſſione Papæ.

SECTIO DCCLXVII.

Caput XXVII. Nobis fuit, *ex Decretali Cæleſtini III. ignotum, cui reſcripta.*

Nobis fuit ex parte tua intimatum, quod cum quatuor eſſent a capitulo conſtituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum, amici ejus, de cujus electione ſpes habebatur, uni vel omnibus eligentium promiſerunt, ſe pecuniam ſoluturos, eo tamen ignorante, qui hujuſmodi promiſſione interveniente poſtmodum eſt electus. Quia igitur ſuper hoc conſulere nos voluiſti; conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quod niſi conſtaret illos, qui promiſſum tale fecerunt, per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitioſe feciſſe: quamvis ipſe promiſſionis conſcius non fuerit, ejus tamen electio, tanquam ſimoniaca pravitate præſumpta, eſt penitus reprobanda. Ad ultimum, quod in fine conſultationis tuæ invenimus, hoc duximus reſpondendum, quod aliquis in Eccleſiæ cujuslibet Prælatum electus, & ut dictum eſt, per pravitatem ſimoniacam reprobatus, ab Epiſcopo ſuo diſpenſationem aliquam obtinere de jure non poteſt.

An ſimoniace proviſus de beneficio, aut ad prælaturam electus, ipſo ignorante, ut eſt caſus hujus Decretalis, juvetur indulgentia Regulæ XXXVI. Cancellariæ de triennali convalidantis quemcunque titulum coloratum, dummodo ingreſſus non fuerit ſimoniacus, ſi bona fide poſt triennalem pacificam poſſeſſionem certior fiat de ſimonia ab alio commiſſa, diſcrepant Canoniſtæ, *Theſaurus de pœn. cap.* 2. *verb. Simonia num.* 2. ſuſtinet juvari cum agatur de ignorantia facti, cumque jura ſubveniant ignorantibus, hanc opinionem receptiorem eſſe in praxi probat Riganti ad dictam Regulam *num.* 132. cum DD. & noviſſimis Rotæ deciſionibus cumulate ibidem relatis.

SECTIO DCCLXVIII.

Caput XXVIII. Dilectus filius, *ex Decretali Caliſtini III. Linconienſi Epiſcopo, & Priori de Fracloponte, & Archidiacono de Marin. ſcripta.*

Dilectus filius R. Præpoſitus nobis expoſuit, quod cum Eboracen. Archidiaconus eum multis gravaminibus affligere non ceſſaret, promiſit ei certam quantitatem pecuniæ ſe daturum, ut ab ipſius deſiſteret læſione: verum dictus Archidiaconus poſt receptionem pecuniæ ſuper dignitatibus, & beneficiis ſuis, ab ejus moleſtia non quievit. Ideoque diſc. v. mandamus, quatenus, ſi res ita ſe habet, Archid. reſtituere quod accepit (ſi eum contra promiſſionem ſuam veniſſe conſtiterit) compellatis.

In hac Decretali ſentit Gonzalez agi de Archiepiſcopo, non Archidiac. In ea agitur de jure quæſito in beneficiis jam obtentis, inferunt Canoniſtæ, inter quos egregie Fagnanus ad *cap. Nobis*, mox tranſcriptum *num.* 104. & 105. non eſſe ſimoniacum dare aliquid temporale ad redimendam vexationem ſuper illorum pacifica poſſeſſione: idque probat nedum ex Gloſſa prima hujus *cap. Dilectus*, ſed etiam ex auctoritate D. Thomæ qui 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. *ad* 5. hæc habet „ Antequam alicui acquiratur jus in Epi„ ſcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda „ per electionem, vel proviſionem, ſeu collationem, „ ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula pecunia „ redimere: ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam „ ad rem ſpiritualem obtinendam; ſed poſtquam jus „ alicui acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta „ impedimenta removere “.

Hæc D. Thomæ ſententia, quoad ſecundam partem magis roboratur ex facto S. Gregorii Magni, jam in Pontificem electi, qui pecuniam ſolvit Mauritio Imperatori, ne ab ipſo injuſte impediretur a ſui muneris exercitio, de quo ita Baronius ad annum Chriſti 590. ibi „ Et ſi pendenda ab ipſo Gregorio „ fuerit Imperatori eadem pecuniæ quantitas, quæ „ a prædeceſſoribus Gothorum temporibus exacta „ eſt; haud tamen in crimen adduci potuit, quaſi „ redemptum pecunia Pontificatum obtinuerit: ete„ nim electio, ut dictum eſt, legitime facta illi con„ tulit Pontificatum, non Imperatoria confirmatio „ tyrannica uſurpata, quæ pecunia licite reddi potuit, „ cum non redimeretur ea Pontificatus, ſed executio „ muneris, eo modo quo aliter liceret ab illata ve„ xatione ſe liberare “.

Hæc, inſpecto jure comuni. Verum ſi agatur de obtinenda gratia, vel juſtitia apud Sedem Apoſtolicam, etiam ſuper jure quæſito, ſive petitio ſit de re ſpirituali, ſive temporali, & mixta, ex Conſtitut. Alexandri VII. *Inter graviſſimas* 2. *Maii* 1656. interdictum eſt redimere vexationem, quidquam dando, quantumvis minimum, ſub pœnis in eadem Conſtit. contentis, cujus tenorem leges infra, cum de *Extravaganti* 1. *de Senten. excommunic.*

S E C T I O D C C L X I X.

Caput XXIX. Suam nobis, *ex Decretali Innocentii III. Abbati de Jugo Dei, Ordinis Ciſtercienſis in Anglia ad partes Hiberniæ, & Priori monaſterii Ordinis S. Baſilii Oppidi de Sillo, in Anglia pariter ſui ſcripta.*

SUam nobis parochiani de Villa Franca querimoniam deſtinarunt, quod Capellanus eorum pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium minus licite pecuniam ab eis exigit, & extorquet (& infra.) Diſcr. v. mandamus quatenus dictum Capellanum, ut a tanta præſumptione deſiſtat, & etiam pro exceſſu ſatisfaciat competenter, moneatis: ſibi (ſi obedire noluerit) pœnam canonicam infligentes.

In prima hujus Decretalis parte præcipit Pontifex, ne pro exequiis mortuorum pecunia exigatur, ac extorqueatur: quod idem prohibuit in Decretali, relata in cap. XLII. *Ad apoſtolicam*, quam leges infra Sect. DCCLXXVI. in qua tamen ſtatuit, ut, ſi qua laudabilis conſuetudo vigeat offerendi aliquid a fidelibus pro iiſdem exequiis, ab Epiſcopo compeſcantur, qui eam malitioſe mutare nituntur.

Cum autem hodie nedum hujuſmodi conſuetudo juxta Innocentii præſcriptum ſervetur, ſed etiam taxatum fuerit quantum Eccleſiæ tumulanti ſolvendum ſit, hujus taxationis cauſam reddit Vaneſpen. *par.* II. *tit.* XXXVIII. *cap.* IV. *num.* 40. *de Sepult.* ibi „ Poſt„ quam autem decimæ perſonales deſierunt, & de„ cimæ reales, ac mixtæ ſenſim ad monaſteria, & „ capitula Canonicorum devolutæ fuere, neceſſitas „ quodammodo coegit conſuetudines has offerendi „ ſtabilire, ipſoſque laicos quaſi conſtringere ad ipſas „ oblationes hactenus conſuetas, ut parochorum, „ & Eccleſiarum parochialium neceſſitatibus provi„ deretur, creditumque fuit æquum eſſe, proprio „ paſtori tam pro officio exequiarum, quam reliquis „ charitatis officiis defuncto, vita ejus durante, im„ penſis, debitum honorarium poſt mortem præ„ ſtari “.

Similiter pro ipſamet nuptiarum benedictione nihil accipi poteſt; attamen quod ſponte offertur in donum tali occaſione, licite accipitur in eleemoſynam, vel tamquam extraordinarium emolumentum, pia offerentium conſuetudine inductum in ſuſtentationem parochi benedicentis: cum acceptio taliter facta nullibi prohibita inveniatur; ac libera, & ſpontanea hujuſmodi traditio a ſponſis, aliiſque tali occaſione facta, non ſit in benedictionis pretium, neque ex pacto, ſed ex pia tradentium voluntate, ut docent Barboſa in *cap. ad Apoſtolicam* XLII. *hoc tit.* aliique innumeri apud ipſum. Proindeque ubi viget conſuetudo taliter dandi, & accipiendi, licite ſervari poteſt; immo laudabilem, ac obſervandam dicit expreſſe Innocentius III. in eod. cap. hujuſmodi conſuetudinem.

SE-

SECTIO DCCLXX.

Caput XXX. Dilectus filius, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Archiepiſcopo Cantuarienſi reſcripta.*

Dilectus filius A. nuncius tuus pro parte tua propoſuit, quod cum Cantuarien. diœceſim viſitans, in monaſteriis, & religioſis locis pullulaſſe repereris ſimoniacam pravitatem, ita quod in eis multi pretio ſunt recepti, qui potius gratis recipi debuiſſent, imo etiam ad religionis obſervantiam invitari. Dubitas igitur, an quia multitudo reperitur in cauſa, ſeveritati ſit aliquid detrahendum, Nos inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſi adverſus eos, qui labe fuerint hujuſmodi maculati, accuſatio coram te fuerit canonice inſtituta, poſtquam crimen ordine fuerit judiciario comprobatum, tam in dantes, quam in recipientes canonicæ ſeveritatis exerceas ultionem. Quod ſi de hoc tibi per ſolam inquiſitionem conſtiterit, eos, qui per ſimoniacam pravitatem in locis talibus ſunt recepti, ab illis amotos, ad agendam pœnitentiam ad monaſteria dirigas arctiora. Abbatibus autem, & Abbatiſſis, Prioribus, Prælatis quibuslibet, & officialibus eorundem injungas pœnitentiam competentem, & donec illam peregerint, eos a ſacrorum Ordinum executione ſuſpendas: injungens Epiſcopis tuis, ut hanc formam per ſuas diœceſes ſtudeant obſervare. Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum.

In hac Decretali agitur de Regularibus Epiſcope immediate ſubjectis: ſed quid hodie recipi poſſit pro ingreſſu in Religionem notabo ad Extravagantem Urbani V. Sect. DCCLXXX. Videnda ſunt etiam notata ſupra ad caput XIX. *Veniens* Sect. DCCLXI.

SECTIO DCCLXXI.

Caput XXXVI. In tantum, *ex Decretali dicti Innocentii, Cantuarienſi Archiepiſcopo ſcripta.*

Intantum peccatis exigentibus corda quorundam ſimoniaca pravitas depravavit (& infra.) Sane pervenit ad audientiam noſtram, quod cum olim quidam Suffraganei tui pro chriſmate certam conſueverint accipere pecuniæ quantitatem, non metuentes pœnam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ ſolutionis anticipant, recipientes in media Quadrageſima, quod recipere conſuevere poſt Paſcha, & ut cauſam recipiendi diſſimulent, nomen denariorum variant, denarios, quos prius chriſmales, ſecundo Paſchales dicebant, conſuetudinem mediæ Quadrageſimæ nuncupantes (& infra.) Cum vero expreſſius exprimat venditionis ſpeciem, qui prius recipit pretium, quam rem conferat pretioſam, & gratis ſit gratia conferenda: mandamus quatenus taliter exceſſus corrigas ſupradictos, Suffraganeos tuos, & officiales eorum a tam illicita exactione compeſcens, quod aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam non imputetur ad pœnam. Pravam etiam illlam conſuetudinem de tua provincia ſtudeas abolere, per quam pro Eccleſiarum inveſtitura Archidiaconi marcham argenti, minores vero Decani vaccam albam ſibi dari poſtulant, vel certam ſolvi pecuniæ quantitatem.

Prohibet hic Innocentius, ſicuti & prohibitum legitur ab Alexandro III. in Decretali ſupra tranſcripta Sect. DCCLIV. quidquam exigi ſive pro chiſmate, ſive pro inſtitutione corporali in beneficiis, vulgo inveſtitura, ſeu inſtallatione, non obſtante contraria conſuetudine.

Quæ inſtitutio, inſpecto jure communi, tum ex hoc Textu, tum ex *cap. VII. Ad hæc*, §. *In quadam, de offic. Archid.* olim ad ipſum Archidiaconum, & Decanum pertinebat. Verum hodie ex conſuetudine, quæ in omnibus fere diœceſibus obtinet, pertinet ad Epiſcopum, Reiffenſt. *cum communi titulo VII. De Inſtitutionibus* §. *II. num.* 43. & 44.

SE-

SECTIO DCCLXXII.

CAPUT XXXVII. PER TUAS, *ex Decretali ejuſdem Innocentii. ignotum, cui reſcripta.*

PER tuas nobis literas intimaſti, quod cum D. lator præſentium vellet in Subdiaconum ordinari, & certum titulum non haberet, quendam Presbyterum exoravit, ut ipſum ad Eccleſiæ ſuæ titulum præſentaret, quod cum ille facere recuſaret, ipſe illi firmiter repromiſit, quod nunquam, ſi preſentaret eundem, in Eccleſia ſua aliquam peteret portionem, & ſic ad præſentationem ejus, extitit ordinatus, nec ſe in hoc illicitum egiſſe aliquid intellexerit (& infra.) Nos inquiſit. tuæ taliter reſpondemus, quod niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum, nec ad ſuperiores aſcendere, nec in ſuſcepto debet Ordine miniſtrare.

De hac Decretali ſermo inſtituetur infra Sectione DCCLXXIX. cum de Decretali Gregorii IX. relata *hoc eodem tit. caput XLV. Si quis*, in qua eadem pœna infligitur ſic paciſcenti in receptione Ordinis.

SECTIO DCCLXXIII.

CAPUT XXXVIII. CONSULARE, *ex Decretali laudati Innocentii, ignotum, cui reſcripta.*

COnſulere (& infra.) Quicunque vicedominatum, vel aliam eccleſiaſticarum rerum adminiſtrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes, quam vendentes cum Simone percelluntur, & ab illa Eccleſia, in cujus contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerunt, juxte excluduntur.

Cica hac Decretalem vide notata infra ad cap.III. *Quoniam, tit. Ne Prælati vices ſuas* Sect. DCCLXXXIV.

SECTIO DCCLXXIV.

CAPUT XXXIX. SICUT, *ex Decretali dicti Innocentii, in Concilio lateranenſi IV. ſub eodem celebr. an.* 1215.

SIcut pro certo didicimus, in pleriſque locis a pleriſque perſonis, quaſi columbas in templo vendentibus, fiunt exactiones, & extorſiones turpes, & pravæ pro conſecrationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, & Ordinibus Clericorum: eſtque taxatum quantum ſit iſti, vel illi, quantumve alteri, vel alii perſolvendum: & ad cumulum damnationis majoris quidam cupiditatem, & pravitatem hujuſmodi nituntur defendere per conſuetudinem longo tempore obſervatam. Tantum igitur abolere volentes abuſum, conſuetudinem hujuſmodi (quæ magis dicenda eſt corruptela) penitus reprobamus, firmiter ſtatuentes, ut pro his, ſive conferendis, ſive collatis, nemo aliquid quocunque prætextu exigere, aut extorquere præſumat: alioquin, & qui receperit, & qui dederit hujuſmodi pretium omnino damnatum, cum Giezi, & Simone condemnetur.

Pœnam inflictam Epiſcopis quidquam recipientibus pro benedictione Abbatum, vide infra cap. XLIII. *Ne Dei Eccleſ.* Sect. DCCLXXVII. & pro Ordinibus caput XLV. *Si quis, hoc tit.* Sect. DCCLXXIX. & pro conſecrationibus Epiſcoporum, vide DD. ad hanc Decretalem, Gonzalez vero ad *cap.* 1. *hoc tit.*

SE-

SECTIO DCCLXXV.

CAPUT XL. QUONIAM, *ex Decretali laudati Innocentii, deſumpta ex cap. LXV. ejuſdem Concilii lateranenſis.*

QUoniam ſimoniaca labes adeo pleraſque moniales infecit, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitus prohibemus: ſtatuentes, ut quæcunque de cætero talem commiſerint pravitatem, tam recipientes, quam recepta, ſive ſit ſubdita, ſive Prælata, ſine ſpe reſtitutionis de ſuo monaſterio expellatur in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc ſynodale ſtatutum taliter ſunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de monaſteriis, quæ perperam ſunt ingreſſæ, in aliis locis ejuſdem Ordinis collocentur. Quod ſi forte propter nimiam multitudinem alibi nequiverint commode collocari, ne damnabiliter in ſeculo evagentur, recipiantur in eiſdem monaſteriis diſpenſative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus aſſignatis. Hoc etiam circa Monachos, vel alios Regulares decernimus obſervandum. Verum, ne per ſimplicitatem, vel ignorantiam ſe valeant excuſare, præcipimus, ut diœceſani Epiſcopi ſingulis annis hoc faciant per ſuas diœceſes publicari.

Ad prohibitionem quod ſpectat aliquid exigendi pro admiſſione tam virorum, quam mulierum ad Religionem, de qua in hac Decretali, vide notanda infra, cum ſermo erit de Decretali Urbani V. a quo ſublata eſt pœna hic inflicta expulſionis de monaſterio, & detruſionis in aliud arctioris regulæ, ut ibi.

SECTIO DCCLXXVI.

CAPUT XLII. AD APOSTOLICAM, *ex Decretali dicti Innocentii, deſumpta ex cap. LXVII. laudati Concilii lateranenſis.*

AD Apoſtolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & ſimilibus, pecuniam exigunt, & extorquent: & ſi forte eorum cupiditati non fuerit ſatisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero quidam laici laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam pia devotione fidelium introductam ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere ſub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter ſuper his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſervari: ſtatueutes, ut libere conferantur eccleſiaſtica ſacramenta, ſed per Epiſcopum loci, veritate cognita, compeſcantur, qui malitioſe nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.

Circa prohibitionem, de qua in hac Decretali, aliquid exigendi pro exequiis mortuorum &c. ſatis notatum eſt ſupra ad caput XXIX. *Suam nobis* Sectione DCCLXIX.

SECTIO DCCCXLXXVII.

CAPUT XLIII. NE DEI ECCLESIAM, *ex Decretali Honorii III. univerſis Abbatibus, & Fratribus Ordinis Ciſtercienſis ſcripta.*

NE Dei Eccleſiam, quam lavit proprio ſanguine Jeſus Chriſtus, macula fœditatis coinquinet, ruga duplicitatis deformet, cupiditatis ſpurcitia, omnium malorum radix, & venalitatis deformitas, quaſi ruga ſub conſuetudinis prætextu contracta, eliminandæ ſunt penitus ab eadem, ut diſpenſatio myſteriorum Dei, & ipſa myſteria gratis accepta, giezitica pravitate prorſus abolita, charitate gratuita conferantur, quæ vendere, ſeu emere, quam deteſtabile, quamve periculoſum exiſtat, liquido perpendi poteſt ex eo, quod Dominus vendentes, & ementes oves, & boves ejecit de templo, & cathedras vendentium columbas evertit. In ejectione denique vendentium, & ementium facinoris inquinantis

nantis utrumque exprimitur deteſtatio, & in cathedrarum everſione monſtratur, cui pœnæ ſubjaceant hi, qui præſunt, vendentes Dei dona, & Eccleſiæ Sacramenta. Ut igitur hujuſmodi facinus, quod quos coinquinat, æquat Prælatos, & ſubditos, non poſſit inficere quoquo modo, auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibemus, ne quis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, Archidiaconi, vel officiales ipſorum a quoquam in Abbatem electo, pro benedictione, ſeu inſtallatione, vel recipienda profeſſione ab eo ſub conſuetudinis prætextu cujuſquam palefridum, ſeu aliud quidquam, quocunque nomine cenſeatur, exigere, vel extorquere præſumant, vobiſque ſub prætextu hujuſmodi exacta taliter ne præſtetis, interdicimus, cum non ſolum a malo, ſed a mali ſit ſpecie abſtinendum. Inſtallationis quoque ſolemnitates fieri prohibentes, adjicimus, ut Archiepiſcopi, & Epiſcopi ea ſint forma profeſſionis contenti, quæ ab origine veſtri Ordinis noſcitur inſtituta, cujus tenorem ad majorem evidentiam huic noſtræ paginæ duximus inſerendum. Ego frater Abbas Ciſtercienſis Ordinis ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam a ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam Sancti Benedicti, tibi Domine Epiſcope, tuiſque Succeſſoribus canonice ſubſtituendis, & Sanctæ Sedi, ſalvo Ordine meo, perpetuo me exhibiturum promitto.

Integram hanc Decretalem pro majori caſus intellectu ex Gonzalez tranſcripſi, in qua inter cætera tamquam ſimoniacum prohibetur Epiſcopis quidquam exigere pro benedictione impertienda Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis, quod idem jam prohibuerat Innocentius III. favore Abbatum Ordinis Præmonſtratenſis, & Abbatis S. Maglorii Pariſienſis, ut hic refert Gonzalez. Qui favor ex Conſt. Bened. XIII. *Commiſſi* 6. *Maii* 1725. quam habes pag. 48. extenſus eſt ad Abbates cujuſcumque Ordinis, prohibentis Epiſcopis ſub pœna interdicti per annum ab uſu Pontificalium, tam ante, quam poſt benedictionem receptionem cujuſcumque muneris, etiam commeſtibilium; ac inſuper ſolemnem pompam, quæ ſumptus, quantumcumque modicos, etiam prandii, ſecum ferat. Eadem prohibitio in ea facta legitur quibuscumque eorum officialibus, aſſiſtentibus, & miniſtris.

Subjectio, & obedientia, quæ in hac Decretali præcipitur præſtanda Epiſcopo, locum habeat ante exemptionem Regularium.

Circa inſtallationem vide notata ſupra ad *caput IX. & caput XXXVI.* pag. 563. & 582.

SECTIO DCCLXXVIII.

Caput XLIV. Jacobus, *ex Decretali Gregorii IX. Priori S. Thomæ, Aſculanæ diœceſis in Piceno, ſcripta.*

JAcobus Canonicus Eſculanus expoſuit, quod cum ipſe in Eccleſia Aprutin. ſit receptus in Canonicum, & in fratrem, Canonici ejuſdem Eccleſiæ partem proventuum, ac præbendam ſibi aſſignare recuſant, quandam conſuetudinem prætendentes, quod prandium habere debeant a Canonico recepto de novo. Quocirca mandamus, quatenus, ſi eſt ita, dictos Canonicos, ut (tali conſuetudine non obſtante) ſibi, ſicut uni ex aliis, in proventibus, & præbenda provideant, appell. remota, compellas.

In hac Decretali reprobatur conſuetudo exigendi prandium a Canonico noviter recepto, prohibeturque capitulo partem præbendæ illi debitæ loco denegati prandii ſibi retinere. Et merito quidem, cum hæc convivia neque in Eccleſiæ, aut ſacrarii beneficium, nec in uſus pios cedant, ſed privatorum voluptati dumtaxat deſerviant, contra prohibitionem innovatam a Tridentino, ut notavi ſupra ad *cap. IX. Cum in Eccleſia* pag. 563.

Verum cum admodum difficile ſit receptos uſus penitus abolere, ubi præſertim ab immemorabili tempore vigeant, non ſemel Congr. Conc. reſcripſit, tolerari poſſe immemorabilem conſuetudinem, quod novus Canonicus ſuos Canonicos convivio excipiat; dummodo id ſponte faciat, moderatæque frugalitatis leges obſervet, ut videre eſt *tom. IV. Theſaur. Reſolut. ejuſdem Cong. pag.* 140. & 141. ubi referuntur ſim les reſolutiones in *Bergen.* 3. *Septembris* 1728. & *in Leodien.* 18. *Julii* 1733.

Quibus Congr. reſolutionibus ſuffragatur etiam Decretalis Urbani V. relata in *cap. I. Sane inter Extravag. commun. hoc eod. tit.* in qua nullatenus reprobatur quidquid ſponte datum fuerit. Textum leges pag 586.

SECTIO DCCLXXIX.

Caput XLV. Siquis ordinaverit, *ex Decretali ejuſdem Gregorii IX.*

SIquis ordinaverit, ſeu ad Ordinem præſentaverit aliquem, promiſſionem, vel juramentum ab illo recipiens, quod ſuper proviſione ſua non inquietet eundem, Ordinator a col-

a collatione; præſentator vero ab executione Ordinum per triennium, & ordinatus ab Ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerint, noverint ſe ſuſpenſos.

Hæc Decretalis jungenda eſt cum altera Innocentii III. relata in *cap. XXXVII. Per tuas* ſupra tranſcripta Sect. DCCLXXII. in qua declaratur ſuſpenſus ab ordine ſuſcepto, & eſt prohibitus ad ſuperiores aſcendere, donec cum eo diſpenſatum fuerit, qui rogavit Eccleſiæ Rectorem, ut ordinari poſſit, firmiter promittens, numquam in Eccleſia ſua, ad cujus titulum fuerit ordinatus, ſe aliquam portionem petiturum.

Pœnæ in his duabus Decretalibus inflictæ, quæ locum habent dumtaxat in receptione ſacrorum Ordinum, innovatæ fuerunt prius a Paulo II. ut *cap.* II. *Cum deteſtabile, inter Extravag. commun. hoc eod. tit.* cujus Textum leges infra Sectione DCCLXXXI. & deinde quoad fictum patrimonium a Concilio Tridentino *cap. II. ſeſſ. XXI. de reform.* quibus pœnis ſubjicit eos = Qui variis artibus, ac fallaciis confingunt, ſe beneficium eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere =.

Sed pro majori utriuſque Decretalis elucidatione placet hic tranſcribere, quas interpretationes de iiſdem referat *Theſaurus de pæn. eccleſ. cap. XI. num. 6. verb. Ordo*, ibi = Advertendum eſt, circa iſtas Decretales, quod licet ponantur ſub titulo de ſimonia, non tamen iſti incurrunt pœnas ſimoniæ in Ordine, propter hoc ſolum, quod promittat promovendus, non petere ſuſtentationem, aut non percipere portionem ex maſſa communi, aut non petere, vel non retinere patrimonium; quia nihil hic datur propter Ordinem immediate, cum tantum promittat promovendus nihil petere de eo, quod ante Ordines collatos non debebatur, Innocen. Joan. Andræa, Abb. & Zabarell. in d. cap. penult. *de Simon.* Navarr. *conſ. 67. verſu Tertio quod, qui, de Simon.* Quaranta, *verbo Ordo*, §. *Unde reſolutive:* neque incurrit pœnas ſimoniæ ſuper beneficiis, ſi ficte quis accommodat ordinando titulum ſui beneficii, Quaranta, §. *Sed res dubia*,

„ Si autem vere ei reſignaret beneficium, ſed cum occulto pacto retroceſſionis beneficii, vel fructuum, tunc multi dicunt, recipientem beneficium ſub eo pacto fiduciario incurrere in pœnas ſimoniæ confidentialis, & reſignantem, & complices in pœnas ſimoniæ ordinariæ in beneficiis, ut Pariſius *de Confid. quæſt.* 1. *num* 93. Gonzal. *regul.* 8. *Gloſ.* 5. §. 10. *num.* 27. tamen magis communis ſententia tenet, pactum retroceſſionis fructuum, vel penſionis, & non beneficii ipſius, non inducere pœnas ſimoniæ confidentialis, ſed ſimoniæ ordinariæ beneficialis, ſcilicet ſi fuerit utrinque completa, ut Sanch. *Opuſc. lib. 2. cap. 3. dub. 34. numero* 12. Quaranta ibid.

„ Advertendum ſecundo, quod prædictæ pœnæ *cap. Per tuas, & cap. penult. de Simon.* ſecundum magis communem, non procedunt in caſu, quo quis conſtituit patrimonium promovendo cum pacto fiduciario de retrocedendo patrimonio, vel fructibus illius; quia illi textus tantum loquuntur de accomodato titulo beneficii; Zabarell. in dict. *cap. penult. Leſſ. lib. 2. cap. 35. num.* 143. Tolet *lib.* 1. *cap. 48. §. Quinta*, Navarr. *conſil. 17. num. 2. de temp. ordin.* Quaranta *loco cit. §. Quod intellige*, Gonzalez *loco cit.* Garz. *part. 2. cap. 5. num.* 168. eſt contra Suarez *tract. de ſuſpen. num. 35. diſc. 31. Sect. 1. de cenſur.* Sayr. *lib. 4. cap. 15. numero* 23. Azor *part. 3. cap. 15. quæſt.* 1. Navarr. *cap.* 27. *num.* 158.

„ Adverte tertio, quod dictæ pœnæ contra præſentantem ad titulum beneficii, contracta fiducia, ſolum procedunt de præſentante ex officio, qualis eſt Archidiaconus, vel concedens dimiſſoriales: Joan. Andræas in *dict. cap. penult.* Zabarell. *ibid. in fin.* Barboſ. in *dict. cap. Per tuas num.* 6.

„ Adverte quarto, quod pactum illud fiduciarium de non petenda ſuſtentatione ab Epiſcopo ordinante eſt ipſo jure nullum, ut contra bonos mores, neque firmatur juramento, Sanchez *Opuſc. lib. 7. cap. 1. dub. 34. num. ult.* cum Canoniſtis: pactum autem de non petendo patrimonio vere conſtituto, aut de eo reſtituendo, ſecundum multos DD. eſt validum, ut teneatur promittens in foro conſcientiæ illud obſervare; & ideo tanquam ordinatus ſine vero patrimonio, ſed ficto, incurrit ordinatus in ſuſpenſionem innovatam *a Conc. Trident. ut ſupra num. 1. & 3.* poſſet tamen ab Ordinario tale pactum reſcindi in pœnam, & ita tenent Suar. *num.* 167. & multi apud Garz. *num.* 166. & apud Dianam *reſol.* 184. *tract. 4. tom. 2.* Sed contra multi etiam tenent, pacta prædicta, eſſe ipſo jure nulla, & ita patrimonii titulum validum remanere, & idcirco ordinatum non incurrere in prædictam ſuſpenſionem; ita tenent, Quaranta §. *Quod intellige*, Garz. *numero* 161. Tolet. *loc. cit.* Diana *ibid.* cum aliis per eos allegatis; ſi autem conſtitutio patrimonii fuit ficta, & ſimulata, certum eſt, ordinatum incurrere in præfatam ſuſpenſionem, quia nullum habuit titulum, Garz. *num.* 153. Sanchez *de matrim. lib. 6. diſ. 32. num.* 8. Suar. *num.* 35. qui plures allegat ".

Cæterum ad fictum patrimonium quod ſpectat, de quo Theſaurus §. *Advertendum ſecundo*, ex Conſtitutione Urbani VIII. *Secretis* 11. *Decembr.* 1624. Ultramontani, ſeu exteri, facientes ſe promoveri in Italia ad Ordines ſacros ficto, vel fiduciario, aut falſo patrimonii titulo, incurrunt pœnam perpetuæ ſuſpenſionis abſque ſpe diſpenſationis a Sede Apoſtolica obtinenda, ut §. III. ibi =

Cum autem non ſine gravi animi noſtri moleſtia nobis innotuerit quam plures ultramontanos ſuæ ſalutis immemores, Deique timore poſtpoſito, ad Ordines prædictos dimiſſorialibus literis, ſeu etiam cum titulo patrimonii ficto, vel fiduciario, ſeu etiam falſo, cum maximo bonorum omnium ſcandalo ſe promoveri feciſſe, nos ... Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Italia exiſtentibus tenore præſentium,

prohibemus, ne quovis prætextu, & ex quacumque cauſa, Hiſpanos, Luſitanos, Gallos, vel Germanos, alioſque quoſcumque ultramontanos, & ex quibuſvis locis extra Italiam oriundos, non ſolum ad ſacros, ſed neque etiam ad minores Ordines, vel clericalem characterem promovere audeant, ſeu præſumant niſi dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum literas a noſtris, & hujus Sanctæ Sedis Nunciis, ſeu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & ſubſcriptas habeant, eorumdemve Nunciorum, ſeu Collectorum ſubſcriptiones a dilecto filio noſtro in Alma Urbe Vicario, in ſpiritualibus generali ſimiliter examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint; alias promoventes, ad annum ab exercitio Pontificalium; promoti vero, perpetuæ ſuſpentionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis a Sede Apoſtolica obtinendæ, incurrant eo ipſo. Inſuper promotos hujuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis ſcienter ſe ad Ordines hujuſmodi promoveri fecerint, non ſolum prædictis, verum etiam majoribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis infligendis pœnis.

Circa hanc Conſtitutionem, ita proſequitur laudatus Theſaurus *num.7.* ibi „ Nota, quod hæc Bulla „ non loquitur de Italis promotis titulo ficto, ſeu falſo, „ quidquid dicat Bonac. *tract. de ſuſpen. particul.* „ *diſp. 3. quæſt. 1. punct. 8. num. 3* ſibi contrarius, „ *num.3. ibid.* neque procedit contra ultramontanos „ ordinatos, nullo obtento titulo patrimonii, neque „ procedit contra fingentem titulum beneficii, quia „ in pœnalibus non fit extenſio ob paritatem rationis: „ neque ibi Ordinans in hoc caſu incurrit cenſuram „ ullam, quatenus ſit ex vi hujus Conſtitutionis “.

Quia autem in tranſcripta Decretali *Si quis* infligitur pena ſuſpenſionis per triennium præſentatori ad Ordinem cum pacto fiduciario ibidem expreſſo, oritur dubium quis per præſentatorem hic intelligatur. Quaranta *in ſumma Bullarii*, *verbo Ordo*, §. *Subſequenter* reſpondet, altero de duobus modis debere intelligi ibi „ Et primo, quod præſentator ad Ordines, „ de jure communi eſt Archidiaconus, qui Epiſcopi „ oculus appellatur, vel alia perſona in ſimili dignitate conſtituta, cujus officium eſt ordinandos examinare, & inquirere, an habeat titulum ſufficientem, „ & poſtea illos præſentare Epiſcopo ordinatori ad „ textum in *cap. Ut noſtrum*, *& cap. Ad hæc*, ubi „ Gloſs. *de Offic. Archid.* & ita exponit Hoſtienſem, „ quem etiam refert Alexander de Nevo, *in ultima* „ *apoſtilla ad Abbatem*, *in dict. cap. penult.* Secundo modo poteſt ſumi hujuſmodi præſentator pro „ Epiſcopo ordinario, faciente literas dimiſſorias „ ſuo ſubdito, ut promoveri poſſit ab alio Antiſtite, „ per quas illum approbatum, & examinatum, (ex „ mandato *Concilii Triden. ſeſſ. XXIII. de reformat.* „ *cap.III.* dimittere debens,) præſentare videtur; „ vel ſi hanc licentiam daret certis perſonis juxta *tex.* „ *in cap. Si Epiſcopus de præb. lib. VI.* ex interpretatione P. Marii de Andria *in publica lectura de* „ *Simonia*, & ſic excipitur ex diſpoſitione illius text. „ laicus præſentans ad aliquem titulum beneficii, „ ut ibidem Card. Zabarel. *innuit in finalibus verbis*: quia pœna ſuſpenſionis ab Ordinum executione ibi lata non cadit in laicum “.

Verum reſponſum laudati Auctoris ad primam dubii partem non eſt amplius attendendum; quamvis enim, inſpecto jure communi, præſentatio ad Ordinem ex more antiquo ſpectaverit ad Archidiaconum, vel ad aliam perſonam in ſimili dignitate conſtitutam, aut etiam ad parochum, juxta quem morem præſentabat coadjutorem, parte ſui benefici aſſignata, ut probat Gonzalez *in cit cap. XXXVII. Per tuas*, hodie tamen ex contraria conſuetudine in omnibus fere diœceſibus privative ſpectat ad Epiſcopum, ut ſupra notavi ad *caput XXXVI. In tantum* Sectione DCCLXXI. pag. 581.

Circa ordinatos ſine legitimo titulo, vel cum patrimonio ficto, vide jam notata *ad cap. IV. Epiſcopus* pag. 250.

Eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

SECTIO DCCLXXX.

Caput I. Sane, *ex Decretali Urbani V.*

Sane, ne in vinea Domini noſtri ..... Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, & aliis locis religioſis, tam virorum, quam mulierum, ordinum, regionum, & partium diverſarum deteſtabilis, & a Canonibus reprobata ſervatur abuſio, quod cum perſonæ aliquæ recipiuntur ab eis ad obſervantiam regularem, ipſæ temeritate præſumptuoſa paſtus, ſeu prandia capitulis, & conventibus ipſarum Eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, & locorum, aut pecunias, aut jocalia, ſeu res alias ipſis Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, & locis, ſeu præſidentibus eis, ex ſtatuto, ſeu conſuetudine, quæ corruptela eſt potius dicenda, tribuere compelluntur: ex quibus decori eccleſiaſtico, & immaculatæ Religionis detrahitur. Quamplures etiam, tam execratione hujuſmodi criminis, quam expenſarum onere a ſacræ Religionis

nis propoſito retrahuntur ; ipſæque Eccleſiæ, monaſteria, & loca famulantium Deo conſuetis numeris remnent deſtituta, & in multorum mentibus fidelium ſcandalum generatur. Nos igitur huic morbo peſtifero cupientes congruam adhibere medelam, & aliis pœnis in talia præſumentes inflictis a jure in ſuo robore duraturis, pœnam adjicere graviorem: univerſis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpoſitis, & Magiſtris, necnon Abbatiſſis, & Prioriſſis, aliiſque Prælatis, quovis nomine nuncupatis, & eorum officialibus quarumcunque etiam Eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, domorum, & locorum quorumlibet, Religionum, Ordinum, etiam militarium, tam exemptorum, quam non exemptorum, quocunque nomine cenſeantur, ac capitulis, & conventibus, & ſingularibus perſonis eorum, tenore præſentium auctoritate Apoſtolica (quamvis ſit eis a jure inhibitum) diſtrictius inhibemus, ne tam a maribus, quam a mulieribus, volentibus ingredi eorum Religionem, Eccleſias, monaſteria, prioratus, domus, ſeu loca, in earundem perſonarum receptione, aut ante, vel poſt illam, quoſcunque paſtus, prandia, ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad uſum eccleſiaſticum, ſeu quamvis pium uſum alium deputata, vel deputanda, directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo præſumant. Sed eas potius cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu, & veſtitu ſicut alias perſonas ſuarum Eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, domorum, & locorum ſincera charitate pertractent. Illa dumtaxat, quæ perſonæ ipſæ ingredientes pure, & ſponte, & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante dare, vel offerre Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, domibus, & locis hujuſmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi. Nos enim, qui ſecus egerint, ſi ſint ſingulares perſonæ, tam dantes, quam accipientes, hujuſmodi excommunicationis; ſi capitulum, vel conventus fuerit, ſuſpenſionis ſeutentiis eo ipſo decernimus ſubjacere: a quibus (præterquam in mortis articulo) abſolvi nequeant abſque Sedis Apoſt. licentia ſpeciali. Cæterum perſonis illis utriuſque ſexus, quæ jam labe hujuſmodi ſunt fœdatæ, earum providentes ſaluti, de benignitatis gratia eas liberantes, concedimus, quod per ſuos locorum Diœceſanos hac vice dumtaxat a crimine hujuſmodi, & nota infamiæ inde contracta, auctoritate Apoſtolica abſolvantur: canonica proinde ipſis pœnitentia ſalutari impoſita, de qua ipſorum diſcretioni videbitur expedire: & demum cum ipſis, ut in earum Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, dignitatibus & locis licite valeant remanere, miſericorditer diſpenſetur. Inſuper erga perſonas illas, quæ in præmiſſis, recipiendo aliqua contra canonicas ſanctiones peccaſſe noſcuntur, volentes nos reddere gratioſos, omnia recepta hujusmodi, ſi ad communem uſum monaſteriorum, seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum licite concedimus retineri, Si vero ad specialem usum Abbatis, seu Abbatiſſæ, Prioris, aut Prioriſſæ, aut alterius ſingularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in communi.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum 2. nonas menſis Aprilis, Pontif. noſtri Anno I.

Prohibet hic Urbanus omnibus Religioſis utriuſque ſexus, etiam militaribus, ne ab ingredientibus eorum Ordinem, Eccleſias, monaſteria, domos, ſeu loca ante, vel poſt eorum receptionem directe, vel indirecte ab iis petere, vel exigere præſumant paſtus, pecunias, jocalia, aliaſque res, etiam ad uſum pium deputandas, ſed mandat, ut gratis illos admittant, ſub pena excommunicationis ipſo facto incurrende tam a dantibus, quam a recipientibus: etſi capitulum, vel conventus fuerit, ſub pœna ſuſpentionis pariter ipſo facto incurrendæ, quarum abſolutionem Papæ reſervat. Permittit tamen receptionem earum rerum, quæ ſponte ab iiſdem ingredientibus, omni pactione ceſſante, offerrentur.

Ad receptionem virorum in Religionem quod ſpectat, non deſunt Auctores relati *a Theſ. de pæn. cap. X. verb. de Simonia*, inhærendo ſententiæ D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* III. *ad quartum*, aſſerentes hujus Decretalis prohibitionem, ne quidquam exigatur ab ingredientibus, non procedere, ſi monaſterium ſit inops, exigaturque aliquid cauſa ſuſtentationis, cum tunc temporale non exigatur, tanquam pretium, pro ingreſſu, ſed pro ſuſtentatione profeſſi.

Cæterum licet ex hac Decretali novitius gratis in omnibus admittendus ſit ad habitum, hodie tamen ex declaratione Concilii Triden. *cap.* XVI. *ſeſ.* XXV. *de regul.* certum eſt, exigi poſſe quantum ſufficiat ad illius victum, & veſtitum, ſive monaſterium ſit inops, ſive locuplex, cum Concilium indiſtincte, & abſolute id permittat, ibi.

Sed neque ante profeſſionem, excepto victu, & veſtitu novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocunque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus monaſterio aliquid ex bonis ejuſdem tribuatur,

Quod autem ſpectat ad receptionem monialium, ex SS. Congregationum declarationibus per Summos Pontifices approbatis, hæc eadem Decretalia locum amplius non habet, licet monaſterium ſit locuplex, etiam quoad ordinarium monialium numerum, ut ex declaratione Congreg. Epiſcopor. & Regul. refert Fagnanus in *cap. Non amplius, de Inſtitut. num.* 24. & 25. in quo poſt propoſitam ſibi difficultatem, ortam ex *cap. Quoniam, de Simonia*, damnante ſimoniace labis moniales aliquid exigentes ab ingreſſura monaſterium, eam ſolvit per hæc verba, ibi „Verum hanc difficultatem poſtea ſuſtulit S. Congregat. ſuper negociis Epiſcoporum, & Regularium, quæ animadvertens ſanctimonialium monaſteria ſine dotium ſubſidio diu ſuſtineri non poſſe, & propter ingruentes neceſſitates, & caſus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi; Summis Pontificibus approbantibus, prudenter ſanxit, ut dotales eleemoſynæ a monialibus numerariis perſolverentur, tametſi numerus eſſet taxatus ad menſuram reddituum monaſterii. Ex penuria enim multa proveniunt mala, præſertim in monaſteriis dominarum, ut inquit Hoſtien. *hic in fin. facit can. Si quis objecerit*, 1. *q* 3. Nec obſtat textus, *in dict. cap. Quoniam*, nam, ut ibi reſpondet gloſſa Joannis *in verb. Paupertatis*, ſi moniales ita pauperes ſunt, ut non poſſint aliquo modo ibi aliam recipere, quia non habent ibi victum; ſub hac forma poſſunt recipere; *Non habemus quid demus tibi pro victu, niſi tu portes tecum, unde vivas*, dum tamen hoc non dicatur in fraudem, nec deducatur in pactum, *argum. cap. Si quis, propter hoc* 1. *quæſt.* 2. & quamvis Bernardus ibi in fine ejuſdem Gloſſæ addat, tutius eſſe, ut nullo caſu taliter aliqua recipiatur; tamen praxis quotidiana docuit, id ſine gravi monaſteriorum detrimento ſervari non poſſe ".

Quare clare infertur, non eſſe ſimoniacum has dotes recipere, ut etiam expreſſe declaravit Congr. Conc. ſub die 18. *Septembris* 1683. prout ex ejuſdem decreto relato in folio diei 14. *Aprilis* 1725. *in cauſa Bononien. tom.* 3. *Theſaur. reſolut. dictæ Congr. pag.* 154. per hæc verba „ De hoc articulo actum fuit in hac Sacra Congregatione anno 1683. editaque conſultatione a Belgio tranſmiſſa ſatis ampla, & luculenta, *die* 18. *Septembris ejuſdem anni*, in cauſa Belgii ſubſidiorum dotalium propoſitum fuit ſequens dubium: *Cum in Belgio* fuerit dubitatum, an ſimoniacum ſit recipere dotem ſolvendam pro victu, amictu, ſupellectili, & aliis neceſſariis ad ſuſtentationem puellæ volentis ingredi monaſterium, ſupplicantur EE. PP. pro hujuſmodi dubii *reſolutione*, & Sacra Congregatio reſpondit, *non eſſe ſimoniacum*, ut videre eſt *lib.* 13. *Decret. fol.* 310. *a tergo*. Et idem reſpondit *in cit. Bononien.*

De hoc eodem articulo, poſtquam egregie diſſeruit Benedictus XIV. *de Synodo diæc. edit. anno* 1755. *lib. XI. cap.* 6. *num.* 5. refellendo contrarias Auctorum opiniones, & potiſſimum Van-Eſpen *cap.* 2. *tract. de Vitio Simoniæ*, circa ingreſſum Religionis, auctoritate præfatarum reſolutionum, & ex decretis Conciliorum Mediolanenſium a S. Carolo Borromæo celebratorum *I. an.* 1565. *part.* 3. & *II. an.* 1569. *cap.* 2. hæc ſubdit *num.* 5. „ In hac opinionum varietate, diu anceps hæſerat Sacra Congregat. Concilii, & quandoque propenderat in Turonenſium Patrum ſententiam, ſicuti a Fagnano accepimus; ſed, cum experientia didicerit, nullum reperiri adeo opulentum ſanctimonialium cœnobium, quod, ad reparanda quotidiana ſuorum reddituum decrementa, non egeat novarum dotium acceſſione, firmiter tandem amplexata eſt S. Caroli decreta, eaque religioſe obſervari voluit: quod non ſolum conſtat ex allegatis ejuſdem deciſionibus, ſed adhuc clarius ex alia, quæ refertur in Bibliotheca Præmonſtratenſi pag. 350. cujus verba ſunt = Non veſtiantur moniales, nec admittantur ad habitum, niſi prius parentes, vel illi, ad quos earum cura ſpectat, promptam habuerint pecuniam pro dote, vel eleemoſyna conſueta, & illam depoſuerint ſolvendam monaſterio poſt emiſſam profeſſionem".

Inhærendo poſtea laudatus Benedictus quoad alia præter dotem, prohibitioni hujus tranſcriptæ Urbani Decretalis, hoc Epiſcopis ſalutare reliquit monitum num. 6. ibi „ Illud autem curabit Epiſcopus, ne ultra præfinitam dotem monaſterio pendendam, alia pecuniæ ſumma a puellis extorqueatur in monialium commodum, alioſve uſus impendenda, qui ad puellæ ſuſtentationem nequaquam pertinent: id quippe cum nulla ratione cohoneſtari valeat, adhuc remanet ſub cenſura *Extravag. I. de Simonia, inter comm.* ubi Urbanus V. utriuſque ſexus Regularibus diſtricte inhibuit, ne ante, aut poſt cujuſquam in Religionem ingreſſum, *quoſcumque paſtus, prandia, ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad uſum eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium uſum alium deputata, vel deputanda, directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo præſumant* ".

Quomodo autem, & penes quem dotes deponi debeant, tradit Card. Petra in Commentar. ad Conſtitut. XII. Innoc. IV. *Sectione I. num.* 59. ibi „ Iſtarum autem dotium tam intra, quam extra numerum, debet fieri depoſitum penes ædem ſacram, vel ſaltem apud idoneam perſonam, & quidem effectivum in pecunia, itaut non valeat confeſſionatum, neque fictitium, alias teneretur Epiſcopus, ſi actus invalidi eſſet conſcius, ut reſolvit S. Cong. Epiſcoporum *in Portugallen.* 6. *Junii* 1615. & *in Bruaduſina* 15. *Januarii* 1616. apud Monacell. *cit. parte* 1. *tit.* 11. *formul.* 7. *num.* 7. & debere fieri in pecunia numerata, vel in cedula bancaria, nec ſufficere, ſi fiat in ſtabili, & cenſu, obligatione, aut alia re, Nicol. *in Floſc. verb. Dos num.* 8. niſi cum licentia S. Congreg. Card. de Luca *de Dote diſc.* 167. *num.* 31. & *de Regular. diſc.* 1. *num.* 144. & *de legatis diſcurſ.* 16. *num.* 5. & in Urbe ſufficere cedulam Confraternitatum, reſolvit pluries Sacra Congregatio apud Nicol. *cit. verb. Dos num.* 8. vel ſaltem in ſubſidium, in loco, ubi non adeſt neque ædes ſacra, neque publicus, ac idoneus campſor, ab Ordinario, vel monaſterii Prælato approbandus, debet poni in depoſito monaſterii cum duabus clavibus, una penes Epiſcopum, & altera penes Abbatiſſam, etſi agatur de monaſteriis exemptis, & ſubjectis Regularibus, Card. de Luca *diſcurſ.* 167. *num.* 32. & *ſeqq. de dot.* & *diſcurſ.* 1. *num.* 144. *de Regular.* & ſi fiant penes particulares campſores, cura Epiſcopi debet eſſe, ut tuto collocentur, cum facillime eveniant colluſiones, & fraudes ".

Et hæc quoad receptionem monialium intra numerum. Si vero recipienda ſit monialis ſupranumeraria

raria, ex decretis Congr. Epiſcoporum, & Regul. *ſub die 20, Septemb. 1594. in Novarien. & 22. Auguſti 1605. ac Congr. Conc. in Cæſenaten. 18. Auguſti* 1696. relatis a Card. Petra *loc. cit. num.* 55. dos ſolvi debet duplicata. Si vero agatur de admiſſione puellæ in monaſterium, in quo jam admiſſæ fuerint duæ ejuſdem ſorores, tunc, ut refert Lucius Ferraris *Prompta Bibliotheca art. 11. verb. Moniales num. 46. & ſeqq.* „Dotem triplicatam ſolvit tertia ſoror, ſi „ numerus monialium ſit minor 90. Si vero major, „ admittitur cum duplicata; *Sacra Congr. Epiſcop.* „ *in Bononien. 23. April.* 1602. ſi vero pater ſit be„ nemeritus &c. admittitur etiam cum dote ordinaria; *ead. Sacr. Congr. in una Venetiarum 26. Octobr.* 1604. *in Faventina 12. Martii* 1608. *In Bracharenſi autem 27. Auguſti 1616. ſic reſcripſit illi Archiepiſcopo* = *Utique hac Sacra Congregatio, & infra. Aut igitur tertia ſoror intra præfinitum monialium numerum in monaſterium introducenda eſt, aut ſupra illum, ſi ut numerata ingredi voluerit, eleemoſynam totalem duplicatam monaſterio perſolvat, ſuffragioque tam activo, quam paſſivo carebit, quouſque altera ex duabus ejus ſororibus e vita deceſſerit; ſi vero ut ſupra definitum monialium numerum admitti petierit, ſpeciali Sacræ hujus Congregationis licentia opus erit; quæ quidem concedi non ſolet, niſi ex conditione, ut ipſa tertia ſoror triplicatam eleemoſynam dotalem monaſterio ſolvat, nec reliquis ejus duabus ſororibus ſimul ſuperſtitibus, activo, vel paſſivo ſuffragio gaudeat* =.

Sed notandum circa licentiam, de qua in hoc allato decreto, quod de ſtylo Curiæ juxta laudatum Petram *dict. num.* 55. dari quidem ſoleat a præfata Congr. pro monialibus Italiæ, & Inſularum adjacentium, extra Italiam vero requiratur breve Apoſtolicum.

Nota per hanc Decretalem, tacite ſublatam eſſe pœnam expulſionis de monaſterio, & detruſionis in aliud arctioris regulæ, inflictam ab Innocentio III. in *cap. XL. Quoniam*, tam contra ſimoniace recipientes in Religionem, quam receptos, ut innui in notis ad idem cap. Sectione DCCLXXV. quandoquidem, cum ſit poſterior illa Innocentii, nullamque de eadem pœna mentionem faciat, ex generali regula, intelligitur eſſe ſublata; aut certe in deſuetudinem abiiſſe, Wagnerck ad *cit. cap. Quoniam*.

SECTIO DCCLXXXI.

CAPUT II. CUM DETESTABILE, *ex Decretali Pauli II. data apud S. Petrum IX. Kalend. Decembr.* 1464.

CUM deteſtabile ſcelus ſimoniacæ pravitatis tam divinorum, quam ſacrorum Canonum auctoritas abhorreat, atque damnet, nos conſiderantes, quod plures pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere ſolet a voluntate peccandi, ac ſummis deſideriis affectantes, ut horum peſtiferum vitium non ex uſu ſolum, ſed etiam ex mentibus hominum, ſaltem propter pœnarum metum penitus evellatur: Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, ac etiam omnes, & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, privationis, & interdicti ſententias, cenſuras, & penas, dudum a Romanis Pontificibus prædictis, & pro talibus reputatis, contra ſimoniacos quomodolibet latas, & illos, qui, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiamſi Cardinatus, patriarchali, epiſcopali, regali, reginali, vel alia quavis eccleſiaſtica, ſeu mundana dignitatibus præfulgeant, & eorum quemlibet tam manifeſtum, quam occultum, quas ipſo facto eos incurrere volumus, confirmantes, & innovantes, Apoſtolica auctoritate declaramus, quod omnes illi, qui ſimoniace ordinati fuerint, a ſuorum ſint Ordinum executione ſuſpenſi. Per electiones vero, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones, quas ſimoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus, officiis eccleſiaſticis, & quibuſvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus. Statuentes præterea, quod univerſi, & ſinguli etiam præmiſſis dignitatibus prædìti, qui quomodolibet dando, vel recipiendo, ſimoniam commiſſerint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrant: a qua niſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo conſtituti. Et ut hujuſmodi labis contagio frequentius reprimatur, omnibus, & ſingulis eccleſiaſticis, ſecularibuſque perſonis, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius injungimus, ut eos omnes, quos ſimoniam hujuſmodi commiſiſſe, vel procuraſſe, aut in ea mediatores eſſe ſciverint, Pontifici prædicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, per ſe, vel alios relevare quantocius non omittant. Pro revelatione hujuſmodi, etiamſi complices fuerint, non ſolum veniam a nobis, ſed etiam gratiam conſecuturi, ſi eorum indicio partici-

ticipes tanti criminis valeant coerceri. Quod ſi non fecerint, abſolvi non valeant, donec prædicta revelent, & complices hujuſmodi detecti arctius punientur.

I. In hæc Decretali confirmantur, & innovantur omnes pœnæ quomodolibet latæ, ideſt excommunicatio, ſuſpenſio, & juris infamia, contra ſimoniacos, tam manifeſtos, quam occultos, cujuſcumque dignitatis fuerint, etiam Cardinalitiæ, patriarchalis, epiſcopalis, regiæ, & reginalis.

II. Omnes ſimoniace ordinati declarantur ipſo facto ſuſpenſi a ſuorum Ordinum executione.

III. Statuitur, ne ullum jus cuiquam acquiratur per electiones, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones ſimoniacas, quæ declarantur omnino nullæ, neque ſuos fructus faciat, & ut ad illorum reſtitutionem teneatur.

IV. Statuitur, ut tam prædicti omnes, dando, vel recipiendo, ſimoniam committentes, quam procuratores, vel mediatores, ut hæc fiat, incurrant excommunicationem, Papæ reſervatam.

V. Ut ſcientes, cujuſcumque dignitatis ſint, teneantur hos omnes Pontifici revelare, nec abſolvi poſſint donec revelaverint, & ſi complices fuerint, veniam conſequantur.

Quoad I. hæc Decretalis ampliata eſt a Sixto V. Conſtit. *Sanctum, & ſalutare*, 5 *Januarii* 1588. cum enim Paulus confirmet pœnas ſimoniacis in collatione Ordinum, ab antiquo jure jam inflictas, inter quas incurrebant ſuſpenſionem a collatione Ordinum per triennium, ut in *cap. XLV. Siquis, de Simon.* de quo ſupra Sectione DCCLXXIX. hodie ex dicta Conſtitutione illam perpetuo incurrunt, & interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, nedum pro collatione Ordinum, ſed etiam primæ Tonſuræ, ut quoque ſtatuitur a Trident. *cap. I. ſeſſ. XXI. de reform.* de qua nulla mentio fit in hac Decretali, ac utraque hæc pœna eſt Papæ reſervata, & ſi eam, aut interdictum violaverint, incurrunt etiam ſuſpenſionem ab adminiſtratione Eccleſiæ, & perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum, a qua abſolvi nequeunt, niſi a Papa.

Quoad II. pariter ampliata eſt; quandoquidem ſuſpenſio a Paulo ſimoniace ordinatis inflicta nemini eſt reſervata, ex citata autem Conſtit. eſt reſervata Papæ; quæ quamvis in vim citati *cap. Si quis*, ſit ab Ordine ſimoniace dumtaxat ſuſcepto, tamen tam ex hac Decretali, quam ex præfata Conſtitutione eſt etiam ab omnibus aliis, cum indiſtincte loquantur.

Quod ſi hanc ſuſpenſionem violaverint per exercitium etiam Ordinum minorum, ſtatuit Sixtus, præter irregularitatem, clericum ſecularem incurrere privationem officiorum, & beneficiorum, quæ beneficia remanent reſervata Papæ, tamquam vacantia in Curia: clericum vero regularem, privationem vocis activæ, & paſſivæ, & inhabilitatem ad eam, reſervata Papæ diſpenſatione.

Præterea licet ex Conſtitutione S. Pii V. *Cum primum* 1. *Apr.* 1566. §. VIII. Quicumque deteſtabile crimen ſimoniacæ pravitatis commiſiſſe convictus fuerit in conſequendis Ordinibus, eo ipſo ſit ab illorum executione per decennium, ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur, ex poſteriori tamen laudatæ Sixti Conſt. perpetuo ſuſpenſus declaratur.

Quoad III. eadem Decretalis confirmata, & ampliata eſt a cit. Conſtit. S. Pii, quicumque enim dignitates, beneficia, aut officia eccleſiaſtica ſimoniace acquiſierit, declaratur ulterius perpetuo inhabilis ad eas, & ea, ac quæcumque alia obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commiſiſſe convictus fuerit, præter ſupradictas pœnas, etiam corporaliter puniatur, & ab Ordinibus eccleſiaſticis degradatus, a fidelium conſortio eiiciatur.

Quoad V. circa onus ſcilicet in hac Decretali injunctum revelandi Pontifici prædictos omnes ſimoniacos, quod jam injunxerat Eugenius IV. Conſtit. *Cum deteſtabile*, 15. *Kal. Jun.* 1434. in VII. in ordine, hodie hæc obligatio non eſt in uſu: ita *Theſaur. de pœnis cap. II. verb. Simonia num. 10. cum DD. ibi cit.*

Nota I. quod quamvis Sixti Conſtitutio redacta fuerit a Clemente VIII. ad terminos juris communis, Conſtit. *Romanum Pontificem decet* 28. *Febr.* 1595. præſervata tamen ſunt in ea diſpoſita contra ſimoniace ordinantes, & ordinatos, ut §. I. *in fine*.

Nota II. quod Epiſcopus in vim decreti Trident. *cap. VI. ſeſſ. XXIV. de reform.* abſolvere non poſſint etiam in caſu occulto, a prædictis cenſuris ob ſimoniam in Ordine incurſis cum Sixtus quoad hoc expreſſe derogaverit etiam dicto decreto, ut §. IV.

Nota III. quod neque vigore ejuſdem decreti diſpenſare poſſit ſuper pœna inhabilitatis, etiam in occultis, quia dictum decretum non loquitur de inhabilitate *Theſaur. cum commun. cit. cap. II. §. ſexto circa*.

Nota IV. quod ſi Epiſcopus non corrigat ſimoniacos ſubditos in adminiſtratione Sacramentorum, ſuſpendendus eſt ab officio per duos menſes *Can. CI. Quidquid cauſ. I. quæſt. I.* & ibi Gloſ. *verb. Excommunicationi*.

Reliqua circa ſimoniam jam alibi notavi, de qua ex profeſſo *Theſaurus locis citatis*.

Titulus IV. Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.

SECTIO DCCLXXXII.

CAPUT I. PRÆTEREA, *ex Decretali Alexandri III. in Concilio lateranenſi IV. celebrato an. 1179. Cau. XV.*

PRæterea, quoniam quidam in quibuſdam partibus ſub pretio ſtatuuntur, qui Decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate epiſcopalem juriſdictionem exercent, præ-

præſenti decreto ſtatuimus, ut qui id de cætero præſumpſerit, officio ſuo privetur, & Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat.

SECTIO DCCLXXXIII.

CAPUT II. QUONIAM, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, deſumpta a Can. VII. Concilii Turonenſis celebrati an.* 1163.

QUoniam in quibuſdam partibus Decani quidam, vel Archipresbyteri ad agendas vices Epiſcoporum, ſeu Archidiaconorum, & terminandas cauſas eccleſiaſticas ſub annuo pretio ſtatuuntur, quod ad Sacerdotum gravamen, & ad ſubverſionem judiciorum non eſt dubium redundare, id ulterius fieri prohibemus: quod ſi quis de cætero fecerit, noſtra auctoritate removeatur a Clero. Epiſcopus autem, qui in ſua diœceſi hoc ſuſtinuerit, & eccleſiaſticam juriſdictionem ſua patitur diſſimulatione perverti, canonica diſtrictione percellatur.

SECTIO DCCLXXXIV.

CAPUT III. QUONIAM, *ex Decretali dicti Alexandri, deſumpta a Can. V. laudati Concilii Turonenſis.*

QUoniam enormis quædam conſuetudo in quibuſdam locis contra Sanctorum Patrum inſtitutiones invaluit, ut ſub annuo pretio Sacerdotes ad Eccleſiarum regimen ſtatuantur, ne id fiat, modis omnibus prohibemus, quia dum Sacerdotium ſub hujuſmodi mercede venale diſponitur, ad æternæ retributionis præmium conſideratio non habetur.

His tribus Decretalibus acceſſit etiam prohibitio Concilii Tridentini, his verbis concepta, ut *caput XI. ſeſsione XXV. de reformatione*, ibi.

Non liceat etiam juriſdictiones eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus, locare: nec conductoribus per ſe, aut alios ea exercere; aliterque conceſſiones, etiam a Sede Apoſtolica factæ, ſurreptitiæ cenſeantur.

Vi allatarum prohibitionum, neque vendi, neque locari poteſt Cancellaria epiſcopalis, ſed exerceri debet a propriis Epiſcopi miniſtris, & quidem juxta taxam Innocentianam quoad emolumenta percipienda, cujus exemplar aſſervandum eſt in unaquaque Cancellaria, quin ulla pars dictorum emolumentorum cedat Epiſcopo, ne eadem redundent in Clericorum, aliarumque perſonarum gravamen, & judiciorum ſubverſionem, ut cavendum monet idem Alexander in mox tranſcripto cap. II. Ita etiam pluries declaravit S. Congr. Epiſcopor. & Regul. ut refert Lucius Ferraris *Prompta Bibliotheca verb. Cancellaria num.* 7. & 8. Idipſum ex ejuſdem Cong. ſententia refert Fagnanus ad dictum *cap. II. num.* 23. probatum fuiſſe a Clemente VIII. 26. Auguſti 1592. pro toto Regno Neapolitano.

SECTIO DCCLXXXV.

CAPUT IV. QUERELAM, *ex Decretali laudati Alexandri III. ad Epiſcopum Exonienſem.*

QUerelam magiſtri Guil. recepimus, quod cum Eccleſiam de Chephalai a G. perſona ejuſdem ad annuum cenſum tenendam per ſeptennium ſuſcepiſſet: ipſe antequam eam per unius anni ſpatium tenuiſſet, auferre præſumpſit: quanquam præſtita fide firmaverit, quod uſque ad ſtatutum terminum, nullam ei exinde moleſtiam, vel gravamen inferret. Ideoque mandamus, quatenus, ſi conſtiterit ita eſſe, eum diſtricte compellas, ut præfatam Eccleſiam dicto Guil. reſtituat, & uſque ad terminum conſtitutum (ſecundum quod inter ſe convenerint) ipſum eandem permittat pacifice poſſidere.

Cum

Cum Eccleſia, de qua ſermo eſt in hac Decretali, non accipienda ſit, ut optime animadvertit Gloſſa, pro prælatura, aut rectoratu, prout accipitur in præcedenti cap. III. ſed pro obventionibus, & redditibus ipſius Eccleſiæ, ideoque Alexander non eſt hic ſibi contrarius.

Verum cum locationem fundorum eccleſiaſticorum Paulus II, reſtrinxerit ad ſolum triennium, ut in ejus Decretali *Ambitioſa, de reb. Eccleſ. non alienand.* cujus textum jam habes ſupra pagina 285. dicendum eſt per hanc correctam fuiſſe transſcriptam Alexandri Decretalem, in qua decidit, locationem ad ſeptennium factam a rectore Eccleſiæ eſſe ſuſtinendam.

Nec in praxi admitti poſſe videtur quorundam opinio, dictitantium, hanc Pauli Conſtitutionem prohibere quidem locationem rerum, ſeu fundorum Eccleſiæ ultra triennium, non tamen fructuum, & redituum ex ipſis provenientium: locatio enim fructuum fieri nequit ſine locatione fundorum, & ſi forte fiat, non erit locatio, ſed venditio, quæ utique beneficiatis non prohibetur; niſi dictos fructus vendant ad vitam, aut ad longum tempus cum pacto anticipatæ ſolutionis: quam venditionem eis expreſſe prohibuit ſub infraſcriptis pœnis Benedictus XIV. Conſtit. *Univerſalis Eccleſiæ*, 29. *Auguſti* 1741. ibi.

Omnibus Clericis . . . . interdicimus, & prohibemus, ne in poſterum audeant ſub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac diſtrahere ſuorum reſpective beneficiorum redditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel plures ſolutiones, pecuniarum quantitate, quam ipſi beneficiati per ejuſdem temporis, vel vitæ ſpatium probabiliter conſequi potuiſſent; ſub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, ſeu contractus, & omnium inde conſecutorum, aliiſque pœnis inflictis, præſcriptis, & ſtatutis contra alienantes bona Eccleſiæ, quas rurſus hic contra eoſdem Clericos ſic contrahentes renovare, decernere, ac ſtatuere intendimus, & volumus. Et inſuper ad uberiorem cautelam, & quatenus opus ſit, omnes hujuſmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtate ſimili damnamus, reprobamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, eoſque nullos, caſſos, ac irritos decernimus, & declaramus, illoſque ſuis auctoribus, tanquam invalidos, caſſos, irritos, atque inanes, viribuſque, & effectu ab initio vacuos, neque in judicio, neque extra, ad ullum effectum ſuffragari debere, neminemque ad eorum obſervantiam obligare, etiamſi pluries juramento firmati, & vallati ſint, ſed nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum, etiam coloratum poſſidendi, aut præſcribendi per quodvis longiſſimum temporis ſpatium acquiri unquam poſſe, pariter præcipimus, & jubemus.

Titulus V. De Magiſtris.

S E C T I O D C C L X X X X V I.

Caput I. Quoniam, *ex Decretali, deſumpta a cap. XVIII. Concilii generalis lateranenſis III. celebr. ſub Alexandro III. an.* 1179.

QUoniam Eccleſia Dei, ſicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non poſſunt, legendi, & proficiendi opportunitas ſubtrahatur, per unamquamque cathedralem Eccleſiam magiſtro, qui Clericos ejuſdem, & ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur (& infra.) Pro licentia vero docendi nullus pretium exigat, vel ſub obtentu alicujus conſuetudinis ab eis, qui docent, aliquid quærat, nec docere quenquam (qui ſit idoneus) petita licentia interdicat. Qui autem contra hoc venire præſumpſerit, ab eccleſiaſtico fiat beneficio alienus. Dignum quippe videtur, ut in Eccleſia fructum ſui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, eccleſiaſticum profectum nititur impedire.

Quatuor in hac Decretali ſtatuuntur.

I. Ut in unaquaque Eccleſia cathedrali conſtituatur magiſter, qui gratis illius Clericos, & ſcholares pauperes doceat.

II. Ut eidem hunc in finem conferatur competens beneficium.

III. Ne prætextu alicujus conſuetudinis exigatur pretium pro impertienda licentia docendi ſub pœna privationis beneficii.

IV. Ne ſub eadem pœna cuiquam idoneo petita docendi licentia interdicatur.

Hæc Decretalis ampliata eſt a laudato Alexandro III. quoad tertiam partem: quandoquidem in hac prohibetur dumtaxat, ne quid exigatur pro impertienda

ſtienda licentia docendi ; in ſequenti vero Decretali, Wintonienſi Epiſcopo ſcripta, relata *hoc eod. tit. caput II.* nedum prohibet idem Alexander quidquam recipi, ſed etiam, ne promitti quidem : & præterea, ſi quid ſolutum fuerit, aut promiſſum, præcipit, ut & reſcindatur promiſſio, & ſolutum danti reſtituatur, ibi

Prohibeas, ne in parochia tua pro licentia docendi exigatur aliquid, aut etiam promittatur. Si quid vero poſtea ſolutum fuerit, vel promiſſum, remitti promiſſum facias, & reſtitui, appellatione ceſſante, ſolutum, ſciens quod ſcriptum eſt, *gratis accepiſtis, gratis date*. Sane ſiquis diſtulerit magiſtros in locis congruis inſtituere, tibi liceat, app. poſtpoſita, ibi aliorum inſtructioni præficere viros providos, honeſtos, & diſcretos.

Rurſus ampliata eſt ab eodem Alexandro in hoc, quod ſiqua vigeat conſuetudo aliquid exigendi pro licentia docendi, quam exigenti non ſuffragari declaratum eſt in tranſcripto *cap. I. Quoniam*, in hac ſequenti Decretali, relata *hoc eodem tit. cap. III.* Galliarum Epiſcopis ſcripta, præcipit, ita extirpari, ut præter privationem officiorum, & dignitatum ſub pœna etiam excommunicationis, ne aliquid exigere quis præſumat, interdicatur, ibi.

Quanto Gallicana Eccleſia (& infra.) Dignos eſſe animadverſione cenſemus, qui nomen magiſtri ſcholarum, & dignitatem aſſumunt, & ſine certo pretio eccleſiaſticis viris docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hæc prava conſuetudo a cupiditatis radice proceſſerit, & decorem admodum eccleſiaſticæ honeſtatis confundat, mandamus, quatenus (conſuetudine ipſa de veſtris Eccleſiis extirpata) ſub anathematis interminatione hoc inhibere curetis : diſtricte præcipientes, ut quicunque viri idonei, & literati voluerint regere ſtudia literarum, ſine moleſtia, & exactione qualibet ſcholas regere permittantur. Si qui vero hujuſmodi prohibitionis, vel præcepti extiterint tranſgreſſores ; eos officiis, & dignitatibus ſpolietis.

Antonius Auguſtinus refert, hanc Decretalem emanaſſe contra Cancellarium Pariſienſem, qui a quolibet publice docere volente unam marcam argenteam exigebat.

Præterea laudatum ſtatutum Concilii lateranenſis III. circa magiſtrum grammaticæ in unaquaque Cathedrali conſtituendum, confirmatum, & ampliatum eſt ab Innocentio III. in Concilio itidem lateranenſi IV. celebrato an. 1215. præcipiente, ut hic idem magiſter conſtituatur nedum in Cathedrali, ſed etiam in aliis Eccleſiis, ideſt collegiatis, ſeu conventualibus, capitulum habentibus : ac inſuper præter illum in Eccleſia metropolitana eligi debeat etiam Theologus, cui pariter aſſignentur unius præbendæ proventus, non ut efficiatur Canonicus, ſed ut eos tandiu percipiat, quandiu perſtiterit in docendo, prout ex ſequenti Decretali relata *hoc eodem tit. cap. IV. Quia nonnullis*,

Quia nonnullis propter inopiam, & legendi ſtudium, & opportunitas proficiendi ſubtrahitur, in Lateran. Concilio pia fuit conſtitutione proviſum, ut per unamquamque cathedralem Eccleſiam magiſtro, qui ejuſdem Eccleſiæ Clericos, alioſque ſcholares pauperes gratis inſtrueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur neceſſitas, & via pateret diſcentibus ad doctrinam. Verum quoniam in multis Eccleſiis id minime obſervatur : nos prædictum roborantes ſtatutum, adjicimus, ut non ſolum in qualibet cathedrali Eccleſia, ſed etiam in aliis, quarum ſufficere poterunt facultates, conſtituatur magiſter idoneus, a Prælato, cum capitulo, ſeu majori, & ſaniori parte capituli eligendus, qui Clericos Eccleſiarum ipſarum gratis in grammatica facultate, ac alios inſtruat juxta poſſe. Sane metropolis Eccleſia Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes, & alios in ſacra Pagina doceat, & in his præſertim informet, quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur. Aſſignetur autem cuilibet magiſtrorum a capitulo unius præbendæ proventus, & pro Theologo a Metropolitano tantundem, non quod propter hoc efficiatur Canonicus, ſed tamdiu redditus ipſos percipiat, quamdiu perſtiterit in docendo. Quod ſi forte de duobus Eccleſia metropolis gravetur, Theologo, juxta modum prædictum ipſa provideat ; grammatico vero in alia Eccleſia ſuæ civitatis, ſive diœceſis, quæ ſufficere valeat, faciat provideri.

Hanc Decretalem de ſtatuendis per ſingulas metropoles Theologos innovavit Honorius III. præſcribens modum, ne ob raritatem eorundem Thologorum dictæ Decretalis ſtatutum exequi impediretur, ut in ejus Decretali, relata *cap. V. ſuper ſpecula*, *hoc eod. tit.* ſed de ea infra inſtituetur ſermo Sectione DCCLXXXVII.

Innovavit itidem Concilium Tridentinum *cap. I. ſeſs. V. de reform.* partim moderando, partim ampliando. Antequam vero exponam in quibus hæc ea-dem

dem Decretalis differat, notandum eſt, illius lectionem vulgatam depravatam eſſe; perperam enim in ea legitur = qui Clericos Eccleſiarum ipſarum gratis in grammatica facultate, & alios inſtruat juxta poſſe = Cum legi debeat = in grammatica facultate, & & aliis = ideſt facultatibus, ſeu diſciplinis, prout legitur apud Harduinum *Tom.* VII. *Concilior. pag.* 30.

Moderata eſt igitur a Tridentino.

I. In hoc, quod hæc exigit conſenſum capituli in electione magiſtri grammaticæ, ab Epiſcopo facienda; Tridentinum vero conſilium tantum, ut ex textu mox tranſcribendo. Quod tamen conſilium Epiſcopus non tenetur ſequi juxta *cap. Olim, de Arbitr. & cap. I. de Capell. Monachor.* ut etiam declaravit Congregat. Conc. teſte Fagnan. ad hanc eandem Decretalem *num.* 16.

II. Hæc mandat in Cathedralibus, & collegiatis conſtituendum eſſe unum magiſtrum grammaticæ, in Metropolitana vero duos, unum in theologica, alterum in grammatica facultate: Tridentinum autem in qualibet Eccleſia, ſive metropolitana, ſive Cathedrali, ſive etiam collegiata non mandat conſtitui, niſi Theologum cum aſſignatione præbendæ proxime vacaturæ. Et ſi Theologi electio in iis commode fieri nequeat ob tenues earundem proventus, vel ob exiguam populi multitudinem, tunc ſaltem conſtituatur magiſter grammaticæ, qui Clericos, alioſque ſcholares pauperes gratis doceat; & ſic in ſubſidium dumtaxat, in defectum nempe Theologi.

III. Hæc itidem mandat, ut magiſtro grammaticæ aſſignetur a capitulo proventus unius præbendæ ab eo percipiendus, quandiu perſtiterit in docendo; qui ſi non ſufficiat, præcipit Metropolitano, ut eidem providere faciat in alia Eccleſia ſuæ civitatis, vel diœceſis: Tridentinum e contra nullam mentionem facit de præbenda, ſed mandat aſſignari ab Epiſcopo fructus alicujus ſimplicis beneficii, vel condignam mercedem ex capitulari, aut epiſcopali menſa perſolvendam, quandiu pariter in docendo perſtiterit, vel alias ab eodem Epiſcopo aliqua ratio ineatur ſuæ Eccleſiæ accommoda.

IV. Eadem tandem Decretalis moderata eſt in hoc, quod hæc declarat, officium Theologi eſſe, ut Sacerdotes, & alios doceat in ſacra Pagina; inſtruatque in iis præſertim, quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur; ex Tridentino vero illius munus eſt, ſacram Scripturam dumtaxat exponere, & interpretari. Quamvis ex ſenſu Cong. Conc. ut refert Fagn. *loc. cit. num.* 31. videatur Tridentinum reſpexiſſe ad utramque facultatem, ad explicationem videlicet ſacræ Paginæ, & ad Theologiam ſcholaſticam.

E contra ampliata eſt in quatuor.

I. Quia in hac onus magiſtri grammaticæ reſtringitur ad gratis docendos Clericos dumtaxat illius Eccleſiæ, in qua eſt conſtitutus: Tridentinum vero, cum ſimpliciter, & indiſtincte loquatur, illud extendit ad omnes Clericos.

II. Juxta hanc Theologus eſt eligendus in Metropolitana dumtaxat, ſed juxta Tridentinum etiam in Cathedralibus, ſi civitas ſit inſignis, vel populoſa; ſicuti & in collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni oppido, etiam nullius diœceſis.

III. Addit præterea Tridentinum, ut in monaſteriis monachorum, ubi commode fieri poſſit, habeatur lectio ſacræ Scripturæ; ad quam Abbates, ſi negligentes fuerint, compellantur opportunis remediis ab Epiſcopo, tanquam in hoc Sedis Apoſtolicæ delegato. Eandem lectionem præcipit haberi in conventibus Regularium, ubi ſtudia commode vigere poſſint; ac etiam in publicis gymnaſiis, ad quod munus tam publice, quam privatim exercendum præcipit, neminem admitti, niſi prius ab eodem Epiſcopo de vita, moribus, & ſcientia examinatus, & approbatus fuerit: excepto Lectore deputando in clauſtris monachorum, & conventibus Regularium, ut ex decreto Congr. Conc. relato hic a Fagnano *num.* 27.

IV. Denique laudata Decretalis ampliata eſt a Tridentino in hoc, quod præcipiat, ut non fructus tantum unius præbendæ aſſignetur Theologo, quandiu perſtiterit in docendo, cum declaratione, ne efficiatur Canonicus, prout ſtatuerat dicta Decretalis, ſed ut præbenda, quomodocumque primo vacatura, præterquam ex cauſa reſignationis, ipſo facto perpetuo conſtituta, & deputata intelligatur, & ut Canonicus efficiatur.

Allatas moderationes, & ampliationes ex Tridentino emanatas habes in ſequenti textu *cap. I. ſeſ. V. de reformatione*.

Eadem ſacroſancta Synodus, piis Summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum Conſtitutionibus inhærens, eaſque amplectens, & illis adjiciens, ne cæleſtis ille ſacrorum Librorum theſaurus, quem Spiritus Sanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, ſtatuit, & decrevit, quod in illis Eccleſiis, in quibus præbenda, aut præſtimonium, ſeu aliud quovis nomine nuncupatum ſtipendium pro lectoribus ſacræ Theologiæ deputatum reperitur, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alii locorum Ordinarii eos, qui præbendam, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium hujuſmodi obtinent, ad ipſius ſacræ Scripturæ expoſitionem, & interpretationem per ſeipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneum ſubſtitutum, ab ipſis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum etiam per ſubtractionem fructuum cogant, & compellant. De cætero vero præbenda, præſtimonium, aut ſtipendium hujuſmodi non niſi perſonis idoneis, & quæ per ſe ipſas id munus explicare poſſint, conferantur; & aliter facta proviſio nulla ſit, & invalida. In Eccleſiis autem metropolitanis, vel cathedralibus, ſi Civitas inſignis, vel populoſa, ac etiam in collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni oppido, etiam nullius diœceſis, ſi ibi Clerus numeroſus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium hujuſmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex cauſa reſignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non ſit, ad eum uſum ipſo facto perpetuo

tuo conſtituta, & deputata intelligatur; & quatenus in ipſis Eccleſiis nulla, vel non ſufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel Epiſcopus ipſe per aſſignationem fructuum alicujus ſimplicis beneficii, ejuſdem tamen debitis ſupportatis oneribus, vel per contributionem beneficiorum ſuæ civitatis, & diœceſis, vel alias, prout commodius fieri poterit de capituli conſilio, ita provideat, ut ipſa ſacræ Scripturæ lectio habeatur; ita tamen, ut quæcunque aliæ lectiones, vel conſuetudine, vel quavis alia ratione inſtitutæ, propter id minime prætermittantur. Eccleſiæ vero, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam exigua eſt Cleri, & populi multitudo, ut Theologiæ lectio in eis commode haberi non poſſit, ſaltem magiſtrum habeant, ab Epiſcopo cum conſilio capituli eligendum, qui Clericos, alioſque ſcholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipſa ſacræ Scripturæ ſtudia, annuente Deo, tranſire poſſint: ideoque illi magiſtro grammatices, vel alicujus ſimplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perſtiterit, aſſignentur; dum tamen beneficium ipſum ſuo debito non fraudetur obſequio, vel ex capitulari, vel epiſcopali menſa condigna aliqua merces perſolvatur, vel alias Epiſcopus ipſe aliquam rationem ineat, ſuæ Eccleſiæ, & diœceſi accommodam, ne pia hæc, utilis, atque fructuoſa proviſio, quovis quæſito colore negligatur. In monaſteriis quoque monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio ſacræ Scripturæ habeatur: qua in re, ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum, in hoc ut Sedis Apoſtolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In conventibus vero aliorum Regularium, in quibus ſtudia commode vigere poſſunt, ſacræ Scripturæ lectio ſimiliter habeatur: quæ lectio a Capitulis generalibus, vel provincialibus aſſignetur dignioribus magiſtris. In gymnaſiis etiam publicis, ubi tam honorifica, & cæterorum omnium maxime neceſſaria lectio hactenus inſtituta non fuerit, religioſiſſimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate, & charitate ad catholicæ fidei defenſionem, & incrementum, ſanæque doctrinæ conſervationem, & propagationem inſtituatur, & ubi inſtituta foret, & negligeretur, reſtituatur. Et, ne ſub ſpecie pietatis impietas diſſeminetur, ſtatuit eadem ſancta Synodus, neminem ad hujuſmodi lectionis officium tam publice, quam privatim admittendum eſſe, qui prius ab Epiſcopo loci de vita, moribus, & ſciéntia examinatus, & approbatus non fuerit: quod tamen de lectoribus in clauſtris monachorum non intelligatur. Docentes vero ipſam ſacram Scripturam, dum publice in ſcholis docuerint, & ſcholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum ſuorum in abſentia, a jure communi conceſſis, plene gaudeant, & fruantur.

His etiam Tridentini decretis ſequentes acceſſerunt ampliationes, &.

I. Decreto contento in §. *Eccleſiæ vero*, circa magiſtrum grammaticæ acceſſit Conſtitutio Pii IV. *In ſacroſancta 13. Novembris 1564.* decernentis, ut is teneatur emittere fidei profeſſionem, cum juramento fidelitatis, & obedientiæ Summo Pontifici præſtandæ juxta formam ibi præſcriptam, in manibus Ordinarii, ſive ejus Vicarii, ſub pœna nullitatis promotionis, ſeu electionis, tam in judicio, quam extra, reſpectu magiſtri aliter promoti: reſpectu vero promoventium, ſi Antiſtites ſint, interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; ſi inferiores, excommunicationis latæ ſententiæ, privationum dignitatum, beneficiorum, feudorum eccleſiaſticorum, & inhabilitatis ad illa, & alia hujuſmodi, ibi.

Idcirco.... motu proprio.... quod deinceps nullus doctor, magiſter, Clericus, ſive laicus, ac ſecularis, vel cujuſvis Ordinis Regularis ſit, in quibuſvis ſtudiorum generalium Univerſitatibus, aut gymnaſiis publicis, aut alibi ordinariam, vel extraordinariam lectoris cathedram aſſequi, vel jam obtentam retinere, ſeu alias Theologiam, Canonicam, vel civilem cenſuram, medicinam, philoſophiam, grammaticam, vel alias liberales artes, in quibuſcunque civitatibus, terris, oppidis, ac locis, etiam in Eccleſiis, monaſteriis, aut conventibus Regularium quorumcunque, publice, vel privatim quoquomodo profiteri, ſeu lectiones aliquas in facultatibus hujuſmodi habere, vel exercere.

Neque doctores ipſi, aut Univerſitatum, ſeu gymnaſiorum eorundem rectores, cancellarii, vel alii Superiores, ſed nec etiam palatini Comites, aut alii particulares facultatem eruditos viros ad eoſdem gradus promovendi, etiam a Nobis, & Apoſtolica Sede, vel alias undecunque habentes, ſcholares, tam laicos, quam clericos, & cujuſvis Ordinis Regulares, vel alios quoſcunque quantalibet eruditione præditos, ad ullum gradum in eiſdem facultatibus ſuſcipiendum recipere, & admittere.

 Neque

Neque doctores, magiſtri, & ſcholares ad electionem alicujus in rectorem, vel cancellarinm Univerſitatis, aut gymnaſii procedere, nec ipſi ſcholares, vel alii quamtumlibet docti, & alioqui habiles, grad us hujuſmodi, vel eorum aliquem, palam, vel privatim recipere valeant, niſi doctores videlicet, ac regentes, magiſtri, & alii profeſſores jam ad cathedras, & lecturas recepti, in Italia infra tres, extra vero illam infra ſex menſes a die publicationis præſentium computandos, reliqui vero ad cathedras, & alias lecturas ibidem in poſterum aſſumendi ante illorum receptionem, in rectoris, vel aliorum Superiorum, eligendi autem in rectores, vel cancellarios ante illorum electionem, vel ſaltem admiſſionem in Ordinarii loci, vel ejus in ſpiritu alibus Vicarii: ac promovendi ſcholares, & alii præfati ante illorum promotionem in eiſdem Ordinarii, ſeu ejus Vicarii, aut doctorum, aliorumve promoventium manibus, prævio etiam proceſſu, vel debita informatione, quantum eis ſufficere videbitur, ſuper religione, fideque catholica, rectorum, cancellariorum, doctorum, lectorum, & promovendorum eorumdem per ipſos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios rite facta præcedente, eandem catholicam fidem, verbis, juxta formæ infraſcriptæ tenorem conceptis, palam, & ſolemniter profiteri teneantur. Et deſuper inſtrumentum publicum conſici, ac de proceſſu, ſeu informatione, & fidei profeſſione in privilegio doctoratus, vel alterius gradus hujuſmodi ſpecialis, ac de verbo ad verbum mentio, & relatio fieri debeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus.

Ac omnibus, & ſingulis earundem Univerſitatum, & gymnaſiorum rectoribus, doctoribus, & aliis Superioribus, ac alias facultatem doctorandi habentibus, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi epiſcopali, archiepiſcopali, patriarchali, vel majori dignitate, etiam Cardinalatus honore, ac ducali, vel alia etiam regia, & imperiali auctoritate præfulgeant, ne quem in Univerſitatibus, civitatibus, oppidis, vel aliis locis ſibi in ſpiritualibus, vel temporalibus ſubjectis, aliter cathedras, aut alias lectiones retinere, conſequi, vel ad gradus promoveri reſpective patiantur, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, quoad Antiſtites, quo vero ad inferiores, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, necnon privationis omnium, & ſingulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum, & feudorum eccleſiaſticorum per eos quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, eo ipſo per contrafacientes incurrendis pœnis diſtrictius inhibemus.

Ac quaſcunque receptiones, promotiones, electiones, & admiſſiones abſque proceſſu, certaque de religione, & fide catholica notitia, ac dicta fidei profeſſione, ſic, ut præfertur, præcedente, pro tempore factas, nullas, invalidas, nulliuſque roboris, vel momenti eſſe, neque cuiquam in judicio, vel extra ſuffragari poſſe.

Idem, & ſub iiſdem pœnis ſtatuit Bened. XIII. *tit. I. de Summa Trinit. cap. I. Concilii romani celebrati an.* 1725. pro iis locis, quos complectitur dictum Concilium, cujus Textum leges infra par. II. ad caput II, *ſeſs. XXV. Trident. de reform.*

II. Decreto contento in §. *In Eccleſiis autem*, circa præbendam conſtituendam pro lectore Theologiæ cum onere exponendi ſacram ſcripturam, ejuſdemque lectoris, ſeu Theologi electionem acceſſit Conſtitutio Benedicti XIII. *Paſtoralis* 14. *Kal. Junii* 1725. decernentis, ut in Cathedralibus quibuſcumque Italiæ, & Inſularum adjacentium, nedum talis præbenda, ubi non eſt, erigatur, ſed etiam, ut eadem per concurſum peragendum *coram Epiſcopo, & quatuor Examinatoribus, etiamſi Synodales non ſint*, digniori, & aptiori conferatur, eo pari modo, quo conferuntur parochiales Eccleſiæ, eique tantum, qui vel conſecutus ſit magiſterium, & lauream in ſacra Theologia, vel intra annum conſequi poſſit, ibi.

Cum itaque ſaluberrimo prædicti Concilii Tridentini decreto, relato in *cap. I. ſeſſ. V. de reform.* cautum ſit, ut nedum in Eccleſiis cathedralibus, ſed in collegiatis etiam oppidorum inſignium, in quibus præbenda, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium pro ſacræ Scripturæ lectoribus conſtitutum non reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex cauſa reſignationis, primo vacatura, ipſo facto ad eum uſum perpetuo conſtituta, ac deputata intelligatur; & quatenus nulla, vel non ſufficiens præbenda foret, locorum Ordinarii per aſſignationem fructuum alicujus ſimplicis beneficii, debitis tamen ejus ſupportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum ſuarum diœceſum, vel alias, prout commodius fieri poterit, ita provideant, ut ipſa ſacræ Scripturæ lectio omnino habeatur. Verum ejuſmodi provida præfati Concilii diſpoſitio in aliquibus Cathedralibus, ſicut non abſque

gravi

gravi animi noſtri dolore percepimus, hucuſque neglecta, debitæque executioni demandata non fuerit. Hinc igitur eſt, quod nos illius executionem pro pontificiæ vigilantiæ debito urgere intendentes, motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſancimus, decernimus, & mandamus, ut in Cathedralibus quibuſcumque Italiæ, Inſularumque adjacentium, in quibus præbenda theologalis hactenus inſtituta non fuerit, præbenda primo vacatura, poſt ejuſdem præſentis Conſtitutionis publicationem, ſive ad Nos, Sedemque Apoſtolicam, ſive ad Ordinarium illius collatio, atque proviſio pertineat, ipſo jure, & abſque ulla declaratione ſit, ac eſſe cenſeatur præbenda theologalis conſtituta. Volumus inſuper, ut tam illa, quam reliquæ omnes aliæ præbendæ theologales hactenus conſtitutæ, & deputatæ conferri ſemper debeant doctori in ſacra Theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate ſuſcipiat, & cæteroquin magis idoneo in formali concurſu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo parochiales Eccleſiæ conferuntur. Hunc porro in finem quotieſcumque ejuſmodi præbenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicumque concurrere, & examini ſeſe ſubjicere voluerint, coram Epiſcopo, & quatuor Examinatoribus, etiamſi ſynodales non ſint, ab eodem Epiſcopo actu eligendis, ac deputandis, in theologali tamen facultate licentiatis, & valde peritis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, & illi, qui in ejuſmodi concurſu probatus, magiſque idoneus renunciatus fuerit, præbenda conferatur. Quoties autem præbendæ collatio ad ſanctam Sedem ſpectabit, Epiſcopus ad Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, acta concurſus tranſmittere teneatur, ut ipſe vacantem præbendam illi aſſignare, atque conferre poſſit, quem cæteris digniorem, & magis idoneum in Domino judicaverit.

Quod ſi Epiſcopus primo vacaturam præbendam contra formam in præſenti Conſtitutione præſcriptam conferre præſumpſerit, vel etiam in aliis occurrentibus caſibus eandem formam obſervare neglexerit, illius collatio, atque proviſio ipſo jure nulla, & irrita, nulliuſque prorſus roboris, vel momenti ſit, ac eſſe debeat; ejuſdemque præbendæ diſpoſitio ſtatim devolvatur, & pertineat ad ſanctam Sedem, & Romanum Pontificem, pro tempore exiſtentem, a quo doctori in ſacra Theologia conferetur.

Cæterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex præbendæ theologalis inſtitutione perceptum iri ſperavit, omnino reipſa, & cum effectu percipiatur, volumus, ſtatuimus, & mandamus, tertiam partem proventuum dictæ præbendæ theologalis ab Epiſcopo diſtribui, & proportionaliter applicari ſingulis lectionibus ſacræ Scripturæ, quæ a præbendato præſcriptis diebus, & horis totius anni habendæ erunt; itaut ſi præbendatus univerſas lectiones habuerit, aſſignatas diſtributiones integras abſque ulla prorſus diminutione conſequatur; ſi vero in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, diſtributiones, neglectis lectionibus reſpondentes, amittat, quæ in ſacriſtiæ Eccleſiæ beneficium cedant, ac erogentur. In caſu autem gravioris contumaciæ præbendati, liceat Epiſcopo deputare alium Theologum Sacerdotem ſecularem, vel regularem, qui jugiter ſupplendo ejuſdem præbendati vices, præfatis diſtributionibus potiatur.

Quoniam vero nonnulli Epiſcopi, ſicut accepimus, ut propriæ incuriæ aliquod velamen obtendant, dilatæ erectionis ejuſmodi præbendæ theologalis cauſam in tenuitatem, ac inſufficientiam præbendarum ſuarum Eccleſiarum rejicere ſolent; nos omnem de cætero prætextum, ſive excuſationem e medio tollere, ac penitus eliminare volentes, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus decernimus, ſtatuimus, atque præcipimus, quod ubi præbenda theologalis, computatis etiam diſtributionibus quotidianis, ad annuum ſaltem redditum ſcutorum ſexaginta monetæ Romanæ non aſcendat, pro ſumma ad hanc taxam conficiendam deficiente iidem Epiſcopi unire poſſint, & debeant eidem præbendæ aliquod ſimplex beneficium, cujus ſupplemento prædicta ſumma conficiatur, primo vacaturum in quocumque menſe, & qualitercumque, ac quomodocumque Sedi Apoſtolicæ affectum, & reſervatum, ita tamen, ut a tali unione illa omnia beneficia, quæ pro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Papæ familiaribus, Nunciis apoſtolicis, atque Prælatis Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales interſunt, Secretariis, in alia Conſtitutione ad promovendam ſeminariorum erectionem noviſſime per Nos condita peculiariter reſervavimus, perpetuo reſervata, & excepta ſint, ac eſſe intelligantur, & quidquid ſecus fieri contingeret, ex nunc prorſus irritum, ac inane, nulliuſque roboris, vel momenti eſſe, ac fore decernimus, & declaramus.

Con-

Digitized by Google

Conſtitutionem, ad quam §. *Quoniam*, hic Benedictus ſe refert, leges intra cum de *cap. XVIII. ſeſ. XXIII. Conc. Triden.*

Non ſemel ortum eſt dubium, an Canonicus theologalis ſatisfaciat muneri ſuo, & Tridentini menti, ſi loco explicandi, & declarandi libros ſacræ Scripturæ, Clerum erudiat in Theologia ſcholaſtica: pro cujus ſolutione ſubjicio verba Benedicti XIV. *lib. XIII. cap. IX. de Synod. diœc. edit. anni 1755. numero 17.* ibi ,, Juxta præſentem eccleſiaſticorum ſtu-
,, diorum methodum, negari non poteſt, ea in va-
,, rias claſſes eſſe diſtincta: altera enim eſt eorum,
,, qui ſacras Scripturas interpretantur, altera eorum
,, qui theologicas diſciplinas, ſive ſcholaſtice, ſive
,, dogmatice exponunt: altera Moraliſtarum, qui
,, de agendis, & vitandis in praxi diſputant: altera
,, demum eorum, qui ſacros Canones profitentur.
,, Hæc diverſarum claſſium diſtinctio occaſionem de-
,, dit nonnullis Epiſcopis, ut ſanctæ Sedi aliquando
,, in ſuis relationibus repræſentarent, pro Cleri uti-
,, litate, & inſtructione magis expediens fore, ſi a
,, Canonico theologo in ſuis Cathedralibus, & col-
,, legiatis Theologia moralis traderetur, quam ſi idem
,, divinas Scripturas exponeret; ex ea potiſſimum
,, ratione, quod ſacrarum Scripturarum explanatio-
,, nem a Concionatoribus intelligere Clerus facile
,, poſſit, Theologiam vero moralem ab aliis fere,
,, quam a Canonico theologo, addiſcere nequeat.
,, De hac etiam re actum fuit, cum nos a ſecretis eſ-
,, ſemus ſæpe dictæ Congregationi Concilii; quin
,, etiam typis impreſſus fuit diſcurſus quidam noſter,
,, in ea Congregatione relatus, quæ habita fuit die
,, 5. Junii anni 1723. qui legitur *in Theſauro reſolu-*
,, *tionum tom. 2. pag. 329.* In eo probavimus, decre-
,, tum illud Tridentini Concilii, ſive ejus verba con-
,, ſiderentur, ſive ratio habeatur praxis, & conſue-
,, tudinis ſequentium temporum, æque comprehen-
,, dere Scripturarum ſacrarum expoſitionem, ac
,, Theologiæ ſcholaſticæ diſciplinam, & a Canonico
,, theologo, non magis ſuo muneri ſatisfieri, ſi ſa-
,, cros Scripturæ libros explicet, & declaret, quam
,, ſi in Theologia ſcholaſtica clerum erudiat; dummo-
,, do hæc talis ſit, qualem Melchior Canus traden-
,, dam, addiſcendamque ſuadet *in ſuo libro 8. de*
,, *locis theologicis cap. 1.* & quidem nos etiam indi-
,, cavimus *in noſtra Inſtitutione* XLII. *pag. 220. &*
,, *ſeq.* quæ ſcilicet circa quæſtiones gravis momenti,
,, & utilitatis verſetur, eaſque pertractet, allatis
,, divinæ Scripturæ teſtimoniis, Conciliorum decre-
,, tis, & Patrum auctoritatibus. Ulterius adnotavi-
,, mus, nonnullorum Epiſcoporum mandato laudabi-
,, liter factum eſſe, ut per Canonicum theologum
,, ea traderetur Theologia, quæ eſt de conſcientiis,
,, & moribus dirigendis: id unum vero minime deci-
,, ſum fuiſſe, num juxta Concilii mentem Canonicus
,, theologus ſuum munus ſatis adimpleat, ſi expli-
,, cando, juri canonico operam præſtet. Sane profeſ-
,, ſores juris canonici aliquando præbendam theolo-
,, galem ſe poſſe conſequi contenderunt, etiamſi lau-
,, rea doctorali in ſacra Theologia inſigniti non fuiſ-
,, ſent; ſatis eſſe cenſentes, ſe lauream reportaſſe
,, in jure canonico. Et quidem inficiari non poſſu-
,, mus, arcto inter ſe ſe vinculo copulari Theologiam
,, moralem, & canonici juris ſcientiam, ſicuti in ci-
,, tato diſcurſu oſtendimus: nihilominus, cum hodie
,, hæ facultates, tamquam ab invicem diſtinctæ, di-
,, verſa ratione tractentur, & magiſteria ſeorſim
,, conferantur, ſtatueritque Concilium, ut is Theo-
,, logus Canonicus eligatur, qui in ſacra Theolo-
,, gia ſit doctor, merito a ſacra Congregatione reſ-
,, ponſum fuit, ad conſequendam præbendam theo-
,, logalem, generaliter loquendo, ſatis non eſſe,
,, ut quis in jure canonico doctoris gradum adeptus
,, fuerit: in caſibus tamen particularibus videri poſſe,
,, an expediat eandem præbendam alicui ſacrorum
,, Canonum magiſtro conferre, qui ſcilicet cum juris
,, canonici lectione ea quoque conjungere valeat,
,, quæ pertinent ad Theologiam moralem; quod ſane
,, ab aliquibus magna cum laude præſtitum fuiſſe, &
,, adhuc præſtari dignoſcitur, ut patet ex eruditis eo-
,, rum Operibus typis impreſſis. Videatur reſpon-
,, ſum ejuſdem Congregationis ad dubium propoſi-
,, tum *die 5. Junii 1723. in Theſauro reſol. tom. 2.*
,, *pag. 321.* "

Dubium ibi propoſitum eſt = *An proviſis de præbenda theologali cum clauſula de aſſumendo infra annum gradu magiſterii in ſacra Theologia in aliqua approbata Univerſitate, de jure ſufficiat, quod magiſterium intra annum recipiant in jure canonico in aliqua approbata Univerſitate* = Et reſponſum fuit = Negative, & habebitur ratio in caſibus particularibus =.

III Decreto contento in §. *in Monaſteriis* circa lectionem ſacræ Scripturæ in quorumcumque monachorum monaſteriis, ſi commode fieri queat, acceſſit Conſtitutio Pauli V. *Apoſtolicæ 31. Julii 1610.* addentis etiam lectionem linguæ hebraicæ, græcæ, & arabicæ, ibi.

Quamobrem .... ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, ut in cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti Regularium, tam mendicantium, quam non mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum, & Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectorum, ſtudiis omnibus trium linguarum hujuſmodi, hebraicæ videlicet, græcæ, & latinæ: in majoribus vero, ac celebrioribus etiam arabicæ doctores, Regulares quidem, & ejuſdem Ordinis, ſi in illo harum linguarum ſufficientem notitiam habentes ſint, ſin minus, ſeculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur, ſi ſtudia in urbibus, & locis exiſtunt, ubi linguarum prædictarum peritos conducendi facultas eſt. Studiis vero locorum, ubi hujuſmodi doctores deſunt, cum primum in aliis ſtudiis ubi linguæ hujuſmodi docebuntur, ſcholares tantum profecerint, ut docendis aliis idonei ſint, de iiſdem ſcholaribus provideatur.

Quod, ut citius, & facilius fieri poſſit, & ſperati fructus, ex linguarum hujuſmodi ſtudio appareant, omnibus, & ſingulis Regularium Superioribus ſub indignationis noſtræ

pœna

pœna eadem auctoritate, tenore præſentium præcipimus, & mandamus, & ſi ipſi negligentes fuerint, eorundem Ordinum regularium apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoribus injungimus, eorum conſcientias deſuper onerantes, ut omni cura, & ſolicitudine quantocitius provideant, ut ſcholæ linguarum hujuſmodi quamprimum inſtituantur, ac doctores prædicti deputentur, earundemque linguarum lectionibus ſcholares aſſignentur, qui illis ſedulam, & aſſiduam operam navent.

Hi vero ſcholares, ut alacrius huic ſtudio incumbant, volumus, & decernimus, ut in promotione ad doctoratus gradus, & alios ſui Ordinis honores illi cæteris paribus præferantur, qui in cognitione trium ſaltem linguarum prædictarum profecerint, itaut ad illas docendas apti ſint.

Nota I. Onus deputandi magiſtrum grammaticæ, ut præcipitur tam in tranſcriptis Decretalibus *Quoniam*, *& Quia nonnullis*, quam *in cit. cap. I. Tridentini*, hodie ſatisfieri per Clericorum ſeminaria, & gymnaſia in omnibus fere locis erecta, cura nedum Epiſcoporum, ſed etiam civilium Magiſtratuum; quorum magiſtri publico ærario conducuntur. Satisfit pariter, & quidem non ſine magno ſtudioſorum progreſſu per ſcholas PP. Societatis Jeſu, ac Ordinis Scholarum Piarum, cujus magiſtri ad juventutem pietate, & literis gratis erudiendam quarto ſolemni voto, & quidem ſpeciali præ ceteris regularibus Ordinibus obſtricti ſunt. Quas autem facultates, cujuſque conditionis pueros in ſuis ſcholis edocere poſſint, ad quaſcumque controverſias dirimendas ſatis clare declaravit Clemens XII. Conſtitutione *Nobis* 1. *Maii* 1731.

Nota II. Ex declaratione Congr. Conc. relata a Lucio Ferraris, Prompta Bibliotheca *verbo Magiſter num.* 7. Magiſtros a locorum Magiſtratu, ſeu Communitate conductos examinari poſſe ab Epiſcopo in iis dumtaxat, quæ ſpectant ad fidem, doctrinam chriſtianam, & bonos mores.

Pro coronide hujus ſectionis monitos velim, tam lectores philoſophiæ in Univerſitatibus, quam alios quoſcumque magiſtros, ut pro viribus ſatagant implere, quæ ab iiſdem præſtanda præcipit Leo X. in Concilio generali lateranenſi V. relato *libro VII. Decretalium Clementis VIII. hoc eod. tit.* pag. 82. a tergo edit. Romæ ex Typograph. Rev. C. Apoſt. 1598.

Omnibus, & ſingulis philoſophis in Univerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publice legentibus diſtricte præcipiendo mandamus, ut cum philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus a recta fide deviare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, ſeu explanaverint, quale hoc eſt de animæ mortalitate, aut unitate, & mundi æternitate, ac alia hujuſmodi, teneantur ejuſdem veritatem Religionis chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo pro poſſe docere, ac omni ſtudio hujuſmodi philoſophorum argumenta, cum omnia ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere, atque reſolvere. Et hunc Canonem per Ordinarios locorum, ubi generalia ſtudia vigent, & Rectores Univerſitatis eorundem ſtudiorum ſingulis annis in principio ſtudii in virtute ſanctæ obedientiæ publicari mandamus.

Ac in ejus Conſtitutione *Supernæ* 5. *Maii* 1514. §. XXXII. ibi.

Et cum omnis ætas ab adoleſcentia prona ſit ad malum, & a teneris aſſueſieri ad bonum, magni ſit operis, & effectus: ſtatuimus, & ordinamus, ut magiſtri ſcholarum, & præceptores pueros ſuos, ſive adoleſcentes, nedum in grammatica, & rethorica, ac cæteris hujuſmodi erudire, & inſtruere debeant, verum etiam docere teneantur ea, quæ ad Religionem pertinent, ut ſunt præcepta divina, articuli Fidei, ſacri Hymni, & Pſalmi, ac Sanctorum vitæ. Diebuſque feſtivis nihil aliud eos docere poſſint, quam in rebus ad Religionem, & bonos mores pertinentibus, eoſque in illis inſtruere, hortari, & cogere, in quantum poſſunt, teneantur, ut nedum ad Miſſas, ſed etiam ad Veſperas, divinaque officia audienda ad Eccleſias accedant, & ſimiliter ad prædicationes, & ſermones audiendos impellant, nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere poſſint.

Ad tramites hujus Conſtitutionis Congregatio Concilii in *Spalaten. Doctrinæ chriſtianæ* 17. *Julii* 1688. declaravit, ludi magiſtros, tam Clericos, quam laicos, ſive a Communitatibus conductos, ſive non, prius hortandos, deinde cogendos eſſe ad docendam Doctrinam chriſtianam pueros, ac rudes ſcholares, *ut lib. Decretor. XXXVIII. pag.* 336.

SE-

SECTIO DCCLXXXVII.

Caput V. Super ſpecula, *ex Decretali Honorii III.*

Super ſpecula (& infra.) Volumus, & mandamus, ut ſtatutum in Concilio generali de magiſtris theologis per ſingulas Metropoles ſtatuendis, inviolabiliter obſervetur: ſtatuentes, ut quia ſuper hoc propter raritatem magiſtrorum ſe poſſent forſitan aliqui excuſare, ab Eccleſiarum Prælatis, & capitulis ad theologicæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles deſtinentur, qui cum docti fuerint, in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti, ex quibus poſtmodum copia poſſit haberi Doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri ad juſtitiam valeant plurimos erudire: quibus ſi proprii proventus eccleſiaſtici non ſufficiunt, prædicti neceſſaria ſubminiſtrent. Docentes vero in theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa, integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apoſt. proventus præbendarum, & beneficiorum ſuorum, non obſtante aliqua alia conſuetudine, vel ſtatuto, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes.

Hac Decretali, ut ſupra innui, renovatum eſt decretum Concilii lateranenſis IV. relatum in jam tranſcripta Decretali *Quia nonnullis*, de ſtatuendis per ſingulas Metropoles theologis: & ne ejus diſpoſitioni moram afferret theologorum raritas, ſtatuit hic Honorius.

I. Ut ab Eccleſiarum Prælatis, & capitulis aliqui bonæ mentis juvenes ad Theologiæ ſtudium deſtinentur, qui alios poſtea erudire poſſint.

II. Ut his, ſi proprii proventus eccleſiaſtici ad hoc non ſufficiant, ab iiſdem Prælatis, & capitulis neceſſaria ſubminiſtrentur.

III. Ut lectores dictæ facultatis, quouſque eam docuerint, non obſtante eorum a choro abſentia, integros ſuarum præbendarum, & beneficiorum fructus percipiant, ſicuti & eidem facultati ſtudentes, per annos tamen quinque, & de licentia Sedis Apoſtolicæ.

Verum prima, & ſecunda pars hujus ſaluberrimi ſtatuti hodie non obſervatur, ut præter praxim notat etiam hic Fagnanus *num.* 1. cum illius ceſſationi ſatis proviſum ſit a Tridentino per erectionem ſeminariorum, ut dixi.

Tertia vero pas limitanda eſt ex Decretali ejuſdem Honorii relata in *cap. XXXII. Licet, de Præbend.* ut ſcilicet percipere poſſint integros ſuorum beneficiorum fructus, omiſſis diſtributionibus, cujus textum habes ſupra Sectione CCCV. pag. 260. Quæ tamen Decretalis viciſſim limitanda eſt ex hac mox tranſcripta, ibi enim non reſtringitur tempus vacandi ſtudio; hic autem quinquennium dumtaxat indulgetur.

Ampliata vero eſt quoad ſtudentes parochos, quibus hujuſmodi indultum ſuffragari ſtatuit Bonifacius VIII. uſque ad ſeptennium, ut in ejus Decretali, relata in *cap. XXXIV. Cum ex eo, de Elect. in VI.* cui tamen hodie derogatum eſt, ut ibi notavi.

Hæc eadem tertia pars confirmata eſt a Concilio Tridentino *cap. I, ſeſſ. V. de reformat.* favore tam lectorum, ſacram Scripturam docentium in publicis ſcholis, quam ei ſtudentium, ibi.

Docentes vero ipſam ſacram Scripturam, dum publice in ſcholis docuerint, & ſcholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum, & beneficiorum ſuorum, in abſentia a jure communi conceſſis, plene gaudeant, & fruantur.

Hujuſmodi indultum ex declaratione Congregat. Conc. relata a Fagnan. in *cit. cap. XXXII. Licet*, *num.* 97. 124. & 129. ac in Conſtit. Innocentii XII. mox tranſcribenda, locum habet, quando fructus præbendæ a diſtributionibus ſunt ſejuncti. Si vero iidem integri fructus dictis diſtributionibus conſtent, vel tertiam partem earundem non attingant, tunc tam lectores, quam ſtudentes lucrantur duas dumtaxat tertias illarum partes reſpective, cumulatas ex fructibus præbendæ, & diſtributionibus, omiſſa tertia, choro inſervientibus accreſcenda.

Ex declaratione ejuſdem Congreg. in *Tropejen.* 20. *Novembris* 1597. *lib. Decretor. IX. pag.* 361. & *in Perusina* 7. *Maii* 1707. præfatum indultum ſuffragatur nedum lectoribus S. Theologiæ, ſed etiam juris canonici, & civilis; etiamſi illud legant in publica Univerſitate, exiſtente in eadem civitate, ubi præbendas obtinent, ſive ſtipendium ſit eis ex publico ærario conſtitutum, ſive non; & etiam, ſi non ſint ex numero eorum, qui cathedras habent; dummodo docendi facultas iiſdem data fuerit ab iis, ad quos ſpectat.

Suffragatur itidem juri civili ſtudentibus, ſi huic operam dent cauſa adiſcendi poſtea jus canonicum, ut ex declaratione ejuſdem Congr. in reſponſo ad III. dubium ſub die 31. *Maii* 1607. *lib. Decretor. pag.* 7. *a tergo*.

Laudatum autem indultum ſtudentibus non ſuffragatur, niſi ſingulorum Ordinariorum locorum, in quibus ſingula beneficia hujuſmodi conſiſtunt, conſenſus, gratis præſtandus, ad id accedat ex Conſtitutione Pii IV, *Sanctiſſimus* 24. *Novembris* 1564. *impreſſa poſt Concilium Tridentinum, Romæ editum typis Joſephi Corvi, & Bartholomæi Luprandi Impreſſor. Cameral.* 1676. *pag.* 289. ibi.

San-

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Pius divina providentia Papa IV. Ad cujus aures nuper pervenit, nonnullos curata, vel alios ſacros Ordines, aut perſonalem, reſidentiam requirentia beneficia obtinentes ſub prætextu, quod literis operam dare cupiebant, poſt confirmationem Concilii Tridentini per Sanctitatem ſuam factam, & publicatam, ſecum, ut literarum ſtudio in loco, ubi illud vigeat generale, actu inſiſtendo ratione beneficiorum per eos obtentorum hujuſmodi uſque ad quinquennium, vel aliud tempus tunc expreſſum, dummodo intra primum illius annum ſubdiaconi fierent, ad reliquos Ordines promoveri minime tenerentur, & tamiidem interim, quam alii etiam ad eoſdem Ordines, vel eorum aliquem, ſive aliquos promoti, quod ſimiliter ſtudentes beneficiis per eos obtentis, vel Vicarios idoneos per locorum Ordinarios, etiam congrua fructuum beneficiorum hujuſmodi portione illis aſſignata, vel alias deputandos in divinis deſerviendo animarum curam illis imminentem exercendo, & alia incumbentia onera ſupportando, uſque ad ſimile tempus perſonaliter in eiſdem beneficiis reſidere non tenerentur, & nihilominus interea omnes eorundem beneficiorum fructus percipere poſſent, per ordinariam Sanctitatis ſuæ ſignaturam, ſeu Pœnitentiariæ ſuæ officium diſpenſari, ubique pariter indulgeri obtinuerunt, nullum in his, vel fraudi, vel circumventioni locum, præſertim quod abſentes a romana Curia, de quorum qualitatibus facilis notitia haberi non poteſt, quantum humana ratione provideri poteſt, relinquere volens, Concilii etiam Tridentini decretis inhærendo, hujuſmodi diſpenſationes, & indulta hactenus conceſſa, ac tam ipſius Pœnitentiariæ, quam Apoſtolicas, & alias deſuper confectas, & conficiendas literas, proceſſuſque habitos, & habendos, per eaſdem dictis abſentibus nullatenus ſuffragari, niſi ſingulorum Ordinariorum locorum in quibus ſingula beneficia hujuſmodi conſiſtunt, conſenſus gratis præſtandus ad id accedat, Apoſtolica auctoritate declaravit, decernens irritum &c.

Neque ex ſtylo Congr. Conc. ſuffragatur iis, qui jam XXV. annum attigerunt, ut in *Sigien.* 8. *Aprilis* 1592. *lib. Decretor VII. pag.* 41. *a tergo:* quod idem jam ſtatuerat Concilium Toloſanum, celebratum an. 1590. & refert etiam Card. Petra *tomo III. ad Conſtit. X.* Bonifacii VIII. *numer.* 10. ubi etiam monet Epiſcopos, ut curare debeant = quod ii dumtaxat, qui bonam ſpem proficiendi in ſtudiis præſeferant, hoc indulto fruantur, ne fruſtrata mente dictorum jurium, indociles, & inepti ad ſtudia ſe conferant, ut innuit Fagnanus plurib. cit. in dict. *cap. Cum ad hoc num.* 10.

Imo, ſi agatur de beneficiatis Urbis Romæ, hujuſmodi indultum non eſt concedendum ultra triennium, neque majoribus XXV. annis, ut ex Conſtit. Innocentii XII. *Sanctiſſimus Dominus* 23. *Maii* 1693. ſuper reformatione indultorum, eximentium a ſervitio chori Canonicos, ſive beneficiatos ejuſdem Urbis §. V. ibi.

Indulta cauſa ſtudii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis diſtributionibus quotidianis, eſſe concedenda, quam pro Eccleſiis, quarum redditus conſiſtunt, vel in ſolis diſtributionibus quotidianis, vel in iiſdem diſtributionibus una cum aliquibus fructibus tenuis præbendæ, dempta tamen tertia parte, quæ intereſſentibus accreſcat: nec pariter concedenda ultra triennium, neque majoribus XXV. annis, quinimo hujuſmodi ætate XXV. annorum expleta, eadem indulta, licet idem triennium adhuc expletum non fuerit, expirare.

Quæri hic poſſet, an ſæpe dictum indultum, quemadmodum non ſuffragatur magiſtris, niſi doceant in publicis Univerſitatibus, ſeu Accademiis privilegiatis, per Papam, vel alium ſupremum Principem erectis cum facultate doctoratus inſignia conferendi, ita neque ſuffragetur ſcholaribus, ſi in iiſdem ſtudio operam non dent, ſed in quocumque alio publico gymnaſio, in quo hujuſmodi facultates optime edocentur, puta in gymnaſiis PP. Societatis Jeſu, & Scholarum piarum. Quamvis DD. communi calculo non ſuffragari inferant ex negativo reſponſo Innocentii III. ad Altiſſiodorenſem Epiſcopum, relato in *cap. XII. Tuæ fraternitatis, de Cleric. non reſident.* qui poſtulaverat, an Canonici indulto ſtudiorum fruerentur, dum accepta licentia, ad villas, & caſtra ſe trasferebant, in quibus nullum erat, vel minus competens ſtudiorum exercitium: ex declaratione tamen Congreg. Conc. fruuntur æque, acſi ſtuderent in publicis Univerſitatibus: propoſito enim inter alia dubio V. in *Mediolanen.* 19. *Novembris* 1673. = An ipſi (beneficiato) debeantur duæ ex tribus partibus diſtributionum, quamvis non inſervierit, ſub prætextu, quod ſtudiis S. Theologiæ vacaverit in ſcholis PP. Societatis Jeſu Mediolani, S. Congr. auditis utriuſque partis Procuratoribus, & noviter deductis accurate perpenſis, ad V. prævio receſſu a deciſis, reſpondit, affirmative = *ut lib. XXVIII. Decretor. pag.* 188.

Eodem Titulo de Magiſtris in Clementinis.

SECTIO DCCLXXXVIII.

CAPUT I. INTER SOLICITUDINES, *ex Decretali Clementis V. edita in Concilio generali Vien. in Gallia celebrato an. 1311. cum interventu trecentorum, & amplius Epiſcoporum.*

INter ſolicitudines ..... Ut igitur peritia linguarum hujuſmodi (ſequentium videlicet) poſſit habiliter per inſtructionis efficaciam obtineri, hoc ſacro approbante Concilio, ſcholas in ſubſcriptarum linguarum generibus ubicumque romanam Curiam reſidere contigerit, necnon in Pariſien. & Oxonien. Bononien. & Salamantino ſtudiis providimus erigendas, ſtatuentes, ut in quolibet locorum ipſorum teneantur viri catholici ſufficientem habentes hæbraicæ, arabicæ, & chaldeæ linguarum notitiam; duo videlicet uniuſcujuſque linguæ periti, qui ſcholas regant inibi, & libros de linguis ipſis in latinum fideliter tranſferentes, alios linguas ipſas ſolicite doceant, earumque peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant, ut inſtructi, & edocti ſufficienter in linguis hujuſmodi fructum ſperatum poſſint (Deo auctore) producere, Fidem propagaturi ſalubriter in ipſos populos infideles. Quibus equidem in romana Curia legentibus per Sedem Apoſtolicam; in ſtudiis vero, Pariſienſi per Regem Franciæ, in Oxonienſi Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, ac Vualiæ; in Bononienſi per Italiæ, in Salamantino per Hiſpaniæ Prælatos, monaſteria, capitula, conventus, collegia exempta, & non exempta, & Eccleſiarum rectores in ſtipendiis competentibus, & ſumptibus volumus provideri: contributionis onere ſingulis juxta facultatum exigentiam imponendo: privilegiis, & exemptionibus quibuſcumque contrariis nequaquam obſtantibus, quibus tamen nolumus quoad alia præjudicium generari.

Hanc Decretalem, dici poſſet in deſuetudinem abiiſſe, cum hodie non amplius vigeat ratio, ob quam emanata eſt: cum enim emanaverit initio ſeculi XIV. quo tempore adhuc frequens erat diſſertatio de rebus Religionis inter Chriſtianos, & Saracenos, dominantes in Aſia, Africa, & magna parte Hiſpaniæ, utentes lingua arabica, mixta ex hæbraica, & caldaica, ideo Clemens V. una cum Concilio juſſit, ut tam eo in loco, ubi Curia Romana reſideret, quam in Accademia Bononienſi in Italia, Pariſienſi in Gallia, Oxonienſi in Anglia, & Salmaticenſi in Hiſpania doceretur lingua hæbraica, arabica, & caldaica a duobus magiſtris deputatis in unaquaque lingua; ac pro illorum ſtipendio in Hiſpania, ubi deerant ſumptus regii, ab Epiſcopis provideretur per contributionem Cleri tam ſecularis, quam regularis, etiam exempti. Verum Romæ publici profeſſores dictas linguas docent.

SECTIO DCCLXXXIX.

CAPUT II. CUM SIT, *ex Decretali ejuſdem Clementis V. in eodem Concilio Viennenſi edita.*

CUM ſit nimis abſurdum, ut quis cum vanitate, & imperitia ad honorem aſcendat peritiæ literarum, non ſine turbatione miramur, illum apud ſcholaſticos invaluiſſe abuſum, quod plerique eorum, qui in quavis ſcientia ad doctoratus, vel magiſterii aſſumuntur honorem, cum ſua ſolemniter principia faciunt, aut ſui recipiunt inſignia doctoratus, circa cibos, veſtes, & alia ſic in expenſis excedunt, quod & ipſi tranſeunte expenſarum hujuſmodi vanitate, vacui plerumque remaneant, & gravati; & cæteri, qui vel nolunt, vel nequeunt ſimiles expenſas ſubire, hac occaſione frequenter a receptione honoris hujuſmodi retrahuntur. Volentes igitur de opportuno ſuper his remedio providere, illis, ad quos ubilibet pertinet honorem tribuere memoratum, diſtricte præcipimus, ut quoſcumque ab eis de cætero dictum recipientes honorem, juramento prius obſtrigant, ne ultra tria millia turonen. argenteorum in ſolemnitate, circa hujuſmodi doctoratum, aut magiſterium quomodolibet adhibenda, expendant: ipſoſque nihilominus (niſi forſan nobilis conditionis extiterint) ut intra ſummam prædictam hujuſmodi moderentur expenſæ, efficaciter exhortan-

tantes, ac ſi hoc illorum congruere ſtatui viderint, juramentum exigentes ab eis, quod certos infra ſummam præfatam taxandos ab ipſis expenſarum terminos non excedant. Siquis autem, pontificali etiam dignitate præfulgens, non recepto prius juramento præfato, honorem cuiquam tribuerit ſupradictum, a collatione magiſterii, ſeu doctoratus cujuslibet per ſex menſes ſequentes eo ipſo noverit ſe ſuſpenſum.

Hæc pariter Decretalis, tam circa taxam expenſarum ſervandam in conferendo gradu doctoratus, Academiis præfinitam in tribus millibus argenteis turonenſibus, qui ad monetam romanam redacti, aſcendebant ad ſcuta centum triginta circiter, quam circa juramentum exigendum a graduandis de non excedendo dictam taxam, in deſuetudinem abiit, cum hodie quælibet Academia, ſeu ſtudiorum Univerſitas propriis utatur taxis, & conſuetudinibus.

In Romana Univerſitate Sapientiæ pauperibus, & egenis doctoratus gradus gratis conferendus eſt ex Conſtitutione Julii III. *Cum ſicut 6. Febr. 1552. §. III*, ibi,

Nos.... ſtatuimus, & ordinamus.... vos (Advocatos ſcilicet conſiſtoriales) quoſcumque pauperes, vel egenos, quos ad ſuſceptionem graduum hujuſmodi habiles, & idoneos repereritis, ad doctoratus in utroque, ſeu altero jurium [civilis nempe, & canonici] gradus hujuſmodi gratis pro Deo, & abſque aliqua pecuniarum ſolutione ab eis facienda, aſſumere, ſeu doctores creare debere.

Titulus VI. De Judæis, & Saracenis, eorumque ſervis.

SECTIO DCCXC.

CAPUT I. PRÆSENTI, *ex Decretali, deſumpta a Canone XVI. non Concilii Matiſcenſis, ſed Matiſconenſis, celebrati Matiſconæ, quæ eſt Galliæ Civitas an. 581. hortatu Gunterami Regis Gallorum.*

PRæſenti Concilio ſancimus, ut nullum chriſtianum mancipium judæo ſerviat, ſed datis XII. ſolidis pro quolibet bono mancipio, ipſum quicunque chriſtianorum, ſeu ad ingenuitatem, ſeu ad ſervitium, licentiam habeat redimendi: & ſi chriſtianus fieri deſiderat, & non permittitur, idem fiat: quia nefas eſt, quem Chriſtus redemit, blaſphemum Chriſti (ideſt judæum) in ſervitutis vinculis detinere.

Cum ſeculo VI. in Gallia in tantum devenerit judæorum in chriſtianos petulantia, & ſævitia, ut eos in ſuam ſervitutem redegerint, ideo Patres Concilii Matiſconenſis ſtatuerunt, quod jamdiù conſtituerant Imperatores *capit. Ne chriſtianum mancipium*, ut tenerentur chriſtiana mancipia dimittere pro duodecim ſolidis in ſingula capita; idemque obſervaretur, ſi ethnicum mancipium eorundem Judæorum Chriſti fidem amplecti vellet, & a ſuo domino impediretur.

Hanc legem renovavit Gregorius IX. addens pœnam amittendi mancipium baptiàatum, niſi intra tres menſes illud venale pro duodecim itidem ſolidis, a Chriſtianis quidem redimendum, exponerent, ut in ſequenti ejus Decretali, relata *hoc eod. tit. capit. XIX.*

Nulli judæo baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in ſuo ſervitio retinere. Quod ſi quem nondum ad Fidem converſum cauſa mercimonii emerit, & poſtmodum factus ſit, vel fieri deſideret chriſtianus, datis pro eo XII. ſolidis, ab illius ſervitio protinus ſubtrahatur. Si autem intra tres menſes ipſum venalem non expoſuerit, vel ad ſibi ſerviendum emerit eundem, nec ipſe vendere, nec alius audeat comparare, ſed, nullo dato pretio, perducatur ad præmia libertatis.

Verum utraque hæc Decretalis hodie locum amplius non habet, ſive dictum mancipium tam chriſtianum, quam ethnicum chriſtianam Religionem amplecti volens redimatur, ſive non, quia nullus emptor appareat: cum hujuſmodi uſurpatum dominium in chriſtianos penitus abolitum ſit, Card. Albitius *de Inconſtan. in fide cap. IX. num. 54.* qui *num. 55.* ſubdit ex Calvino, Lexicon juris *verbo Solidus*, duodecim ſolidorum loco, de quibus in allatis textibus, ex generali omnium populorum conſuetudine ſubrogata eſſe duodecim ſcuta aurea.

Digitized by Google

SECTIO DCCXCI.

Caput II. Multorum, *ex Decretali S. Gregorii Magni, deſumpta ab ejus Epiſtola XXI. Epiſcopo Lunenſi (non Lucenſi) ſcripta, quam integram ex Gonzalez tranſcribo.*

Multorum ad nos relatione pervenit, a judæis in Lunenſi civitate degentibus, in ſervitio chriſtiana detineri mancipia. Quæ res nobis tanto viſa eſt aſperior, quanto a fraternitatis tuæ patientia operoſior. Oportebat quippe, te reſpectu loci tui, atque chriſtianæ Religionis intuitu, nullam relinquere occaſionem, ut ſuperſtitioni judaicæ ſimplices animæ, non tam ſuaſionibus, quam poteſtatis jure quodammodo deſervirent. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, ut ſecundum piiſſimarum legum tramitem, nulli judæo liceat chriſtianum mancipium in ſua retinere domo. Sed ſiqui penes eos inveniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum diſtrictione ſint liberi: tamen quia colendis eorum terris diutius adhæſerunt, utpote conditionem loci debentes, ad colenda, quæ conſueverant, rura permaneant, penſioneſque prædictis viris præbeant, & cuncta, quæ de colonis, vel originariis præcipiunt, peragant, extra quod nihil eis oneris amplius indicatur. Quod ſi quiſquam de his, vel ad alium migrare locum, vel in obſequio ſuo retinere voluerit, ipſe ſibi reputet, qui jus colonarium temeritate ſua, jus vero dominii ſub juris ſeveritate damnavit. In his ergo omnibus ita, te volumus ſolerter impendi, ut nec direpti gregis paſtor reus exiſtas, nec apud Nos minor æmulatio fraternitatem tuam reprehenſibilem reddat.

Eodem ſeculo VI. nedum in Gallia, ut ſupra notavi, ſed etiam in Tuſcia tantum erat judæorum odium in chriſtianos, ut hos tanquam vere mancipia retinerent: ideo S. Gregorius Epiſcopo Lunenſi præcepit, ut ad tramites *L. I. C. Chriſtianum mancipium, & L. LVII. C. de Epiſc. & Cleric.* id ſolerter prohiberet, ſed dumtaxat illis permitteret eoſdem chriſtianos apud ſe retinere tanquam ſervos adſcriptitios, ſeu originarios, colonos videlicet colendis eorum agris adſcriptos, quibus nihil novi oneris imponi poſſent, præter ea onera, quæ de colonis, vel originariis jura præſcribebant: hoc addito, quod ſi eos in alium locum transferre voluiſſent, ubi ea immunitas a mancipatu non viget, vel ſi nova onera impoſuiſſent, jus colonarium amitterent.

Verum & hæc Decretalis locum amplius non habet, cum judæi hodie, ſaltem in Statu eccleſiaſtico, nulla immobilia bona poſſidere poſſint, ut ex Conſtitutionibus Summorum Pontificum, neque ex decreto Concilii Lateranenſis III. eis permittendum ſit, eoſdem chriſtianos ſecum pro famulatu retinere, ut notabo infra.

SECTIO DCCXCII.

Caput III. Judæi, *ex Decretali, deſumpta ab Epiſtola V. ejuſdem S. Gregorii, ſcripta Januario Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Calaritano in Sardinia.*

Judæi de civitate (& infra.) ſicut legalis diffinitio Judæos novas non patitur erigere ſynagogas, ita eos ſine inquietudine veteres habere permittit.

Præcipit hic Gregorius, ne judæi juxta *L. ultimam C. de Judæis*, novas synagogas conſtruant; permittit tamen veteres retinere.

Alexander vero III. aliquantulum ampliavit Gregorii permiſſionem; nedum enim eis permittit veteres retinere, ſed etiam collapſas, & ruvinoſas reædificare, dummodo eas altius non extollant, vel ampliores, & pretioſiores reddant, ut in ſequenti ejus Decretali *hoc eod. tit. relata cap. VII. Conſuluit*, reſcripta, juxta Cujacium, Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Pariſienſi.

Conſuluit (& infra.) Judæos de novo conſtruere synagogas, ubi non habuerunt, pati non debes. Verum, ſi antiquæ corruerint, vel ruinam minantur, ut eas reædificent, poteſt æquanimiter tolerari: non autem, ut eas exaltent, aut ampliores, aut pretioſiores faciant, quam antea fuiſſe noſcuntur: qui utique hoc pro magno debent habere, quod in veteribus synagogis, & ſuis obſervantiis tolerantur.

Utraque hæc Decretalis confirmata, & ampliata eſt a Paulo IV. Conſtit. *Cum nimis abſurdum, pridie idus Julii* 1555. præcipiente, ut ſi plures præter unam aynagogam ædificaverint, demoliri teneantur ſub

pœna

pœna læſæ majeſtatis, & diffidationis, ſeu proſcriptionis a toto populo chriſtiano. Quam Conſtitutionem confirmavit S. Pius V. Conſtit. *Romanus Pontifex 13. Kalend. Maii* 1566. quarum tenorem leges infra poſt notata ad *cap. II. Dignum* Sect. DCCCVIII.

Quod ſi novas conſtruant abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, puniri etiam poſſunt ab Inquiſitoribus S. Officii, ut ſub die 20. Octobris 1601. & 25. Septembris 1608. reſolutum fuiſſe ab ejuſdem Congregatione teſtatur Card. Albitius *de Incoſtan. in fide parte I. cap. XXXI. num.* 109. ſubditque *num.* 112. non ita facile S. Sedem hanc licentiam impertiri; imo pluries denegatam fuiſſe.

Unum hic addere optimum cenſeo, quod, cum Decretalis aſſerat judæis permiſſum eſſe, nedum habere veteres synagogas, verum etiam eaſdem habere *ſine inquietudine*: eædem non ſunt eis occupandæ abſque gravi, juſta, & rationabili cauſa; prout habetur in hac eadem Decretali, fuſius tranſcripta a Gonzalez: nec ii perturbari debent in ſuis feſtivitatibus; aut bonæ conſuetudines, quas hactenus habuerunt, eiſdem immutari, ut infra videbitur *cap. IX. hoc eod. tit.* Verum tamen eſt, quod ſiquæ synagoga judæorum impediat officia Eccleſiæ, illa transferenda eſt, ut conſtat ex Regeſto ejuſdem D. Gregorii *lib. XII. epiſtola* 18. Imo & ſiqua, inconſulto, ac etiam temere fuerit occupata, & in Eccleſiam conſecrata, hæc judæis reſtituenda non eſt, ſed juſtum dumtaxat pretium ejuſdem: quod enim ſemel proprie conſecratum eſt, judæis ultra reſtitui non valet, *ut ex eod. Regeſ. lib. VII. epiſt.* 59. notat P. Paravicinus *in Polianth. ſacr. Can. V. Judæorum ritus, & synagogæ, ſub n.* 8. Diverſimode tamen loquendum eſſet, ſi ſola Crux cum Crucifixo, & aliquot aliis imaginibus ibi appoſita fuiſſet, ut conſtat ex integra Decretali præſenti, prout refertur a ſupracit. Gonzalez.

SECTIO DCCXCIII.

Caput IV. Quia super his, *ex Decretali laudati Alexandri III. Maſſilienſi Epiſcopo reſcripta.*

Quia ſuper his (& infra.) Generaliter interdicas, ut judæi oſtia, vel feneſtras in die Paraſceves apertas non habeant, ſed clauſas teneant tota die.

Hæc Decretalis, in qua Pontifex præcepit, ut in diœceſi Maſſilienſi (non Januenſi, ut aliqui notarunt) interdiceretur judæis, ne in die Paraſceves, ideſt feria VI. majoris hebdomadæ, oſtia, & feneſtras apertas haberent, ampliata eſt ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi IV. celebrato anno 1215. præcipiente, ut ſub pœnis a Poteſtate ſeculari infligendis prohibeantur ab Epiſcopo, ne præſumant in publicum prodire, nedum in dicta diœceſi, & præfato die, ſed ubique locorum, & in omnibus diebus Lamentationis, & Dominicæ paſſionis, ut in ejuſdem Decretali relata *hoc eod. tit. cap. XV. In nonnullis.*

Hoc decretum in Italia, aliiſque provinciis ſtrictius obſervatur quam in Germania, Maſchat *hoc tit. num.* 7.

SECTIO DCCXCIV.

Caput V. Judæi, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, deſumpta a cap. XXVI. Concilii generalis Lateranenſis III. ſub eodem celebrati an.* 1179.

Judæi, ſive Saraceni neque ſub alendorum puerorum ſuorum obtentu, nec pro ſervitio, vel alia qualibet cauſa chriſtiana mancipia in domibus ſuis permittantur habere: excommunicentur autem, qui cum eis præſumpſerint habitare (& infra.) Siqui præterea, Deo inſpirante, ad Fidem ſe converterint chriſtianam, a poſſeſſionibus ſuis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis ad Fidem converſos eſſe oporteat, quam antequam Fidem ſuſceperint, habebantur. Si autem ſecus fuerit factum, Principibus, ſeu Poteſtatibus eorundem locorum injungimus ſub pœna excommunicationis, ut portionem hæreditatis ſuæ, & bonorum ſuorum ex integro eis faciant exhiberi.

Quatuor in hac Decretali præcipit Alexander.

I. Ne judæis, aut Saracenis permittatur ſecum retinere pro famulatu chriſtiana mancipia, etiam ſub prætextu alendi illorum filios.

II. Ut excommunicentur chriſtiani præſumentes cum iiſdem habitare.

III. Ne judæi ad chriſtianam Fidem converſi, priventur bonis ad ipſos ſpectantibus.

IV. Ut in caſu denegatæ dictorum bonorum reſtitutionis, Principes, ſeu Gubernatores locorum, in quibus ea poſſident, ſub pœna excommunicationis (quæ eſt ferendæ ſententiæ) teneantur illos in eorundem poſſeſſione manutenere.

Ad I. Quod ſpectat, repetenda ſunt jam notata ad *cap. I. & II. pag.* 603. & 604.

II. Vero confirmatum eſt a Paulo IV. & S. Pio V. ut ex eorum Conſtitutionibus, quas leges infra poſt notata ad *cap. II. Dignum* Sect. DCCCVIII.

De III. & IV. Inſtituetur ſermo infra in notis ad *cit. cap. II. Dignum, inter Extravag. commun.* potiſſimum quoad poſſeſſionem bonorum ſtabilium.

SE-

SECTIO DCCXCV.

Caput VI. Ita quorundam, *ex Decretali, deſumpta a cap. XXIV. ejuſdem Concilii Lateranenſis III.*

ITA quorundam animos occupavit ſæva cupiditas, ut qui gloriantur nomine chriſtiano, Saracenis arma, ferrum, & ligamina deferant galearum, & pares, aut etiam ſuperiores in malitia fiant illis, dum ad inpugnandos chriſtianos arma eis, & neceſſaria ſubminiſtrant. Sunt etiam qui pro cupiditate ſua in galeis, & piraticis Saracenorum navibus regimen, & curam gubernationis exerceant. Tales igitur ab eccleſiaſtica communione præciſos, & excommunicationi ſubjectos, rerum ſuarum per Principes catholicos, & Conſules civitatum privatione multari, & capientium fieri ſervos cenſemus. Præcipimus etiam, ut per Eccleſias maritimarum urbium crebra, & ſolemnis in eos excommunicatio proferatur.

De prohibitione, & pœnis in hac Decretali inflictis ſpecialis inſtituetur ſermo infra in notis ad Decretalem Clementis V. relatam in *cap. I. Multa, inter Extravag. commun.*

SECTIO DCCXCVI.

Caput VII. Consuluit, *ex Decretali laudati Alexandri III. Pariſienſi Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) reſcripta.*

Circa hanc Decretalem jam tranſcriptam poſt *cap. III. Judæi pag.* 604. notandum eſt, ut ibi.

SECTIO DCCXCVII.

Caput VIII. Ad hæc, *ex Decretali dicti Alexandri, univerſis Angliæ Prælatis ſcripta, juxta Gonzalez.*

AD hæc omnibus chriſtianis, qui ſunt in juriſdictione veſtra, penitus interdicatis, & ſi neceſſe fuerit, diſtrictione eccleſiaſtica compellatis eoſdem, ne judæorum ſervitio ſe aſſidue pro aliqua mercede exponant, quod etiam obſtetricibus, & nutricibus eorum prohibere curetis, ne infantes judæorum in eorundem domibus nutrire præſumant. Quoniam judæorum mores, & noſtri in nullo concordant, & ipſi de facili ob continuam converſationem, & aſſiduam familiaritatem ad ſuam ſuperſtitionem, & perfidiam ſimplicium animos inclinarent.

Ex ſenſu contrario hujus Decretalis eruitur, non prohiberi chriſtianis nutricibus infantes judæorum nutrire extra eorum domos; cum hic expreſſe prohibeatur dumtaxat eos nutrire intra eorundem domos. Verum ex Conſtitutionibus Pauli IV. & S. Pii V. quas leges infra poſt notata ad *cap. II. Dignum*, generaliter, & indiſtincte id prohibetur: ideoque vi harum Conſtitutionum neque extra permiſſum eſt; ut etiam declaravit Cong. Univerſalis Inquiſitionis 15. Martii, & 17. Maii 1612. ſuper quo neque Epiſcopus, neque Nuncius Apoſtolicus diſpenſare poteſt. Et ſi iidem judæi retinuerint dictas nutrices, & uſi fuerint opera chriſtianorum, tam ipſi, quam hi puniuntur ab Inquiſitoribus ex decreto ejuſdem Inquiſitionis 12. Octobris 1627. teſte Albitio *de Inconſtan. in fide parte II. cap. XXXI. num.* 117.

SECTIO DCCXCVIII.

Caput IX. Sicut, *ex Decretali Clementis III.*

SIcut judæi (& infra.) Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad Baptiſmum venire compellat. Si quis autem ad chriſtianos cauſa Fidei confugerit, poſtquam voluntas ejus fuerit patefacta, chriſtianus abſque calumnia efficiatur: quippe Chriſti Fidem

dem habere non creditur, qui ad chriſtianorum baptiſmum non ſpontaneus, ſed invitus cogitur pervenire.

Nullus etiam chriſtianus eorum quemlibet ſine judicio terrenæ poteſtatis, vel occidere, vel vulnerare, vel ſuas pecunias auferre præſumat, aut bonas, quas hactenus habuerint conſuetudines, immutare: præſertim in feſtivitatum ſuarum celebratione quiſquam fuſtibus, vel lapidibus eos nullatenus perturbet, neque aliquis ab eis coacta ſervitia exigat, niſi quæ ipſi tempore præterito facere conſueverunt. Ad hoc, malorum hominum pravitati, & avaritiæ obviantes, decernimus, ut nemo cœmeterium judæorum mutilare, aut invadere audeat, ſive obtentu pecuniæ corpora humata effodere. Si quis autem hujuſmodi decreti tenore cognito (quod abſit) contraire præſumpſerit, honoris, & officii ſui periculum patiatur, aut excommunicationis ſententia plectatur, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit.

Hanc Decretalem prohibentem, ne ullus chriſtianus judæos nolentes, aut invitos venire ad baptiſmum compellat, innovavit Innocentius III. ut ex ejus Epiſtola finali *lib. II. apud Sirletum fol.* 434. ibi.

Sicut ergo judæis non debet eſſe licentia in synagogis ſuis, ultra quam permiſſum eſt lege, præſumere, ita in his, quæ ſunt illis conceſſa, nullum debent præjudicium ſuſtinere. Nos ergo licet in ſua magis velint duritia perdurare, quam vaticinia Prophetarum, & legis arcana cognoſcere, atque ad chriſtianæ fidei notitiam pervenire: quia tamen noſtræ poſtulant defenſionis auxilium, & chriſtianæ pietatis manſuedinem, Prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Caliſti, Eugenii, Alexandri, Clementis, & Cæleſtini Rom. Pontificum exemplis inhærentes, ipſorum petitionem admittimus, eiſque protectionis noſtræ clypeum indulgemus. Statuimus ergo, ut nullus chriſtianus invitos, vel nolentes eos ad baptiſmum per violentiam venire compellat, ſed ſi eorum quilibet ſponte ad chriſtianos fidei cauſa confugerit, poſtquam voluntas ejus fuerit patefacta, ſine qualibet efficiatur calumnia chriſtianus.

Quod ſpectat ad coactionem non inferendam judæis, ut inviti ad baptiſmum veniant, referre juvat, quæ notatu digna leguntur in Epiſtola Benedicti XIV. ad Archiepiſcopum Tarſenſem, Viceſgerentem Urbis, *Poſtremo menſe* 28. *Februar.* 1747. *in ejus Bullar. tom. II.* circa judæorum, & infidelium baptiſmum; in qua probatur licite baptizari poſſe filios infantes, & impuberes judæorum, & infidelium, invitis parentibus, in ſequentibus caſibus.

I. Si ſint in extremo mortis articulo ex decretis S. Congr. Inquiſit. 2. *Novembr.* 1678. & 18. *Febr.* 1706. *ibid. relatis* §. VIII.

II. Si ſint a parentibus projecti, atque derelicti; cum tunc ſtatim ſubducti dicantur a patria poteſtate, *cap. I. de Infant. & languid. expoſitis*. Tales autem intelliguntur, non qui ſine patre, & ſine matre, vel nullo comite, aut per urbem, aut extra hæbreorum vicum temere vagantur, ſed qui in loco publico ſoli, abjecti, atque omni cura, & ſpe deſtituti inveniuntur, ibidem §. IX. & X. Item baptizari poſſe cenſet Reiffenſt. *lib. V. Decret. tit. VI. de Judæis num* 52. ſi ita ſint a parentibus jam ſeparati, ut iis amplius non debeant, aut nequeant reſtitui, v. g. ſi parentes eſſent mortui. Crederem tamen, hanc ſententiam corrigendam eſſe, quoad ſecundam partem, ſi adeſſet avus (qui etiam vivente ejus filio, jam habebat poteſtatem in nepotem *L. 4. de his, qui ſui §. Qui igitur inſtit. de patria poteſtate*) vel adeſſet Tutor, utpote ſuccedens in jura patris, communiter; tunc enim his reſtitui deberent. Item baptizari poſſe ſentiunt Auctores relati a Lucio Ferraris *Prompta Bibliotheca, verbo Baptiſmus art. V. num.* 22. amentes, quando nulla eſt ſpes, ad rationis uſum eos pervenire poſſe.

III. Si offerantur ad baptiſmum a patre converſo, etiam invita matre, *cap. Ex literis, de converſ. infidel.*, vel a matre, invito patre, ob favorem Fidei, qui juxta magis receptam opinionem, locum habet, etiam in caſu matris converſæ, ibidem §. XV. & XVI.

IV. Si offerantur ab avo paterno, pariter converſo, etiam utroque genitore invito, ex decreto Gregorii XIII. aliiſque juribus ibidem allatis §. XVII.

V. Si offerantur ab avia paterna converſa nepotes ex filio defuncto, etiam contradicente matre, ut decrevit in hac eadem facti ſpecie, quod Romæ accidit anno 1751. idem Bened. XIV. ut in altera ejuſdem Epiſtola ad Petrum Hieronymum Guglielmi, Sac. Inquiſitionis Aſſeſſorem. *Probe te* 15. *Decemb.* 1751. impreſſa in *cit. Bullar. Tom. III.*

Hic quæri poſſet, an & id aviæ maternæ liceret: & quamvis ex paritate rationis, in favorem nempe Religionis, primo intuitu videatur licere, non tamen crederem, hoc tuto aſſerendum; nedum quia hic caſus nullibi reperitur deciſus, & in jure poſitivo de caſu ad caſum non valeat illatio, ſed maxime quia in avia materna non ea poteſt conſiderari qualitas, quæ in paterna: pro hac enim, præter favorem Religionis, militat etiam legis diſpoſitio, cum & ipſa veniat ſub appellatione parentum, *L. appellatione, ff. de verbor. ſignificat.* & quod pertinet ad curam nepotum, pari jure cenſeri debet avus, & avia paterna ex benigna conceſſione *Auth. matri, & aviæ eod. tit.* ex quo fit, quod non ſit perſona penitus extranea, ſed a familia ſua per matrimonium in filii familiam translata, naturali quadam connexione primas in hac eadem familia partes una cum ipſo obtineat; quod dici

dici nequit de avia materna : & cæteroquin ſolus Religionis favor non ſatis ſit , ut reluctantibus parentibus , eorum filii licite offerri poſſint ; alias unicuique perſonæ , quamvis extraneæ, id liceret , ut doctiſſime in cit. Epiſt. ratiocinatur idem Pontifex .

VI. Si parentibus orbi offerantur a Tutoribus juxta receptam ſententiam , ibidem relatam §.XIII. & in citat. Epiſt. ad Archiep. Tarſenſem §. XIV.

VII. Si filii ſervorum pœnalium offerantur ab eorum dominis , filii ſcilicet Turcarum bello capti , ſicut & nati ab ipſis in captivitate , non autem filii chriſtianorum capti in bello , inter eoſdem chriſtianos geſto, cum hi ſint ſervi, ſervitute tantum civili , ut ex rationibus allegatis in cit. Epiſt. ad Petrum Guglielmi §. XV. & XXVI.

VIII. Si offerantur infantes hæbreorum a parentibus , qui ſemel dixerunt , ſe catholicam fidem amplecti velle , licet poſtea a propoſito recedant , ex dec. Sac. Inquiſitionis ſub die 24. *Septembr.* 1699. relat. §. *XVIII.* cit. Epiſtol. ad Archiepiſcop. Tarſen.

IX. Si offerantur nedum a parentibus neophitis , ſed etiam ab Ethnicis , & judæis in infidelitate , & judaiſmo remanentibus : dummodo fide bona ab eis id fiat, & infantes baptizati apud chriſtianos remaneant; ut §. X. Epiſtol. ad Petrum Guglielmi ; & in eo etiam caſu , quo unus conſentiret , & alter non , ut ſentit cum Bartholomæo ab Angelo Paſſerin. Reiffenſt. Lucius Ferraris *loc. cit. num.*20.

X. Si ipſimet judæorum , & infidelium filii , ſtatim ac ad uſum rationis pervenerint, baptiſmum ultro poſtulaverint §. *XXXVI. & ſeqq.* Epiſt. ad Archiep. Tarſen.

Notandum etiam eſt ex hac eadem Epiſtola .

I. Rationis uſum regulariter ab anno ſeptimo completo incboari , ex decreto Cong. Conc. 16. *Julii* 1639. ibidem relato §. *XXXII.*

II. In dubio de perfecto rationis uſu baptiſmum eſſe protrahendum , & interim puerum illum petentem non remittendum ad parentes , ſed ab eis procul retinendum , donec conſtet de ejuſdem perfecto rationis uſu , ibidem §. *XXXIII. & ſeqq.*

III. Si poſt adhibitam diligentiam reperiatur vere rationis uſu carere , reſtituendum eſſe parentibus , ibidem §. IV.

IV. Illicite baptizatos , ideſt neque a parentibus, neque ab aliis , Jus in eos habentibus ad baptiſmum oblatos , non eſſe reſtituendos parentibus , etiamſi hi cautione , aut fidejuſſione data , ingenue ſpondeant , ſe eos , vix dum ad convenientem ætatem pervenerint , chriſtifidelibus reſtituturos , nec quidquam contra Fidem catholicam edocturos , ibidem §. *XXVIII. & ſeqq.* Contra autem ſic baptizatos , ſi poſtquam adoleverint , parentum ritibus adhæſerint , & fuerint de hoc confeſſi , aut convicti , procedendum eſſe tamquam contra hæreticos .

Quod autem ſpectat ad probationem patefactæ voluntatis judæi cupientis baptiſmum ſuſcipere , ex decreto Cong. Univerſalis Inquiſitionis , confirmato a Benedicto XIII. Conſtit. *Emanavit* 14. *Febr.* 1727. hæc traditur regula , quæ licet tradita ſit pro judæis Urbis , inſervire tamen poteſt locorum Ordinariis pro judæis , ubique degentibus ,

Feria 4. die 12. Februarii 1727. in Congregatione generali S. Romanæ , & univerſalis Inquiſitionis habita in conventu S. Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſſimis , & & Reverendiſs. DD. S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in tota Republica chriſtiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus , a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis .

§. II. Cum plures exortæ ſint controverſiæ ſuper intelligentia , & executione decreti ab hac ſacra Congregatione editi die 8. Julii 1641. quoad hebræos utriuſque ſexus denunciatos de eorum animi declaratione ſuſcipiendi baptiſmum, Eminentiſſimi , & Reverendiſſimi DD. Cardinales generales Inquiſitores prædicti , dictum decretum declarando , & quatenus opus ſit reformando, in poſterum illud ſequenti modo exequi mandarunt, & decreverunt : nempe , quod teſtes qui hebræos denunciabunt , ſive mares , ſive fœminas de declaratione animi ſuſcipiendi baptiſmum per Notarium juxta interrogatoria generalia ab R.P.D. Vices-gerente præſcribenda cum ſpeciali monitione relevantiæ juramenti in ſcriptis coram eodem R. P. D. Vices-gerente , & eo impedito , coram ejus Auditore examinentur , qui etiam examen præfatum ſubſcribere debeant, & quatenus duo teſtes ſint de loco , tempore , & occaſione conteſtes , tunc denunciati ad domum Cathecumenorum duci , & collocari in loco ſeparato ad hunc effectum deſtinato, in eoque per duodecim dies detineri poſſint , ut ſuper veritate , & conſtantia declarationis eorum voluntatis ſuſcipiendi baptiſmum explorentur . Si autem teſtes erunt ſingulares , vel unus adeſt teſtis idoneus , & fide dignus, tunc denunciati non ſtatim poſt denunciationem, & teſtium examen educendi erunt ad domum Catechumenorum , ſed per R. P. D. Vices-gerentem extra Ghettum , vel in ejus domo, vel in aliqua Eccleſia , vel alio loco ſibi beneviſo , & intra tempus neceſſarium , & opportunum juxta facti ſpeciem , & circumſtantias pro arbitrio , & prudentia dicti R.P.D. Vices-gerentis eorum voluntas exploranda erit .

Antonius Lancionus S. Rom. & univerſalis Inquiſitionis Notarius .

Loco ✠ ſigilli .

Notan-

Notandum eſt cum Albitio *de Inconſt. in Fide cap. XXXI. num.* 136. *ex decreto univerſalis Inquiſitionis ſub die* 3. *Julii* 1613. cogi poſſe Judæos tam a tribunali ejuſdem Inquiſitionis, quam ab Ordinario, ad ſubminiſtranda alimenta, & expenſas filiis ad chriſtianam fidem converſis. ·

Quamvis autem inviti baptizandi non ſint, compellendi tamen ſunt ad audiendam prædicationem verbi Dei qualibet hebdomada ſub pœna interdicti commercii cum fidelibus, & alia arbitrio Ordinarii, pro modo contumaciæ infligenda, juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. *Sancta mater* 1. *Septembris* 1588. in qua declarantur etiam ipſo facto excommunicati quicunque chriſtiani dictos hebræos directe, vel indirecte impedientes, & retrahentes ab acceſſu ad præfatam prædicationem, ibi.

§. I. Quare ſolicito hæc animo meditantes, ac felicis recordationis Nicolai Papæ III. nonnullorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, præſenti Conſtitutione generali præcipimus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, etiam Cardinalatus honore præditis, ut in ſuis quiſque civitatibus, terris, & locis, in quibus competens aliquis numerus judæorum, qui ſynagogam conſtituat, commoratur, curent ſabbati, vel alio cujuſcumque hebdomadis ſtatuto die, ad judæos ipſos in locum præſtitum, non tamen ſacrum, nec ubi ſacra confici ſolent, convocatos, per aliquem magiſtrum in Theologia, aliumve idoneum virum ab eis eligendum cum mercede congrua illi ex ipſorum hebræorum collatione, aut alias, prout commodius eis videbitur, hebraicæ (ſi fieri poterit) linguæ peritum, ſermones, vel lectiones haberi, in quibus illis exponantur ſcripturæ veteris Teſtamenti, Moyſis ſcilicet, & Prophetarum, præſertim vero, quæ eo ſabbato leguntur, ſeu lectæ in eorum ſunt ſynagogis, juxta Sanctorum Patrum interpretationes, & verum catholicæ Eccleſiæ ſenſum, ac in eis diſſeratur de veritate chriſtianæ Fidei, de certo Adventu, & Incarnatione Filii Dei, illiuſque Nativitate, vita, miraculis, paſſione, morte, ſepultura, deſcenſu ad inferos, Reſurrectione, in cœlum Aſcenſione de ejus Evangelio in toto terrarum orbe per Apoſtolos ejus, & alios Sanctos prædicato, innumeris atque clariſſimis virtutibus, & illuſtrium miraculorum gloria confirmato, ac de ejus ſpirituali, & vero regno, & de impio idolorum cultu ſublato, & gentium vocatione, de perpetua tum Hieruſalem, & terræ eorundem judæorum deſolatione, tum ipſorum ubique terrarum diſperſione, & captivitate, & de aliis ſimilis argumenti dogmatibus, & articulis ex lege, & Prophetis, de diutina præterea, & irrita judæorum adventus Meſſiæ, & carnalis illius Regni expectatione, de vana eorum, quæ ſæpe, quinimmo quotidie eos fruſtrata eſt ſpe reditus in terram promiſſionis, & reſtaurationis tertii templi; & demum de multiplicibus, & variis erroribus, & hæreſibus eorum, in quas miſerrime ſe demerſerunt poſtquam Chriſtum Dominum in carne venientem agnoſcere noluerunt, & de falſa per eorum Rabbinos tradita ſacrarum Scripturarum interpretatione, quarum literam, & ſenſum fabulis, mendaciis, & variis dolis, & modis detorquentes corruperunt, & depravarunt, & hactenus corrumpere, & depravare non deſinunt, deque omnibus, aliiſque eos poſſint ad agnitionem Fidei, ad errorum ſuorum correptionem, ad orthodoxamque Fidem convertere pro loci, temporis, ſumptique argumenti ratione prudenter agant, veris, & ex ſacra Scriptura depromptis demoſtrationibus, nulla cum obtrectatione, aut iracundia, ſed magna cum charitate, & modeſtia, veritatis lumen illis aperire conentur.

§. II. Ad quos ſermones, & lectiones volumus univerſos, & ſingulos utriuſque ſexus judæos a duodecim annis ſupra, infirmitate, aut alia legitima cauſa, de qua Ordinarios docere debeant, non impeditos, in civitate, & locis, ut præfertur habitantes, vel aliunde advenientes, etiamſi inibi domicilium non habeant, ita percircuitum convenire, ut tertia ſaltem eorum pars, nec unquam minor, ſemper adſit. Quod ſi facere neglexerint, interdicti cum fidelibus commercii, & aliis pœnis arbitrio Ordinarii pro contumaciæ modo imponendis, donec ſatisfecerint competenter, ad ipſos ſermones audiendos compellantur.

§. III. Si quis vero de numero fidelium ita fuerit ſalutis, aut ſui, aut proximi ſui, de quo unicuique mandatum eſt, immemor, qui eos a ſalutaribus hujuſmodi ſermonibus, ſeu lectionibus directe, vel indirecte abduxerit, aut impediverit, ſeu contenderit quoquomodo, excommunicationis ſententia ſit eo ipſo ligatus, & contra eum ad alias pœnas Ordinarii arbitrio omnino procedatur.

Hanc Conſtitutionem confirmavit Clemens XI. Conſt. *Propaganda* 5. *idus Martii* 1704. in qua §. XX. præcipit hujuſmodi prædicationem in uſum revocari ab omnibus, ad quos ſpectat, ſicubi in deſuetudinem abierit.

SECTIO DCCXCIX.

Caput X. Quam ſit, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui ſcripta.*

Quam ſit laudabile (& infra.) Tuis, frater Epiſcope, petitionibus annuentes, tibi, tuiſque ſociis, cum ad prædicandam Chriſti fidem, paganis exhibetis Apoſt. auctor, concedimus, ut vobis his cibis cum modeſtia, & gratiarum actione, ſervata temporum qualitate juxta canonicas ſanctiones, uti liceat, qui vobis ab ipſis infidelibus apponuntur. Inſuper indulgemus, ut quicunque Religioſi, ſeu Clerici idonei ad annunciandum gentibus evangelicam veritatem, requiſita, & habita Prælatorum ſuorum licentia, tibi voluerint adhærere, id abſque contradictione qualibet liberam exequendi habeant, auctoritate Apoſtol. facultatem,

In hac Decretali ad petitionem cujuſdam Epiſcopi indulget Pontifex tam ipſi, quam ejus ſociis, exeuntibus ad prædicandum Paganis Chriſti Evangelium, ut poſſint uti cibis, qui ab iiſdem illis apponuntur, dummodo abſtineant ab eſu carnium iis diebus, quibus juxta SS. Canonum ſtatuta uti non licet: utque quicunque Religioſi, vel Clerici idonei, qui cum licentia ſuorum Superiorum ſecum ire voluerint, prædicationis munus libere exercere valeant.

Ad primam partem, quod ſpectat, hæc Decretalis locum amplius non habet: cum enim hodie Pagani, ut hic notat Gloſſa, diſcernant cibos, ut Judæi, ſicuti interdictum eſt chriſtianis horum cibis veſci *Can. XIII. Nullus, & XIV. Omnes, cauſ. XXVIII. quæſt.* 1. ita & illorum.

Cæterum, omiſſa etiam hac ratione, hujuſmodi indultum non eſt trahendum in conſequentiam, itaut ſit in facultate cujuſcumque Epiſcopi idem facere, cum fuerit ſpeciale, & huic Epiſcopo id petenti dumtaxat, ea de cauſa potiſſimum conceſſum, ut Pagani noviter ad fidem converſi, Livonienſis nempe Provinciæ, ad quam ſupponitur hunc Epiſcopum perrexiſſe, magis confirmarentur in chriſtiana Religione, quam temporibus Clementis III. amplexi fuerant, quibus eadem de cauſa nonnulla alia ſpeciatim deinde indulſit Innocentius III. ut in ejus Decretalibus, relatis in *cap. XI. Deus; de Vita, & honeſt. Clericor. & cap. IX. Deus, de Divort.*

Neque locum amplius habet quoad ſecundam partem: quandoquidem nemo tam Regularis, quam ſecularis Clericus munus prædicationis in partibus infidelium obire poteſt, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, ſeu Congregationis de Propaganda Fide deputatione.

SECTIO DCCC.

Caput XI. Significavit, *ex Decretali ejuſdem Clementis, ignotum cui reſcripta.*

Significavit nobis tua fraternitas, quomodo aliqui civium in Alexandriam valeant proficiſci pro recuperandis concivibus ſuis, qui illic in captivitate tenentur. Hoc arbitramur licite poſſe fieri, dummodo nihil in mercibus ſuis, vel alio modo ſecum illuc deferant unde poſſit Saracenis (excepto redemptionis articulo) aliquod commodum, aut ſubſidium provenire: quod etiam coram te prius juramento firmabunt. Illi quoque, qui poſt treugam in tranſmarinis partibus factam, cum commercio Alexandriam adiverint, ſi detulerint merces prohibitas cauſa lucrandi, excommunicationis vinculum non evadunt: ſicut nec illi, qui in perſonis propriis non euntes, merces eis per nuncios deſtinarunt. Ad ultimum illos, qui juraverunt, ſe amplius in terram Saracenorum cum mercibus non ituros, niſi pax eſſet inter chriſtianos, & ipſos, & poſt treugam factam venerunt illuc: conditio illa de pace, aut treuga habenda ab excommunicationis vinculo non abſolvit.

SECTIO DCCCI.

Caput XII. Quod olim, *ex Decretali laudati Clementis.*

Quod olim præceptum fuit (& infra.) Sane licet hoc fuerit in Concil. Lateran. diſtricte inhibitum, Nos tamen omnes illos excommunicationi ſupponimus, qui jam amplius cum Saracenis mercimonium habuerunt, vel per ſe, vel per alios, navibus, ſeu quocun-

cunque alio ingenio eis aliqua rerum ſubſidia, ſeu conſilia, quamdiu inter nos, & illos guerra duraverit, duxerint impendenda. Veſtræ igitur diſcretioni mandamus, quatenus nec per vos, nec per veſtras naves, nec alio quocunque modo, aut ingenio eis mercimonia, conſilia, vel alia ſubſidia tranſmittatis: ne, ſi aliqui in ſua malitia indurati ſecus agere præſumpſerint, non ſolum ipſo jure incidant in excommunicationem illam, verum etiam iram Dei viventis incurrant.

De prohibitione in his duabus Decretalibus deferendi arma, & alias merces interdictas ad Saracenos inſtituetur ſermo in notis ad *cap. Multa, inter Extravag. commun.* pag 614.

SECTIO DCCCII.

Caput XIII. Etsi, *ex Decretali ejuſdem Clementis, Archiepiſcopo Senonenſi, & Pariſienſi ſcripta.*

Etſi judæos (quos propria culpa ſubmiſit perpetuæ ſervituti) pietas chriſtiana receptet, & ſuſtineat cohabitationem illorum, ingrati tamen nobis eſſe non debent, ut reddant chriſtianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum, qui tanquam miſericorditer in noſtram familiaritatem admiſſi, nobis illam retributionem inpendunt, quam (juxta vulgare proverbium) mus in pera, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu, ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere. Accepimus autem, quod judæi faciunt chriſtianas filiorum ſuorum nutrices, & (quod non tantum dicere, ſed etiam nefandum eſt cogitare) cum in die Reſurrectionis Dominicæ illas recipere corpus, & Sanguinem Jeſu Chriſti contingit, per triduum antequam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam. Alia inſuper contra Fidem catholicam deteſtabilia, & inaudita committunt, propter quæ fidelibus eſt verendum, ne divinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare patiuntur indigne, quæ Fidei noſtræ confuſionem inducunt (& infra.) Inhibemus ergo diſtricte, ne de cætero nutrices, vel ſervientes habeant chriſtianos, ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ, ſed tanquam ſervi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, ſe ſaltem per effectum operis recognoſcant ſervos illorum, quos Chriſti mors liberos, & illos ſervos effecit, (& infra.) Si vero nutrices, & ſervientes non dimiſerint chriſtianos ſub excommunicationis pœna inhibeatis diſtricte omnibus chriſtianis, ne cum eis commercium aliquod audeant exercere.

In hac Decretali interdicitur judæis, ne retineant in propriis domibus nutrices chriſtianas; quod idem jam interdixerat Alexander III. ut in ejus Decretali *Ad hæc*, tranſcripta Sectione DCCXVII. Cum vero ex ſenſu contrario videatur non interdictum, ſi extra domos illis utantur, tu nota ampliationem in eadem Sectione allatam.

SECTIO DCCCIII.

Caput XV. In nonnullis, *ex Decretali, deſumpta a cap. LXVIII. Concilii generalis lateranenſis IV. celebr. ſub Innocentio III. an. 1215.*

In nonnullis provinciis a chriſtianis judæos, ſeu Saracenos habitus diſtinguit diverſitas: ſed in quibuſdam ſic quædam inolevit confuſio, ut nulla differentia diſcernantur. Unde contingit interdum, quod per errorem chriſtiani, judæorum ſeu Saracenorum, & judæi, ſeu Saraceni chriſtianorum mulieribus commiſcentur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis exceſſus per velamen erroris hujuſmodi ulterioris excuſationis poſſint habere diffugium: ſtatuimus, ut tales utriuſque ſexus in omni chriſtianorum provincia, & omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis diſtinguantur. In diebus autem Lamentationis, & Dominicæ paſſionis in publicum minime prodeant, eo quod nonnulli ex ipſis talibus diebus (ſicut accepimus) & ornatius non erubeſcunt incedere, ac chriſtianis, qui Sacratiſſimæ Paſſionis memoriam exhibentes, lamentationis ſigna prætendunt, illudere non formidant. Illud autem ſtrictiſſime inhibemus, ne in contumeliam Creatoris proſilire

præſumant, & quoniam illius diſſimulare non debemus opprobrium, qui probra noſtra delevit, præcipimus præſumptores hujuſmodi per Principes ſeculares condignæ animadverſionis adjectione compeſci, ne Crucifixum pro Nobis aliquatenus blaſphemare præſumant.

Licet hæc Decretalis in narrativa vocet commixtionem judæorum cum mulieribus chriſtianis damnatæ commixtionis exceſſum, in diſpoſitiva tamen reſtringit prohibitionem ad ejuſdem habitus delationem. Quoad diſtinctionem igitur habitus, ſeu ſigni reſpectu judæorum per eos, tam maſculos, quam fœminas deferendi, ut a chriſtianis diſcernantur, confirmata eſt a Paulo IV. S.Pio V. Clemente VIII. Innocentio XIII. & Benedicto XIII. ut ex eorum Conſtitutionibus, quarum tenores leges infra poſt notata ad *cap. II. Dignum* Sect. DCCCVIII.

Et notandum, quod in Conſtitutione S Pii V. §. V. ſublata ſit quibusvis perſonis facultas ſuper hoc judæos diſpenſandi, etiam Cardinalibus, Eccleſiæ Camerario, & Legatis Sedis Apoſtolicæ: quodque onus deferendi hujuſmodi ſignum afficiat judæos, nedum in Statu Eccleſiæ degentes, ſed etiam ubique locorum, ut §. VIII. non obſtante moderatione quoad hoc Conſtitutionis Pauli IV. *Cum nimis*, facta a Pio IV. Conſtit. *Dudum* 27. *Februarii* 1562. eos ab hac delatione eximente, cum iter agunt, cui §. X. expreſſe derogat.

Quod ſi quæras, qua pœna puniendus ſit tam judæus, quam mulier chriſtiana carnalis commixtionis rei; nulla quidem in jure communi ſtatuta reperitur: eam tamen ſuppeditat Concilium Viennenſe, celebratum Viennæ *VI. Id. Martii* 1267. ſub Clemen. IV. a Card. Fr. Guidone, tit. S. Lurentii in Lucina, Apoſt. Sedis Legato, in cujus Conc. *cap. XVII.* hæc ſtatuta legitur = Si quis vero judæus cum aliqua chriſtiana fornicationis vitium deprehenſus fuerit commiſiſſe, quoadusque decem minas argenti ad minus pro emendatione ſolverit, diſtricto carceri mancipetur, & mulier chriſtiana, quæ tam damnatum coitum elegerit, per civitatem fuſtigetur, & de ipſa civitate, ſine ſpe redeundi, penitus expellatur =.

Hæc autem pœna infligenda eſt ab Ordinariis, non ab Inquiſitoribus, ut, teſte Card. Albitio *de Inconſtan. in Fide, quæſt I. cap. XXXI. num.* 91. & 92. declaravit S. Cong. univerſ. Inquiſit. 4. *Aug.* 1610. 18. *Jan.* 1617. 11. *Jun.* 1621. & 10. *Jan.* 1623. dummodo dicta carnalis commixtio, ſeu copula habita non fuerit in contemptum Fidei: tunc enim infligenda eſſet ab Inquiſitoribus, prout limitat idem Albitius *cit. num.* 91.

SECTIO DCCCIV.

Caput XVI. Cum sit nimis, *ex Decretali, deſumpta a cap. LXIX. Concilii generalis lateranenſis IV. celebrati ſub Innocentio III. an.* 1215.

CUM ſit nimis abſurdum, ut blaſphemus Chriſti in chriſtianos vim poteſtatis exerceat, quod ſuper hoc Toletanum Concilium (III. ſub Pelagio II. Can. XIV.) provide ſtatuit, Nos propter transgreſſorum audaciam in hoc generali Concilio innovamus, prohibentes, ne judæi publicis officiis præferantur: quoniam ſub tali prætextu chriſtianis plurimum ſunt infeſti. Si quis autem eis officium tale commiſerit, per provinciale Concilium, quod ſingulis annis præcipimus celebrari, monitione præmiſſa, diſtrictione, qua convenit, compeſcatur. Officiali vero hujuſmodi tamdiu chriſtianorum communio in commerciis, & aliis denegetur, donec in uſus pauperum chriſtianorum, ſecundum providentiam diœceſani Epiſcopi convertatur, quidquid fuerit a chriſtianis adeptus occaſione officii ſic ſuſcepti, & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter aſſumpſit. Hoc idem extendimus ad Paganos.

In hac Decretali ſtatuitur.

I Ne ullus judæus, aut Gentilis publicis officiis præficiatur.

II. Ut is, qui eum alicui ex his officiis præfecerit, puniatur a Concilio provinciali, quod quotannis præcipitur celebrandum.

III Ut, ſi forte Judæus, aut Gentilis tali officio præfectus fuerit, interdicatur a commercio cum chriſtianis, donec quidquid officii occaſione a chriſtianis lucratus fuerit, in pauperes chriſtianos erogaverit, cum dimiſſione ejuſdem officii.

Hac eadem prohibitio præficiendi judæos publicis officiis innovata eſt a Gregorio IX. in ſequenti Decretali, relata *hoc eod. tit. cap. XVIII. Ex ſpeciali*, qua reſcribens Aſtoricenſi, & Lucenſi Epiſcopis in Regnis Legionis, & Galloeciæ, utpote vicinioribus Regno Luſitaniæ, præcepit, ut ſanctio Regis Luſitanorum, cognomento Capello, exprobrarent exceſſum ab eo commiſſum in præficiendo judæos officiis publicis, inter quæ enumeratur exactio tributorum, & ſimilium, ſimulque eidem ſuaderent, ut ſi forte redditus ſuos ipſis judæis, vel Paganis conduxerit, chriſtianum tunc deputet, de gravamine inferendo Clericis, & Eccleſiis non ſuſpectum, per quem regalia jura ab iiſdem empta ſine chriſtianorum injuria conſequantur, ibi.

Ex

Ex ſpeciali, quem erga illuſtrem Regem Portugalliæ gerimus, charitatis affectu (& infra.) Mandamus, quatenus Regem ipſum ſolicite inducatis, ne in officiis publicis judæos chriſtianis præficiat, ſicut in generali Concilio continetur: & ſi forte redditus ſuos judæis vendiderit, vel Paganis, chriſtianum tunc deputet de gravaminibus inferendis Clericis, & Eccleſis non ſuſpectum, per quem judæi, ſive Saraceni, ſine chriſtianorum injuria jura regalia conſequantur.

Cum autem ex diſpoſitione hujus Decretalis nonnulli Canoniſtæ, relati a laudato Albitio *part.* I. *cap.* XXXI. *num.* 133. *& ſeqq.* argumentum deſumpſerint, vendi, ſeu locari poſſe judæis redditus Principis, dummodo ab eo, & non a judæo præficiatur chriſtianus, qui eoſdem redditus colligat „ nihilominus (ita proſequitur laudatus Auctor) S. Congregatio non probavit Canoniſtarum illationem, quia Summus Pontifex in eo caſu proceſſit per viam gratiæ ſpecialis privilegii, ſive diſpenſationis; ideo non poteſt trahi in conſequentiam, præſertim quia Rex vectigalia, & redditus regios jam vendiderat, ut patet ex textu, & ideo Pontifex toleravit in illo caſu particulari, ut bene notat Hoſtien. in dict. *cap. Ex ſpeciali, verb. Vendiderat*, ex quo Rex ſuæ culpæ veniam petiit, ut dicit Anton. de Butrio in *dict. cap. num.* 1. *verb. In prima*, & ſic non eſt præſumendum, quod Papa legem, ſeu Canonem ſtatuere voluerit, cum non apparet derogaſſe Conc. generali Lateranenſi, de quo in *cap. Cum ſit*, *eod. tit. de Judæis*, prout neceſſarium erat, ut late probat Garzias de *Beneſic. par. IV. cap. V. num.* 37.“

Circa Concilium provinciale, quod in allata Decretali *Cum ſit nimis*, quotannis cogendum præcipitur, vide notata ſupra ad *cap.* XXV. *Sicut olim*, *tit. de Accuſationibus* pag. 558..

S E C T I O D C C C V.

CAPUT XVII. AD LIBERANDAM, *ex Decretali, deſumpta a Concilio generali Lateranenſi IV. celebrato ſub Innocentio III. an.* 1215. *prout habetur poſt Canones ejuſdem Concilii.*

AD liberandam Terram ſanctam (& infra.) Excommunicamus præterea, & anathematizamus illos falſos, & impios chriſtianos, qui contra ipſum Chriſtum, & populum chriſtianum Saracenis arma, ferrum, & ligamina (quidquid dixerit auctor Gloſſæ marginalis tam hic, quam in antecedenti Decretali Alexandri III. relata *cap. VI. hoc tit.* pag. 606. *Non lignamina, ſed ligamina*, legi debet, prout exprimunt eædem Decretales; quæ ſignificant funes, & rudentes, ac quidquid aliud, quo in genere funium indigent naves, aliaque hujuſmodi: propterea tale verbum importat quid longe diverſum a lignaminibus) deferunt galearum: eos etiam, qui galeas eis vendunt, vel naves quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel machinis, aut quibuſlibet aliis aliquod eis impendunt conſilium, vel auxilium in diſpendium Terræ ſanctæ ipſoſque rerum ſuarum privatione multari, & capientium ſervos fore cenſemus: præcipientes, ut per omnes urbes maritimas diebus Dominicis, & feſtivis hujuſmodi ſententia publice innovetur. Et talibus gremium non aperiatur Eccleſiæ, niſi totum, quod ex commercio tam damnato perceperint, & tantundem de ſuo in ſubſidium Terræ ſanctæ tranſmiſerint, ut æquo judicio, in quo deliquerint, puniantur. Quod ſi forte ſolvendo non fuerint, ſic alias reatus talium caſtigetur, quod in pœna ipſorum aliis interdicatur audacia ſimilia præſumendi.

De prohibitione, & pœnis hic contentis inſtituetur ſermo infra ad *cap. I. Multa*, *inter Extravagantes commun.* pag. 614.

Eodem Titulo de Judæis, in Extravagantibus Joannis XXII.

S E C T I O D C C C V I.

CAPUT UNICUM, COPIOSUS, *ex Decretali Joannis XXII.*

COpioſus in miſericordia Dominus, qui de ſua abundantia pietatis corda fidelium ad ſuæ majeſtatis obſequia devotionis ardore ſuccendit, præcordiis dilecti filii nobilis viri

viri Petri, infantis nati claræ memoriæ Sanchii Regis Caſtellæ, adeo copioſe gratiam cæleſtis inſpirationis infundit, quod ſibi delectabile reputat propriam exponere in ipſorum proſecutione perſonam. Pio quidem nobilis ipſe ductus propoſito, tanquam ſtrenuus athleta Domini, negocium impugnationis perfidorum Agarenorum, a quibus regnum Granatæ in Dei contumeliam detinetur, tutorio nomine, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Alphonſi Caſtellæ Regis illuſtris, qui ſub teneritudine puerilis ætatis adhuc dignoſcitur conſtitutus, aſſupſit ſub ſpe cæleſtis auxilii ferventer, & viriliter proſequendum. Cum igitur omnia cupiamus obſtacula removere, per quæ dicti negocii proſecutio poſſet quomodolibet impediri, univerſis, & ſingulis cujuſcunque conditionis, præeminentie, vel ſtatus exiſtant, diſtrictius inhibemus, ne arma, equos, ferrum, ligamina, victualia, & alia quæcunque prohibita per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros ad terras Egypti deferri ad Saracenos d. regni Granatæ intra triennium incipiendum a cal. Aprilis proxime ſecuturi, quomodolibet deferre præſumant. Nos enim omnes, & ſingulos, qui ad dictum regnum arma, equos, ferrum, ligamina, & victualia ſupradicta, & quæcunque prohibita contra tenorem hujus noſtræ prohibitionis deferre præſumpſerint, illis pœnis, & ſententiis, quas deferentes hujuſmodi prohibita in Alexandriam, vel ad Ægypti partes incurrunt, decernimus ſubjacere. Et nihilominus omnes, & ſingulos, qui Saracenis Granatæ præſtabunt (dicti negocii proſecutione durante) auxilium, conſilium, vel favorem, aut proſecutionem dicti negocii directe, vel indirecte, ſecrete, vel publice impedire, vel turbare forte præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto. Nulli ergo noſtræ inhibitionis, Conſtitutionis & voluntatis, &c.

Dat. Aven, 5. Kal. Mart. Anno I.

De prohibitione, & pœnis hic contentis ſpecialis inſtituetur ſermo in ſequenti Sectione.

Eodem Titulo de Judæis in Extravagantibus communibus.

SECTIO DCCCVII.

Caput I. Multa, *ex Decretali Clementis V.*

Multa... Nos igitur, qui ad liberandum terram ipſam operam dare intendimus (cum Dei adjutorio) efficacem, tam graves tranſgreſſus ulterius ſuſtinere nolentes. fel. recordationis Nicol. Papæ IV. Prædeceſs. noſtri veſtigiis inhærentes, præſentium tenore ſtatuimus, ut nullus, arma, equos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcunque mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum terræ Ægypti deferre, mittere, vel portare, ſeu de portubus eorum, ut eiſdem deferantur, extrahere, vel extrahi permittere, aut eis alias auxilium, vel favorem præſtare quoquo modo præſumat. Nos vero illos, qui contra hujuſmodi Conſtitutionem noſtram auſu temerario venire præſumpſerint, eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere: a qua abſolvi nequeant, niſi tantum de bonis propriis in dictæ terræ ſubſidium convertendum exſolverint, quantum ad partes prædictas detulerint, vel miſerint, aut deferri, vel de ipſorum portubus extrahi permiſerint deferendum: nec tunc etiam ab eadem (præterquam in mortis articulo) abſolvantur ſententia, abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Et nihilominus, ſi perſonas eorum capi contingat, in ſervitutem, & capturam illorum eſſe volumus, in quorum ceciderint captionem. Auctoritate inſuper Apoſtolica ſtatuentes, ut illi, qui contra hujuſmodi ſtatutum noſtrum quo modolibet venire præſumpſerint, præter pœnas prædictas, quas ipſo facto incurrant, perpetuo ſint infames, & inteſtabiles habeantur: ita quod nec teſtari, nec legata eis, ſeu relicta percipere valeant: & inſuper ad ſucceſſiones, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato ſint prorſus, & reddantur inhabiles, nec ad publica qualibet admittantur officia, ſintque illis omnes actus legitimi penitus interdicti, & tanquam excommunicati, hoſteſque catholicæ Fidei (poſtquam de ipſorum hujuſmodi temeritate conſtiterit) diebus Dominicis, e feſtivis publice nuncientur, & in fiſcum bona eorum omnia devolvantur.

Hæc

Hæc Decretalis concordat eum Decretalibus Alexandri, Clem. & Innocentii III. ſupra tranſeriptis pag. 606. 610. 613.

In ea igitur fertur excommunicatio, Papæ reſervata in præſumentem deferre, aut extrahere, aut extrahi permittentem quovis tempore ad Saracenos Ægypti arma, annonam, aut mercimonia, & etiam auxilium, vel favorem ad ea præſtantem: a qua excommunicatione declarat Pontifex neque in articulo mortis eum abſolvi poſſe, niſi hac prævia ſatisfactione, ut ſcilieet tantumdem de propriis bonis exoſoluat in ſubſidium Terræ ſanctæ, quantum extraxerit, vel detulerit ad eoſdem Saracenos.

Verum *Theſaurus de Pan. eccleſiaſt. cap. VII. verb. Arma*, ſentit, dictam excommunicationem hodie non eſſe in uſu, quia Regnum Ægypti non eſt amplius ſub poteſtate Saracenorum, quemadmodum & excommunicationem, ae pœnam latam ab Innocentio III. *in cap. Ad liberandam*, cum Terra ſancta hodie ab Infidelibus detinestur, *loc. cit. cap. V.*

Quid quid autem ſit de uſu harum cenſurarum, & pœnæ, certum eſt in præſens ex cap. VII. Bullæ Cœnæ, quod leges in calce hujus Operis, incurrere excommunieationem, Papæ reſervatam mittentem, aut deferentem arma, armorumque materiam quovis tempore ad Infideles quoſcumque, ehriſtiani nominis hoſtes, vel ad hæreticos, expreſſe, vel nominatim a Sede Apoſtolica declaratos, ſicuti & mittentem, aut deferentem quæeumque alia, quibus illi chriſtianos, ſeu catholicos impugnant; qua etiam ligari declaratur quicumque auxilium, conſilium, vel favorem in præmiſſis præbuerit.

Circa arma, aliaſque res pro inſtruendis Turcarum onerariis, æquesc bellicis navibus, qoas catholici in Albaniæ regionibus degentes ad eoſdem tranſuehunt, notanda eſt declaratio Congr. de Propaganda Fide, relata a Benedicto XIV. *lib. XIII. de Synodo diæc. edit. romanæ an. 1755. cap. XX. num. 7.* his verbis, ibi.

= Albanenſibus itaque Epiſcopis, qui in relatione ſtatus ſuarum Eccleſiarum petitionem, de qua hucuſque diſſervimus, pro miſerrimis chriſtifidelibus ſibi ſubditis, ad Congr. de Propaganda Fide detulerunt, poſt accuratum rei examen, conſeriptæ fuerunt, ac datæ encyclicæ literæ die 14. Martii 1747. quibus auctoritate noſtra mandatum ipſis fuit, ne moleſtiam ullam afferrent miſeris illis catholicis, ſi ſuis navibus ad Turças, nullo inter hos, & chriſtifideles indicto bello, tranſueherent ſclopos majores, atque minores, ſariſſas, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes, alique ad onerarias, aut bellicas naves ſtruendas idones: adhibito tamen modo quoad numerum, & quantitatem, quemadmodum plerumque fieri dignoſcitur; ae firma cæteroquin, & illeſa remanente prohibitione tranſvehendi, ſive pax vigeat, ſive bellum ardeat, mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos, aut ferreos majoris moduli globos, ipſoſque ſclopos ingenti numero; quod tamen, ut ſupra diximus, rarius continget. Qua inita ratione, ſatis proviſum putamus, ut & prohibitio, quantum neceſſe eſt, ſarta tecta ſervetur, & miſeris illis chriſtifidelibus, nihil iniquo animo molientibus in Religionis ſodales, facultas relinquatur comparandi ſibi victum, ac evadendi violentias, atroceſque perſecutiones ſibi ab iniquis dominis imminentes =.

Quod ſpectat ad auxilium præbentem prædictis Infidelibus, & hæreticis, hoc ſibi dubium proponit *Theſaurus loc. cit. cap. VIII.*

= Quæres primo, an Chriſtiani remiges in triremibus Turcarum peccent, & incurrant in hanc cenſuram, remigando in prælio contra claſſem, aut locum Chriſtianorum. Reſpondeo, communiter loquendo, eos excuſari a culpa, & pœna, quod gravi metu coacti cooperentur armis Turcarum per actionem de ſe indifferentem, & non intrinſece malam; & licet, ſi omnes alii unanimiter a remigio ceſſarent, cum magno bono chriſtianitatis, ſingularis teneretur deſiſtere ſub peccato, & ſub pœna hujuſmodi; tamen communiter loquendo, non cenſetur ſpes, quod ſi ille deſiſtat, alii deſiſtant, & ita tenent Sanch. *lib. 9. de Matr. d. 31. num. 6.* Navar. *de Reſt. lib. 3. cap. 4. numero* 52. Molina *tom. 1. diſp.* 115. Coninch. *de Fide diſp. 13. num.* 219. Avila *part. 2. cap. 6. diſp. 8. dub. 5. §. Sequitur*, Filiuc. *tract. 16. num.* 76. ubi addit, eos non excuſari a peccato, ſi cooperentur immediate deprædationi, ſeu violentiæ =.

SECTIO DCCCVIII.

Caput II, Dignum, *ex Decretali Joannis XXII.*

Dignum arbitrantes, & juri conſonum, fonte renatos baptiſmatis, judaica cæcitate dimiſſa, amplioribus favoribus, aut gratiis, quam antea abundare: indecens, & abſurdum, ut qui in perfidia abundarent, cogantur mendicare fideles: univerſis, & ſingulis Rectoribus, & aliis Officialibus Comitatus Veneſini, aliorumque Comitatuum, & terrarum pertinentium ad Apoſtolicam ſidem, diſtricte præcipimus, & mandamus, quatenus converſis hujuſmodi, & qui in poſterum convertentur, in poſſeſſionibus, & bonis aliis, quocunque nomine cenſeantur, quæ in Comitatibus, & terris prædictis converſionis tempore obtinebant, ſeu etiam obtinebunt, occaſione prædicta nullam moleſtiam inferant, nec ab aliis inferri permittant, ſed ipſis in his, & aliis ſe favorabiles exhibentes, ipſos ab injuriis, & moleſtiis protegant, & defendant: ut ſic de ſervitute ad libertatem ſe tranſiiſſe percipiant, nec redire prætextu mendicitatis odibilis ad dimiſſam perfidiam compellantur

Nul-

Nulli ergo &c. noſtrorum perceptionis , & mandati infringere . Datum Avenione . 10. Kalend. Auguſti Pontificatus noſtri Anno quarto .

Huic Decretali acceſſit Conſtitutio Pauli III. ac Gregorii XIII. in quibus nedum judæis , ſed etiam quibuſcumque Infidelibus ubique locorum ad fidem converſis conceditur retentio bonorum , illicite etiam quæſitorum , niſi notæ ſint perſonæ , quibus reſtitui deberent: item privilegia civitatis , & filiisfamilias legitima , ac exemptio , ſive liberatio a jugo patriæ poteſtatis , quas Conſtitutiones confirmavit , explicavit , ampliavitque Clemens XI. Conſtit. *Propagandæ per univerſum* , *quinto Id. Martii* 1704. ut ſequitur .

Propagandæ per univerſum . . . . Paulus Papa III. ad perpetuam rei memoriam . Cupientes , judæos , & alios infideles quoslibet ad Fidem catholicam converti , & prætextu bonorum per eos ante poſſeſſorum ab eadem Fide non diſtrahi , motu proprio . . . . hac in poſterum valitura Conſtit. ſancimus , quod cuicumque eorundem judæorum , & infidelium ad dictam Fidem converti volenti , etiamſi in patria poteſtate conſtitutus fuerit , bona ſua quæcumque , tam mobilia , quam immobilia intacta , & illæſa permaneant : ita , ut etiam filiifamilias , & in patria poteſtate , ut præfertur , conſtituti , legitima , & quacumque portione bonorum patrimonialium , aut maternorum eis de jure , ſeu ſucceſſione bonorum eis alias debitorum , per eorum parentes fraudari , aut privari non poſſint , neque debeant , ſed eis integre , etiamſi contra voluntatem parentum ſuorum ad Fidem ipſam converſi fuerint , etiam eorum parentibus viventibus debeantur . . .

Et ſi bona ipſa ex uſura , aut illicito quæſtu fuerint acquiſita , & notæ ſint perſonæ , quibus eorum fuerit de jure facienda reſtitutio (quia non dimittitur peccatum , niſi reſtituatur male ablatum , illa eiſdem perſonis omnino reſtituantur; perſonis vero non extantibus prædictis , quia bona ipſa eſſent per manus Eccleſiæ in pios uſus convertenda , bona hujuſmodi eiſdem judæis , & aliis infidelibus , in favorem ſuſcepti baptiſmatis , tanquam in pium uſum libere concedimus , eaque apud ipſos ſic converſos judæos , & alios infideles remanere decernimus : interdicentes ſub divini anathematis pœna quibuſvis tam eccleſiaſticis , quam ſecularibus perſonis , ne ullam ſuper bonis hujuſmodi quovis quæſito colore moleſtiam inferant , aut inferri patiantur; ſed magnum ſe feciſſe lucrum exiſtiment , dum tales Chriſto lucrati fuerint .

Nos igitur , ne tam ſalubris Conſtitutionis memoria temporis diuturnitate deficiat , & obſervantia neglectu cujuſpiam obſoleſcat , aut etiam Fidei hoſtium dolo , notitia converti volentibus ſupprimatur , de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium , & dilectorum filiorum romanæ Curiæ Prælatorum , quibus hujuſmodi negocium commiſimus expediendum , conſilio , atque etiam motu proprio , ex certa ſcientia , ac matura deliberatione noſtris , deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eandem præinſertam Conſtitutionem , omniaque , & ſingula in ea contenta tenore præſentium confirmamus , approbamus , & innovamus , eamque ab omnibus , ad quos pertinet , inviolabiliter obſervari perpetuis futuris temporibus debere ſtatuimus , & mandamus .

Simulque ad omnis dubitationis umbram penitus removendam , eadem a memorato Paulo Prædeceſſore ſtatuta clarius explicantes , & quatenus opus ſit , etiam amplius extendentes , bona quædam adventitia , quocumque modo talia cenſeantur , ad filiosfamilias , chriſtianam Religionem profitentes , utpote a patriæ poteſtatis jugo , quo parentibus infidelibus ſubdebantur , ſacri baptiſmatis beneficio prorſus exemptos , pleno jure ſpectare , neque ſuper illis uſum fructum , aut aliud quodcumque jus præfatis parentibus , quamdiu in infidelitate permanſerint . ullo modo competere : e contra vero parentes ipſos , & alios quoſcumque , qui converſis , eorumque deſcendentibus alias alimenta , ſeu dotem præſtare quocumque titulo , etiam in ſubſidium tenerentur , ad eadem alimenta , ſeu dotem illis ſubminiſtranda pariter teneri , & obligatos eſſe poſt converſionem eorum , ſimiliter tenore præſentium declaramus ; atque etiam ex integro ſtatuimus , decernimus , & mandamus .

Et quoniam infidelium , ac præ cæteris judæorum malitiam eouſque in odium chriſtiani nominis proceſſiſſe pluries compertum eſt , ut bona ſua occultando , ſeu in alios transferendo , vel alias de illis inter vivos , vel etiam in ultima voluntate diſponendo , filios , alioſque conſanguineos ad Chriſti Fidem converſos , eorundem bonorum ſucceſſione , ad quam ab inteſtato legitime admittendi fuiſſent , aut etiam ſpe ſucceſſionis ejuſdem fraudare tentaverint : idcirco Nos rec. mem. Gregorii Papæ XIII. Prædeceſſoris noſtri , qui per ſuas quaſdam

ſub

ſub annulo Piſcatoris die 13. Septembris 1581. Pontificatus ſui Anno X. datas literas hujuſmodi malo, utpote in chriſtianæ Fidei detrimentum cadenti occurrendo merito cenſuit, veſtigiis inhærentes, judæos quoslibet, ſicut, & alios infideles, bona ſua, & jura quæcumque, in præjudicium filiorum, aut aliorum conſanguineorum, qui alias ipſis ab inteſtato decedentibus ſucceſſuri eſſent, & chriſtianam ſuſceperint Religionem, quocumque modo alienare, ſeu occultare, vel diminuere inter vivos, aut in qualibet ultima voluntate non poſſe, ſed potius eadem bona, & jura quæcumque (tradita ſtatim poſt baptiſmum legitima quibuſcumque alias poſt obitum competeret eorundem) integre conſervare, teneri, & obligatos eſſe, tamque ipſos, quam alios bonorum eorundem detentores, vel occupatores ad illa, ſeu eorum rationes, quoties opus fuerit, exhibenda, & de eiſdem inventarium legitime faciendum, & de utendo, & fruendo de arbitrio boni viri cavendum, opportunis juris, & facti remediis compelli poſſe; atque in eorum bonis, & juribus, ſi in infidelitate deceſſerint, ipſorum filios, ſeu alios quoſcunque conſanguineos, ut præfertur, chriſtianos eodem prorſus modo, & jure, nulla etiam obſtante ingratitudinis, aut alia quantumvis legitima exhæredationis cauſa, quam ob ſuſcepti poſtea baptiſmi venerationem, ſublatam prorſus eſſe volumus, ſuccedere debere, acſi eidem judæi, ſeu alii infideles, nullum feciſſent, aut ordinaſſent teſtamentum, vel aliam ultimam voluntatem, omneſque, & ſingulas bonorum, & jurium, ſive inter vivos, ſive in ultima voluntate alienationes, diſtractiones, aut alias diſpoſitiones prædictas in hujus noſtræ Conſtitutionis fraudem, & in odium chriſtianæ Fidei factas, ſeu potius attentatas cenſeri, ac nullius propterea roboris, & momenti eſſe, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus tenore præſentium ſancimus, decernimus, & ordinamus.

Subnectuntur hic Conſtitutiones Clement. VIII. Pauli IV. S. Pii V. Innocentii XIII. ac Benedict. XIII. quæ acceſſerunt ſupra tranſcriptis Decretalibus circa judæis prohibita, quæ inſertæ leguntur in ſequenti Conſtit. laudati Benedicti XIII. 21. Martii 1729.

Alias emanarunt a rec. mem. Innocentio XIII. Prædeceſſore noſtro literæ in ſimili forma Brevis, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

§. I. Ad futuram rei memoriam. Ex injuncto Nobis cælitus Apoſtolicæ ſervitutis munere, illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris ad gentis judæorum chriſtiano nomini jugiter infenſæ perfidiam, & cupiditatem coercendam provido conſilio emanaſſe noſcuntur, ut ſolidiori robore perennent, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio libenter conſtabilimus, ac alias deſuper opportune providemus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem per felic. record. Clementem Papam VIII. Prædeceſſorem noſtrum accepto, quod judæi quarundam ſuper confirmatione Conſtitutionis piæ mem. Pauli Papæ IV. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri, per quam inter cætera ſanciebatur, ut iidem judæi in Urbe, & reliquis S. R. E. civitatibus, terris, & locis degentes ſola arte ſtracciariæ, ſeu cenciariæ, ut vulgo dicitur, contenti, aliquam mercaturam frumenti, vel hordei, aut aliarum rerum ad uſus humanos neceſſariarum facere nequirent, a ſan. mem. Pio Papa V. Prædeceſſore noſtro editarum literarum obſervantiam aliqualiter relaxare, præſertim in locis ab eadem Urbe remotis, & nominatim in civitate Avenionenſi, & Comitatu noſtris, tunc ſuis Venaiſſini in deſuetudinem trahere dignoſcebantur. Idem Clemens Prædeceſſor literas, & Conſtitutionem prædictas, ut par erat, inviolate obſervari volens, illas auctoritate Apoſtolica confirmavit, ac omnibus, & ſingulis, quos literæ, & Conſtitutio hujuſmodi concernebant, ſub pœnis in eis contentis injunxit, ut illas, & in eis depoſita obſervarent, & obſervari curarent; ac nihilominus ſuis, & Apoſtolicæ Sedis Legatis, Vice-legatis, Gubernatoribus, & Miniſtris, ſignanter in civitate Avenionen. & comitatu Venueiſini prædictis pro tempore exiſtentibus diſtricte præcipiendo mandavit, ut literas, & Conſtitutionem præfatam in civitatibus, terris, & locis quibuſcumque, præſertim dicti Comitatus, & Legationis Avenionen, omnino obſervari facerent, & inter alia judæis ibidem degentibus, ne merces rerum novarum, ſed tantummodo ipſas res veteres vendere, & mercari præſumerent, expreſſe prohiberent, in contravenientes pœnas in literis, & Conſtitutione hujuſmodi comminatas irremiſſibiliter exequendo, & alias, prout uberius continetur in ipſius Clementis Prædeceſſoris literis in ſimili forma Brevis, cum eorundem

Pii, & Pauli Prædeceſſorum literarum, & Conſtitutionis prædictarum inſertione deſuper expeditis tenoris qui ſequitur, videlicet.

§. II. Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Cum ſemper accidere poſſit, ut vel temporum injuria, vel hominum negligentia, aut alias ea, quæ a Romanis Pontificibus provide ſanciuntur, paulatim in deſuetudinem abeant, ideo expedit quandoque eorum memoriam adhibito confirmationis, & innovationis remedio per eoſdem Romanos Pontifices revocari, ut illa perpetuo firmiora perſiſtant. Dudum ſiquidem a fel. rec. Pio Papa V. Prædeceſſore noſtro emanarunt literæ confirmatoriæ Conſt. piæ mem. Pauli Papæ IV. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri contra judæos editæ tenoris ſubſequentis, videlicet.

§. III. Pius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex, Chriſti Vicarius in terris nonnunquam ea, quæ pro zelo Religionis a cæteris Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus ſuis conceſſa dicuntur, ut illibata perſiſtant, approbat, & confirmat, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum fel. rec. Paulus Papa IV. Prædeceſſor noſter zelo Fidei chriſtianæ motus, certum modum vivendi, & habitandi judæis præſcripſerit, prout in quadam ejus Conſtitutione, cujus tenor ſequitur, & eſt talis, videlicet.

§. IV. Paulus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cum nimis abſurdum; & incoveniens exiſtat, ut judæi, quos propria culpa perpetuæ ſervituti ſubmiſit, ſub prætextu, quod pietas chriſtiana illos receptet, & eorum cohabitationem ſuſtineat, chriſtianis adeo ſint ingrati, ut eis pro gratia contumeliam reddant, & in eos pro ſervitute, quam illis debent, dominatum vindicare procurent. Nos, ad quorum notitiam nuper pervenit, eoſdem judæos in alma Urbe noſtra, & nonnullis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ civitatibus, terris, & locis in id inſolentiæ prorupiſſe, ut non ſolum mixtim cum chriſtianis, & prope eorum Eccleſias, nulla intercedente habitus diſtinctione cohabitare, verum etiam domos in melioribus civitatibus, terrarum, & locorum, in quibus degunt, vicis, & plateis conducere, & bona ſtabilia comparare, & poſſidere, ac nutrices, & ancillas, alioſque ſervientes chriſtianos mercenarios habere, & diverſa alia ingnominiam, & contemptum chriſtiani nominis perpetrare præſumant, conſiderantes Eccleſiam Romanam eoſdem judæos tolerare in teſtimonium veræ Fidei chriſtianæ, & ad hoc, ut ipſi Sedis Apoſtolicæ pietate, & benignitate allecti errores ſuos tandem recognoſcant, & ad verum catholicæ Fidei lumen pervenire ſatagant, & propterea convenire, & quandiu in eorum erroribus perſiſtunt, effectu operis recognoſcant ſe ſervos, chriſtianos vero liberos, per Jeſum Chriſtum Deum, & Dominum noſtrum effectos fuiſſe, iniqumque exiſtere, ut filii liberæ, filiis famulentur ancillæ, volentes in præmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, ſalubriter providere, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſancimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus tam in dicta Urbe, quam in quibuſvis aliis ipſius Romanæ Eccleſiæ civitatibus, terris, & locis judæi omnes in uno, & eodem, ac ſi ille capax non fuerit in duobus, vel tribus, aut tot, quot ſatis ſint contiguis, & ab habitationibus chriſtianorum penitus ſejunctis per Nos in Urbe, & per Magiſtratus noſtros in aliis civitatibus, terris, & locis prædictis deſignandis vicis, ad quos unicus tantum ingreſſus patet, & quibus ſolum unicus exitus detur, omnino habitent, & in ſingulis civitatibus, terris, & locis, in quibus habitaverint unicam tantum ſynagogam in loco ſolito habeant, nec aliam denuo conſtruere, aut bona immobilia poſſidere poſſint, quinimmo omnes eorum ſynagogas præter unam tantum demoliri, & devaſtare, ac bona immobilia, quæ ad præſens poſſideut, infra tempus eis per ipſos Magiſtratus præfigendum chriſtianis vendere.

§. V. Et ad hoc, ut pro judæis ubique dignoſcantur maſculi, birretum, fœminæ vero aliud ſignum patens, ita, ut nullo modo celari, aut abſcondi poſſit glacei coloris palam deferre teneantur, & adſtricti ſint, nec ſuper non delatione birreti, aut alterius ſigni hujuſmodi prætextu cujuſvis eorum gradus, vel præeminentiæ excuſari, aut per ejuſdem Eccleſiæ Camerarium, vel Cameræ Apoſtolicæ Clericos, ſeu alios illi præſidentes perſonas, aut Sedis Apoſtolicæ Legatos, vel eorum Vicelegatos quovis modo diſpenſari, aut abſolvi poſſint. Nutrices quoque, ſeu ancillas, aut alias utriuſque ſexus ſervientes chriſtianos habere, vel eorum infantes, per mulieres chriſtianas lactari, aut nutriri facere, ſeu dominicis, vel aliis de præcepto Eccleſiæ feſtis diebus in publico laborare, aut laborari facere, ſeu chriſtianos quoquomodo gravare; aut contractus fictos, vel ſimulatos celebrare, ſeu cum ipſis chriſtia-

nis

nis ludere, aut comedere, vel familiaritatem, ſeu converſationem habere nullatenus præſumant, nec in libris rationum, & computorum, quæ cum chriſtianis pro tempore habent, aliis quam latinis literis, & alio quam vulgari italico ſermone uti poſſint, & ſi utantur, libri hujuſmodi contra chriſtianos nullam fidem faciant.

§. VI. Judæi quoque præfati ſola arte ſtracciariæ, ſeu cenciariæ, ut vulgo dicitur, contenti aliquam mercaturam frumenti, vel hordei, aut aliarum rerum uſui humano neſſariarum facere, & qui ex eis Medici fuerint etiam vocati, & rogati ad curam chriſtianorum, accedere, aut illi intereſſe nequeant, nec ſe a pauperibus chriſtianis dominos vocari patiantur.

Et menſes in eorum rationibus, & computis ex triginta diebus completis omnino conficiant: & dies, qui ad numerum triginta non aſcendunt, non pro menſibus integris, ſed ſolum pro tot diebus, quot in effectu fuerint, computentur, & juxta ipſorum dierum numerum, & non ad rationem integri menſis eorum credita exigant, ac pignora eis pro conventione pecuniariam ſuarum pro tempore conſignata, niſi tranſactis prius a die, quo illa eis datæ fuerunt, decem, & octo integris menſibus vendere nequeant, & poſtquam menſes prædicti effluxerint, ſi ipſi judæi pignora hujuſmodi vendiderint, omnem pecuniam, quæ eorum credito ſuperfuerit, domino pignorum conſignare; & ſtatuta civitatum, terrarum, & locorum, in quibus pro tempore habitaverint, favorem chriſtianorum concernentia inviolabiliter obſervare etiam teneantur, & ſi circa præmiſſa in aliquo quomodolibet defecerint, juxta qualitatem delicti in Urbe per Nos, ſeu Vicarium noſtrum, aut alias a Nobis deputandos, in civitatibus, terris, & locis prædictis per eoſdem Magiſtratus, & tamquam rebelles, & criminis læſæ majeſtatis rei, ac toto populo chriſtiano diffidati, noſtro, ac ipſorum Vicarii, ac deputandorum, & Magiſtratuum arbitrio puniri poſſint.

§. VII. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis tolerantiis, ſeu privilegiis, & indultis Apoſtolicis eiſdem judæis, per quoſcumque Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, ac Sedem prædictam, aut illius Legatos, vel ipſius Romanæ Eccleſiæ Camerarios, & Cameræ Apoſtolicæ Clericos, ſeu alios illi præſidentes ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de eis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, acſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis facientibus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1555. pridie idus Julii Anno I.

§. VIII. Nos igitur cupientes, ut Conſtitutio, ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi perpetuis futuris temporibus obſerventur, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, & non ad alicujus alterius Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra deliberatione Conſtitutionem, ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi, & prout illa concernunt, omnia, & ſingula in dicti Prædeceſſoris literis contenta, & inde ſecuta quæcumque, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore approbamus, innovamus, & confirmamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus, ac volumus ſub interminatione divini judicii, & præcipimus ea omnia in poſterum obſervari firmiter non ſolum in terris, & dominiis Nobis ſubjectis, ſed etiam ubique locorum, & ad omnes circa colorem birreti per maſculos, & ſigni per fœminas deferendum hujuſmodi ſubmovendam hæſitationem declaramus dictum colorem eſſe, qui vulgo *giallo* dicitur.

§. IX. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis venerabilibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in civitatibus, & diœceſibus

propriis præſentes noſtras literas publicari, & obſervari faciant, & omnes Principes ſeculares, alios dominos, Magiſtratus temporales rogamus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, eiſdem in remiſſionem peccatorum nihilominus injungentes, quod in præmiſſis omnibus eiſdem Patriarchis, & Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aſſiſtant, & ſuum favorem, & auxilium præſtent, & contrafacientes pœnis etiam temporalibus aſſiciant.

§.X. Non obſtantibus omnibus, quæ idem Paulus Prædeceſſor in ſupradictis literis voluit non obſtare; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis per rec. mem. Pium IV. Romanum Pontificem, Prædeceſſorem noſtrum, & Sedem Apoſtolicam, etiam forſan conſiſtorialiter, ac per viam generalis legis, & ſtatuti, ac in vim ſtipulati contractus ex quavis etiam urgentiſſima, & oneroſa cauſa, ac motu proprio, & ex certa ſcieutia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, etiamſi in eis diſponeretur, & caveretur expreſſe, quod ad delationem birreti glauci coloris hujuſmodi in itinere, ac quod non, ut præmittitur, in loco clauſo habitare teneantur, & quod bona ſtabilia uſque ad certam ſummam acquirere, ac ſocietatem cum chriſtianis ſuper rebus ad annonam ſpectantibus inire, ac converſationem cum eiſdem chriſtifidelibus habere, ac pignora alias, quam præſcripto modo diſtrahere, ac plures synagogas retinere poſſent, indulſerit, aut alias quomodolibet eis dictas literas Pauli Prædeceſſoris in favorem hebræorum prædictorum limitaverit, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficenti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, & alia exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur, quod nullatenus derogari poſſit, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum, inſertis habentes, necnon modos, formas obſervandas, pro individuo ſervatis habentes, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac literas ejuſdem Pauli Prædeceſſoris, & omnia in eis contenta obſervari in omnibus, & per omnia mandamus, perinde, acſi literæ Pii ſimiliter Prædeceſſoris noſtri non emanaſſent, aut ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultnm, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentes literæ in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter Conſtitutiones, & Extravagantes perpetuo valituras conſcribantur. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati munitis eadem prorſus fides ubicumque adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, innovationis, confirmationis, decreti, præcepti, mandati, requiſitionis, obſecrationis, injunctionis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraiere. Si quis hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, tertiodecimo Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno I.

C. Glorierius.

§.XI. Cum autem, ut liquido apparet, præinſertam literarum obſervationem ipſi judæi aliqualiter relaxare, præſertim in locis ab Urbe remotis, & nominatim in civitate Avenionenſi, & Comitatu noſtris Venaiſſini, & in deſuetudinem trahere dignoſcantur: Nos volentes literas, & Conſtitutionem prædictas, ac omnia, & quæcumque perpetuo, ut par eſt, inviolate obſervari debere, eaſdem literas, & Conſtitutionem perpetuo confirmantes, & approbantes, noſtræque Apoſtolicæ confirmationis perpetuæ munimine roborantes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis, quos literæ, & Conſtitutio prædictæ concernunt, ſub pœnis in eis contentis, ut ea omnia, & ſingula inviolabiliter perpetuo obſervent, ac obſervari curent, & faciant, & nihilominus dilectis

ctis

ctis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, officialibus, & miniſtris, quibuſcumque nominatim in civitate Avenionen; & Comitatu noſtris Venaiſini prædictis, nunc, & pro tempore exiſtentibus diſtricte præcipiendo mandamus, ut literas, & Conſtitutionem prædictas in civitatibus, terris, & locis quibuſcumque, præſertim Comitatus prædicti, & ſeu Legationis Avenionen. omnino obſervari faciant, ac inter alia judæis ibidem degentibus, ne merces rerum novarum, ſed tantummodo ipſas res veteres, ut in ipſis literis diſponitur, vendere, aut mercari præſumant, expreſſe prohibeant, in contravenientes pœnas in literis, & Conſtitutione hujuſmodi comminatas irremiſſibiliter exequendo. Et ita in præmiſſis per ejuſdem civitatis, & Comitatus Legatos, ſeu Vicelegatos, ac alios quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus omnibus, quæ in ipſis literis expreſſum eſt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Febr. 1592. Pontificatus noſtri Anno I.

§. XII. Cum autem, ſicut ex dilectorum filiorum mercatorum civitatis Avenionen. & Comitatus Venaiſini prædictorum ad Apoſtolatum noſtrum delatis querelis accepimus, adeo creverit judæorum in illis partibus degentium temeritas, ut non minus in manifeſtum præinſertarum literarum, eiſque adjectarum prohibitionum, & pœnarum ſpretum, quam in grave eorundem mercatorum detrimentum, bombycinos folliculos, vulgo cocconi, o bocci a chriſtianis emere, & mercari, ac ſericum texere, pannoſque ſericos conficere non ita pridem præſumpſerint, & etiam num præſumant: Nos ipſorum mercatorum indemnitati proſpicere, ſimulque effrænatam dictorum judæorum licentiam cohibere volentes, præinſertas Clementis Prædeceſſoris literas, quibus inter alia judæis præfatis quodvis rerum novarum mercimonium prohibetur, iiſque ſolum permittitur artis ſtracciariæ, ſeu cenciariæ exercitium, ſicut præmittitur, ac in eiſdem literis contenta quæcumque auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula innovamus, ac exacte, & inconcuſſe in civitatibus, præſertim terris, & locis Legationis Avenionen, & Comitatus Venaiſini præfatorum perpetuo ſervari mandamus, & præcipimus. Præterea ſub enarrata novarum rerum mercimonii prohibitione tam texturam, & confectionem ſerici cujuſcumque generis, vel ſpeciei, quam emptionem, & venditionem etiam indirectam, novi ſerici, ſive contexti, ſive non contexti, ac folliculorum bombycinorum, quos gallico idiomate *cocon*, italice vero *coccone*, ſeu *boccio* appellant comprehendi, & comprehenſas eſſe auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

§. XIII. Volentes, & eadem auctoritate pariter decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque in præmiſſis, per ejuſdem civitatis, & Comitatus Vicelegatos, & alios quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ in iiſdem Clementis Prædeceſſoris literis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S.M. Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 18. Jan. 1724. Pontificatus noſtri Anno III.

§. XIV. Cum autem, ſicut dilecti filii mercatores civitatis, & Comitatus Avenionen. exponi Nobis nuper fecerunt, ipſi præmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſiderent: Nos ſpecialem ipſis mercatoribus gratiam facere volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertas Innocentii Prædeceſſoris literas, cum omnibus, & ſingu-

lis

lis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. XV. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. etiam de latere Legatos, civitatiſque, & Comitatus præfatorum Vicelegatos, alioſve quoſlibet, quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. XVI. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis, quæ idem Innocentius Prædeceſſor in præinſertis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 21. Martii 1729. Pontificatus noſtri Anno V.

Titulus VII. De Hæreticis.

SECTIO DCCCIX.

Cum cauſarum cognitio in materia hæreſis privative ſpectet ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis, æqueae ad Epiſcopum, aut ad ambos ſimul, qui hodie in hæreticis, eorumque fautoribus puniendis juxta ſuam praxim procedunt, conſulto in exponendis Decretalium variationibus, in hoc titulo contentarum non immoror. Verum nonnulla ex poſteriori jure, ſacræque Univerſalia Inquiſitionis decretis afferam, quæ Chriſtifidelibus, confeſſariis potiſſimum, regulam præbeant, qua ratione ſe gerere debeant in certis caſibus, ad hæreſim ſpectantibus, &c.

I. Excommunicatio inflicta contra hæreticos, eorumque fautores a Decretalibus hoc eodem titulo relatis *cap. VII. Cum Chriſtus*, *cap. VIII. Sicut ait*, *cap. IX. Ad abolendam*, *cap. XIII. & XV. Excommunicamus*, cuius abſolutio nullateous reſervata erat, hodie ex *cap. I. Bullæ in die Cœnæ Domini* legi ſolita, cujus textum habes in calce hujus Operis, eſt reſervata Papæ, ita ut neque abſolvi poſſit in vim privilegiorum Bullæ Cruciatæ, ut declaravit Greg. XIII. Conſtit. *Officii noſtri 22. Septemb.* 1576. neque tempore Jubilæi, in quo concedi ſolet facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Papæ reſervatis, etiam in dicta Bulla contentis, niſi expreſſa mentio facta fuerit de excommunicatione propter hæreſim incurſa, ut ex ſequenti decreto Alexandri VII. 23. Martii 1656. relato a Card. Albitio *de Inconſtantia in Fide, parte I. cap. XXV. num. 28.*

In Congregatione generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico, apud Sanctum Petrum coram Sanctiſſimo D. N. Alexandro VII. ac Eminentiſſimis &c.

Memoriali D. Franciſci de Cabrera audito &c. Sanctiſſimus D. N. Alexander VII. prædictus, inhærendo declarationibus, alias a Prædeceſſoribus ſuis factis, ad removendam omnem dubitandi occaſionem, & ne circa id in poſterum ullo tempore hæſitari contingat, cum crimen hæreſis præ cæteris graviſſimum, ſpeciali nota dignum ſit, decrevit, facultatem abſolvendi ab hæreſi in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus, non cenſeri comprehenſam, niſi expreſſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.

Jo. Lupus S. R. & Univerſalis Inquiſit. Not.

Regiſtr. fol. 52.

Hæc eadem reſtrictio militat pro abſolutione a caſibus in dicta Bulla contentis, licet conceſſa fuerit facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Papæ reſervatis, ut clare eruitur ex §. *Non obſtantibus* præfatæ Bullæ, quam habes, ut dixi, in calce hujus Operis.

II. Ab hac excommunicatione quicumque hæreticus ſponte comparens, vel quoquo modo denunciatus abſolvi poteſt in utroque foro æque ab Epiſcopo vi *cap. XII. Ut officium*, *hoc tit. in VI.* ac ab Inquiſitore, licet hic adſit in diœceſi, ut, teſte Albitio *loc. cit.*

cit. num. 35. declaravit Cong. Univerſ. Inquiſit. *ſub die* 28. *Novembr.* 1595. & noviſſime hoc tanquam certum tenendum aſſerit Benedictus XIV. *de Synodo diœc. edit. an.* 1755. *lib. IX. cap. IV. num.* 3. *&* 4. ita, ut uterque poſſit hæreticum, poſtquam coram eo ſuos abjuraverit errores, remittere ad ſimplicem confeſſarium pro abſolutione in foro ſacramentali, quæ etiam prodeſt in foro externo.

Quod ſi hæreticus damnatus fuerit ab Epiſcopo, & Inquiſitore ſimul, juxta Clementinam I. *Multorum, hoc tit.* abſolvitur ab eo, (niſi uſus ſit contrarius) a quo confectus fuerit proceſſus, ut ex declaratione ejuſdem Congr. ſub die 8. Maii 1619. relata a dicto Albitio *loc. cit. num.* 39.

III. Ita autem, tam cognitio cauſarum ad hæreſim ſpectantium, quam facultas hæreticos, ut ſupra, abſolvendi, privative pertinet ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ut nullus alius judex poſſit cognoſcere de cauſa hæreſis, vel differre executionem in reum, etiam poſtquam hic ab iiſdem traditus eſt Poteſtati ſeculari puniendus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Papæ reſervatæ; qua ligantur & ipſi Epiſcopi diœceſani, & Inquiſitores, ſi laicos de eodem crimine ſecum quomodocumque cognoſcere aut judicare permiſerint, ut ex Conſtitutione Julii III. *Licet a diverſis* 18. *Martii* 1551.

Imo cum Pius IV. Conſtit. *Paſtoris æterni* 1. *Aprilis* 1562. dictis Inquiſitoribus ademerit facultatem inquirendi, & procedendi contra Regulares, de crimine hæreſis quomodolibet ſuſpectos, aut culpabiles, quando ab eorum Superioribus in cauſis hujuſmodi præventi fuerint, Paulus V. derogavit in hac parte prædictæ Conſtitutioni, ut ex ejus Conſtitut. *Romanus Pontifex* 1. *Septembr.* 1606. ibi.

Dudum ſiquidem fel. rec. Pius Papa IV. Prædeceſſor noſter ſua perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuit, ordinavit, & declaravit, quod ex tunc deinceps in omnibus chriſtiani Orbis partibus Inquiſitores hæreticæ pravitatis tam generales, quam in quibuſvis provinciis, civitatibus, oppidis, terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcunque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium profeſſores, & Religioſos, ac etiam alios quoſcumque quovis modo privilegiatos, & exemptos, de hæreſis crimine quomodolibet ſuſpectos, aut culpabiles, dummodo ab eorundem profeſſorum, & Religioſorum Superioribus, vel Prælatis in cauſis hujuſmodi præventi non fuiſſent juxta facultates Officii Inquiſitionis ipſius pravitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos ſecundum canonicas ſanctiones caſtigare, atque punire poſſent, & valerent, ac alias prout in literis ipſius Pii Prædeceſſoris latius continetur.

§. 2. Cum autem rerum uſu compertum ſit, occaſione præventionum hujuſmodi nonnulla interdum impedimenta orta eſſe, quominus cauſæ hujuſmodi ea, qua decet, diligentia cognoſcantur, Nos de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, contra hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum illa de medio tollere volentes, motu proprio, hac noſtra etiam perpetuo valitura Conſtitutione omnia, & quæcunque privilegia, indulta, facultates, & conceſſiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcunque Ordinum, ſive Mendicantium, ſive Clericorum regularium, cujuſvis Ordinis, & inſtituti, etiam in dicta Conſtitutione non expreſſorum, & quantumvis exemptorum, & quocunque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoſcumque Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſa, approbata, & innovata, & quantumvis etiam longiſſimo tempore obſervata, cauſas ad dictum Officium quovis modo ſpectantes, cognoſcendi, & terminandi, ſeu in illis quoquo modo ſe intromittendi, quorum omnium, & ſingulorum tenores, etiam ſi de illis ſpecialis, & expreſſa mentio habenda eſſet, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo caſſamus, revocamus, & abolemus: ipſiſque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ut de cætero quovis quæſito colore, vel prætextu præventionis, vel conſuetudinis, & præſcriptionis immemorabilis, ſeu cognoſcendi, an delationes hujuſmodi calumnioſæ ſint, nec ne, in eiſdem cauſis, tam motis, quam movendis, quoquo modo ſe intromittere, ſeu immiſcere, denunciationes recipere, teſtes examinare, proceſſus conficere, cauſas ipſas cognoſcere, definire, vel terminare minime audeant, ſeu præſumant, ſimili auctoritate diſtrictius inhibemus.

§. 3. Volentes, & expreſſe mandantes, ut ipſi Religioſi poſſint, & debeant omnes, etiam Ordinum hujuſmodi profeſſores de hæreſi ſuſpectos, Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus libere denunciare, abſque eo quod Superiores prædicti perſonas denunciandas, & cauſas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, ſeu præſumant.

§. 4. Inſuper omnes, & quaſcunque cauſas ad dictum Officium quomodolibet ſpectantes, & pertinentes coram Generalibus, Superioribus, & Prælatis hujuſmodi, in quibuſcunque locis exiſtentibus, ac contra quoſcunque Religioſos, ut præfertur, exemptos, motas,

tas, & pendentes, ad nos harum ſerie avocamus, eaſque omnes in ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, ipſius pravitatis Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus terminandas committimus.

§. 5. Præterea ipſis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, ut omnes proceſſus, & acta cauſarum hujuſmodi Inquiſitoribus, ſeu Ordinariis prædictis reſpective remittant, & conſignent; necnon profeſſores fratres, & Religioſos ſupradictos, quos hæreſis labe infectos, vel ſuſpectos etiam in viſitatione eſſe noverint, abſque alia conſultatione cum propriis Superioribus facienda, eiſdem Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus reſpective denuncient.

§. 6. Quod ſi Generales, aliique prædicti præſentibus literis non paruerint, eos omnes privationis quarumcunque dignitatum, ſeu prælaturarum, vel officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis activæ, & paſſivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eaſdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores Officii ſtatutas, & inflictas pœnas, aliaſque cenſuras eccleſiaſticas, etiam excommunicationis majoris, latæ ſententiæ, a qua non niſi a Nobis, vel a Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipſo incurriſſe.

Hæc Conſtitutio innovata, & ampliata eſt ab Alexandro VII. ut ſequitur.

Feria V. die 8. *Julii* 1660.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico apud Sanctam Mariam Majorem coram Sanctiſſimo D. N. Alexandro divina providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S.R.E. Cardinalibus in univerſa Republica chriſtiana, contra hæreticam pravitatem Jnquiſitoribus generalibus, a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Licet alias per Conſtitutionem fel. record. Pauli V. emanatam ſub die 1. Sept. 1606. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, fuerit diſtricte prohibitum Superioribus Regularium, ne quovis titulo, vel prætextu præventionis, aut conſuetudinis, & præſcriptionis, etiam immemorabilis, aut alio, in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus, ſe quoquo modo intromittere, aut immiſcere, denunciationes recipere, teſtes examinare, proceſſus conficere, cauſas cognoſcere, aut terminare audeant; imo ex ejuſdem Conſtitutionis diſpoſitione eiſdem fuerit graviter injunctum, ut ſuos ſubditos, ac Religioſos, quos hæreſis labe infectos, vel de hæreſi ſuſpectos noverint, abſque alia conſultatione cum propriis ſuæ Religionis Superioribus, vel alia quavis perſona facienda, ſine mora Jnquiſitoribus, vel locorum Ordinariis vicinioribus denuncient.

§. 1. Nihilominus, animadvertens Sanctiſſimus D. N. Alexander VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denunciandi obligationem, adeo ut nedum ſuos ſubditos non denuncient, verum etiam fideles ad ipſos pro conſilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denunciare, quæ audierunt, aut viderunt ad ipſum Sanctum Officium ſpectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent, imo aliquando eoſdem perperam inſtruant, non teneri, nec ſub obligatione Conſtitutionum Apoſtolicarum comprehendi, & hanc opinionem erroneis aliquot Doctorum ſententiis confirmare tentantes, eoſdem in maximum Fidei diſcrimen ab onere denunciandi retrahere conentur.

§. 2. Volens proinde Sanctitas ſua abuſum hujuſmodi ex ſui paſtoralis officii debito coercere, poſt maturam facti diſcuſſionem, auditis votis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium, adverſus hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum, innovat Conſtitutionem prædictam, a fel. record. Paulo V. emanatam, & quatenus opus ſit, eam declarans, hoc præſenti decreto diſtricte præcipit, & mandat omnibus, & ſingulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpoſitis, aliiſque eiuſmodi quocunque nomine nuncupatis Superioribus cuiuſcumque Ordinis, & Inſtituti, ſive Mendicantium, ſive non Mendicantium, nec non Congregationis, & Societatis Clericorum Regularium quorumcunque, etiam Societatis Jeſu, aliorumque quomodocunque exemptorum, vel non exemptorum, etiamſi eſſent ſpecialiter, & non nominatim exprimendi, ut omnino dictæ Conſtitutioni in omnibus pareant, & omnes, & quoſ-

& quoſcunque Religioſos, tam ſibi ipſis ſubditos, quam non ſubditos, cujuſcunque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, hæreticos, vel de hæreſi quomodocunque, etiam leviter, ſuſpectos deferant, & judicialiter denuncient Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, & nullatenus in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus audeant ſe intromittere, neque ſuos ſubditos, ad Sanctum Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, moleſtare, vexare, vel alio quovis modo, ſive directe, ſive indirecte, avertere, retrahere, diſſuadere; imo prædictos ſuos ſubditos monere debeant, ut ipſi quoque eidem decreto omnino pareant, & alios chriſtifideles, etiam Confratres ſuos, ad parendum pariter hortentur, & ſuadeant, rejectis penitus hujuſmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas ſua, cum voto dictorum Eminentiſſimorum DD. Cardinalium, tanquam pernicioſas, temerarias, & non conſiſtentes, & a mente Sanctitatis ſuæ prorſus alienas, reprobavit, & reprobat.

§. 3. Et quia quandoque etiam eorum ſubditi deficiunt in eo, quod ipſis implendum incumbit cum Religioſis eiuſdem, alteriuſve Ordinis, aliiſve quibuſcumque perſonis de Fide ſuſpectis, cæteriſque petentibus conſilium in materiis ad Sanctum Officium ſpectantibus, ita, ut nedum ipſimet denunciationes differant, vel ab illis prorſus abſtineant, verum etiam multoties ab eiſdem alios a ſe conſilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel ſub fraternæ correctionis factæ, vel faciendæ, aliove prætextu.

§. 4. Propterea idem Sanctiſſimus declaravit, præfatos ſubditos abſque ulla participatione, etiamſi nulla petita venia a Superioribus, etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit, omnino teneri, & obligatos eſſe accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquiſitoribus locorum quoſcunque, etiam Confratres, ac Superiores, etiam primarios ſuos ejuſdem Ordinis, & Religionis, quos noverint eſſe de Fide quomodolibet, etiam leviter, ſuſpectos: ac propterea eoſdem debere omnes, & quoſcunque etiam alios a ſe conſilium, ut ſupra, petentes, monere, & obligare ad denunciandum, nec poſſe illos a denunciando ſub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare. & præfatos omnes tam Superiores, quam ſubditos contrafacientes Sanctitas ſua voluit, & declaravit, ſubjacere omnibus cenſuris, in dicta Conſtitutione Pauli V. expreſſis, nec non privationis quarumcunque dignitatum, ſeu prælaturarum, ſeu officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis activæ, & paſſivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendis, aliiſque Sanctitatis ſuæ, ac Succeſſorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, ſuſpenſionem, abſolutionem, vel diſpenſationem Sanctitas ſua ſibi ipſi, & Succeſſoribus ſuis Romanis Pontificibus tantum expreſſe reſervavit.

§. 5. Et ne præmiſſorum prætendi poſſit ignorantia, idem Sanctiſſimus mandavit, ſub eiſdem pœnis, ipſo pariter facto incurrendis, ut ſupra reſervatis, ut Superiores omnes præfati in quocunque loco, conventu, vel collegio ſui Ordinis, decretum hoc ſemel ſaltem ſingulis annis Kalendis Martii in publica menſa, vel alias in capitulo ad hoc specialiter convocato, legi curent una cum aliis decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ad Sanctum Officium Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem pertinentibus, quotannis legi ſolitis juxta decretum fel. recor. Urbani VIII. & inſuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affiigantur, & affixa conſerventur, itaut ab iiſdem subditis Religioſis omnibus videri, ac legi commode queant: deque hujusmodi lectione, & commonitione publico documento ab iiſdem Superioribus conventus, vel domus subſcripto, unaque ab aliis duobus Religioſis ejusdem domus, vel conventus ſtatim certiorem facere Congregationem Sanctiſſimæ Inquiſitionis in Urbe, vel locorum Inquiſitores, ubi ſunt.

Ad hæc facit etiam decretum S. Pii V. relatum a Quaranta *Summa Bullarii*, *verb. Hæreticus*, per hæc verba.

Regulares recurrentes ad Sanctum Officium, ut in eo teſtimonium perhibeant, non graventur a ſuis Superioribus.

Die 17. Auguſti 1567.

Sanctiſſimus D. N. Pius Papa V. in generali Congregatione Sancti Officii, conſulens libertati ipſius Sancti Officii, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo teſtimonium perhi-

perhibentium, ſtatuit, & decrevit, ut Regulares quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum perſonæ, quæ pro tempore ad officium Sanctæ Inquiſitionis pro quocunque Fidei negocio recurrent, seu confugerint, vel in eo teſtimonium perhibuerint veritatis, aut alia quomodolibet deposuerint, nequaquam a suis Superioribus per quinquennium continuum a die recursus, seu depoſitionis hujusmodi moleſtari, vel ex quacunque causa, vel exceſſibus prætenſis personarum iſtarum, & debitis propterea pœnis, seu pœnitentiis eisdem imponendis, niſi ipſi Illuſtriſſimi Cardinales Inquiſitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clare notificatum, & ab ipſis Cardinalibus desuper responsum fuerit.

Ita habetur inter decreta Sancti Officii, in fine judiciar. Inquiſit. Romæ Impres. anno 1570. fol. 476.

An autem hujuſmodi decretum adhuc ſit in viridi obſervantia, aliquid certi affirmare non audeo: crederem tamen Eminentiſſimos Inquiſitores, juxta facti, & ſuſpicionis futuri gravaminis circumſtantias in caſibus particularibus illud in praxim reducturos, monendo eoſdem Superiores, ne ſine eorum ſcientia in præfatos Regulares procedant.

IV. Excommunicatio, ſub qua in iiſdem reſpective Decretalibus prohibetur Catholicis civilis ſocietas, ſeu communicatio cum hæreticis extra cauſam, aut favorem hæreſis, quamvis indiſtincte inflicta legatur, ita, ut intelligi poſſit de majori, potiſſimum cum de minori in nulla alia Decretali, quam legerim, aperte mentio fiat, præterquam in quinque, I. videlicet Innocentii IV. relata in *cap. III. Statuimus, de Sent. excommunic. in VI.* II. Innocen. III. relata in *cap. XXXIX. de Elect.* III. Bonifacii VIII. relata in *cap. III. Statuimus, de Sent. excommunic. in VI.* IV. Gregorii IX. relata in *cap. X. Si celebrat, de Cleric. excommun. miniſtran.* V. ejuſdem Gregorii relata in *cap. XLIX. Si quam, de Sent. excommunic.* ex communi tamen Theologorum, & Canoniſtarum ſententia intelligenda eſt de minori dumtaxat, dummodo communicatio non ſit in crimine hæreſis.

An autem hæc incurratur, communicando nedum cum hæreticis, ſed etiam cum quibuſvis aliis excommunicatis excommunicatione majori, ſi non fuerint nominatim excommunicati, ut vitandi, ſpecialis inſtituetur ſermo infra in notis ad *cap. VIII. Nulli, de Sent. excommunic.* ubi agetur de Extravaganti *Ad evitanda, ſeu Articulo VII. ex Concordatis cum natione Germanica*, initis a Martino V. in Concilio Conſtanſienſi, quod inchoatum fuit a Joanne XXIII. *anno* 1414. & ſub dicto Martino finem habuit *anno* 1418.

Unum tamen adverto ex declaratione laudati Martini, Conſtitutionem *Inter cunctas, editam ſub die* 22. *Februarii* dicti anni in præfato Concilio, quod licet hæretici non ſint nominatim excommunicati, eccleſiaſticæ nihilominus ſepulturæ, eiſdem jam interdictæ in *cap. VIII. Sicut ait, hoc tit.* dari nequeunt ut ex §. VIII. ejuſdem Conſtit. ibi.

Etſi tales hæretici publici, ac manifeſti, licet nondum per Eccleſiam declarati, in hoc tam gravi crimine deceſſerint, eccleſiaſtica careant sepultura, nec oblationes fiant, aut recipiantur pro eisdem: bona tamen ipsorum a tempore commiſſi criminis secundum canonicas sanctiones confiscata, non occupentur per illos, ad quos alias pertinerent, donec per hujusmodi Judices eccleſiaſticos super hoc poteſtatem habentes, sententia declaratoria super ipso hæreſis crimine fuerit promulgata.

Quam declarationem expreſſe confirmavit Urbanus VIII. in approbatione decreti Univerſalis Inquiſitionis emanati *die 6. Novembr.* 1641 occaſione ſepulturæ datæ in Eccleſia Catholicorum civitatis Duſeldorpii cadaveri ſororis, uxoris Ducis Neoburgici, hæreticæ calviniſtæ, quod inter alia tunc emanata his verbis extenſum refert Card. Albitius *de Inconſtan. in fide parte I. cap. XVIII. num.* 28.

Hæreticos notorios, quantumvis non denunciatos nominatim excommunicatos, non poſſe sepeliri in Eccleſia catholica.

= Subdit vero idem Albitius circa horum ſepulturam in Eccleſia catholica = Cæterum ſi abſque ſcandalo a catholicis reſiſti non poſſit, hujuſmodi conſuetudo eſt toleranda per conniventiam, ut fuit reſolutum in ſuprema ab Univerſali Inquiſitione *ſub die* 23. *Julii* 1609.

V. Sententiæ in favorem quorumcumque reorum inquiſitorum latæ, ex motu proprio S. Pii V. *Inter multiplices, publicato die* 30. *Decembris* 1567. nunquam tranſeunt in rem judicatam, ita, ut denuo ſemper examinari, & reaſſumi poſſint.

Si quis autem impediret Inquiſitores in eorum inquiſitionis negocio, & conſilium, auxilium, aut favorem ad id dederit, ex cit. Conſtit. Julii III. incurrit ipſo facto excommunicationem, Papæ reſervatam; ſicut & ex Conſtitut. S. Pii V. *Si de protegendis* 2. *Maii* 1569. cum additione aliarum pœnarum; quarum inſuper abſolutio, & reſpective remiſſio, diſpenſatio, & rehabilitatio, etiam a Papa conceſſa, declaratur nulla, niſi fuerit conceſſa ſemeſtri poſt aſſumptionem ad Pontificatum, precibus verificatis apud ſupremum Romanæ Inquiſitionis officium ex certa Papæ ſcientia, & propria ipſius manu ſignata.

Has pœnas *Theſaurus de pœn. verb. Inquiſitores* ſentit cum Bonacina, locum habere, etiam ſi Inquiſitores non procedant in cauſa Fidei, ſeu hæreſis, ſed in

Digitized by Google

in alia qualibet ad eorum juriſdictionem pertinente.

VI. In Decretali S. Gregorii relata in *cap. IV. Fraternitatis*, *hoc tit.* ſtatuitur, ut damnato Auctore, intelligantur damnata ejus ſcripta, & libri, nulla facta diſtinctione de ſtatu, ſeu qualitate Auctoris, & librorum; nullaque adjecta pœna in eos retinentem, vel legentem.

Sed hodie ex cap. I. Bullæ in die cœnæ Domini legi ſolitæ, cujus textum habes in calce hujus Operis, ſi Auctor eſt hæreticus, & liber continet hæreſim, vel tractat de Religione (intellige ex profeſſo, & non obiter) tam eum ſcienter retinens, quam legens, aut defendens, & imprimens, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam.

Si vero non continet hæreſim, nec tractat de Religione, & Auctor eſt hæreticus, incurrit excommunicationem Indicis, quæ tamen non eſt reſervata: & ſi Auctor non eſt hæreticus, nec continet hæreſim, nec tractat de Religione, incurrit ſolum peccatum, etiamſi Auctor ſit infidelis, ut ex regula II. & IX. dicti Indicis, quas leges parte II.

Excipe librum Thalmud, quem jamdum damnarunt, retinerique prohibuerunt Gregorius IX. Innocentius, Clemens, & Honorius IV. Joannes XXII. Paulus IV. & Gregorius XIII. poſtremo Clem. VIII. Conſtit. *Cum hæbreorum*, 28. *Febr.* 1593. *§. VI. & VII.* in quibus §§. hæc circa eundem librum leguntur.

Præcipientes, tam ipſis judæis, quam quibuſcumque Typographis, Bibliopolis, ſeu mercatoribus, & aliis quibuſcunque chriſtifidelibus, etiam cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentibus, ſub pœnis amiſſionis librorum, & publicationis omnium bonorum, Fiſco ejus Principis, in cujus ditione libri reperti fuerint, applicandorum, ac aliis etiam gravioribus, & corporis afflictiviis, arbitrio Diœceſani, ac etiam Inquiſitoris, ſi inibi fuerit, ſtatuendis, ac moderandis, necnon quoad chriſtianos etiam excommunicationis majoris latæ ſententiæ per unumquemque contrafacientem eo ipſo incurrendæ, ne hujuſmodi libros, & alia ſcripta ſuperius prohibita, ut præfertur, retinere, habere, legere, edere, typis excudere, ſeu imprimere, deſcribere, vel exemplare, advehere, emere, vendere, donare, commutare, aut alias quomodolibet diſtrahere, vel alienare.

Neve quiſquam, etiam ſub prædictis, & aliis pœnis contra fautores apoſtatarum a Fide, & hæreticorum a ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis inflictis, ipſis hebræis, pro habendis, ſcribendis, ſeu imprimendis hujuſmodi libris, vel undecunque afferendis, ſeu tranſvehendis, aut pro eorundem legendorum licentia de cætero impetranda, opem, conſilium, auxilium, vel favorem præſtare, aut impendere quoquo modo audeat.

Excommunicatio hic inflicta non eſt reſervata; ſed quis delinqueret contra diſpoſita in hoc ſecundo §. incurreret excommunicationem latam in *cap. I. Bullæ cænæ* (quæ eſt reſervata) tanquam hæreticorum fautor, prout talis hic declaratur,

VII. In Decretali Innocentii III. relata in *capit. XIII. Excommunicamus*, *hoc tit.* §. *Adjicimus* præcipitur, eos, qui ſciunt, aliquem eſſe hæreticum, & occulta conventicula celebrare, compellendos eſſe medio Juramento ad eundem Epiſcopo revelandum, nulla tamen adjecta pœna in non revelantes.

Verum ex Conſtitutionibus Gregorii IX. *Excommunicamus*, Innocentii IV. *Noverit* 15. *Junii* 1254. (in qua mentio ſit de dicta Gregorii Conſtit.) & Nicolai III. *Noverit* 5. *Martii* 1280. hæc revelatio præcipitur ſub pœna excommunicationis: in quibus horum poſteriorum Pontificum Conſtitutionibus hujuſmodi præceptum iiſdem verbis extenſum legitur, ibi.

Item, ſiquis hæreticos ſciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, ſeu a communi converſatione fidelium vita, & moribus diſſidentes, eos ſtudeat indicare confeſſori ſuo, vel alii, per quem credat ad Prælati ſui, & Inquiſitorum hæreticæ pravitatis notitiam pervenire, alioquin excommunicationis ſententia percellatur,

Cum autem excommunicatio hic inflicta, ſit ferendæ ſententiæ, ut legenti patet, nec ulli reſervata, hodie ex Edictis Inquiſitorum hæreticæ pravitatis, eſt latæ ſententiæ, & iiſdem reſervata, ſi intra menſem a die ſcientiæ delicti, juxta Edictum Univerſalis Romanæ Inquiſitionis, vel intra tempus præſcriptum in Edictis tam cæterorum particularium Inquiſitorum, quam Epiſcoporum, qui eis reſpective denunciandos non revelaverit; etiamſi hi denunciandi ſint leviter dumtaxat ſuſpecti de hæreſi, ex declaratione Alexandri VII. Conſtitut. *Licet alias* 8. *Junii* 1660.

Omittentes intra id reſpective tempus denunciationem, in Urbe, & ejus diſtrictu, incurrunt excommunicationem, quæ reſervata eſt S. I. Extra Urbem vero, ejuſque diſtrictum, nonniſi ab Epiſcopo, vel peculiare Inquiſitore, ſi tamen eam ſibi, & peccatum reſervaverint; alias poſt denunciationem factam abſolvi poterunt a quolibet confeſſario, quemadmodum teſtatur, ſibi reſponſum fuiſſe a P. Commiſſario Univerſalis Inquiſitionis Romanæ Nicolaus Terzago, Epiſcopus Narnienſis, in *Inſtructione ad confeſſarios ſuæ Diœceſis*, §. *De peccatis contra Fidem*. Omitens vero denunciare confeſſarium de ſolicitatione

intra dictum menſem, etiamſi poſtea denunciaſſet, olim non poterat abſolvi, niſi a dicta Inquiſit. Rom. hodie tamen ex decretis ejuſdem an. 1735. & 1758. abſolvi poteſt a quolibet confeſſario.

Nota I. Non ſatisfieri denunciationis oneri, ſi fist per epiſtolam abſqne nomine, & agnomine denuncisntis, aut aliis incertis modis, ut in cit. Edicto generalis Inquiſitionis.

Nota II. Denunciationem faciendam eſſe, etiam non præmiſſa correctione fraterna, ex Conſtitut. Alexandr. VII. *Licet alias 8. Junii* 1660.

Nota III. Faciendam item eſſe, qusmvis denuncians hæreſim, vel illius ſuſpicionem probare nequest, vel hæc occulta ſit, ut ex contrario ſenſu propoſitionis V. inter proſcriptas ab eodem Alexandro 24. Sept. 1665. mox tranſcribenda.

Nota IV. Item, quamvis delictum denunciandum quis ſciat ſub ſecreto naturali, etism jurato, ut præter alios DD. laudatus Teraago *loc. cit.*

Nota V. Item, ſi babeat complices delicti, licet ipſe eſſet principslis.

Nota VI. Cum eodem Terzago *loc. cit.* & Franciſco Maria Campioni *in Inſtructione pro ſe præparantibus ad audiendas confeſſiones par. 1. cap. 29. numero 4. & 5.* teneri ad denunciationem audientes aliquem docere, aſſerere, defendere conjunctim, vel diviſim propoſitiones a Summis Pontificibus proſcriptas, tanquam hæreticas, erroneas, & de bæreſi ſuſpectas.

In quarum claſſe ſunt propoſitiones LXXIX. Michselis Baji, a S. Pio V. proſcriptæ an. 1567. V. Cornelii Janſenii, Epiſcopi Jprenſis, proſcriptæ ab Jnnocen. X. an. 1644. LXVIII. Michaelis Molinos Presbyteri Hiſpani, proſcriptæ ab Jnnocen. XI. an. 1687. II. proſcriptæ ab Alex. VIII. 24. Auguſt. 1690. & aliæ XXXI. sb eodem proſcriptæ 7. Decembr. 1690. XXIII. Archiepiſcopi Cameracenſis, proſcriptæ ab Jnnoc. XII. 12. Mart. 1699. ac tandem Cl. Paſchslis Queſnelli Presbyteri Galli, proſcriptæ a Clemen. XI. 6. idus Septembr. 1713:

Nota VII. Non eſſe denunciandos docentes, aſſerentes, vel defendentes propoſitiones in materia morum dumtaxat proſcriptas: uti ſunt Propoſitiones XLV. proſcriptæ tanquam ſcandaloſæ ab Alex. VII. 24. Sept. 1665. Jtem LXV. proſcriptæ pariter tanquam ſcandaloſæ, & in praxi pernicioſæ ab Jnnoc XI. 2. Mart. 1679. cum neque hæretici, neque de hæreſi ſuſpecti dici poſſint, prout cum Campioni animadvertit idem Teraago *loc. cit.* incurrerent tsmen ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatsm. Jnſuper eas, ant illarum aliquam ad praaim deducentes, læthaliter peccarent contra præceptum ſanctæ obedientiæ, ut videre eſt in eorum reſpective decretis: niſi excuſaret parvitas materiæ, uti eſſet, ſi quis deduceret ad praaim Propoſitionem octavam ab Jnnoc. XI, proſcriptam; comedendo ſcilicet, & bibendo uſque ad ſatietatem ab ſolsm voluptatem.

Nota VIII. Ab Alex. VII. ſub die 24. Sept. 1665. proſcriptam fuiſſe hanc Propoſitionem, quæ eſt Is V. in ordine.

= Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probsre non poſſis =.

Ad conventicula quod ſpectat, de quibus in Conſlit. Nicolai III. mox tranſcripta §. *Verum ex Conſtitutionibus*, repetam hic jam a me sllata in Additionibus ad *Theſaurum de pœn. eccleſiaſt. cap. I. verbo Conventicula* contra ineuntes hæc conventicula, cætus, ſeu ſocietates illicitas ad libidines, falſas Religiones, & factiones.

,, Hi itaque *lege cæſarea puniuntur variis pœ-*
,, *nis, ut vis publicæ, proſcriptionis, domus,*
,, *aliiſque arbitrariis tit. ff. de Colleg. & cod. L. 15.*
,, *C. de Epiſcop. & Cler. ac inſuper privatione cujuſ-*
,, *cumque ſucceſſionis ad hæreditates, lege eccleſia-*
,, *ſtica prohibentur cap. Cum ex injuncto 12. de Hæ-*
,, *ret. & ſi ſunt in præjudicium, ſpretum, aut con-*
,, *tra Religionem, ea ineuntes denunciandi ſunt Sac.*
,, *Inquiſitioni, ut ex ejuſdem Edicto 6. Novemb. 1754.*
,, noviſſime a Clem. XII. Conſtit. *In eminenti 4. Kal.*
,, *Maii* 1738. confirmata a Bened. XIV. Conſtitut.
,, *Providas 18. Maii 1751. Prohibita ſunt conven-*
,, *tiuncula, ſocietates, cætus, conventus, collectio-*
,, *nes, ſive aggregationes, vel aliter nuncupatæ,*
,, vulgo de Liberi Muratori, ſeu de Francs Man-
,, gons, ſub pœna excommunicationis ipſo facto in-
,, currendæ, Papæ reſervatæ, ab adeuntibus, vel
,, præſumentibus = *Hujuſmodi ſocietates inire, vel*
,, *propagare, aut confovere, receptare, occultare,*
,, *iiſque adſcribi, aggregari, aut intereſſe* = Qui
,, inſuper puniendi ſunt tam ab Epiſcopis, & Prælatis
,, ſuperioribus, quam ab hæreticæ pravitatis Inqui-
,, ſitoribus, tanquam de hæreſi vehementer ſuſpe-
,, cti: in his autem conventiculis, ſeu ſocietatibus
,, = *cujuſcumque Religionis* (ut narrat Clemens) *&*
,, *ſectæ homines, affectata quadam contenti honeſta-*
,, *tis naturalis ſpecie, arcto, æqueac impervio fœ-*
,, *dere, ſecundum leges, & ſtatuta ſibi condita in-*
,, *vicem conſociantur, quæque ſimul clam operantur,*
,, *tum diſtricto jurejurando ad ſacra Biblia interpoſi-*
,, *to, tum gravium pœnarum exageratione, inviola-*
,, *bili ſilentio obtegere adſtringuntur* =.

IX. In *cap. IX. Ad abolendam, hoc tit.* Clerico in hæreſim lapſo infligitur pœna privationis beneficii. Sed notandum, quod ex decreto Congr. Univerſ. Inquiſitionis emsnato 18. Jul. 1558. & relat. a Ludovico de Ameno *de Delict. & pœn. tom. 3. tit. 2. §. 7. num. 53.* ,, quantum ad titulum privantur ſtatim
,, a commiſſo crimine abſque ulla declaratione judi-
,, cis: quantum ad poſſeſſionem vero requiritur
,, declaratio de crimine hæreſis patrato; quis cum in
,, *cap. Ad abolendam 9. de Hæret. dicatur* = Si Cle-
,, ricus eſt, totius eccleſiaſtici Ordinis prerogativa
,, nudetur; & ſic omni beneficio, & officio ſpo-
,, liatus eccleſiaſtico, ſecularis relinquatur arbitrio
,, poteſtatis animadverſione debita puniendus, ly
,, nudetur, & puniendus ſunt verba futuri tempo-
,, ris, ideoque indicant, & requirunt factum judi-
,, cis ''.

X. In *capit. XX. Statuto §. Et ut eorundem, hoc tit. in VI.* decernitur = ut pro majori ſecuritate teſtium accuſatorum in Sancto Officio, Inquiſitores, & Epiſcopi illud exercentes, quando communicant proceſſus Sancti Officii Conſultoribus ſuis, poſſint illis injungere ſecretum ſub pœna excommunicationis ipſo facto iocurrenda = Quod ampliatum eſt a Clemente XI. cum ex ipſius decreto ſub die 24. Aprilis 1710. incurrant excommunicstionem, Papæ reſervatsm, etiam procurantes, ut dicti Inquiſitores, & miniſtri ſecreta revelent circa cauſas, & materias, quæ agitantur in tribunali ejuſdem S. Officii.

XI. In *cap. Accuſatus, §. Sane, hoc eod. tit.* in

Digitized by Google

in VI. Ut Inquiſitores hæreticæ pravitatis procedere
poſſent circa ſortilegia, requirebatur, ut hæc ſape-
rent hæreſim manifeſtam, ſed hodie = vigore Conſti-
tutionum Apoſtolicarum, nempe Innocentii VIII. Ale-
xandri VI. Leonis X. Adriani VI. & Sixti V. etiam de
ſimplicibus ſuperſtitionibus cognoſcunt = ita Albitius
de Inconſtan. in fide par. I. cap. XXXII. n. 101.

XII. Placet hic, etiam tranſcribere jam a me
addita in Acceſſionibus ad *cit. Theſaurum, cap. I.
verbo Hæreſis*, ad hæreſim externam ſpectantia.

Ad hanc ergo ſpectat nedum externa tantum
Fidei negatio ad evitanda dira ſupplicia, & mortem,
ſed etiam ſimulatio falſæ Religionis verbis, aut fa-
ctis, ut cum communi optime demoſtrat Paulus Ga-
briel Antoine, Societat. Jeſu, *in tractat. de Virtuti-
bus theolog. cap.* 3. & Philippus de Carboneano, Ord.
Minor. Regul. Obſervantiæ, a quo in fine *cit. cap.*
enumerantur capita, quibus, vel facto, vel impli-
cite catholica Fides violari videtur; quæque hic tran-
ſcribuntur.

„ Primo itaque Fidem facto ſuo negare dicitur,
„ qui ea faciat, quæ ad falſi numinis, hæreticique
„ hominis obſequium, & cultum referantur; is enim
„ facto ſuo falſam Religionem profitetur, atque hanc
„ ob rem ſupremæ Inquiſit. decr. an. 1626. & an. 1669.
„ definitum eſt, nullo modo licere chriſtianis, nec
„ ulla cauſa, aut motivo poſſe permitti, aut tolera-
„ ri, ut operam ſuam navent, ædificandis, inſtau-
„ randis, verrendiſque templis, falſis numinibus,
„ vel auctoribus falſarum ſectarum dicatis, aut eo-
„ rundem purgandis parietibus, & pavimentis,
„ mundandis altaribus, aperiendis, claudendiſque
„ foribus. Atque hinc ſequitur, rei de ſe malæ ope-
„ ram dare, ac facto negare Fidem, qui idola, quæ
„ infideles colunt, conſtruant, vel falſi numinis ima-
„ gines pingant; quippe falſis numinibus famulatum
„ præbent, iiſque, ſi non per ſe, per alios ſaltem,
„ obſequium, cultumque exhibent.

„ Secundo, facto Fidem negat, qui ea faciat,
„ quæ ritum falſum, ſacrilegumque cultum com-
„ probent, eatumque habeat: id enim eſt Fidem
„ orthodoxam, quæ hæc damnat, contemnere, fal-
„ ſamque Religionem opere profiteri. Ratum vero
„ habent ritum, falſumque cultum, qui in Schiſ-
„ maticorum, hæreticorum, infideliumque templis,
„ organa, vel alia inſtrumenta pulſent, metros ca-
„ nant, aut concinendos componant, vel artem mu-
„ ſicam alio modo exerceant: vide Conſtit. Bene-
„ dicto XIV. *Omnium ſolicitudinum*.

„ Tertio, qui facto aliquo orthodoxam Reli-
„ gionem in odium Fidei contemnat; ut qui, impe-
„ rante infideli Principe, in catholicæ Fidei con-
„ temptum ſacros ritus ſpernat, carnes, quo prohi-
„ bentur tempore, comedat, immolatis utatur,
„ chriſtianorum templa evertat, ex equo deſcendat,
„ dum ante fores tranſit templi idolorum, ea decre-
„ to ſuprem. Inquiſit. 1674. & Fidei profeſſionem
„ omittit, quam, vigente illo Principis præcepto,
„ quod vim interrogationis habet, palam facere de-
„ bet, & Fidem ipſam exteriori contemptu negat.

„ Quarto, qui veſtem induat, quæ ex inſtituto
„ hominum, uſu recepto, & approbato, falſæ ſectæ
„ profeſſorem, ſive falſæ Religionis miniſtrum de-
„ ſignet, ut lineam veſtem talarem, quæ Mahu-
„ mettanis Sacerdotibus eſt propria, vel faſciam
„ quandam, qua apud Indos idolorum Sacerdotes
„ utuntur: is enim hoc modo falſæ ſectæ profeſſorem
„ ſe ſe oſtendit, ac virtuali ter ſaltem, Fidem negat,
„ decret. ſuprem. Inq. 8. Julii 1630.

„ Quinto, qui nomina turcica, quorum nec me-
„ mores eſſe deberent, per labia ſua aſſumunt: abo-
„ minanda infidelium templa, quæ moſcheas vocant,
„ frequentant, eccleſiaſticorum jejuniorum dies car-
„ nium eſu profanant, & hęc eo fine, ut mahumet-
„ tani credantur, opera faciunt, quæ mendacium in
„ re graviſſima continent, & virtualem Fidei ne-
„ gationem, maxima cum Dei injuria, proximi-
„ que ſcandalo includunt: quemadmodum legitur
„ in Conſtit. *Inter omnigenas, tom. 1. Bull. pag.* 31.
„ in qua SS D. N. Bened. XIV. abuſus damnat non-
„ nullos, Fidei puritati contrarios, qui in Regno
„ Serviæ, finitimiſque regionibus in chriſtianam
„ Religionem irrepſer unt; atque decernit, eos =
„ qui obſtinate in hujuſmodi via impiorum pergere
„ velint, incapaces eſſe Sacramentorum in vita, etſi
„ impœnitentes deceſſerint, ſuffragiorum poſt mor-
„ tem, ad quæ nullus Eccleſiæ miniſtee illos admit-
„ tere præſumat, alioquin a proprio Epiſcopo cano-
„ nicis pœnis plectendus erit ".

His iiſdem pœnis contentis in Can. 3. Concilii
Albaniæ, celebr. an. 1730. ſub Clem. XII. dictus Be-
ned. Conſtitut. *Quod Provinciale 1. Auguſti* 1754.
multandos præcipit chriſt fideles Provinciæ Albaniæ
ſub Turcarum ditione verſantes, qui turcicis, ſeu
mahumetanis nominibus, quæ nunquam ſibi impoſi-
ta fuerant, ob quamcumque vel tributorum exem-
ptionem, & immunitatem, vel liberi commercii
commodum, vel evitandarum pænarum cauſam ſe
nuncupari = patiuntur.

„ Sexto, qui ritus uſurpent falſæ Religionis
„ proteſtativos, hujuſmodi uſu errores contra chri-
„ ſtianam Fidem, quos indicant, ſeſe approbare
„ demonſtrant, ac falſæ ſectæ profeſſores exterius
„ manifeſtantur: vid. cit. Conſt. *Inter omnigenas* ".

Nota, ſi ritus indifferentes occurrant, tutius
eſt, ut Catholici, quoad fieri poſſit, ab illis abſti-
neant, ne cultu peregrino, & Eccleſiæ catholicæ
ignoto, verum Deum venerentur. Nunquam vero
licet = Gentilium ritus adoptare, eoſque in chriſtia-
nos uſus convertere, inconſulta Apoſtolica Sede =
ut decernitur in antea laudata Conſt. *Omnium ſoli-
citudinum*.

Implicite contra orthodoxæ Fidei confeſſionem
peccat, qui cum debitus Deo honor id poſtulet, li-
bare orthodoxam Fidem non profitetur, ſed tacet,
atque ſilentio ſuo alios in ſuſpicionem ducit, ſe vel
Fidem negare, vel eam profiteri erubeſcere; in
Deum enim injurioſus eſt, qui veritatem ab ipſo re-
velatam libere confiteri erubeſcit.

Primo itaque peccat, qui interrogatus a publi-
ca poteſtate de ſua Religione taceat. 1. Si Interro-
gatio ſit in odium Religionis: ſi enim ob politicas
ſtatus rationes fieret, ut pecunia v. g. a Catholicis
extorqueretur, debitus Deo honor ex confeſſionis
ſilentio non ſubſtraheretur. 2. Si ſilentium, attentis
circumſtantiis, non appareat omnibus implicita or-
thodoxæ Fidei confeſſio.

Secundo peccat etiam, qui interrogatus a pri-
vata perſona, Fidem palam non fateatur in iis cir-
cumſtantiis, in quibus, confeſſionis omiſſione Deus
injuria afficeretur, & proximus pateretur ſcandalum;
(hæc enim duo ſemper vitare tenemur) ut ſi interro-
gatus,

§. I. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis proviſum fuit, ut impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolum inter chriſtifideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas Confeſſiones deputatus, ſacroſancto Pœnitentiæ Sacramento ſolicitando pœnitentes ad turpia abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, ex cæleſti medico infernalis veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco nos ea, quæ his perniciofiſſimis diaboli inſidiis arcendis certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, ut nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.

§. II. Alias ſiquidem a fel. record. Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet. Pius Papa IV. *Venerabili fratri Archiepiſcopo Hiſpalenſi in Regnis Hiſpaniarum, hæreticæ pravitatis Inquiſitori generali.*

Cum, ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia accepimus, diverſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum civitatibus, & diœceſibus curam animarum habentes, ſive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur, nec illi, & qui id inſtituit, Domino Deo, & Salvatori noſtro Jeſu Chriſto injuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo, & provocando, ſeu allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco eorum per Sacramentum hujuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in divinæ majeſtatis offenſam, & animarum perniciem, & chriſtifidelium ſcandalum non modicum.

§. III. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide catholica recte ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant, fraternitati tuæ, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios a te deputandum, ſeu deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum civitatum, & diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſeculares, quam quorumvis, etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum, Ordinum Regulares, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis, quam ſuper Fide catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras, & juxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quovis modo ſuſpectos, a Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos juxta exceſſuum ſuorum qualitatem, prout juris fuerit, punias; eos etiam, ſi, & prout juris fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, ſecularis judicis arbitrio puniendos tradendo.

§. IV. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ die 17. Apr. 1561. Pontificatus noſtri Anno II.

§. V. Igitur, ut literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter obſerventur, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum, præinſertas literas hujuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, illaſque non ſolum in prædictis Hiſpaniarum Regnis, ſed in quibuſvis chriſtiani orbis partibus firmiter, & inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus.

§. VI. Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſeculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, inſtitutorum, ſocietatum, & congregationum Regulares, cujuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive

ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive antea, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in officio ſanctæ Inquiſitionis ſeveriſſime, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, & locorum univerſi orbis chriſtiani in ſuis quemque diœceſibus, & territoriis per has noſtras literas, etiam privative quoad omnes alios ſpecialiter, ac perpetuo judices delegamus, ut ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis Fidei, juxta ſacrorum Canonum formam, nec non officii Inquiſitionis hujuſmodi Conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant; & quos in aliquo, ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant, eos quoque, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſeculari puniendos tradant.

§. VI. Dantes etiam facultatem Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum remaneat, ob probationum defectum, impuntium, cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ ſeculari, ut præfertur, reum tradendum eſſe, pronunciandi.

§. VII. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VIII. Mandantes omnibus confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra ſolicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſolicitantes, ſeu, ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis; quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum confeſſarios ſolicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra, iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

Cum autem poſt emanatam Gregorii Conſtitutionem nonnulla exorta fuerint dubia circa onus denunciandi confeſſarium ſolicitantem, cùmque propoſita fuerint Congregationi ſupremæ Univerſalis Inquiſitionis, prævio Qualificatorum examine, ſequentibus verbis extenſa, & relata a Card. Albitio *par. I. cap. XXV. de Inconſtan. in Fide num. 66.* eadem Congregatio ipſorum reſolutiones approbavit, & ſervari mandavit, videlicet.

Die 11. *Februarii* 1661.

I. An ſit denunciandus confeſſarius, qui dat pœnitenti chartam in confeſſione, poſtea domi legendam, in qua ad venerem ſolicitabat.

Domini Qualificatores cenſuerunt, eſſe denunciandum, & opinionem negativam non eſſe probabilem.

II. An confeſſarius conſentiens ſolicitationi, ſed ſtatim deſiſtens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, & non præbendo abſolutionem pœnitenti, incidat in pœnas contentas in Bulla Gregorii, & ſit denunciandus.

Cenſuerunt incidere, & confeſſarium eſſe denunciandum, rejecta opinione contraria, quam non eſſe probabilem cenſuerunt.

III. An confeſſarius, ſolicitando propter parvitatem materiæ ſit denunciandus?

Cum in rebus venereis non detur parvitas materiæ, & ſi daretur, in re præſenti non dari cenſuerunt, eſſe denunciandum, & opinionem contrariam non eſſe probabilem.

IV. An confeſſarius, qui fœminæ in confeſſionario dicenti, ſe velle in craſtinum confiteri, illam ſolicitat, & confeſſionem diſſuadet, ſit denunciandus.

Si ſolicitatio fiat extra locum confeſſionis, & abſque prætextu confeſsionis, cenſuerunt negativam opinionem eſſe probabilem, ſecus in confeſsionario, ſeu in loco confeſsionis.

V. An Sacerdos carens juriſdictione, ſi ſolicitet in confeſsione pœnitentem, ſit denunciandus.

Cenſuerunt, eſſe denunciandum, & opinionem negativam non eſſe probabilem.

VI. An

VI. An interpres, ſi ſolicitet in confeſsione pœnitentem, ſit denunciandus.

Cenſuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate.

VII. An mandans confeſſario, ut in confeſſione ſolicitet, ſit denunciandus.

Cenſuerant, opinionem negativam non carere probabilitate.

VIII. An quando confeſſarius, & pœnitens invicem ſe ſolicitant, confeſſarius ſit denunciandus.

Affirmative reſponderunt, & opinionem negativam non eſſe probabilem.

IX. An confeſſarius ſolicitatus, ſi metu inductus, ſolicitanti conſentiat, ſit denunciandus.

Cenſuerunt, eſſe denunciandum, & opinionem negativam non eſſe probabilem.

X. An confeſſarius incidat in pœnas Conſtitutionis Apoſtolicæ contra ſolicitantes, ſi ſolicitet mulierem in aliis Sacramentis, ſcilicet baptiſmi, matrimonii, ſit denunciandus, & ſi denunciandus, poſſit ab Inquiſitoribus puniri.

Quoad utrumque articulum cenſuerunt, opinionem negativam eſſe probabilem.

XI. An confeſſarius, qui ſolicitat pœnitentem ad actus illicitos extra actus venereos, ſit denunciandus.

Cenſuerunt, opinionem negativam eſſe probabilem.

XII. An confeſſarius, ſi laudet pœnitentem ex pulchritudine, & venuſtate, dicatur illam ſolicitare, & ideo ſit denunciandus.

Cenſuerunt, ſi laus illa ſit ſeria, & nihil pravæ intentionis redoleat, negativam eſſe probabilem: ſi vero ſecus, non eſſe probabilem.

XIII. An ſit denunciandus confeſſarius, qui propter ſolicitationem alterius abjuravit.

Cenſuerunt, opinionem negativam non eſſe probabilem, & ideo denunciandus (quod etiam fuit reſolutum ſub die 26. Julii 1628.)

XIV. An quis teneatur denunciare confeſſarium ſolicitantem, ſi hoc audivit non ſolum a fide dignis, ſed a levibus perſonis.

Cenſuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate.

XV. An ſit denunciandus confeſſarius, qui ſedens in confeſſionario, ſolicitat mulierem ſtantem ante confeſſionarium, non ſimulando confeſſionem

Cenſuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate.

XVI. An ſit denunciandus confeſſarius, qui audiens confeſſionem, dat donum mulieri, ita ut dicatur illam ſolicitaſſe.

Idem cenſuerunt quoad duodecimum.

Reſolutionem dubii primo loco expoſitam, confirmavit Alexander VII. die 24. Septemb. 1665. qui proſcripſit contrariam propoſitionem, quæ eſt la VI. inter alias ab ipſo damnatas, eodemque die proſcripſit & iſtam.

Modus evadendi obligationem denunciandæ ſolicitationis, eſt, ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

Hæc proſcriptio reſpicit dumtaxat opinionem, eximentem ab onere denunciandi ſolicitantem, non vero nullitatem confeſſionis in caſu quo ſolicitans abſolveret ſolicitatum ſolicitationi conſentientem: ſed hodie ex Conſtitutione Benedicti XIV. mox transcribenda, reſpicit etiam nullitatem confeſſionis, cum ſolicitans abſolvens complicem peccati contra ſextum præceptum, privatus ſit eo ipſo facultate abſolvendi.

Transcriptas Pii, & Gregorii Conſtitutiones, ac allatas omnes reſolutiones, proſcriptaſque propoſitiones confirmavit, atque ampliavit Benedict. XIV. ſequenti Conſtitutione *Sacramentum pœnitentiæ 1. Junii 1741.*

Sacramentum pœnitentiæ.... Dudum quidem a fel. record. Gregorio Papa XV. Prædeceſſore noſtro, per ſuas literas in forma Brevis, ſub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 30. Auguſti 1622. Pontificatus ſui anno ſecundo, ſapienter proviſum fuit contra quoſcunque Sacerdotes audiendis confeſſionibus deputatos, ad turpia, & inhoneſta ſolicitantes; & deinceps ſucceſſivis temporibus, ad earum literarum interpretationem, & declarationem plura ſubinde a Congregatione Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum ſub die 11. menſis Februarii anno Domini 1661. prodierunt decreta, & a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædeceſſore noſtro, in Congregatione generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis, die 24. Septembris 1665. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas propoſitiones, ſexta videlicet, & ſeptima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalutem ea ubique exacte obſervari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Eccleſiæ Dei retinendum, intererit, ne aliqui Sacerdotes pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes, pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum porrigant, ſed animo ſecum recolentes, ſe a Criſto Domino præſides, & judices animarum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum adminiſtrent: motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, præfatas literas hujuſmodi, ac omnia, & ſingula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apoſtolica auctoritate tenore

præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Atque etiam, quatenus opus ſit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis omnium Regnorum provinciarum, civitatum, dominiorum, & locorum univerſi Orbis chriſtiani, in ſuis reſpective diœceſibus, ut diligenter, omnique humano reſpectu poſtpoſito, inquirant, & procedant contra omnes, & ſingulos Sacerdotes, tam ſeculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectos, quorumcunque Ordinum, inſtitutorum, ſocietatum, & congregationum, & cujuſcunque dignitatis, & præminentiæ, aut quovis privilegio, & indulto munitos, qui aliquem pœnitentem, quæcunque perſona illa ſit, vel in actu ſacramentalis confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem confeſſionis in confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem, ad inhoneſta, & turpia ſolicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint; & quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis ſevere animadvertant per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inſerta haberi volumus. Dantes etiam, ſi opus ſit, & rurſus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei injurioſum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam alias in præfata Conſtitutione tributam, procedendi cum teſtibus etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

§. 2. Meminerint prꝛterea omnes, & ſinguli Sacerdotes ad confeſſiones audiendas conſtituti, teneri ſe, ac obligari ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſolicitatos, ſedulo monere juxta occurrentium caſuum circumſtantias de obligatione denunciandi Inquiſitoribus, ſive locorum Ordinariis prædictis perſonam, quæ ſolicitationem commiſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſolicitatio inter confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſolicitationi pœnitens conſenſerit, vel longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam effluxerit, aut ſolicitatio a confeſſario non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter confeſſarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſolicitatos, ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, deliquentem indicaverint competenti Judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.

§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud eccleſiaſticos Judices falſo ſolicitationis inſimulant: ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcunque perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſam innocentes confeſſarios impie calumniando, vel ſcelefte procurando, ut id ab aliis fiat, a quocunque Sacerdote, quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, preterquam a Nobis, noſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus, perpetuo careat.

§. 4. Demum magnopere cupientes a ſacerdotalis judicii, & ſacri Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, & Eccleſiæ injuriam longe ſubmovere, & tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, & quantum in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere, quas ſacrilegi quidam, dæmonis potius, quam Dei miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo, ac noſtro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis baratrum nefarie ſubmergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquorum in Theologia magiſtrorum conſilio deſuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Epiſcoporum ſupplicationibus, ac noſtra in perpetuum valitura ſanctione, quemadmodum

bus

pluribus Epiſcopis, per ſynodales ſuas Conſtitutiones jam factum eſſe novimus, omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam ſecularibus, quam regularibus cujuſcunque Ordinis, ac dignitatis, tamenet ſi alioquin ad confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis privilegio, & indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota, & mentione digno, ſuffultis, auctoritate Apoſtolica, & noſtræ poteſtatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit, confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, excipere audeat, ſublata propterea illi ipſo jure quacunque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcunque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam; adeo quidem, ut abſolutio, ſiquam impertierit, nulla, atque irrita omnino ſit, tanquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione, ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei per præſentes has noſtras adimere intendimus; & nihilominus, ſi quis confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, noſtriſque Succeſſoribus dumtaxat reſervamus, ipſo facto incurrat.

§. 4. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuſcumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ ſanctæ, aut alterius cujuslibet indulti confeſſionem dicti complicis hujuſmodi quiſquam valeat excipere, eique ſacramentalem abſolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc caſu nullus confeſſarius, utpote qui in hujuſmodi peccati, & pœnitentis genere juriſdictione, ut præfertur, careat, & abſolvendi facultate a Nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro confeſſario legitimo, & approbato.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim, quæ nuncupantur Cruciatæ ſanctæ, vel Jubilæi univerſalis, & plenarii, necnon quibuſvis Eccleſiarum, monaſteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque teporibus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis etiam motu proprio, aut alias quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Hanc autem Conſtitutionem quoad ademptam confeſſario facultatem abſolvendi complicem peccati contra ſextum præceptum, ita idem Pontifex declaravit in altera ſua Conſtit. *Apoſtolici 3. Februarii 1745. ibi.*

Edicimus, ac declaramus, eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſupra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa rite contritam abſolvere, deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit; ita interdici reipſa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & abſolvere, ut ſi alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamſi forte iſte alius ſimplex tantummodo Sacerdos fuerit, ſive alias ad confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nihilominus ipſe Sacerdos ſimplex confeſſionem excipere, ac abſolutionem impertiri.

Porro, ſi caſus urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ confeſſionem vocari, aut accedere, ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret; ac proinde in eo rerum ſtatu, non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejuſmodi Sacerdos, & ſerio animadvertat, fore ſe re ipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum, gravis adverſus prædictam noſtram Conſtitut. in obedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: imo intelligat, teneri ſe graviter hujuſmodi pericula, quantum in ſe erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat

Digitized by Google

illius confeſſionis, abſque ullius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ noſtræ Conſtitutionis declaramus, & nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus, & prœcipimus.

Quod ſi idem Sacerdos, aut quovis modo ſeſe nulla gravi neceſſitate compulſus, ingeſſerit, aut, ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ ſacramentalem confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri, nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente, præſumpſerit; quamvis hujuſmodi abſolutio valida futura ſit, dummodo ex parte pænitentis diſpoſitiones a Chriſto Domino ad Sacramenti pænitentiæ valorem requiſitæ non defuerint: non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat. Nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario legis pænas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Conſtitutione majorem excommunicationem, eodemque plene modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam, incurret, prout illum eo ipſo incurrere declaramus, volumus, atque ſtatuimus.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ in præfata noſtra Conſtitutione voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Pro majori in praxi allatarum Conſtitutionum Gregorii, & Benedicti intellectu, ſubnecto regulas ad cognoſcendum, qui denunciandi ſint, quas ob cauſas, quando, & qua ratione denunciare oporteat, prout ad ſingulas earundem Conſtitutionum partes exaratæ leguntur a jam laudato Philippo de Carboneano, in ejus Additionibus ad cit. Theologiam moralem Antoine *edit. romana an. 1757. par. II. pagina 251. & ſeqq.* ibi.

I. Regula = *Denunciandi ſunt omnes, & ſinguli Sacerdotes, ſive abſolvendi juriſdictione, & auctoritate polleant, ſive careant.*

Hujuſmodi regula expreſſe legitur num. 1. & 2. Conſtitutionis (Benedicti nempe XIV.) quamombrem dubitari amplius non poteſt, quin ſimplex Sacerdos, is ſcilicet, qui ad valide abſolvendum juriſdictione careat, denunciandus ſit, ſi confeſſionem ſimulando, vel prætextu, aut occaſione confeſſionis, modo infra explicando, ſolicitaverit, vel inhoneſta, atque turpia tractaverit. Sed cum nihil, ſive in hac, ſive in aliorum Pontificum Conſtitutionibus, vel ſupremæ Inquiſitionis decretis ſtatuatur de denunciandis, vel Clericis, vel laicis, qui ſolicitandi cauſa confeſſionem ſimulaverint, vel confeſſionis prætextu ſolicitaverint, non videtur probanda, quæ Gipſio tribuitur opinio, qui, ut refert Cozza pag. 153. Clericos etiam, laicoſque denunciandos eſſe contendebat, harumce legum virtute: nam ſi juxta reg. 15. juris *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*, atque juxta reg. 49. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, manifeſtum eſt, pœnis ſubjiciendos non eſſe, qui in lege non deſignantur, ſed excludi videntur. In iis ergo Conſtitutionibus cum ſoli Sacerdotes nominentur, ac denunciationis pœnis ſubdantur, Clerici, laicique præſumuntur excluſi. At ſi ii Miſſam celebrarent, & ſacramentalem confeſſionem audirent, ob alias Conſt. Inquiſitorum judicio, ac pœnis graviſſimis ſupponuntur, atque hanc ob rem denunciandi eſſent, ut debitas pœnas ſubirent.

Secunda. *Qui aliquem pænitentem, quæcunque perſona illa ſit, ſive pro ſe ipſo, ſive pro alia perſona ſolicitaverit.*

Habes hic clare definitum. Primo denunciandum eſſe confeſſarium, ſive ſolicitaverit fæminam, ſive maſculum, ut liquet, tum ex ſupra relato ſupremæ Inquiſitionis decreto, tum etiam ex Conſtit. verbis, nam to *aliquem pænitentem, quæcunque perſona ſit*, innuit vel maſculum, vel fœminam. Deinde denunciandum quoque eſſe, qui non pro ſe, ſed pro alia perſona pœnitentem incitaverit, ſeu ad turpia provocaverit, ut in Conſt. num. 2. expreſſum eſt.

Tertia. *In actu Sacramentalis confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt.*

Qui eo temporis ſpatio ad turpia provocet, quod inter confeſſionis initium, & abſolutionem intercedit, is ſolicitare dicitur in actu confeſſionis. At quid ſit ſolicitare, vel immediate ante, aut immediate poſt confeſſionem, non convenit inter Auctores, ut videre eſt apud Cozzam dub. 21. pag. 95. communior autem opinio, quæ meo judicio, vera eſt, atque fini legis omnino conſentanea, aſſerit vocabulum iſtud *immediate*, non pro phyſico, ſed pro morali ſignificato eſſe uſurpandum; ſcilicet, non pro momento, quod nullo interjecto medio, vel præcedit, vel ſubſequitur confeſſionem; ſed pro brevi illo temporis ſpatio, in quo ſi quidpiam fiat, attentis circumſtantiis, ſecundum communem loquendi modum, ac prudentum judicium, ſive immediate ante, vel immediate poſt confeſſionem facta dicatur. Quare, qui mulierem, petentem confeſſionem, ſive ad confeſſionem paratam, & quam paulo poſt ad confeſſionem acceſſuram noverit, ad inhoneſta incitaret, is immediate ante confeſſionem ſolicitare diceretur, licet breve temporis intervallum provocantem actionem, confeſſionemque intercederet. Atque eandem ob cauſam, immediate poſt confeſſionem ſolicitare diceretur, qui vel illico poſt abſolutionem, vel in Eccleſia, cum primum e confeſſionali egreditur, mulierem

Digitized by Google

lierem ad turpia provocaret, ſive chartam ei traderet ad venerem incitantem, domi legendam. Imo communior opinio eſt, hac quoque lege comprehendi, qui pœnitentem deinceps ſequatur, eamque, vel in itinere, aut domi ſolicitet: is enim ſecundum prudentum judicium, ſtatim poſt confeſſionem ſolicitaſſe diceretur; quia cum primum potuit, præconceptum in confeſſione de ſolicitando deſiderium executioni demandavit: ſed indicati caſus clarius comprehenduntur ſub regula, quam ſubjicimus

Quarta. *Vel occaſione, aut prætextu confeſſionis.*

Occaſio, & prætextus duo hic exprimunt, quæ ſunt invicem diſtincta, atque omnino diverſa: nam confeſſionis occaſione ſolicitare, eſt ex confeſſione provocandi motivum ſumere; prætextu vero confeſſionis ſolicitat, qui confeſſionem prætexit, ſive fingit, ac ſimulat, ut liberius, vel inhoneſta tradtet, vel advenerem incitet. Occaſione confeſſionis tribus modis confeſſarius ſolicitare poſſe videtur. Primo, dum exexpreſſa, aut tacita confeſſionis petitione ſolicitandi motivum ſumit; tum enim medicinam petenti, venenum, atque panem expectanti ſcorpionem porrigit, juxta Conſt. allegoriaa; atque veneratione, demiſſione animi, confidentia, aliiſque pœnitentis affectibus erga Sacramentum, ac Chriſti miniſtrum, abutitur, quo facilius ad inhoneſta incitet, adeoque denunciandus eſt. *Secundo* ex confeſſione ipſa, hoc eſt, dum intelligendo, quæ cum aliis egit, vel facere optavit, aut ad venerem proclivitatem occaſionem nanciſcitur, vel verbis, vel ſignis ad inhoneſta provocandi. Tertio demum, cum notitia utitur, quam ex confeſſione habuit, ad incitandum, & facilius movendum ad aſſenſum; ab hac enim notitia motum ad ſolicitandum manifeſtum eſt, ex ipſa confeſſione, incitandi occaſionem deſumere.

Sed, ut pœnitens hanc ob cauſam denunciare teneatur, habeat neceſſe eſt certa indicia, quibus prudenter judicare poſſit, ea hujuſmodi ſcientia ſolicitandi motivum accepiſſe: nam ſi indicia hujuſmodi deſint, præſumi poteſt, aliis ex cauſis motum fuiſſe ad ſolicitandum; ſuppetunt vero pœnitenti hujuſmodi indicia, ſi confeſſarius brevi poſt confeſſionem tempore pœnitentem ſolicitet, veluti perſonam, quæ facile acquieſcere ſoleat, vel natura ad hujuſmodi actus propenſa ſit, & ſi aut generalibus verbis, aut nutibus in ſolicitando utitur, quibus indicare videatur, ſe ſcire, vel quid cum aliis egerit, vel quam alias ad hæc propenſa fuerit, aut quidpiam iis ſimile, quod ex confeſſione noverit =.

Notandum hic eſt, ex praxi Tribunalis Univerſalis Inquiſitionis non intelligi, *immediate poſt* confeſſarium ſolicitaſſe, ſi poſt integrum tranſactum diem tractatus, aut actus inhoneſtos habuerit cum pœnitente, dummodo nullo modo in confeſſione pravum ſuum animum indicaverit, cum tunc verificari non videatur illa particula: *immediate poſt*.

Quinta. *Vel etiam extra occaſionem confeſſionis in confeſſionali.*

Hac regula ii deſignantur, qui denunciandi ſunt ratione loci, in quo ad inhoneſta aliquem provocent: ſcilicet ii, qui in loco deſtinato ad ſacri pœnitentiæ miniſterii exercitium, & ad abſolvendos fideles a peccatis, etiam extra quamcunque confeſſionis occaſionem, & ſimulationem, ad turpia ſolicitant, vel inhoneſta tractant. Conſtat id primum ex decreto ſupremæ Inquiſitionis ſub Paulo V. quod una cum aliis a SS. D. N. Bened. XIV. approbatum, & confirmatum fuit; deinde ex eo, quod finis legis videatur hujuſmodi pœnis Sacerdotes ſubjicere, quia in loco, ex quo fideles ſolutionem a culpis, ac animæ ſalutem quærant, novis culpis ligare, atque in perditionem, & mortem æternam ducere ſtudent =.

Quod hic traditur pro quinta regula, & infra, non ſemel repetitur a Clariſs. Patre a Carboneano, nolim adeo certum reputes, ut ſententiam, quæ oppoſitum docet, deſtitutam exiſtimes ſolida probabilitate; ſuprema namque Univerſalis Romanæ Inquiſitionis Congregatio ad hoc dubium XV. *An ſit denunciandus confeſſarius, qui ſedens in confeſſionario ſollicitat mulierem ſtantem ante confeſſionarium, non ſimulando confeſſionem*, die 11. Febr. 1661. reſpondit: *Cenſuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate*, ut ex dubiis, ac reſolutionibus ejuſdem Congregationis, per extenſum ſupra relatis pag. 633. fit manifeſtum. Porro ſi ſententia opinioni P. Carboneani oppoſita, eſt vere probabilis, profecto illa talis Auctoris probabilitatis limites non excedit, ideoque firmare nequit regulam certam. Neque putes probabilitatem a ſuprema Congreg. aſſertam opinioni præfatæ, eſſe probabilitatem utcumque, ac levem. Fallitur enim quicunque id auſit aſſerere; nam in rebus momentoſis, practicis, ac ad eum finem propoſitis, ut quiſque ſciat, quonam modo in tali, vel tali circumſtantia tuto in praxi ſe gerere poſſit, ac debeat; S. Congregatio prædicta in ſuis reſponſis levem ſententiarum probabilitatem non curat, ſolidamque tantum, ac in praxi tutam, ubi de veritate certo non conſtat, probabilitatem attendit; ut non obſcure colligitur ex aliis ejuſdem reſponſis, tum ipſa eadem die, cum alias datis his, vel æquivalentibus verbis: *Cenſuerunt, talem opinionem non eſſe probabilem*, etſi levis probabilitas quandoque eidem conveniat. Accedit, quod reſponſum Supremæ a me ſupra allegatum, eſt unum ex decretis, expreſſe approbatis, & confirmatis (quod non invenio de decreto edito ſub Paulo V. cui P. Carboneanus adeo innititur) a Benedicto Papa XIV, in Conſtit. *Sacramentum Pœnitentiæ*. Jam vero eſt credibile, quod ea occaſione, qua doctiſſimus Pontifex rem ſerio perpenderat, id feciſſet quoad tale reſponſum, ſi hoc defectu levis probabilitatis laboraſſet? Certe quod non, maxime cum agatur de approbatione, & confirmatione per Conſtitutionem. Aſſerta ergo in eo probabilitas vere ſolida eſt, ac tuto reducibilis ad praxim; ideoque approbatum fuit, & confirmatum.

At inquies tali occaſione approbatum quoque fuit, & confirmatum reſponſum ad IV. cujus petitio erat: *An confeſſarius, qui fœminæ in confeſſionario dicenti ſe velle in craſtinum confiteri, illam ſolicitat, & confeſſionem diſſuadet, ſit denunciandus?* cui Suprema reſpondit: *Si ſolicitatio fiat extra locum confeſſionis, & abſque prætextu confeſſionis; cenſuerunt negativam opinionem eſſe probabilem. ſecus in confeſſionario, ſeu in loco confeſſionis*; ubi ex ſecunda reſponſionis parte liquet, quod, ut confeſſarius ſit denunciandus, ſatis eſt, quod ipſe ſolicitaverit in confeſſionario, ſeu in loco confeſſionis, Propterea

pterea cum huic conſonum ſit decretum editum ſub Paulo V. non abs re dicitur illud in hoc approbatum fuiſſe, & confirmatum a Benedicto XIV.

Verum qui ita diſſerit, doctrinam non habet P. Carboneani: quia enim hic optime perceperat ſenſum hujus reſponſi, hoc ne quidem tetigit, ſed editum tantum ſub Paulo V. allegavit, & ſcite: correſpondet enim interrogationi de ſolicitatione fœminæ, in confeſſionario pariter exiſtentis, ſeu confeſſionem ſimulantis, ut clare patet ex illis verbis: *qui fœmina in confeſſionario dicenti ſe velle in craſtinum confiteri, illam ſolicitat &c.* Cui propterea correſpondens reſponſio fuit, quod ſi ſolicitatio talis fœminæ fiat, ea adhuc exiſtente in confeſſionario, ſeu in loco confeſſionis, tunc confeſſarius eſt denunciandus; quod nec ego inficior, cum in iſto caſu non exiſtat in confeſſionali ſolus confeſſarius, verum etiam fœmina ſolicitata. Si vero fiat, ea extante extra locum confeſſionarii, & abſque prætextu confeſſionis, tunc inquit Suprema, opinio negativa eſt probabilis; prout poſtea ad XV. reſpondit, negativam opinionem eſſe probabilem, etiamſi confeſſarius ſede & in confeſſionario, dummodo non ſimuletur confeſſio, quod eſt id, quod contra P. Carboneanum & ego aſſero.

Idque eo libentius ſolide probabile affirmo, quia Benedictus XIV. quando adhuc erat tantum Cardinalis, ac Bononiæ Archiepiſcopus, etiam decretum editum ſub Paulo V. procedere dicebat in caſu, quo ſimuletur confeſſio; ideo enim prodiit, quia relatum fuerat, quod *multi confeſſarii tractant de rebus inhoneſtis cum mulieribus in confeſſionali extra occaſionem confeſſionis*, *ubi ly tractant cum mulieribus in confeſſionali*, ſatis deſignat coexiſtentiam mulierum in tali loco: & de facto tale decretum excludit quidem *occaſionem*, ſed non *ſimulationem* confeſſionis; & quando a Suprema ſimul excluſa fuit etiam ſimulatio, ut in reſponſo ad præfatum dubium XV. tunc expreſſe reſpondit, *opinionem negativam eſſe probabilem*. Item conſtanter ajebat, etiam clauſulam illam Bullæ Gregorianæ, *Sive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario*, eſſe intelligendam copulative, ac connexive ad eam; *ſimulantes ibidem confeſſiones audire*; ut pro certo teſtificari adhuc poſſunt plures, qui eo tempore Examinatoris munere fungebantur Bononiæ. Quid plus ergo deſiderandum pro aſſerenda ſolida probabilitate hujus ſententiæ: præcipue cum ſic concordentur omnia ſupremæ Congregationis decreta cum præfato reſponſo ejuſdem ad dubium XV.

Me non latet diverſa utriuſque expoſitio, & intelligentia Fautorum opinionis contrariæ, dicentium ſufficere exiſtentiam in confeſſionario ſolius confeſſarii ſolicitantis, 1. quia mens Pontificum in hac materia ſolicitationis ſemper fuit Inquiſitorum facultates ampliare, ac dilatare. Unde per ly *extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario*, inquiunt eoſdem Pontifices habuiſſe reſpectum, non ad confeſſionem, quam expreſſe excluſerunt per eas particulas *extra occaſionem confeſſionis*, ſed ad injuriam loci, utpote ad tribunal ordinarium ſacramentalis judicii; ideoque pro onere denunciandi non eſt neceſſe, quod intervenerit confeſſionis ſimulatio, ſed ſatis eſt, quod per confeſſarium ſolicitantem illata fuerit injuria ipſimet loco, quod verificatur ſemel ac ipſe ſolicitavit exiſtens in confeſſionario, 2. Quia ſubſequens particula *aut* disjungit caſus, eoſque diſtinguit. Ex quo fit quod cum ly *ſimulantes* ſit terminus reſtrictivus, afficit quidem caſum proximum *aut in loco quocunque, ubi confeſſiones audiantur*; non vero antecedentem de confeſſionario, reſpicitque confeſſionem ipſam, non locum, proindeque in iſto caſu requiritur ſimulatio.

Attamen utrumque hoc fundamentum facile diſſolvitur, dicendo quantum ad 1 gratis omnino ſupponi, quod ampliatio, ac dilatatio dictarum facultatum ad id facta fuerit cum ſolo reſpectu ad locum confeſſionum, nullibi enim hoc expreſſere Pontifices; quæque ſtatuerunt ad rem præſentem, non excludunt ſimulationem confeſſionis, imo ſi eorum expreſſiones naturaliter accipiantur, ac intelligantur, eandem involvunt, ut jam ſupra dictum eſt: & ſi attentius Conſtitutio Gregoriana, ac etiam Benedictina legantur, aperte apparebit in quo conſiſtat ampliatio earundem, quod hic eſt ſuperfluum repetere, cum ſatis alibi exprimatur. Addo quidem etiam locum electum ad ibi confeſſiones audiendas, ſtatim fieri tribunal ſacramentale per aliquam confeſſionem ibi exceptam, & tamen etiam per adverſarios ſolicitatio facta a confeſſario in dicto tribunali abſque confeſeſſione, ſaltem ſimulata, non inducit obligationem ipſum denunciandi: ergo a pari. Ad 2. quod attinet, dico, quod ſicut particula *aut* disjungit, ac diſtinguit a caſu antecedenti ly *in loco quocunque &c.* ita ſubſequens particula *ſeu* pariter diſtinguit caſum loci electi ad ibi confeſſionem audiendam a præcedenti caſu loci cujuſque ad confeſſiones audiendas deputati; ac proinde, ſi ly *ſimulantes*, ex quo ſit terminus reſtrictivus, afficit ſolum caſum proximum, hinc fit, quod afficere non debeat ly *aut in loco quocunque &c.* ſed ly *ſeu ad confeſſionem electo*: alius enim eſt locus quicunque ad confeſſiones audiendas deputatus, & alius locus electus ad confeſſionem, vel confeſſiones audiendas. Atqui, non obſtante dicti termini reſtrictivitate, ly *ſimulantes* per adverſarios extenditur etiam ad ly *aut in alio quocunque &c.* ergo non afficit ſolum caſum proximum, & ſic, cum hactenus nulla adducta ſit ratio, quæ re vera probet, ipſum non poſſe extendi ad ly *extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario*. hujuſmodi extenſionem permittant eandem admittentibus cum adducto fundamento ſolide probabili, vallato quoque communi ea regula legali: *Clauſulæ ultimo loco poſita ad omnia antecedentia connexa referuntur*: quam amplexata eſt etiam *Rota Romana*, *ut ex compend. Recen. deciſ. ejuſdem tom. 6. verb. Clauſula ultimo loco poſita*, fit manifeſtum.

Sexta. *Sive in alio loco, ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem.*

Tria locorum genera diſtinguntur, in quibus confeſſiones audiri ſolent. Primus, inquit Felix Poteſtat. tom. II. pag. 3. cap. 9. eſt confeſſionale ordinarium, quod confici ſolet ex ligno, habens laminam ferream cum parvis foraminibus, quodque in Eccleſia collocatur. Atque hujuſmodi eſt, quod in ſuperiori regula indicatur. Secundus eſt locus quicunque ab illo diſtinctus, ubi confeſſiones audiuntur; tales ſunt in domibus religioſis cellulæ quædam in primo clauſtro, aut in ſacriſtia, atque hujuſmodi confeſſionis locum deſignari, ait, verbis illis, *ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato*. At ſi in hujuſmo-

Digitized by Google

juſmodi cellulis confeſsionale, ut ſupra dictum eſt, conſtructum adſit, quod formam habeat tribunalis ordinarii ſacramentalis judicii, tunc ad locum prioris generis pertinebit; ac ſolicitans, ſola loci circumſtantis inſpecta, denunciandus erit. Tertius locus eſt, quem confeſſarius ad confeſsionem audiendam pro ſuo arbitrio eligit; ita poteſt eſſe in Eccleſia, in foro, in domo, in agro, ubique, atque hunc ſolum deſignant illa verba, *ad confeſsiones audiendas electo*.

Qui in prioris generis loco ſolicitant, ſunt juxta quintam regulam denunciandi: qui vero in locis ſecundi, & tertii generis, quæ loca deſtinata, aut electa dicuntur ad confeſsionem, ſolicitaverint, tunc tantum ſunt denunciandi, cum vel confeſsiones audiunt, aut audire ſimulant. Hinc confeſſarius e confeſsionali provocans mulierem, vel ante ſedentem, vel tranſeuntem, vel rem aliquam indifferentem ſecum tractantem, aut cum ea inhoneſtos ibi ſermones habens, denunciandus eſſet; non vero, ſi extra occaſionem confeſsionis, vel ejuſdem ſimulationis in loco ſecundi, & tertii generis eadem, vel ſimilia ageret.

Septima. *Ad inhoneſta, & turpia, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, tunc, aut poſtea legendam, tentaverint.*

Quamquam omnia peccata inhoneſta ſunt, & turpia, quod in unoquoque finis honeſtus deſideretur, ac turpitudo illa inſit, quæ deformitate ad regulam morum continetur; tamen juxta communem loquendi modum, cum inhoneſta, & turpia dicimus, venereos actus indicamus. Atque hoc ſenſu inhoneſta, & turpia in Pontificiis Conſtitutionibus uſurpantur, ut cum Theologi omnes fatentur, tum etiam conſtat ex eo, quod hujuſmodi peccata legibus, pœniſque illis ſtatuendis motivum dederint: atque demum ex ipſa Inquiſitionis praxi. Igitur harumce legum virtute denunciandi non ſunt, ad furtum, vel alia facinora pœnitentes provocantes. At ob Sacramenti abuſum, atque hæreſeos ſuſpicionem, ii quoque legibus in hæreſeos ſuſpectos latis, Inquiſitorum judicio ſubjiciuntur; quamobrem Auctores bene multi denunciandos eſſe tuentur, licet non denunciantes pœnas in hac Conſtit. ſtabilitas non ſubeant.

Aliis Conſtitutionum particulis indicatur, denunciandos eſſe, qui provocant, incitant, ſive alliciunt verbis, aut ſignis &c. quæ vel ex ſe, aut ex loci conſuetudine, ſive ad venereum conciliandum amorem, ſive ad venereos actus inducant, *Signa ſunt*, inquit Felix Poteſt. cap. 4. *oſcula, tactus impudici, etiam ſui ipſius confeſſarii, tactus manus pœnitentis ſine cauſa, miſsio oſculi manibus, ſtudioſa compreſsio pedis, aut oculi, & ſimilia ſigna amatoria, quibus amantes uti ſoleant ad invitandum, aut alliciendum aliquam perſonam ad ſui amorem. Quod eſt verum, etiamſi ſolicitatio fiat per ſigna venialiter inhoneſta, nempe leviter indicativa amoris laſcivi: quia licet tales actus ſint ex ſe leves, ex circumſtantia tamen Sacramenti, cum quo ſunt conjuncti, ſunt graves, & mortales.*

Literæ quoque amatoriæ, traditæ etiam, ut domi legantur, ſufficiens denunciandi motivum præbent, ut verbis Conſtit. liquet; ſufficit autem literas hujuſmodi tales eſſe, quæ ad prophanum amorem alliciant.

Octava. *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerariis auſu habuerint.*

Quemadmodum ſuperioribus verbis eos denunciandos eſſe præcipitur, qui vel in actu ſacramentalis confeſsionis, vel ante, aut immediate poſt, ſive in confeſsionali extra occaſionem confeſsionis, vel alio in loco confeſsionem ſimulando, ſolicitare, & provocare tentaverint; ita hac regula denunciandos eſſe præſcribitur, qui in iiſdem circumſtantiis cum pœnitentibus, ſive cum iis, quibus cum confeſsionem ſimulaverint, illicitos, & inhoneſtos ſermones, aut tractatus habuerint. Ex quo apparet, non ſolum eos denunciare oportere, qui illicitis, inhoneſtiſque ſermonibus, ac tractatibus ad turpia ſolicitaverint, ſeu provocare tentaverint; ſed etiam illos, qui vel turpia verba proferant, vel illicitos, aut caſtitati contrarios ſermones habeant, ſive de rebus tractent, quæ vel turpes ſint, aut pudori, honeſtatique adverſentur; licet hujuſmodi verbis, aut tractatibus nec ſolicitare, ſeu provocare contendant, nec ex parte pœnitentis ſolicitatio, & provocatio ſequatur ulla. Rem ita oſtendit Poteſt *cit. tom. III. cap. II. Sub his verbis comprehenduntur etiam ſermones inhoneſti ſine provocatione, nam hæc clauſula eſt diſtincta a priori*, ſolicitare, vel provocare tentaverint, *& additur disjunctiva*, aut, *quod non eſſet verum, imò clauſula hæc eſſet ſuperflua, ſi ſolum comprehenderet ſermones inhoneſtos cum provocatione.*

Nona. *Denunciare oportet, etiamſi ſolicitatio inter confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit.*

Cum mutua ſolicitatio ſit, ſive a pœnitente incipiat, ſive a confeſſario, ut eſt manifeſtum, ex hac regula clare deducitur, falſam, & improbatam omnino eſſe ab Apoſtolica Sede illorum opinionem, qui denunciandum non eſſe tuentur confeſſarium ſolicitanti fœminæ conſentientem.

Decima. *Sive ſolicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit.*

Horum verborum ſenſus, atque regulæ hujuſmodi uſus ex ſupradictis abunde patet. Hic vero in memoriam revocandum eſt Supremæ Inquiſitionis decretum Nota 2. indicatum, quo decernitur, pœnitentem teneri ad denunciandum, non vero ad aperiendum præſtitum ſolicitationi conſenſum; ac decretum aliud ejuſdem Congregationis ſub die 27. Januarii 1613. *ubi decretum fuiſſe volunt nonnulli*, inquit Cozza pag 91. *quod confeſſarius, qui mulierem pœnitentem ante ejus pedes ſigno crucis munitam ſolicitat, dicens ei, nolle ei ſuam confeſsionem audire pro tunc, ut commodius ſolicitet, ſit denunciandus.*

Undecima. *Vel longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam effluxerit.*

Non ſolum hic illorum proſcribitur opinio, qui contendunt, poſt triennium denunciandi obligationem ceſſare; ſed innuitur etiam tamdiù in pœnitente denun-

Digitized by Google

nunciandi onus manere, quoaduſque ſatisfecerit. Imo & eos quoque denunciare debere, qui vel ob ignorationem legis de denunciandis ſolicitationibus, vel, quod non illico ob ſimplicitatem ſolicitationis verba, aut nutus intellexerint, nonniſi poſt longum tempus agnoſcunt, aut teneri ad denuciandum, vel ſolicitatos fuiſſe.

Duodecima. *Aut ſolicitatio a confeſſario non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit.*

Regula ex iis, quæ ſupra ſunt explicata, clara eſt. Addimus autem hæc alia verba, quæ in Gregoriana Conſtitutione habentur = *Qui ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis perpetranda ſolicitaverint* = ut confeſſarii intelligant, denunciandos eſſe ſolicitantes cum pro ſe ipſis, tum pro aliis perſonis, tum etiam per alias perſonas.

☞ Additio horum verborum = *Ut exinde confeſſarii intelligant denunciandos eſſe ſolicitantes etiam per alias perſonas* = videtur male facta; hoc enim non eruitur ex talibus verbis Bullæ Gregorianæ & Suprema Congreg. Romana ſic generaliter interrogata Dubio 7. An mandans confeſſario, ut in confeſſione ſolicitet, ſit denunciandus? die 11. Febr. 1661. reſpondit: *Cenſuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate*; ut videri poteſt in præfata Reſolutione pag. 633.

Melius propterea exponendum hoc eſt, nimirum id valere de confeſſario, qui vere, vel ſimulate confitente utatur ad aliquam perſonam pro ſe, vel pro alio ſolicitandam; vel ei hoc dicat immediate ante, vel immediate poſt, & tunc in rigore eſt denunciandus, non vigore dictorum verborum, ſed quia turpia, ac inhoneſta tractavit, ſi mavis rem ad eam regulam deducere: *Qui per aliam facit, per ſe ipſum facere videtur.* ☜

= His præmiſſis, monentur confeſſarii, *ut caveant diligenter, ac pænitentibus, quos noverint jam ab alio ſolicitatos, ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.*

Ex iis manifeſtum eſt, omnes pœnitentes gravi præcepto obligatos eſſe ad denunciandos ſolicitantes confeſſarios, nec ſine gravi culpa id omittere poſſe: agitur enim de re gravi, cujuſmodi eſt Sacramenti abuſus, ac de crimine, quod præ ſe ſuſpicionem fert hæreſeos.

Neque ſolum pœnitens, ſed ii quoque, qui vel ſolicitantem confeſſarium caſu viderunt, vel audierunt, vel immediate aut ab ipſo ſolicitante confeſſario, ſive ex ſolicitato pœnitente ſolicitationis ſcientiam habuerunt. Id univerſim Theologi oſtendunt, ex eo, quod hujuſmodi confeſſarii ſint hæreſeos ſuſpecti, quodque teſtes quoque de immediato auditu, per Inquiſitionis Edicta ſuſpectos de hæreſi denunciare præcipiantur.

Quæſtio dumtaxat eſt, num denunciare teneatur, qui idem ex levibus, ac ſuſpectis perſonis audierit? Tutior vero, & communior opinio eſt, hos quoque denunciare debere; quia in cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus admittuntur etiam teſtes inhabiles, excommunicati, perjurii, infames &c. nec privati eſt, ſed Inquiſitoris inveſtigare, & decernere, num perſona, ex qua audita fuit facta a confeſſario ſolicitatio, fide ſit digna. Cujus quidem rei ratio eſt, quod hæreſeos, aut hæreſeos ſuſpicionis crimen ita chriſtianæ reipublicæ pernicioſum ſit, ut ad illud extirpandum omnia adhibere oporteat media, atque adeo cujuſcunque generis teſtes. Ad cohibendum vero hac in re calumniatores, Sanctiſſimus D. N. Bened. XIV. in ſuperiori Conſtit. num. 3. pœnas in calumniatores, ſive falſos delatores conſtituit, ut ibi legere eſt. =

☞ Cautius tamen procedendum crederem in firmanda obligatione denunciandi ob auditum ex levibus ac ſuſpectis perſonis. Si enim Inq. Supr. ad hoc Dub. XIV. relat. p. 633. *An quis teneatur denunciare confeſſarium ſolicitantem, ſi hoc audivit non ſolum a fide dignis, ſed a levibus perſonis?* die 11. Februar. 1661. reſpondit: *Cenſuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate*; itaque omnia reſponſa approbata fuere, & confirmata per Bullam, *Sacramentum Pænitentiæ* a Benedicto XIV. idemque docent tot alii, & quidem præclari DD. profecto non video, qua ratione communior, & quodammodo plauſibilior venditetur opinio eandem obligationem imponens, cum præciſe quis id audivit a levibus, ac ſuſpectis perſonis. ☜

= Igitur omnes pœnitentes, vel ex pœnitentibus audientes, ſolicitantem confeſſarium denunciare tenentur; idque etiamſi delictum occultum ſit, ac ſolicitans vir bonæ famæ, ex decreto Alex. VII. die 24. Septembris 1665. & etiam ſi ſciat ſub ſigillo naturali, jurejurando quoque confirmato; quia hoc ad privatum bonum, denunciatio vero hujus criminis ad publicum reipublicæ chriſtianæ bonum ſpectat; ac publicum bonum privato anteponendum eſt, neque juramentum de re mala tenet, ut ex Bord argumentatur Felix Poteſt. cap. 12.

Perſona ſolicitata tenetur per ſe ipſam denunciare, quia hæc obligatio eſt perſonalis; et ſi per alium denunciaret, denunciatio eſſet ex auditu alterius. Qui per epiſtolam denunciant, niſi ſubſcribant proprium nomen, & cognomen, non ſatisfaciunt, ac ſunt deinceps ab Inquiſitore vocandi, ut iterum juridice deponant.

Si mulieres nobiles ſint, aut puellæ, quæ denunciare debeant, ac vereantur ad Inquiſitionis tribunal accedere, monere debent per internuncium Inquiſitorem, ut domum Notarium mittat ad ſuſcipiendam denunciationem. Aptior vero internuncius eſt confeſſarius, cui Inquiſitor de ſolicitatione jam monitus, committere poteſt, ut recipiat in ſcriptis juramento firmatam denunciationem, ex decreto Inquiſit. Rom. juſſu Urbani VIII. 27. Sept. 1624. Qui quidem modus ſervari maxime debet in recipienda monialis denunciatione, ne res aliis monialibus manifeſtetur. Reliqua patent ex ipſa Conſt. in qua pœnæ quoque in delinquentes ſtatutæ leguntur.

Nota. Qui in partibus ſchiſmaticorum, hæreticorum, & mahumetanorum degunt, licet ſubjecti ſint Conſtitutionibus contra ſolicitantes, tamen in iis locorum circumſtantiis, in quibus nulla ſpes adſit punitionis denunciati, atque mulieres ſine periculo, & infamia denunciare nequeant, denunciatos vero facile pœnam declinare poſſe credatur, recurrendo, vel ad Epiſcopos ſchiſmaticos, vel ad laicos judices infide-

Digitized by Google

fidelea, ex decreto Sac. Cong. S.Officii die 21.Febr. 1630. atteotis ſupradictis cauſis, abſolvendi ſunt, & liberandi ab hujuſmodi onere denunciandi; moneri tamen debeot, ut *ceſſantibus ſupranarratis periculis, & impedimentis, teneantur denunciare* =.

Præter reſolutiones, ſeu decreta circa ſolicitationem ſuperius jam relata, attendenda etiam ſunt ſequentia, excerpta ab eodem Carboneano ex dubiis ſelectia Laurentii Cozzæ, olim S.Univerſalis Inquiſitionis Conſultoris, quæ refert loc. cit. pag. 241.

I. Paulum V. ſub die 19. Novembria 1612. declaraſſe, quod etiam ex vi Conſtitutionis Pii IV. comprehendi ſollcitatoa maſculoa.

II. Quod a Congr. Uolverſalis Inquiſitionis ſub die 25.Julii 1624.declaratum fuerit, mulierem, qui ſolicitanti Sacerdoti conſenſerit, non teneri in denunciatione conſenſum a ſe præſtitum manifeſtare: teneri tamen denunciare, etiamſi ipſa prius ſolicitaverit, & ad conſenſum traxerit confeſſarium.

III. Sub die 17. Novembris 1624. deciſum fuiſſe, confeſſarios ſolicitantes non eſſe cogendos ad denunciandum ſe ipſos.

IV. Refert Carboneanus decretum Pauli V. quo ſub die 10. Julii 1614. declaravit, ut procedatur in S. Officio contra confeſſarios tractantes cum mulieribus in confeſſionali de rebus inhoneſtis, etiam extra occaſionem confeſſionia.

V. Decretum Alexandri VII. ſub die 8. Julii 1660. quo declaratur, teneri pœnitentem denunciare, etiamſi nulla fraterna correctio præmiſſa fuerit, vel alia monitio.

VI. Decretum Univerſalis Inquiſitionis editum 26. Julii 1628. quo definitum fuit, mulierem ſolicitatam teneri ad denunciationem, etiamſi ſciret, ſolicitantem ſponte comparuiſſe.

VII. Decretum, quo die 22. Januarii 1727. S. Congr. S. Officii reſpondeoa dubiis propoſitis a P. Carolo Joſepho Spediæ, Præfecto Miſſionum in America, declaravit, mulieres ſolicitataa non ſe teneri ad deounciationem, ſi miniſtri Inquiſitionis, & Vicarii Epiſcopi in longinquia regionibus degentea, ſioe gravi incommodo adiri nequeant, obſervanda tamen ſunt dicta ſupra §. *Nota qui*.

VIII. Decretum, quo eadem S. Congr. die 11. Maii 1707. declaravit, puellam ſolicitatam in ſimplicitate conſtitutam, & abſque notitia inhoneſtatia, teneri denunciare confeſſarium ſolicitantem, poſtquam compos effecta fuerit, & notitiam præteritæ ſolicitationis acquiſiverit.

Subnectitur tandem decretum Bened. XIV. quo approbantur pœnæ contra ſolicitantes, tenoris, ut ſequitur.

Feria 5. die 5. Auguſti 1745.

In generali Congr. Sac. Romanæ, & Univerſalia Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram SS. D. N. Bened. Divina Providentia Papa XIV. & Eminentiſſ. ac Reverend. DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus generalibus, a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis: Sanctiſſimus D. N. ſolicite animadvertens, quam grave ſit delictum illorum perditorum hominum, qui ſacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, ac ſalutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad animarum reparationem a Chriſto Domino inſtitutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in poſterum Sacerdotes tam ſeculares, quam Regulares cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, Congregationis, & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, vel in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive illius occaſione, aut prætextu ad turpia ſolicitantes, vel Sacrificio Miſſæ abutentes ad ſortilegia, præter pœnas a jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſignanter ſan. mem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eoſdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem, quodque ejuſmodi decretum ſignificetur ſingulia cujuſcunque Ordinis Superioribus, ac Præpoſitia, ad hoc, ut de illo, ſicuti & de prædictis, aliiſque Summorum Pontificum Conſtitutionibus, juxta præſcriptum in generali decreto ſupremæ Inquiſitionis die 15. Decemb. 1633. ſemel ſaltem in anno, ideſt feria ſexta poſt octavam Aſſumptionis B. M. Virginis in publica menſa, vel in capitulo, ad hoc ſpecialiter convocato: ac inſuper in quocumque generali, vel provinciali capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congreſſu, ſuos ſubditos, ac Religioſos commonendos curent, ejuſdemque commonitionis coram ſuprema Congregatione juratum teſtimonium exhibeant.

Nota tranſcriptas omnea Conſtitutionea, editaa contra ſolicitantes in confeſſione, in ſingulas nationes univerſim vires ſuas extendere, ac latinos æque ac Græcos ſua amplitudine comprehendere, declaravit idem Bened. XIV. Conſtit. *Etſi paſtoralis 26. Maii* 1742. §. *IX. num.* 5.

Circa tamen abſolutionem dandam, vel denegandam ſolicitatis io partibua Schiſmaticorum, hæreticorum, & mahumetanorum degentibua, & non denunciantibus, recolenda ſunt dicta ſupra pag. 640. §. *Nota qui*, & decretum ſub die 22. Jan. 1727. hic relatum oum. VII.

SUBNECTUNTUR VARIÆ INSTRUCTIONES

Circa denunciationes faciendas, & reſpective recipiendas in materia ſolicitationis, prout referuntur in Appendice Synodi diœceſanæ Civitatis Caſtellanæ, celebratæ a Sanĉte Lanucci anno 1756.

XV.

Iſtruzione della Sagra Congregazione del S. Officio per le denunzie de' Penitenti ſollecitati nella confeſſione, ſenza manifeſtare il proprio conſenſo.

REv. P. doppo eſſerſi avuta lunga, e matura conſiderazione ſopra il dubbio ſignificato da diverſe bande, ſe i penitenti ſiano obbligati a denunziare i Confeſſori, da quali ſono ſtati ſollecitati nel luogo, ed atto della confeſſione, quando anno acconſentito alla ſollecitazione. N S. e queſti miei Signori Eminentiſſimi in Congregaaione tenuta avanti ſua Santita ai 25. di Luglio paſſato, dopo aver anco inteſo il parere d' una particolar Congregazione deputata a queil' effetto, hanno riſoluto, che qualſivoglia penitente è tenuto a denunziare il Confeſſore, dal quale ſarà ſtato ſollecitato nel luogo, ed atto della confeſſione, ancorche egli abbia conſentito, e non è tenuto a propalare il proprio conſenſo, ne ſopra ciò s' interroghi dal Veſcovo, ò dall' Inquiſitore, ò da loro Vicarj, avanti i quali deporrà: ne meno il Confeſſore denunziato, procedendoſi poi contro di lui nei coſtituti, che ſe gli faranno, s' interroghi ſopra detto conſenſo, ed in caſo ch' egli voleſſe dirlo da ſe, non ſi ſcriva il ſuo detto, come coſa in ordine alla perſona ſollecitata, non ſpettante all' Sant' Offizio della S. Inquiſiaione. Le parti dunque di V. R. ſono di ſignificar a' Confeſſori detta riſoluzione, e d' incaricargliene ſtrettamente l' oſſervanaa, acciò ne caſi, che occorrono alla giornata, conforme al tenore della Coſtituaione pubblicata da Gregorio XV. di ſan. mem. contro i Confeſſori ſollecitanti, ſignifichino ai penitenti l' obbligo, che hanno di denunziare i Confeſſori, da quali ſaranno ſtati ſollecitati; ed avendovi conſentito, e facendo difficoltà di ſcoprire il proprio conſenſo, conforme alla riſoluaione, che ſi è fatta, gli dicano apertamente, che non ſono tenuti a propalare il proprio conſenſo, e che tanto i penitenti, quanto i Confeſſori ſollecitanti, procedendoſi contro di loro, non ſaranno di ciò interrogati, e dicendolo da ſe, non ſi ſcriverà il detto loro. E quando il penitente perſiſte tuttavia nella medeſima renitenaa. N. S. ſi contenta, che dal Veſcovo, ò dall' Inquiſitore ſi dia autorità al Confeſſore di ricevere per ſcrittura, e con giuramento la denunzia, per portarla à chi gli averà data autorità di pigliarla. E ſe oltre le coſe ſudette occorrerà altro caſo grave, per il quale il penitente non ſi poſſa indurre, ſua Santità vole, che ſe ne ſcriva, e ſi aſpetti la riſpoſta, ed in tanto non ſi proceda all' aſſoluzione. E tanto V R. ſi contenterà di far oſſervare nella ſua giurisdizione, facendo regiſtrare la preſente negli atti di coteſto S. Offizio per informaaione ſua, e de ſuoi Succeſſori, quali averanno mira, che la preſente riſoluzione riſguarda ſolo quei penitenti, che per avere conſentito, fanno difficoltà in denunaiare: ma quei, che non hanno conſentito, ò avendo conſentito, non ſono in ciò renitenti, il Confeſſore non deve porre difficoltà alcuna, ma laſciare, che indifferentemente, e liberamente ſodisfacciano all'obbligo, che hanno di denunziare, conforme la Coſtituzione. Ed il Signore Iddio la conſervi.

Di V. S.

Roma li 27. Settembre 1624.

come Fratello. Il Cardinal Mellino.

XVI.

Iſtruzione nella materia delle denunzie di ſollecitazione de' Confeſſori per la cuſtodia del ſigillo ſacramentale.

LA Santità di N. S. e queſti miei Eminentiſſimi Colleghi generali Inquiſitori conſiderando, che i rei di ſollecitaaione nelle ſagramentali Confeſſioni facilmente poſſono incorrere, o nelle ſpontanee comparſe, ò nei coſtituti, nella rivelazione delle confeſſioni ſacramentali, ſenza fare rifleſſione alla violaaione del ſigillo ſacramentale, che è de jure divino, e indiſpenſabile per qualſiſia graviſſima cauſa anco di ereſia, hanno perciò ſtimato eſpediente di rinovare a cautela gli avvertimenti altre volte dati, ſi a V. S. che a tutti gli altri Veſcovi, e Inquiſitori d'Italia, acciò nelli proceſſi di ſollecitazione nelle ſacramentali confeſſioni li preteſi rei ſollecitanti, o ſia nelle ſpontanee comparſe, o nei coſtituti, non rivelino, anco innocentemente le confeſſioni, con dire: Confeſſandoſi da me la tale di penſieri, o atti diſoneſti, le diſſi &c. Ma procedendo V. S. colla ſolita ſua attenaione, ammonirà li ſponte comparenti, o rei coſtituiti a non deporre coſa alcuna, che concerna il ſigillo delle ſacramentali confeſſioni de' penitenti, ma di riferire ſolamente ciò, che riguarda il detto, ò fatto di eſsi ſollecitanti, in occaſione di aver amminiſtrato il Sacramento della Penitenaa, o immediatamente avanti, ò dopo, ò nel confeſsionario, o ſotto preteſto di confeſsione, e perciò dovranno ſemplicemente i ſollecitanti deporre: confeſſandoſi da me N. N. le diſsi &c. ò feci &c. ſenza dir altro in ordine alla confeſsione de' penitenti, e ſe cadeſſero nel detto errore di rivelare le confeſsioni, non ſi dovrà la loro depoſizione in quella parte ſcrivere in proceſſo, e ſe

e ſe mai per inavvertenza di qualche miniſtro, che acremente correggerà, ſi trovaſſe ſcritta in qualche proceſſo, ſi dovranno caſſare dalli proceſsi originali tutte quelle circoſtanze, che riguardano la detta rivelazione di confeſſioni ſacramentali; così colla ſua ſolita attenzione dovrà V. S. regolarſi, e il preſente avvertimento communicherà a tutti i ſuoi Vicarj, che hanno facoltà di far proceſsi in materia di Fede, acciò colla dovuta attenzione invigilino all'eſecuzione del preſente ordine, e Dio la proſperi.

Di V. S.

Roma 23. Marzo 1726.

come Fratello

F. Card. Paulucci.

XVII.

Iſtruzione quando, e come ſi poſſano delegare li Sacerdoti Confeſſori, per ricevere le denunzie nelle materie ſpettanti al Santo Offizio, ſenza Notaro.

QUeſta ſagra Congregazione del S. Offizio con ſue circolari de 27. Settembre 1624. e 24. Gennaro 1667. che ſi conſerveranno in coteſta ſua Cancellaria, hà già conceduta à Veſcovi, ed Inquiſitori la facoltà in materia di ſollecitazione, di delegare in caſi particolari i Confeſſori, quando le perſone ſollecitate non poſſono diſporſi a denunciare nella forma giuridica ordinaria, per ricevere anco ſenza Notaro le denunzie, con iſtruirli del modo di ben riceverle, e darli il giuramento de ſilentio ſervando, *& fideliter ſibi munus commiſſum exercendo*. Ora ſua Santità, ſentito il voto di queſti Eminentiſsimi Colleghi, hà confermate, e novamente concedute à Veſcovi, ed Inquiſitori le predette facoltà di delegare, come ſopra, qualſiſia Sacerdote approvato per le confeſsioni ſacramentali; ma V. S. di dette facoltà, parcamente, e dopo aver procurato, che le donne ſollecitate denunzino nella forma giuridica ordinaria, ſi prevalerà, e Dio la proſperi.

Di V. S.

Roma 7. Luglio 1725.

come Fratello

F. Card. Giudice.

Copia d' un Capitolo di lettera ſcritta dalla S. Congr. del S. Offizio.

COn tal congiuntura ſi degnerà V. E. partecipare al ſuo Vicario generale, che alla riſerva delle materie di ſollecitazione, non ha egli facoltà di deputare alcuno à ricevere denunzie, o ſpontanee, ma deve ne caſi particolari ricorrere alla ſagra Congregazione, che prontamente le accorda, redendoſi in tal forma legitimi gli atti, e pieno di un coſtante riſpetto bacio all' E. V. umilmente le mani.

Di V. S.

Roma 14. Luglio 1753.

Umiliſſimo Servitore vero

N. Card. Corſini.

XVIII.

Metodo di ricevere le denunzie da Sacerdoti Confeſſori, ſpecialmente però delegati in materia di ſollecitazione, ſenza Notaro.

SI fà un memoriale dalla denunziante, per il quale narra aver da eſporre coſe pertinenti al Tribunale del S. Offizio, che però prega ſua Signoria Illuſtriſſima commettere a perſona religioſa, che con ogni ſecreto vada à ricevere detta denunzia nel tal luogo, à fine di liberare da ogni ſcrupolo la conſcienza di eſſa ſupplicante, ſottoſcrivendo à pie del memoriale il nome, e cognome di eſſa eſponente, potendo mandarſi detto memoriale per il Confeſſore al Prelato, il quale udendo dire, che ſe le hà da proporre negozio ſpettante alla Santa Inquiſizione, deve riceverlo con grandiſſimo ſecreto, aſſumendo almeno due perſone gravi, religioſe, e zelanti, delle quali una ſe ne ſervirà per ſcrivere gli atti, che occorrono, come ſarebbe:

Die .... Menſe .... Anno ...., in palatio epiſcopali N. in aula interiori ejusdem ſolitæ habitationis Illuſtriſſimi, & Reverend. D. Epiſcopi N. coram eodem prædicto D. Illuſtriſſimo Aſſiſtente R. D. N. Canonico Cathedralis N. & in præſentia mei D. N. Sacerdotis Eccleſ. N. actuarii aſſumpti ad hunc actum, comparet R. P. Fr. N. N. profeſſus Sacerdos Theologus Ordinis N. exponens videlicet.

Vengo avanti V. S. Illuſtriſſima a portarle queſto memoriale continente negozio del S. Offizio, conſegnatomi da N. N. il quale con occaſione, che io ſono andato a confeſſare alla Chieſa N. mi è ſtato dato da lei, a fine che io, con ogni ſecreto lo preſenti a V. S. Illuſtriſſima, acciò deputi una perſona, che riceva la denunzia di queſta ſupplicante, la quale mi hà detto, che ſe veniſſe di perſona, darebbe da ſoſpettare altri negozj a ſuoi parenti, che le potrebbe cagionare danno grave.

Ovvero, ſe la ſupplicante non ſaprà ſcrivere, potrà inviare d. Religioſo a dire a bocca tutto ciò, che chi ſa ſcrivere direbbe per memoriale; e ſi procederà nel modo, come di ſopra, dal Prælato, mutatis mutandis.

L'Attuario notarà ogni coſa per extenſum.

Tunc Illuſtriſſimus D. prædictus commiſit eidem P. Fr. N. N. profeſſo Religionis N. ut accedat ad locum N. ad finem accipiendi denunciationem faciendam a N. N. juxta Inſtructionem Tribunalis S. Officii, quam præcepit ſibi dari a me Notario aſſumpto, exacto prius

prius juramento, tam a prædicto R P. N. N. tangendo, prout tetigit, ſacra Evangelia, & pro veritate omnium ſupradictorum, & pro bene, & fideliter recipienda denunciatione ſibi danda, ac ſub ſilentio omnia retinendi, quam a vobis aſſiſtentibus, & a me de non præſentia propalando, nec in totum, nec in partem, prout juravimus tactis ſacris prædictis Evangeliis: imponendo dicto Patri, & nobis de toto præſenti negocio ſilentium, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſtatim incurrendæ in caſu contraventionis, reſervatæ eidem Illuſtriſſimo, reſpectu aſſiſtentis, & mei ipſius, & Sanctiſſimo D. Papæ, reſpectu prædicti Rev. Patris, & fuit dimiſſus præſens tutus, cum mandato, ut omnes ſubſcribamus. Ego P. Fr. N. N. profeſſus Ordinis N. N. S. Theolog. P. prædicta omnia expoſui. Ego N. N. Canonicus Eccleſiæ N. aſſiſtens deputatus interfui. Ita eſt N. N. Sacerdos Eccleſiæ N. Actuarius aſſumptus ad hunc actum ab Illuſtriſſimo D. N. Epiſcopo N.

Il delegato dal Veſcovo andarà con carta, e calamajo, ſe non potrà accompagnarſi con il Notaro predetto, o aſſiſtente, almeno eſſo ſolo, nel luogo, tempo, e giorno più opportuno, per oſſervanza del ſecreto, e venendo la denunziante, ha da ſcrivere nel ſeguente modo.

Die .... Menſe .... Anno .... in tali loco ... s'avverta, che ſia fuori del confeſsionario, e non potendoſi, ſi noti il luogo, ubi ſolent ſacramentales confeſsiones excipi (ſed hæc omnia extra Sacramentum Pœnitentiæ) comparet coram me N. N. profeſſo talis Religionis, qui de mandato Illuſtriſsimi, & Reverendiſsimi D. Epiſcopi N. acceſsi ad finem &c. talis de tale, ætatis ſuæ annorum .... ut dixit, & ex aſpectu apparet, ſecularis, vel monialis profeſſa, vel Bizzoca, vidua, quondam N. N. vel uxorata ..... figlia .... ponendo il nome del padre, madre, luogo, dove abita, profeſsione, che eſercita, confini della parrochia, paeſe, o tempo, che ne manca, ſtatura, pelo, ſegnali, ed altre circoſtanze, che poſſonu deſcrivere la perſona, quando non foſſe ben nota alla Corte veſcovile, ſponte, non citata, neque vocata, quæ medio ejus juramento ſibi per me dato, tactis ſacris Evangeliis mei Breviarii, pront tetigit, de veritate dicenda, prius monita de gravitate ejuſdem, fuit interrogata ad quid venerit, quæ reſpondit.

Sono venuta, come diſsi, a V. R. la ſettimana paſſata, che mi volevo sgravare la conſcienza, giache mi avete detto, che ſono ubbligata denunziare il Confeſſure, che mi hà parlato di coſe brutte, quando mi confeſſavo; deſidero ſapere, ſe avete parlato a Monſignore Illuſtriſsimo, e che vi ha detto.

Cui a me fuit dictum habere in commiſsis recipiendi formiter ſuam denunciationem, & proinde, pro exoneratione ſuæ conſcientiæ explicite fuit interrogata, ut dicat, quidquid ſibi occurrerit, circa prædicta a ſe ſuperius nominata. Reſpondit, e ſi pongano le ſue proprie parole volgari, che dice, ben vero, ſiano chiare, ed eſplicative, il Confeſſore ſollecitante, per nome, cognome, Religione, ò dignità, giorno, meſe, anno, volte che ſollecitò, ſegni, contraſegni, abitazione, luogo, dove abita, ò abitava il ſollecitante, parole dette, eſpreſſe, ſegni, ſeu atti fatti, e tutte le circoſtanze, che conducano alla replicata chiarezza del ſollecitante, o ſollecitazione.

Avvertendo, che ſe la perſona non ſi ſapeſſe ſpiegare, il Deputato coll' interrogatorj, che anderà facendo, farà ſpiegare le coſe predette neceſſariamente.

L' interrogatorj, benchè ſi diano in volgare, ſi ſcrivano in latino v. g.

Interrogata quænam verba ſpecialia, vel quoſnam actus inhoneſtos fecerit prædictus N. Confeſſarius ipſi teſti exponenti, & dicat explicite, & clare omnia.

Reſpondit, mi diſſe ....

Se la ſollecitazione è di qualche tempo paſſato, ſe ſe dice.

Interrogata, quare prius, non exoneravit ſuam conſcientiam, denunciando prædictum &c.

Reſpondit &c.

Interrogata de conteſtibus.

Reſpondit: queſto fatto è paſſato da ſolo a ſolo fra me, ed il detto N. N. mentre mi confeſſava nel confeſsionario, come hò detto di ſopra, e perciò non vi è perſona, che lo poſſa deporre.

Interrogata, an exerceat aliquam inimicitiam, vel aliquam exercuerit cum dicto N. N Confeſſario, vel cum ſuis conſanguineis, aut amicis, vel e contra.

Reſpondit &c.

Interrogata, cujus famæ ſit prædictus N N Confeſſarius, & an audierit aliquando ab aliis ſimilia prædictum N. N. patraſſe.

Reſpondit &c.

Si avverta, che le riſpoſte (non mi ricordo) non ſi ammettano, ma ſi dimanda doppo quelle, & fuit dictum a me, ut bene recordetur &c.

Se parlaſſe con ira, e paſsione grande, che daſſe ſoſpetto d' inimicizia, dal Nutaro, o dal deputato ſi noti: videlicet, locuta eſt nimis iracunde &c. vel animoſe, aut temere.

Interrogata, an viderit ipſa comparens prædictum N. N. Confeſſarium feciſſe aliqua opera ſpiritualia. videlicet, orare eleemosynas elargiri, Miſſas auſcultare, & ſimilia.

Reſpondit &c.

Quibus habitis, ego ipſe mandavi, ut ſe ſubſcribat, imponendo ſilentium, ut nullatenus alicui dicat ſe revelaſſe, & denunciaſſe prædicta in totum, vel in partem, contra prædictum N N. Confeſſarium, ſub pęna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, reſervatæ ipſi D. Illmo Epiſcopo (e ſe ſarà neceſſario) SS. D. Papæ, & fuit dimiſſum examen, præſtito denuo juramento, tactis &c. prout tetigit, de ſilentio obſervando ſuper prædictis.

Io N.N. ho depoſto come di ſopra, o vero ✱ & quia ſcribere neſcit, fecit ſignum Crucis, cum calamo à me dato.

Ita eſt, Ego N. N. profeſſus Ordinis N de mandato Illmi &c. acceſsi, & interrogavi.

Ricevuta la ſcritta rivelazione, il Prelato averta conſervarla con eſtremo ſegreto: ſe il caſo ſarà grave, ovvero foſſero più rivelazioni contro uno ſteſſo Confeſſore, potrà detto Veſcovo farne copia (avvertendo dare il giuramento, quando aſſume perſona molto grave, per far detta copia) ed includer gli atti in una ſua, che potrà ſcrivere alla ſagra Congrazione del S. Offizio di Roma, a fine che gli ordini, come si ha à portare in tal caſo, e chiegga l'Iſtruzione per non errare; avvertendo di più non fare veruno motivo contro il denunziato, acciò non penetri eſſer reo nel Tribunale, ne comunichi tal ſegreto al ſuo Superiore, ò altra, che ſia nel mondo, perche ſareb-

Digitized by Google

ſarebbe errore grave in materia di S. Offizio.

Le ſcritture ſopra queſte materie, non ſi confidino à miniſtri, ma o ſi conſegnino al Tribunale ſupremo, ovvero ſi ſugillino, ſcrivendovi ſopra: ſcritture, che appartengono al Tribunale del S. Offizio, quali neſſuno può aprire, lacerare, brugiare, o occupare, ſotto le pene appoſte nella Bolla di PP. S. Pio V. che comincia: *Si de protegendis*, cautelandoſi a fine, che in vita detti negozj paſsino, come quelli del ſigillo ſacramentale, e provvedere in caſo di morte, non vadano in potere de' Commiſſarj degli ſpogli, miniſtri della Sedia vacante, ò Corteggiani de Prelati defonti, quali per lo più non avendo molta conſcienza, o pubblicano li negozj, ò gli conſegnano in mano della parte per mercede. E queſto baſti per una breve, e facile Iſtruzione.

Titulus VIII. De Schiſmaticis, & ordinatis ab eis.

S E C T I O   D C C C X.

Caput I. Quod a Prædecessore, *ex Decretali, deſumpta a Canone II. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ab Alexandro III. an.* 1179.

Quod a Prædeceſſore noſtro felicis memoriæ Papa Innocentio factum eſt, innovantes, ordinationes ab Octaviano, & Guidone hæreſiarchis, necnon & Joanne Strumenſi, qui eos ſecutus eſt, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas eſſe cenſemus, adjicientes etiam, ut qui dignitates eccleſiaſticas, ſeu beneficia per prædictos ſchiſmaticos acceperint, careant impetratis. Alienationes quoque, ſive invaſiones, quæ per eoſdem ſchiſmaticos, ſive quæ per laicos factæ ſunt de rebus eccleſiaſticis, omni careant firmitate, & ad Eccleſiam ſine omni onere ejus revertantur. Si quis autem contraire præſumpſerit, excommunicationi ſe noverit ſubjacere. Illos autem, qui ſponte juramentum de tenendo ſchiſmate præſtiterunt, a ſacris Ordinibus, & dignitatibus decernimus manere ſuſpenſos.

Hæc Decretalis hic tranſcripta, prout refertur a Gonzalez, in qua Alexander innovans ſancita ab Innocentio II. circa ordinationes factas ab Epiſcopis ſchiſmaticis per hæc verba, prout leguntur in Canone XIV. Concilii Romani ſub eo celebrati = Ordinationes factas a Petro Leone, & ſchiſmaticis hæreticis evacuamus, & irritas eſſe cenſemus = eaſdem & ipſe irritas eſſe hic cenſet, prius tacite declarata eſt ab Innocentio III. qui in ſequenti *cap. II. Fraternitati, hoc eod. tit.* eas non pro irritis, ſed pro illicitis dumtaxat habet, quoad nempe Ordinum executionem, ſeu exercitium: quandoquidem decernit non, ut ordinati a ſchiſmaticis iterum ordinentur, ſed ut diſpenſari debeant, ſi velint in Ordinibus miniſtrare, ibi.

Fraternitati tuæ (& infra.) Priorem, quem a Schiſmatico aſſeris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter, niſi legitime probaverit, ſecum fuiſſe miſericorditer diſpenſatum, & ab ea perſona, quæ ſuper hoc poteſtatem habuerit diſpenſandi.

Poſtea vero clariſsime declarata eſt a Clemente VIII. Conſtit. *Sanctiſſimus Dominus* 31. *Auguſti* 1595. per hæc verba, ibi.

Ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, alias rite ordinatis, ſervata debita forma, recipiunt quidem Ordinem, ſed non executionem.

Allata Decretalis Innocentii III. *Fraternitati*, ex qua eruitur, ordinatos a Schiſmaticis non eſſe eo ipſo ſuſpenſos, ſed ſuſpendendos, in qua præterea non exprimitur a quo iiſdem ordinatis diſpenſatio concedi poſsit, an ab Epiſcopo, vel a Papa; quoad utranque partem declarata eſt ab eodem Clemente in cit. Conſtit. ubi decernuntur ipſo facto ſuſpenſi, & diſpenſandi nonniſi a Romano Pontifice.

Proinde ipſi ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, correcti, vel emendati, reconciliandi ſunt, & abſolvendi cum pœnitentiis ſalutaribus, dummodo errores, vel ſaltem ſchiſma Ordinatoris abjuraverint in judicio, vel publice, vel ſecreto pro qualitate facti. In Ordinibus autem per eos alias rite ſuſceptis miniſtrare non permittantur, niſi cum ipſis ſuper irregularitate, hujuſmodi occaſione contracta, auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum.

Ad

Ad hanc diſpenſationem obtinendam praxis Sac. Pœnitentiariæ eſt, ut remittantur ad Tribunal Univerſalis Inquiſitionis, propter præſumptionem, quod eorundem ſchiſmaticorum erroribus ſint infecti.

Quæſtiones, quæ circa has ordinationes excitari poſſent, cum hodie rarus admodum detur caſus, ſaltem in Eccleſia latina, quod quis ab Epiſcopis ſchiſmaticis, & hæreticis ordinetur, videri poſſunt in *Theſauro de pæn. eccleſiaſt. cap. XXIV. verb. Ordo*.

Neque in hoc capitulo diutius immorabor, cum hodie in praxi raro inveniatur ſchiſma purum, ſed plerumque habeat adnexam hæreſim, ideoque ejus cauſæ ad S. Officium privative pertineant: indicabo dumtaxat, quæ huic eidem titulo de jure novo acceſſerint, &

I. Jure antiquo non videntur ſchiſmatici puri, ideſt nulli adhærentes hæreſi, excommunicati ipſo facto; de quo etiam controvertunt Doctores relati ab Albitio *part. I. cap. X. num.* 33. ſed hodie ex cap. I. Bullæ Cœnæ incurrunt ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatam, & quamvis (ſubdit idem Albitius num. 35.) = Dubium ſit, an Conſtitutiones Apoſtolicæ
„ comprehendant Orientales, quia mens Summo-
„ rum Pontificum eſt non dirigere eas ad illos, ut
„ voluit Azorius *Inſtit. moral. tom. I. lib. V. cap. XI.*
„ *quæſt. 7.* & hanc opinionem ſequuntur Salas, & alii
„ relati a Verticell. *de Apoſt. Miſſion. qu.* 83. *n.* 4.
„ nihilominus, quando tractatur de cenſuris in Bulla
„ Cœnæ Domini latis contra ſchiſmaticos, non eſt du-
„ bium iis comprehendi etiam Orientales, ut fuit
„ reſolutum in S. Cong. die 7. Junii 1639. =

II. In cit. cap. I. Bullæ Cœnæ non comprehenduntur ſchiſmaticorum fautores, hi tamen, præter alias pœnas, ipſo facto incurrunt excommunicationem, ſed non reſervatam ex Conſtitutione Pauli IV. *Cum ex Apoſtolatus* 15. *Kal. Martii* 1559

III. Videnda eſt etiam Conſtitutio *Pii II. Execrabilis* 18. *Januarii* 1459. in qua, quemadmodum & in *cap. II. Bullæ Cœnæ*, infligitur excommunicatio Papæ reſervata contra appellantes a ſententiis, & decretis Romani Pontificis ad futurum Concilium, eorumque fautores: ſicuti & Conſtitutio Gregorii XV. *Æterni Patris* 15. *Novemb.* 1621. circa electionem Papæ, in qua pariter infligitur eadem excommunicatio, Papæ reſervata, in uſurpantes nomen Romani Pontificis.

IV. Extat Decretalis Bonifacii VIII. relata in *cap. unico Ad ſuccidendos*, *hoc tit. in VI.* in cujus prima parte continentur ſententia, & pœnæ inflictæ contra Jacobum, & Petrum olim Cardinales Columnenſes ex cauſa ſchiſmatis: in ſecunda vero parte decernitur, ut eædem pœnæ in perpetrantes ſimilem exceſſum locum habeant: ſed quoad primam, excepta confiſcatione bonorum, derogatum fuit a Benedicto XI. ut in ipſius Decretali, relata in *cap. unic. Dudum*, *inter Extravag. commun.* Secunda vero cum ſtatuat, dictas pœnas eſſe ferendæ ſententiæ dumtaxat, ampliata eſt a Paulo IV. cit. Conſtit. in qua declaratur, ſchiſmaticos eo ipſo præfatis pœnis obnoxios eſſe. Vide Paſſerinum in Sextum Decretalium ad cit. Decretalem *Ad ſuccidendos*.

Titulus IX. De Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſmum.

SECTIO DCCCXI.

CAPUT I. PRAETERREA, *ex Decretali Eugenii III. Sarenſi Epiſcopo reſcripta juxta correctionem Gonzalez, non Alexandri III. ut legitur in vulgato Codice Decretalium.*

PRæterea Clerici, qui relicto Ordine clericali, & habitu ſuo, in apoſtaſia, tanquam laici converſantur, ſi in criminibus comprehenſi teneantur, per cenſuram eccleſiaſticam non præcipimus liberari.

Ex hac Decretali, in qua dumtaxat agitur de apoſtaſia a ſtatu clericali, ſeu ab Ordine, communiter inferunt Canoniſtæ, Clericum in quocunque Ordine conſtitutum, ac etiam prima dumtaxat Tonſura inſignitum, dimiſſo habitu, & Tonſura ſe enormitatibus immiſcentem, eo ipſo privatum eſſe privilegio fori: ſed de hoc vide notanda infra ad *caput XXV. In audientia, de Sent. excommun. & part. II. ad cap. VI. Trident. ſeſſ. XXIII. de reform.* De apoſtaſia, ſtatu, & profeſſione religioſa, jam ſermo inſtitutus eſt, *tit. de Regularib.*

SECTIO DCCCXII.

CAPUT II. EX LITERARUM, *ex Decretali Alexandri III. Abbati S. Genovefæ, Monaſterii Canonicorum regularium S. Auguſtini.*

EX literarum tuarum tenore perpendimus, quod quidam ægritudine longa confectus, inſano ſortilegarum mulierum credens conſilio, ut ſanaretur, per iterationem fecit injuriam Baptiſmatis ſacramento (& infra.) Quia ergo tua nos duxit prudentia conſulendos,

dos, qualiter puniri debeat Acolythus, quem minor ætas, & intentio fraternæ ſalutis excuſare videtur, diſcretioni tuæ præſentibus literis reſpondemus, quod ad ſuperiores Ordines promoveri (ſi publicum eſt, quod proponitur) non valebit, niſi ad Religionem tranſire voluerit, ut favore Religionis ipſius circa eum valeat diſpenſari. Si vero occultum eſt, promoveri poterit, & exceſſum ſuum dignis pœnitentiæ fructibus expiare..

Quamvis pœna hic ſtatuta afficiat Acolythum duntaxat; ex conſuetudine tamen communiter recepta, quæ eſt optima legum interpres, extenditur etiam ad quemcunque tam ſolemniter, quam non ſolemniter rebaptizantem, quoties baptiſmus fuit jam valide collatus. Imo illum reiterans, ſentiens neceſſario eſſe reiterandum, eſt ipſo facto excommunicatus ex *Can. XI. Concilii Tridentini ſeſ. VII. de Baptiſmo*, ibi.

Si quis dixerit vere, & rite collatum baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negaverit, cum ad penitentiam couvertitur, anathema ſit.

Et præterea eſt vehementer ſuſpectus de hæreſi Anabaptiſtarum, & Novatianorum, jam damnata in Concilio I. Arelatenſi, confirmato a S. Sylveſtro anno Chriſti 314. Card. Albitius *de Inconſtantia in fide part. 1. cap. XXXIII. num. 5. & ſeq.* Ludovicus de Ameno *tom. III. de Delict. & pœnis*, §. *I. verb. Abuſus in baptiſm. num.* 18. & DD. communiter.

Nota, hoc crimen eſſe mere eccleſiaſticum, ideoque hodie non habere locum pœnam ultimi ſupplicii ſtatutam *a L. 2. Cod. Ne ſanct. Baptiſ. reiteretur*, ſed aliter puniendum eſſe ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, *Theſaur. de pæn. eccleſiaſt. verb. Baptiſmus cap. I.*

Quando autem, & quomodo extra hanc facti ſpeciem, de qua in præſenti Decretali, reiterari poſſit, & debeat baptiſmus, lectorem remitto ad jam notata ad *cap. II. De quibus, tit. de Baptiſ.* pag. 443.

SECTIO DCCCXIII.

Caput III. Tuæ fraternitati, *ex Decretali Innocentii III. ignotum, cui reſcripta.*

TUæ fraternitati (& infra.) Super ſecundo articulo inquiſitioni tuæ duximus reſpondendum, quod Clerici, qui ſunt de apoſtaſiæ crimine infamati, qui videlicet abjecerunt habitum clericalem, non ſunt in ſeculari habitu tollerandi: ſed per diſtrictionem eccleſiaſticam coercendi, donec deficiente probatione, ad infamiam abolendam purgationem canonicam curaverint exhibere.

In hac Decretali præcipit Pontifex, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, clericalem habitum dimittentes cogi debere per diſtrictionem eccleſiaſticam ad illius reaſſumptionem; & ſi de hoc fuerint diffamati, in defectum probationis, indicendam eis eſſe purgationem canonicam pro infamiæ abolitione.

Verum hodie hæc purgatio fere obſolevit, ut notabo ad eundem Titulum.

SECTIO. DCCCXIV.

Caput IV. Quidam, *ex Decretali, deſumpta a cap. LXX. Concilii generalis Lateranenſis IV. celebrati ſub Innoc. III. an.* 1215.

QUidam (ſicut accepimus) qui ad ſacri undam baptiſmatis voluntarie acceſſerunt, veterem hominem omnino non exuunt, ut novo perfectius induantur, cum prioris ritus reliquias retinentes, chriſtianæ Religionis decorem tali commixtione confundant. Cum autem maledictus ſit homo, qui terram duabus viis ingreditur, & indui veſte non debeat, lino, lanaque contexta, ſtatuimus, ut per Prælatos Eccleſiarum talis obſervantia veteris ritus omnimode compeſcatur, ut quos chriſtianæ Religioni libere voluntatis arbitrium obtulit, ſalutiferæ coactionis neceſſitas, in ejus obſervatione conſervet: cum minus malum exiſtat, viam Domini non agnoſcere, quam poſt agnitam retroire.

Hæc

Hæc Decretalis, præcipiens Ethnicos, & judæos, qui poſtquam voluntarie baptiſmum ſuſceperunt, redeunt ad ſuos priores ritus, cogendos eſſe ad eos relinquendos, ampliata eſt a Bonifacio VIII. ſtatuente, ut tam ipſi, quam eorum fautores, receptatores, & defenſores nedum cogi ad præfatos ritus relinquendos, ſed etiam puniri debeant tanquam hæretici: & nedum, ſi adulti baptiſmum receperint, non ſolum voluntarie, aut mortis metu, ſed etiam dum erant infantes, ut ex ejus Decretali, relata in *cap. XIII. Contra chriſtianos, de hæretic. in VI.* in qua pariter, & eodem modo præcipitur puniri debere chriſtianos, ſi tranſierint ad ritum Judæorum, ibi.

Contra chriſtianos, qui ad ritum tranſierint, vel redierint Judæorum, etiamſi hujuſmodi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen abſolute, aut præciſe coacti baptizati fuerint, erit tanquam contra hæreticos, ſi fuerint de hoc confeſſi, aut per chriſtianos, ſeu judæos convicti: & ſicut contra fautores, receptatores, & defenſores hæreticorum, ſic contra fautores, receptatores, & defenſores talium eſt procedendum.

SECTIO DCCCXV.

Caput V. A nobis, *ex Decretali Honorii III. Tyrenſi, Archiepiſcopo reſcripta.*

A Nobis expetiit tua fraternitas edoceri, quid de apoſtatis ſit agendum, cum in cuſtodia detinentur, qui minis, vel blanditiis nullatenus poſſunt induci, ut abjectum habitum reaſſumant. Ad quod tibi breviter reſpondemus, quod tales (ſi volueris) poteris ſub gravi cuſtodia carcerare: ita quod ſolummodo vita ſibi miſera reſervetur, donec a ſuæ præſumptionis nequitia reſipiſcant.

In hac Decretali, juxta Codicem Gregorii IX. quo in ſcholis utimur, videtur agi de pœna carceris infligenda Clericis in ſacris conſtitutis, donec dimiſſum habitum reaſſumant. Verum juxta omnes Canonum Interpretes, intelligenda eſt non de Clericis ſecularibus, ſed de monachis habitum dimittentibus: quandoquidem ad ly *habitum* addendum eſt verbum *Monachalem*, prout additum legitur in hac eadem Decretali a Gonzalez relata: cum cæteroquin de pœna infligenda Clericis ſecularibus in ſacris conſtitutis habitum dimittentibus jam ſatis proviſum ſit ſupra in *cap. III. Tua fraternitati pag. 647.*

Tributa eſt autem hic huic Archiepiſcopo facultas retinendi in carcere apoſtatas monachos, donec habitum reaſſumerent, quia forte illi monachi, ut animadvertit Gonzalez, non erant exempti, ſed ipſius juriſdictioni immediate ſubjecti: cum hodie monachi, & quicunque alii Religioſi apoſtatæ remitti debeant ab Epiſcopo ad ſuos Superiores regulares, ut notabo *par. II. ad cap. XIX. ſeſſ. XXIV. Trid. de reformat.*

SECTIO DCCCXVI.

Caput VI. Consultationi, *ex Decretali ejuſdem Honorii, Arhiepiſcopo Lundenſi reſcripta.*

COonſultationi tuæ breviter reſpondemus, quod monachus aliquem ſacrum Ordinem in apoſtaſia recipiens, quamtumlibet ſuo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pænitentiam, abſque diſpenſatione Romani Pontificis miniſtrare non poterit in Ordine ſic ſuſcepto.

Præter hanc ſuſpenſionem hic inflictam (quam *Theſaurus de pæn. eccl. c. II. verb. Apoſtaſia, §. Quinto* vocat impropriam, ſed quoddam canonicum impedimentum, & ſpeciem irregularitatis partialis) Apoſtata, Ordines nedum ſacros, ſed etiam minores recipiens in apoſtaſia incurrit aliam ſuſpenſionem ex Trident. *cap. VIII: ſeſſ. XXIII. de reform.* quatenus eos recipit ſine commendatitiis ſui Prælati, cujus abſolutio reſervatur arbitrio Ordinarii, a quo Religioſus, ſi non apoſtataſſet, ordinari debebat, & „ Irregularis efficitur, ſi celebret in Ordinibus ſacris, habitu dimiſſo, ſcilicet in excommunicatione, vel „ in ſuſpenſione incurſa ob Ordines ſuſceptos ſine „ commendatitils ſui Prælati; alias non erit irregu„laris, ut Suar. *tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 1. nu„mer. 28. & de Cenſur. diſp. 31. ſect. 5. numer. 5.* „ Filiuc. *auten. tract. 20. num. 250.* & Majol. *lib. 1. „ cap. 1. num. 15. §. Apoſtaſia*, ajunt eſſe irregula„rem, quamdiu manet in eo ſtatu, & probatur „ *Can. fin. 50. diſtinct. & cap. Cum illorum, de Sent.* „ ex-

„ *excomm.* ſed non eſt proprie irregularitas, cum „ tollatur ſine diſpenſatione, ut Garzias *de Beneſic.* „ *part.* 7. *cap.* 8. *num.* 65. eſt tamen canonicum impedimentum inhabilitans, ſicut irregularitas, quamdiu durat, & impediens Ordinum omnium exercitium, ut Majol. & Filiuc. ibi „.

Titulus X. De His, qui filios occiderunt.

SECTIO DCCCXVII.

Caput I. Veniens, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Tornacenſi ſcripta,*

Veniens ad Nos M. mulier, lacrymabili nobis confeſſione monſtravit, quod, cum de quodam filium genuiſſet, & ille ſibi ſæpe turgido vultu improperaſſet, quod filius ejus non eſſet, ipſa iracundiæ calore ducta, eundem filium interfecit, (& infra.) Mandamus, quatenus eam labores inducere, ut ad aliquod monaſterium tranſeat, in quo peccata ſua perpetua pænitentia deploret. Si autem (repugnante carnis fragilitate) ad hoc induci noluerit, ei licentiam in Domino nubendi tribuas: quia tutius nobis videtur, ut in Domino nubat uni ſoli, quam inhoneſte multos admittat.

In hac Decretali duo ſtatuuntur. I. Ut pro homicidio filii a matre patrato, ei imponenda ſit perpetua detruſio in monaſterium ad agendam pœnitentiam. II. Et ſi ad hanc detruſionem deveniri nequeat juſta de cauſa, quatenus eadem mater adhuc libera ſit, matrimonium contrahere non poſſit abſque diſpenſatione Epiſcopi: unde eruitur, homicidium in perſona filii commiſſum, eſſe impedimentum impediens matrimonium contrahendum.

Verum utraque hæc pœna in deſuetudinem abiit: loco enim detruſionis hodie hujuſmodi rei puniuntur pœnis ſtatutis a jure civili; impedimenta vero matrimonium impedientia hodierna Eccleſiæ diſciplina ad quatuor tantum reſtrinxit, inter quæ non eſt parricidium: ex ſtylo vero Datariæ datur etiam quintum impedimentum, ut dixi ſupra ad *titulum de Præſumptionibus* pag. 177.

SECTIO DCCCXVIII.

Caput II. Intelleximus, *ex Decretali Lucii III. Epiſcopo Pariſienſi (nunc Archiepiſcopo) ſcripta.*

Intelleximus, quod M. mulier filiam parvam furore accenſa diabolico jugulavit; propter quod Dominus terræ maritum ejus, & ipſam compulit abjurare. Quia vero illam alios habere filios intimaſti, mandamus, quatenus ita ſuper hoc provideas, quod ſui ſceleris pœnam luat, & ſaluti ejus, ac filiorum per tuam providentiam conſulatur, & non obſtante juramento, quod a viro dictus Dominus proponitur extorſiſſe (*ut ſe videlicet ab invicem ſepararent*) eam (ſicut expedire videris) eidem viro reſtituas: ita quod filios ſuos libere poſſit, & pacifice gubernare.

Circa pœnam & hic debitam matri pro occiſione filii, idem dicendum eſt, ut ſupra.

Huc referri poſſunt ſequentes pœnæ, a Sixto V. ſtatutæ contra matrem, alioſque quoſcunque procurantes abortum, Conſtit. *Effrenatam* 29. *Octob.* 1588.

§. I. Nos .... & quoſcunque tam viros, quam mulieres cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, ac conditionis, etiam Clericos ſeculares, vel cujuſcunque Ordinis regulares, quavis dignitate, & præeminentia eccleſiaſtica, vel mundana fulgentes, qui de cætero per ſe, aut interpoſitas perſonas abortus, ſeu fœtus immaturi, tam animati, quam inanimati, formati, vel informis ejectionem procuraverint, percuſſionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribuſque mulieri prægnanti impoſitis, ac aliis etiam incognitis, vel maxime exquiſitis rationibus, ita ut re ipſa abortus inde ſecutus fuerit, ac etiam prægnantes, ipſas mulieres, quæ ſcienter præmiſſa fecerint, pœnas, tam divino, quam humano jure, ac tam per canonicas ſanctiones, & Apoſtolicas Conſtitutiones, quam civilia jura adverſus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu, & re ipſa patraverint, propoſitas, & inflictas (quorum omnium tenores his noſtris literis pro expreſſis, & ad

& ad verbum inſertis habemus.) eo ipſo incurrere, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, ipſaſque pœnas, leges, & Conſtitutiones ad caſus præiatos extendimus.

§. II. Eos vero, qui Clerici fuerint, omni privilegio clericali, officiis, dignitatibus, & beneficiis eccleſiaſticis, quæ ſic vacatura noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni perpetuo reſervamus, ipſo facto privamus, & in futurum inhabiles ad ea ſuſcipienda decernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiſerint, non ſecus atque ii, qui ſua voluntate homicidium perpetraverint juxta Conc. Trid. decreta, etiamſi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, ad ſacros Ordines promoveri, aut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare nullo modo poſſint, nec illis aliqua eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat, ſed omni Ordine, ac beneficio, & officio perpetuo careant.

§. III. Necnon & illos, qui Clerici non fuerint, & talia perpetraverint, non ſolum pœnas incurrere ſupra narratas, ſed etiam inhabiles ad Ordines, & alia prædicta decernimus, & declaramus.

§. IV. Volentes, quod hi, qui foro eccleſiaſtico ſubjecti, ut præfertur, deliquiſſe comperti fuerint, per Judicem eccleſiaſticum depoſiti, & degradati, curiæ, & poteſtati ſeculari tradantur, quæ de eis illud capiat ſupplicium, quod contra laicos vere homicidas per divinas leges, ac civilia jura eſt diſpoſitum.

§. V. Præterea eiſdem pœnis teneri omnino ſtatuimus eos, qui ſterilitatis potiones, ac venena potionibus propinaverint, & quo minus fœtum concipiant, impedimentum præſtiterint, ac ea facienda, & exequenda curaverint, ſive quocunque modo in his conſuluerint, ac mulieres ipſas, quæ eadem pocula ſponte, ac ſcienter ſumpſerint.

§. VI. Quocirca mandamus univerſis, & ſingulis judicibus, ordinariis, & delegatis, tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus, quibus contra criminum reos etiam quoad cauſas hujuſmodi de jure, vel ratione delicti, aut perſonarum legitime competet jurisdictio, ita tamen, ut inter eos præventionis locus ſit, ut in his delictis, quæ utplurimum in occulto perpetrantur, contra quoſcunque, non ſolum per accuſationem, & delationem, verum etiam per inquiſitionem, ac ſimplicem denunciationem procedant, ac ad illa probanda teſtes alias de jure inhabiles, eorundem tamen judicum arbitrio, habita ratione perſonarum, cauſarum, & qualitatum illarum, ac circumſtantiarum quarumcunque admittant, ac in eos, qui culpabiles fuerint, prout per nos ſancitum eſt, demum animadvertant.

§. VII. Inſuper, ut immaniſſimi hujus delicti gravitati non ſolum temporalibus, verumtamen ſpiritualibus pœnis proſpiciamus, ac provideamus, omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentes, tam laicos, quam Clericos, ſeculares, & cujuſcunque Ordinis regulares, necnon mulieres ſeculares, vel quemcunque Ordinem profeſſas, qui, vel quæ, vel uti principales, vel ut ſociæ conſciæ ad tale facinus committendum opem, conſilium, favorem, potionem, vel alia cujuſcunque generis medicamenta ſcienter dederint, ac etiam ſcribendo literas privatas, vel apochas, vel alias verbis, aut ſignis juverint, aut conſuluerint, ultra ſupradictas pœnas, ipſo facto nunc, prout ex tunc, excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus.

§. VIII. Decernentes, ac declarantes, quod per quæcunque Jubilæa, & Indulgentias, per Nos, & Succeſſores noſtros, etiam anno Jubilæi, aut alio quovis tempore, etiam Cruciatæ ſanctæ, Jubilæi, vel quovis alio titulo conceſſas, & concedendas, necnon per quaſcunque literas Apoſtolicas quibuſvis Principibus, ſeu ad eorum inſtantiam per Nos, & Succeſſores noſtros pariter conceſſas, & concedendas, ac etiam vigore privilegiorum mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatorum, quibuſvis Congregationibus Regularium, aut Epiſcopis vigore Conc. Trid. vel alios per Nos, & Prædeceſſores noſtros quomodocunque conceſſorum, vel in futurum concedendorum, ne perſonæ, ſic, ut præfertur, delinquentes, & excommunicatæ, præterquam in mortis articulo abſolvi valeant, nec cum iis Clericis, qui hujuſmodi delicta perpetraverint, etiamſi eorum crimen occultum fuerit, ſuper irregularitate, præmiſſorum occaſione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quavis auctoritate fungentes, quam per Nos, & Rom. Pontif. noſtros Succeſſores, & tunc nonniſi urgentiſſimis de cauſis diſpenſari poſſit. Ac tam abſolvendi, quam diſpen-

ſandi

ſandi facultatem hujuſmodi, etiam quoad forum conſcientiæ in caſibus ſuperius expreſſis, Nobis, & Succeſſoribus noſtris dumtaxat reſervamus.

Et quamvis hanc Sixti Conſtitutionem Gregorius XIV. moderaverit quoad reſervationem abſolutionis, & quoad directe, vel indirecte procurantes abortum fœtus adhuc inanimati, in reliquis tamen eam præſervavit, ut in ejus Conſtit. *Sedes Apoſtolica pridie Kalend. Junii* 1591. ibi.

§. I. Dudum ſiquidem fel. record. Sixtus Papa V. Prædeceſſor noſter, juſtitiæ zelo accenſus, contra procurantes abortum foetus tam animati, quam inanimis, ejuſque graviſſimi ſceleris participes, & adjutores, necnon contra eos, qui mulierum fœcunditatem impedirent, & ſterilitatis potiones, ſeu venena præberent, Conſtitutionem edidit, ſub datum 4. Kal. Novemb. Pontificatus ſui anno III. perquam ultra diverſas ſpirituales, & temporales pœnas, etiam inter alia excummunicationis ſententiam contra eos promulgavit, ſibique, & Succeſſoribus ſuis tantum abſolvendi facultatem reſervavit, prout in eadem Conſtitutione plenius continetur.

§. II. Cum igitur poſtmodum experientia docuerit, ex remedio hujuſmodi non eam, quæ ſperabatur, utilitatem, & fructum proveniſſe, verum potius multis ſatanæ malitia ad peccandum inductis, difficiliori ob ſoli Sedi Apoſtolicæ reſervatam abſolvendi facultatem, reddito ad pænitentiam aditu, eos a nefariis hujuſmodi flagitiis perpetrandis non ſolum, non retraxiſſe, ſed etiam plurimorum ſacrilegiorum, graviſſimorumque peccatorum, & ſcelerum occaſionem dediſſe. Nos propterea animadvertentes, gladium eccleſiaſticæ diſciplinæ, præſertim quoad cenſuras, & pænas ſpirituales, ita exercendum eſſe, ut ad medicinam tendat, non ad perniciem animarum, æternumque Paſtorem, cujus vices in terris gerimus, quantum (divina ejus gratia adjutrice) poſſumus, imitari volentes, qui venit animas hominum ſalvare, non perdere, neminique quantuncumque graviter, & enormiter deliquerit, viam ſalutis præcluſit, quin potius ad eam aſſequendam copioſa remedia adhibuit, ac Nobis reliquit, & ſimul utilius cenſentes, ubi nec de homicidio, nec de animato fætu agitur, pænas non imponere duriores Iis, quæ per ſacros Canones, & leges prophanas ſunt inflictæ, habita ſuper hoc cum Venerabilib. Fratrib. noſtr. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſuper negociis, & conſultationibus Epiſcopor. deputatis, matura deliberatione, de eorum conſilio, Conſtitutionem prædictam ſic duximus moderandam, ut a peccato, & excommunicatione contra perſonas ibi expreſſas lata, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui poſt noſtram Conſtitutionem in eiſdem caſibus deliquerint, quilibet Presbyter, tam ſecularis, quam cujuſvis Ordinis regularis ad chriſtifidelium confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam, & liberam in foro conſcientiæ tantum, abſolvendi habeat facultatem, eandem prorſus, quam idem Sixtus V. Prædeceſſor noſter, ſibi, ac ſuis Succeſſoribus reſervavit.

§ III. Quo vero ad pænas procurantium abortum fætus inanimis, aut exhibentium, mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis, aut quocunque modo auxilium, vel conſilium eis dantium, in prædicta Conſtitutione contentas, Conſtitutionem præfatam in ea, parte, ubi de his agit, ad terminos juris communis, ac ſacrorum Canonum, & Conc. Trid. diſpoſitionem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, tam quoad præterita, quam, quoad futura, perpetuo reducimus, perindeac ſi eadem Conſtitutio in hujuſmodi parte nunquam emanaſſet.

Ex hac igitur Gregorii Conſtitutione, patet illam Sixti moderatam fuiſſe in duobus (ita appoſite animadvertit Lucius Ferrari Prompta Bibliotheca, verbo Abortus) = quantum ſcilicet ad abſolutionem ab excommunicatione, quæ per Sixtum reſervabatur Summo Pontifici, & nunc per Gregorium poteſt abſolvi ab Epiſcopo, & a quolibet Confeſſario per ipſum ſpecialiter deputato; & quantum ad pœnas procurantium abortum fœtus adhuc inanimati, vel præbentium mulieribus, ſeu ſumentium venena ſterilitatis, quas Gregorius reduxit ad terminos juris communis, auferendo illas rigidas pœnas, a Sixto in hac ſua peculiari Conſtitutione inflictas, puta excommunicationem, irregularitatem, privationem omnis privilegii clericalis, inhabilitationem ad omnia officia, & beneficia, privationem ipſorum officiorum, & beneficiorum jam obtentorum, & degradationem cum, traditione curiæ ſeculari talis degradati, quæ tamen omnes una cum pœnis ab utroque jure contra homicidas voluntarios ſtatutis remanent in ſuo robore, & adhuc hodie incurruntur a procurantibus abort. fœtus jam animati quocunque modo, ſive per ſe, ſive alium, ſive directe, ſive indirecte, ſive conſulendo, ſive auxilium, aut favorem præſtando, ut clare patet le-

genti ipſas duas Conſtitutiones ad hunc finem per extenſum relatas. Ab omnibus autem ſupradictis pœnis, excommunicatione excepta, nemo diſpenſare, & abſolvere poteſt, niſi Summus Pontifex, cum Sixtus V. diſpenſandi, & abſolvendi ab illis facultatem ſibi, & Succeſſoribus ſuis expreſſe reſervaverit preciſis his verbis in fine §. 8. contentis = ac tam abſolvendi, quam diſpenſandi facultatem hujuſmodi, etiam quoad forum conſcientiæ in caſibus ſuperius expreſſis, Nobis, & Succeſſoribus noſtris duntaxat reſervamus = & Gregorius XIV. ſolum moderavit quantum ad abſolutionem a peccato, & excommunicatione; quia ſtatuit, quod non obſtante ſtrictiſſima reſervatione Sixti, poſſit nunc in foro conſcientiæ abſolvere Epiſcopus, & quilibet Confeſſarius ſive ſecularis, ſive regularis, ab Epiſcopo ſpecialiter deputatus, ut patet in fine §. ſecundi = Quilibet Presbyter... ſpecialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam, & liberam in foro conſcientiæ tantum abſolvendi habeat facultatem eandem prorſus, quam idem Sixtus V. Prædeceſſor noſter ſibi, ac ſuis Succeſſoribus reſervavit =.

Nota I. Procurantem abortum fœtus animati non gaudere jure Immunitatis eccleſiaſticæ, ſeu ſacri asyli, eo modo quo privantur rei homicidii proditorii ex Conſtit. Gregor. XIV. *Cum alias nonnulli*, quid quid hactenus in contrarium ſenſerint DD. ut declaravit Congregatio Conc. 3. Decembr. 1632. teſte laudato Ferrari *loc. cit. num* 11.

Nota II. Petentem diſpenſationem a S. Pœnitentiaria in caſu occulto ſuper irregularitate ex abortu, debere exprimere, ſi fœtus fuerit a ſe genitus, ut ex ſtylo, & facultatibus dicti tribunalis, alias gratia eſt ſubreptitia, cum in hoc caſu major ſit difficultas ad diſpenſandum, *Theſaur. de pœnis eccleſiaſt. verbo Abortus*.

Nota III. Propoſitiones circa abortum ab Innocentio XI. proſcriptas die 2. Martii 1679 ſub pena, qua proſcriptæ ſunt Propoſitiones circa homicidium, relata ſupra ad *cap. II. Interfeciſti*, ita conceptas eſſe.

La 34. in ordine. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, vel infametur.

La 35. Videtur probabile, omnem fetum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, & conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

Nonnulla dubia circa abortum, ejuſque penas, *vide laudatum Theſaurum loc. cit.*

SECTIO DCCCXIX.

CAPUT III. DE INFANTIBUS, *ex Decretali Alexandri III.*

DE infantibus autem, qui mortui reperiuntur cum patre, & matre, & non apparet, utrum a patre, vel a matre oppreſſi ſint ipſi, vel ſuffocati, vel propria morte defuncti, non debent inde ſecuri eſſe parentes, nec etiam ſine pœna, ſed tamen conſideratio debet eſſe pietatis, ubi non voluntas, ſed eventus mortis cauſa fuerit. Si autem non latet, ipſos interfectores eſſe, ſcire debent, ſe graviter deliquiſſe. Quidam autem pœnitentiam trium annorum judicant eſſe debere, quorum unum peragant in pane, & aqua.

Uſus pœnitentiæ hic impoſitæ hodie exolevit. Sed ſi aliqualis culpa parentis, vel nutricis intervenerit, pœna remittitur arbitrio judicis, Reiffenſt. *hoc tit. num.* 11. cum DD. ibi cit. Si vero probetur, infanticidium omnino culpabiliter ſecutum fuiſſe, tunc locum habebit pœna juris civilis contra homicidas, cum verum homicidium ſit, ut reſpondit Stephanus V. Huberto Epiſcopo Moguntino *Can. XX. Conſuluiſti*, eidem Stephano tributo, & relato a Gratiano, *cauſa II. qu.* 5. ibi.

Conſuluiſti de infantibus, qui in uno lecto dormientes cum parentibus, mortui reperiuntur, utrum ferro candente, aut aqua fervente, ſeu alio quolibet examine parentes ſe purificare debeant, eos non oppreſſiſſe. Monendi ſunt namque, & proteſtandi parentes, ne tam tenellos ſecum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente ſuffocentur, vel opprimantur, unde ipſi homicidii rei inveniantur. Nam ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri a quolibet ſacri non cenſent Canones, & quod Sanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinventione non eſt præſumendum, ſpontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commiſſa ſunt regimini noſtro judicare. Occulta vero, & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda filiorum hominum. Hi autem qui probantur, vel confitentur talis reatus ſe noxios, tua eos caſtiget moderatio; quia, ſi ille, quia conceptum in utero per abortum celaverit, homicida eſt, quanto magis, qui unius ſaltem diei puerulum peremerit, homicidam ſe eſſe excuſare nequibit.

In aliquibus diœceſibus retentio infantium in lecto, ſaltem ſine repagulo, eſt caſus Epiſcopo reſervatus.

Titu-

Titulus XI. De Infantibus , & Languidis expoſitis .

SECTIO DCCCXX.

Caput Unicum , Si a patre , *ex Decretali Gregorii IX.*

SI a patre , ſive ab alio , ſciente ipſo , aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expoſitus extitit , hoc ipſo a poteſtate fuit patria liberatus . Nam & hoc caſu in ingenuitatem libertus , & ſervus in libertatem eripitur : quod , & de prædictis cujuſcunque ætatis languidis , ſi expoſiti fuerint , vel ſi alicui eorum alimenta impie denegari contigerit , eſt dicendum . Sane , qui hos ſuſcipiunt , non poſſunt propter hoc in eorum perſonis jus aliquod vendicare .

Hanc Decretalem tranſcribo , non quod ei novi aliquid acceſſerit , ſed ad reſolvenda varia dubia , quæ de Infantibus expoſitis in praxi exorta ſunt , & .

I. An ſint baptiaandi ſaltem ſub conditione , etiamſi habeant appenſum collo ſcriptum , quo ſignificetur fuiſſe baptizatos : & quatenus affirmative .

II. An baptiaandi ſint a Capellano Brephotrophii , vel potius a parocho , intra cujus parochiæ limites ſitum eſt dictum Brephotrophium .

III. An iidem expoſiti indigeant diſpenſatione Epiſcopi , ad hoc ut promoveri poſſint ad Ordines minores , ad majores vero , & beneficia curata, diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ juxta diſpoſita circa illegitimos in *cap.I. Is qui de fil. Presbyteror. in VI.*

IV. An , ſi forte jam promoti fuerint ad ſacros Ordines ſine diſpenſatione Apoſtolica , tuta conſcientia in illis miniſtrare poſſint .

V. In caſu obtentæ diſpenſationis quis ſit locus eorundem originis , ut hoc titulo ad Ordines promoveri valeant .

VI. An matrimonia puellarum expoſitarum celebrari poſſint coram Capellano Brephotrophii , an potius coram Rectore Eccleſiæ parochialis , intra cujus limites ſitum eſt .

Ad I. Dubium quod ſpectat , quamvis ex ſequentibus verbis Ritualis Romani, Pauli V. juſſu editi = Infantes expoſiti, & inventi , ſi re diligenter inveſtigata , de eorum baptiſmo non conſtet , ſub conditione baptizentur = videatur non eſſe baptizandos, cum ex dicto ſcripto vehemens oriatur præſumptio , eos fuiſſe baptiſmo ablutos ; quia tamen verbum *conſtet* claram ſignificat probationem , & hæc clara dici nequeat , quæ ex ſcripto reſultat , niſi certa habeatur notitia perſonæ , a qua ſit exaratum , aut aliunde indubitatum eruatur indicium collati baptiſmi , baptizandi ſunt ſub conditione . Hanc praxim ſequuti ſunt Concilii Toloſani Patres,habiti a Card. Franciſco de Joyoſa an. 1590. in cujus *part.II. cap.II.* ità decernitur = Cum projectis , expoſitiſque puerulis , licet affixa reperiatur ſchedula , quæ eos baptiaatos eſſe teſtetur , in id tamen , an verum , fictumque ſit , parochi diligenter inquirent : ſi certi nihil compererint in ſcripto chartulæ nomine , eos ſub conditione baptiaabunt = Hanc pariter ſequutus eſt S. Carolus Borromæus in *Conc. Mediolanenſi III. in quo tit. de Baptiſ. infant.* ſic legitur = Infans expoſitus , licet appenſum collo ſcriptum habeat , quo ille baptizatus ſignificetur , ſi tamen re diligenter prærequiſita , quemadmodum in Catechiſmo Romano expreſſum eſt , adhuc dubium ſit , eum baptiaatum eſſe , ea conditionis forma baptizetur : *Si tu es baptizatus , ego te iterum non baptizo* , & ſi nondum baptizatus es , ego te baptizo = .

Ab eadem praxi ne unum quidem unguem noviſſime receſſit Congregatio Conc. cum enim ſub die 18. Decembris 1723. parochus S. Spiritus in Saxia Urbis Romæ ſupplicem exhibuiſſet Sacræ Pœnitentiariæ libellum , in quo retulerat , præter infantes recenter natos , ad Archihoſpitale ejuſdem S. Spiritus ſæpiſſime etiam infantes deferri,duorum, quatuor, vel ſex , aut decem menſium , & etiam unius anni cum dimidio , abſque ullo certo ſigno baptiſmatis recepti : & ne ex una parte ſuo muneri in re tanti momenti deficiat , baptiſmum omittendo , & ex alia parte baptiſmum conferendo , ſe exponat periculo irregularitatis impoſitæ rebaptizantibus ad terminos textus in *cap. Ex literarum* , *de Apoſtatis* , humillime quæſiviſſet , quid a ſe eſſet agendum ; cumque a Sacra Penitentiaria dictus ſupplex libellus ad laudatam ſacram Congregationem remiſſus fuiſſet , extenſoque inſequenter coram eadem dubio his verbis .

= Quomodo ſe gerere debeat parochus S. Spiritus in Saxia in collatione baptiſmatis infantibus, qui ad Archioſpitale deferuntur, ſive iidem habeant ſchedulam de baptiſmo teſtantem , ſive non habeant , & etiamſi ex colore, & cæteris corporis qualitatibus deprahendatur , eoſdem eſſe conſtitutos in ætate ſex , aut decem menſium , vel unius anni cum dimidio = .

Reſpondit = Eſſe baptizandos ſub conditione in omnibus caſibus expoſitis juxta inſtructionem , & inſtructio eſt , quod excipiatur a baptiſmo ſub conditione caſus ſchedulæ , quæ haberet certitudinem = .

Ita reperitur in *Theſauro reſolutionum ejuſdem . Congreg. tom.II. pag. 412. & tom.III. pag.2.*

Ad II. inſpecto jure communi , & ratione mox afferenda , ſentio , baptiaandos eſſe a parocho , & non a Capellano: quin huic ſuffragari poſſit diſpoſitio *Clementinæ II. Quia contingit* , *de Relig. domib.* in qua §. *Ceterum*, præſervatur conſuetudo, hodie adhuc vigens in ſimilibus Hoſpitalibus miniſtrandi pauperibus ibi degentibus Sacramenta Communionis paſchalis , Viatici , & Extremæ Unctionis , ac eorundem cadavera ſepeliendi independenter a parocho ; tum quia hæc dumtaxat parochialia jura,tamquam contraria conſuetudine præſcripta , ibidem exercenda permittuntur ; tum quia In Eccleſia Brephotrophii , niſi

ſimul

ſimul parochialis fuerit, aut ſpeciali apoſtolico privilegio munita, non adeſt Fons baptiſmalis, nec retineri unquam conſueverit.

Ad III. motivum dubitandi ex eo oritur, quod, attenta univerſali cauſa projectorum expoſitionis, quæ verificari ſolet de illegitimis, & raro de legitimis, vehemens reſultat præſumptio de illorum illegitimitate: ideoque reſpondeo, indigere diſpenſatione juxta communem, & tutiorem DD. ſententiam, ac Rom. Curiæ praxim, ut probat Cardinalis Petra *tom. V. in Comment. ad Conſtit. XXII. Sixti IV. Religionis num. 9. & ſeqq.* alias omnino arcendi ſunt ab Ordinibus, pro quorum receptione non ſufficit ſola præſumptio legitimitatis, ut nonnulli opinantur, ſed requiritur certa illius probatio.

Ab hac regula eximuntur, teſte eodem Petra *loc. cit.* expoſiti in Hoſpitali B. Virginis Annuntiatæ Neapolis, qui ex privilegio apoſtolico ad Ordines promoveri poſſe aſſeruntur ab Arhiepiſcopo Neapolitano abſque alia diſpenſatione.

Ad IV. huic dubio, præter generalem regulam, quod in dubio *Melior eſt conditio poſſidentis*, ſatis favere videtur reſolutio Congregationis Conſultorum S. Officii, habita die 6. Iulii 1643. prout refert laudatus Petra num. 16. ſcilicet = Non eſſe reſpondendum in ſcriptis cuidam Religioſo in Regno Cynarum, ſed oretenus dicendum, eſſe quietum in conſcientia, ut non indigeat diſpenſatione, præſertim cum ſit in quaſi poſſeſſione =.

Ad V. Clariſſimus vir Canonicus Romualdus Honoranti *in Praxi Secretaria Urbis Vicarii, cap. I. in Notis ad Conſtitutionem Innocentii XII. Speculatores, §. Tertium dubium*, de origine expoſitorum ita ſentit = Expoſitos originarios eſſe loci, in quo expoſiti fuerunt; nam eo quod parentes, locuſque eorum ignoretur, cives ſunt loci, in quo expoſiti fuerunt, & ita tenet Barboſa ſupra num. 37. Campanil, apud Trullench *cit. num. 12.* ibi = *Expoſiti ordinari poſſunt ab Epiſcopo, qui eſt ordinarius loci, in quo expoſiti ſunt; nam eo quod parentes ignorantur, ſine dubio illius loci effecti ſunt cives* = Cum enim in obſcuris minimum ſit ſequendum, *cap. In obſcuris, de Reg. jur. in VI.* & locus, parenteſque expoſitorum adeo obſcuri ſint, locus, ubi expoſiti fuerunt, gerit vices patriæ, & patris, nam ibi cenſentur nati.

Sed quia pluribus in locis dicti Infantes exponi valent, experientia teſte, inquirendum eſt, quiſnam eorum determinate originis ad Ordines tribuat titulum, ne plures origines admittere compellamur contra Innocentianæ Conſtitutionis mentem; v. g. exponitur Titius primo in loco diœceſis tuſculanæ, ibique baptizatur: ſecum enim affert ſchedulam monentem, lavacro Baptiſmi non eſſe ablutum; deinde ad Hoſpitale S. Spiritus de Urbe, ad expoſitorum educationem deſtinatum, conducitur. Quæritur, cujus loci dictus Titius originarius ſit: an illius, in quo primo expoſitus fuit, an potius, in quo ad ſuam educationem permanet?

Reſpondetur, eſſe ad Ordines originarium loci Hoſpitalis, ubi ut alatur, ac educetur, permanet, non vero loci, in quo primo fuit expoſitus, & baptizatus; quia in illo, quaſi accidentaliter fuit expoſitus.

Hactenus dicta intelligenda ſunt caſu, quo de parentibus, eorumque loco minime conſtet; aliter enim dicendum, ſi de ipſis conſtet temporis curſu; unde ſi de parentibus conſtet, iſque legitimus fuerit, erit origenarius loci, in quo naturaliter ortus fuit, modo inibi ex accidenti non ſit natus; in hoc enim caſu origo naturalis patris, origo filii erit, ex ſuperius dictis. Ratio eſt, quia ex quo de parentibus conſtat, deſinit expoſitus eſſe, ſaltem quoad effectum tituli originis ad Ordines.

Si tamen de loco, in quo expoſitus ortus eſt, minime vero de parentibus conſtet, verius judico originarium eſſe loci, in quo expoſitus fuit, non vero loci, in quo natus; imo baptizatus fuit: nam ignorantia ea parentum magnam inducit præſumptionem, ibi natum ex accidenti, cum impoſſibile moraliter appareat, parentes ignorari, ſi in eo loco domicilium contraxerunt.

Si vero expoſitus illegitimus fuerit, conſtetque de matre, originarius ad Ordines erit vel loci materni domicilii, vel originis naturalis maternæ, juxta dicta ſupra dubio antecedenti; ſi autem de matre non conſtet, originarius erit loci, in quo permanenter fuit expoſitus, gerit enim hic locus vices patriæ, & parentum.

Ad VI. Huic dubio ſatis proviſum eſt a S. Congreg. Conc. ſequenti declaratione in reſponſo ad preces Gubernatorum Hoſpitalis Expoſitorum Civitatis Eugubinæ *die 11. Aprilis 1651.* per hæc verba, prout reperitur *lib. XIX. Decretor. ejuſdem Cong. pag. 124. a tergo* = Gubernatores Hoſpitalis Expoſitorum Civitatis Eugubinæ aſſerentes, Sacerdotem ibi in Confeſſarium deputatum cum approbatione Epiſcopi hucuſque puellis expoſitis adminiſtraſſe matrimonia, præviis denunciationibus, in Eccleſia ipſius Hoſpitalis, ſupplicant pro declaratione, hujuſmodi matrimonia coram eodem Sacerdote celebranda eſſe, & non coram Rectore Eccleſiæ parochialis, intra cujus limites dictum Hoſpitale exiſtit, Sacra &c. cenſuit matrimonia dictarum Puellarum eſſe celebranda coram proprio parocho, non autem coram dicto Capellano Hoſpitalis.

Titulus XII. De Homicidio voluntario, & caſuali.

SECTIO DCCCXXI.

Caput I. Si quis, *ex Decretali, deſumpta a cap. XXI. Exodi.*

Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſi quis per induſtriam, ideſt præmeditate, & proditorie, nulla præcedente cauſa rixæ, aliquem occiderit, nedum privatus ſit beneficio aſyli, ſed etiam tradatur curiæ ſeculari, ultimo ſupplicio plectendus.

Quæ autem declarationes ex Pontificiis Conſtitutinnibus huic ſanctioni acceſſerint, jam nntavi pag. 464. & ſeqq. *ad tit. de immunit. eccleſiaſt.*

S E C T I O D C C C X X I I.

Caput II. Interfecisti, *ex Decretali, deſumpta a Pœnitentiali Romano*.

Interfeciſti furem, aut latronem, ubi comprehendi poterat abſque occiſione, quia ad imaginem Dei creatus eſt, per quadraginta dies non intres Eccleſiam, & lanea veſte indutus, ab eſcis, & potibus, qui interdicti ſunt, & a thoro, gladio, & equitatu per illos ſupradictos dies abſtineas. In tertia autem, & quinta feria, & ſabbatho aliquo genere leguminum, vel oleribus, pomis, & parvis piſciculis, cum mediocri cerviſia utere temperate. Si autem ſine odii meditatione te, tuaque liberando hujuſmodi diaboli membra interfeciſti (ſecundum indulgentiam dico propter imaginem Dei) ſi aliquid jejunare volueris, bonum eſt tibi, & eleemosynam fac largiter. Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur: tamen quandiu vivit, pœnitentiam agat.

Pœnitentiæ in vim bujus Decretalis ab homicidis peragendæ, jamdiù in deſuetudinem abierunt, ut alias innui.

Subnecto hic propoſitiones circa bomicidium, proſcriptas ab Alexandro VII. die 24. Sept. 1665. & ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Papæ reſervatæ in eas docentes, defendentes, edentes, aut de eiſdem, etiam diſputative publice, aut privatim tractantes, niſi forſan impugnando: a quibus Pontificibus prohibitum inſuper fuit in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii ipſas a quoquam ad praxim reduci.

Proſcriptæ ab Alexandro VII. ſunt Ia.

XVII. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando aliua modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publice, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

XVIII. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

XIX. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

Proſcriptæ ab Innocentio XI. ſunt Ia.

XIII. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, nnn quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

XXX. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum eſt, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat.

XXXI. Regulariter occidere poſſum furem, pro conſervatione unius aurei.

XXXII. Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

XXXIII. Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra injuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicuti & jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.

Alias propoſitinnes proſcriptas circa Abortum habes ſupra pag. 652.

S E C T I O D C C C X X I I I.

Caput III. Si perfodiens, *ex Decretali, deſumpta a D. Auguſtino in cap. XX. Exodi.*

Si perfodiens inventus fuerit fur, & percuſſus mortuus fuerit, non eſt illi homicidium imputandum. Si autem oriatur ſol ſuper eum, reus erit. Intelligitur ergo non pertinere ad eum homicidium, ſi fur nocturnus occidatur: ſi autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere. Hoc eſt enim quod ait: ſi oriatur ſol ſuper eum &c. quia poterat diſcernere, quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet; & ideo non debet occidi. Hoc etiam in antiquis legibus ſecularibus (quibus iſta eſt antiquior) invenitur, impune ſcilicet occi-

occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem, ſi ſe telo defenderit ; jam enim plus eſt, quam fur.

Hanc Decretalem tranſcripſi, non quod ei novi aliquid acceſſerit, ſed ne cum in ea exprimatur = impune occidi nocturnum furem quoquo modo = quis minus prudens credat id abſolute, & ſine ulla limitatione licitum eſſe: quandoquidem intelligi debet juxta diſtinctionem expreſſam in Decretali rel. in *cap. XVIII. Significaſti*, *§. Si vero*, *hoc eod. tit.* ſcilicet cum moderamine inculpatæ tutelæ, vim vi repellendo. Si enim fur, licet nocturnus, abſque probabili propriæ vitæ periculo capi, aut expelli poſſit, tunc nullatenus licite occideretur, quamvis fortaſſe impune quoad forum externum; ideoque prædictæ ſeculares leges intelligendæ ſunt quoad dictum dumtaxat forum cum utantur adverbio *impune*, non *licite*.

SECTIO DCCCCXXIV.

CAPUT V. SI ALIQUIS, *ex Decretali, deſumpta a Concilio Guarmerienſi, vel juxta Bruchardum, Vormatienſi.*

SI aliquis cauſa explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſit generare, aut concipere, vel naſci ſoboles, ut homicida teneatur.

Huic Decretali nullam cenſuram infligenti tam contra præbentes, quam contra propinantes poculum ſterilitatis, acceſſit Conſtitutio Sixti V. *Effrenatam*, in qua declarat eo ipſo excommunicationem incurrere, Papæ reſervatam: et ſi Clerici beneficiati ſint, privationem beneficiorum pariter ipſo facto.

Verum hæc Conſtitutio moderata eſt a Gregorio XIV. & redacta ad terminos juris communis, ut ex utriuſque Conſtitutionis textu jam tranſcripto in notis ad *cap. II. Intelleximus*, *tit. De his qui*, p. 646.

SECTIO DCCCCXXV.

CAPUT XIV. EX LITERIS, *ex Decretali Clementis III. Epiſcopo Metenſi reſcripta.*

EX literis tuæ Fraternitatis accepimus, quod cum H. Presbyter fœnum vellet de curru deponere, perticam ſuperius alligatam projecit in terram, & cum fœno inſiſteret deponendo, quidam puerum quendam juxta currum reperit ſemivivum, in quo præter modicum livoris in fronte nihil inveniri potuit læſionis. Nos autem ab eodem quæſivimus Sacerdote, ſi priuſquam jaceret perticam, circumſpexiſſet ſolicite, an aliquis eſſet circa currum; qui quod diligenter circumſpexit, aſſeruit, ſed, quod vidiſſet aliquem denegavit. Ad te igitur remittentes eundem, mandamus, quatenus, ſi res ita ſe habet, niſi circa eundem grave ſcandalum ſit exortum, vel tanta laboret infamia, quod deficiente accuſatore, oporteat eidem canonicam purgationem indici, ipſum libere permittas exequi officium Sacerdotis.

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſi de facto Presbyteri, de quo in eadem caſus eſt, orta fuerit diffamatio, ei indicenda ſit purgatio canonica.

Verum hæc fere jam obſolevit, ut notabo infra ad ejus titulum.

SECTIO DCCCCXXVI.

CAPUT XIX. TUA NOS, *ex Decretali Innocentii III.*

TUA nos … Ad ultimum fuit ex parte tua propoſitum, quod quidam ſcholaris, metuens, ne latrones in hoſpitio ſuo eſſent, de ſtrato conſurgens, reperit ibi furem, qui non ſolum ipſum ſcholarem proſtravit ad terram, ſed pene ad mortem vulneravit eundem

dem (& infra.) Mane itaque ſcholares latronem quæſiverunt eundem, quem vulneratum inventum Poteſtati Vicentiæ tradiderunt, coram quo conſtanter negavit, quod præmiſſa minime perpetravit. Unde præfata Poteſtas ad eundem ſcholarem nuncios deſtinavit, ut exponeret, ſi qua ſciret de fure prædicto, vel traderet interſigna: qui cultrum, quem ipſi latroni abſtulerat, & ſotulares ab eodem in ipſius domo dimiſſos, quos abſtraxerat, ne pedum ſtrepitus audiretur, nunciis tradidit memoratis, ſuper eodem facto ſe nihil amplius intromittens. Poteſtas igitur, receptis talibus interſignis, latronem ipſum apparitoribus ſuis tradidit puniendum; qui illi amputaverunt virilia, & oculos eruerunt, latro vero ira, & dolore commotus, nec potum ſumpſit, nec cibum, & ſic de medio eſt ſublatus. Unde per noſtrum oraculum poſtulas edoceri utrum præfatus ſcholaris ad ſacros valeat Ordines promoveri. Nos igitur inquiſ. tuæ taliter reſpondemus, quod ſi præfatus ſcholaris dignis meritis adjuvatur, propter præſcriptum eventum a ſuſceptione ſacrorum Ordinum nullatenus eſt arcendus.

Hæc Decretalis, in qua declaratur, eum non incurrere irregularitatem, qui dederit judici laico ad ejus petitionem interſigna aggreſſionis, ſibi illatæ a fure, licet hic ob virilium amputationem, & oculorum eruitione ab ejuſdem judicis apparitoribus factam ira & dolore commotus obierit, ampliata eſt a Bonifacio VIII. declarante, poſſe quoſcunque Clericos citra irregularitatis incurſum, etiam judice ſeculari non requirente, coram eo de ſuis malefactoribus conqueri, licet agatur de criminibus pœna ſanguinis puniendis; cum expreſſa tamen proteſtatione, ſe nolle, ſeu dictam pœnam non intendere, ut ex ſequenti ejus Decretali, *relata in cap. II. hoc eodem titulo in VI.*

Prælatis, vel Clericis quibuſcunque, qui de laicis ſuis malefactoribus querelam penes ſecularem judicem deponentes, petunt emendam ſibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præſumantur, proteſtando expreſſe, quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendunt, imputari non debet; quamvis alias in tali caſu de jure debeat pœna ſanguinis irrogari, ſi judex mortem illis inferat, juſtitia exigente. Alioquin ſi Prælati, aut Clerici propter metum hujuſmodi, quia judex ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerique materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona libere deprædandi.

SECTIO DCCCXXVII.

CAPUT XX. SICUT, *ex Decretali Innocentii III. Priori, & Fratribus Carthuſienſium Ordinis reſcripta.*

Sicut ex literarum veſtrarum tenore accepimus, cum quidam Presbyter veſtri Ordinis, qui prius fuerat niger monachus, quandam mulierem prægnantem, cum qua contraxerat conſuetudinem inhoneſtam, & quæ aſſerebat, ſe concepiſſe ex eo, per zonam arripuerit quaſi ludens, ipſa per hoc ſic ſe aſſeruit eſſe læſam, quod occaſione hujuſmodi abortivit: propter quod idem Presbyter proborum virorum uſus conſilio, ſe ipſum duxit ab altaris miniſterio ſequeſtrandum (& infra.) Nos vero devotioni veſtræ inſinuatione præſentium reſpondemus, quod ſi nondum erat vivificatus conceptus, miniſtrare poterit, alioquin debet ab altaris officio abſtinere,

In hac Decretali declarat Innocentius, dantem cauſam abortui, ſi fœtus non eſt animatus, non fieri irregularem: qui ex communi medicorum ſenſu, ſi maſculus eſt, ordinarie animatur intra quadraginta dies, ſi femina intra octoginta; & aliquando ob calidiorem, vel frigidiorem matris naturam tardius, vel citius reſpective; neque ulla pœna hic infligitur.

Sed circa hæc vide jam animadverſa in Notis ad *cap. II. Intelleximus, tit. De his, qui filios occider.* ex Conſtitut. Sixti V. & Gregorii XIV. pag. 649. & ſeq.

Notandum vero eſt cum *Theſaur. de pœn. &c. verb. Abortus*, cum DD. ibi citatis = Ut fœtus in dubio præſumendus ſit animatus, intellige quoad effectum irregularitatis tantum, non tamen quoad alias pœnas =.

Quapropter, cum ſciri nequat, an fœtus ſit maſculus, vel fœmina, & an citius, vel tardius fuerit animatus, remanet ſemper dubium, an fuerit animatus, necne: & ſic juxta vulgata jura locum habet irregularitas, cum agatur de dubio homicidii voluntarii,

SECTIO DCCCXXVIII.

CAPUT XXI. POSTULASTI, *ex Decretali laudati Innocentii III. Silvacenſi Epiſcopo reſcripta, in Dania juxta Gonzalez.*

POſtulaſti (& infra.) Quæſiviſti præterea, utrum contra quoſdam, contempta excommunicationis ſententia, debitas Eccleſiis decimas ſubtrahentes, tibi regiam implorare liceat poteſtatem, cum ad ſolutionem ipſarum vix abſque ſanguinis effuſione valeant coarctari. Ad quod reſpondemus, quod ſi, te hujuſmodi querimoniam ſimpliciter deponente, Rex (cui ad bonorum laudem, vindictam vero malorum, gladius eſt commiſſus) in eoſdem rebelles traditam ſibi exercuerit poteſtatem, eorum erit duritiæ (aut malitiæ) imputandum.

Hæc Decretalis, ſtatuens, non imputari Clerico, civiliter peteoti juſtitiam a poteſtate laica, nec proinde incurrere irregularitatem, ſi hæc poſtea in laicum reum exerceat vindictam ſanguinis, confirmata eſt a Bonifacio VIII. addeote, ut expreſſam protestationem præmittat, ſe pænam ſanguinis non intendere, prout ſupra notavi ad *cap. XIX. Tua nos, hoc eod. titulo.*

Neque incurritur irregularitas ab Epiſcopo, vel parocho, etiamſi abſque proteſtatione ad petitiooem judicis laici tradat fidem baptiſmi rei capitalis ſententiæ, quem certo ſcit inde eſſe morte multandum, puta ſi ex dicta fide comperiatur, eum conſtitutum eſſe in ætate, a lege civili requiſita ad capitalem pœnam ſubeundam, ut ex ſequenti declaratone Cong. Conc. relata *lib. XXII. Decr. ejuſd. Cong. pag. 756.* a me de verbo ad verbum una cum facti ſpecie fideliter tranſcripta. X. Decemb. 1661.

= Io Licien. irregularitatis. Coram judice ſeculari civitatis Licienſis adoleſcens de graviſſimo crimine accuſatus, facti probationibus adeo premitur, ut capitalem pœnam propediem daturus credatur. Ad quam ille effugiendam excepit, ſe in minori ætate conſtitutum eſſe, prout ejuſdem ſuadere videtur aſpectus. Fiſcus ad hujuſmodi exceptionem elidendam ab Epiſcopo Licienſi petit, ſibi exhiberi librum in actis Curiæ eccleſiaſticæ de more aſſervatum, in quo deſcribuntur pueri baptizati. Dubitans Epiſcopus, an ſibi liceat petitioni indulgere, quandoquidem ex eo libro reum ætate majorem eſſe comperietur, ſupplex Sacram Congregationem, controverſiis jurisdictionalibus præpoſitam conſuluit, quæ oratoris libellum ad hanc Sacram Congregationem Concilii remiſit, ideo quæritur. An ſecundum prænarratam facti ſeriem ita liceat Epiſcopo Licienſi petitum librum baptizatorum Judici ſeculari exhibere, ut irregularia propterea minime fiat.

Cong. Conc. cenſuit io caſu, de quo agitur, per eahibitionem libri baptizatorum non contrahi irregularitatem =.

Titulus XIII. De Torneamentis.

SECTIO DCCCXXIX.

CAPUT I. FELICIS, *ex Decretali, deſumpta a Can. XX. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. an.* 1179.

FElicis memoriæ Innocentii, & Eugenii Prædeceſſor. noſtrorum veſtigiis inhærentes, deteſtabiles illas nundinas, vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ temere congredi, unde mortes hominum, & animarum pericula ſæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentia non negetur, eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.

SECTIO DCCCXXX.

CAPUT II. AD AUDIENTIAM, *ex Decretali Alexandri III. Ambienſi Epiſcopo ſcripta.*

AD audientiam noſtram noveris perveniſſe, quod cum quidam ad locum deputatum torneamentis, cauſa requirendi debita acceſſiſſet [& infra.] Nos attendentes, quod

his

his tantum eccleſiaſtica ſepultura debeat interdici, qui ad torneamenta animo id faciendi, tantum accedentes, decedunt ibidem: fraternitati tuæ mandamus, quatenus, ſi tibi conſtiterit, quod ad prædictum torneamentum non animo ludendi, ſed percipiendi credita perveniſſet, licet ibi fortuito caſu objerit, corpus ejus diſpenſatione, eccleſiaſticæ tradi facias ſepulturæ; maxime ſi Dominicum corpus ſuſceperit, & ſacra fuerit unctione perunctus.

In his duabus Decretalibus innovatur prohibitio torneamentorum, olim jam facta a Conſtantino Imperatore *L. unica C. de Gladiatoribus*, & poſtea tam ab Innocentio II. in Synodo Romana, *Can. X.* quam ab Eugenio III. in Concilio Rhemenſi, *Can. XII.* ſub pœna (& latæ quidem ſententiæ juxta communem Canoniſtarum) privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi quis in iis ludens objerit, licet penitens.

Præter hanc pœnam Clemens V. in Concilio Viennenſi (cujus tamen Conſtitutio non extat in corpore juris) addidit excommunicationem Papæ reſervatam, nedum hæc torneamenta, haſtiludia, ſeu juſtras inſtituentes, ſed etiam in præſtantes favorem, auxilium, & conſenſum: in loca vero, ubi exerceri permittebantur, Interdictum. Quas tamen pœnas ſuſtulit Joannes XXII. *in Extravaganti unica, Quia in futurum, hoc tit.* ea de cauſa, ut plures exerceri poſſent milites mittendi in ſubſidium Terræ ſanctæ contra Barbaros, cum tunc ſacra Federatorum ſocietas vigeret. Hæc vero revocatio non extenditur ad mox traſcriptam Conc. Lateranenſis Decretalem, cum accipienda ſit de tali armorum exercitio, in quo, quantum fieri poteſt, præcavetur corporis, & animæ periculum.

Cum autem non diſſimiles his torneamentis ſint taurorum agitationes, in quibus homines ad oſtentationem virium ſuarum cum tauris, aliiſque feris beſtiis pugnant, nec cum diſſimili vitæ diſcrimine, ut inter cæteros triſtis probavit eventus in hujuſmodi agitatione, Romæ habita, an. 1332. intra Amphiteatrum Flavium, vulgo Coloſſeum, in qua, prout refert Marangonius in *Memoriis ſacris, prophaniſque Amphiteatri Flavii Urbis pag. 54.* duo de viginti equites ex nobiliſſimis Urbis ſaliis enecati, novemque vulnerati fuerunt, vetitæ fuerunt a S. Pio V. ſub penis contentis in Conſtit. *De ſalute 1. Novembris 1567.* ibi.

Sane licet deteſtabilis duellorum uſus, a diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex decreto Concilii Tridentini prohibitus fuerit, nihilominus adhuc in plerisque civitatibus, & aliis locis quamplurimi ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ in publicis, privatiſque ſpectaculis, cum tauris, & aliis feris beſtiis congredi non ceſſant, unde etiam hominum mortes, membrorum mutilationes, animarumque pericula frequenter oriuntur. Nos igitur conſiderantes, hæc ſpectacula, ubi tauri, & feræ in circo, vel foro agitantur, a pietate, & charitate chriſtiana alienaſſe, ac volentes hæc cruenta, turpiaque dæmonum, & non hominum, ſpectacula aboleri, & animarum ſaluti, quantum cum Deo poſſumus, providere, omnibus, & ſingulis Principibus chriſtianis, quacunque, tam eccleſiaſtica, quam mundana, etiam Imperiali, Regia, vel quavis alia dignitate fulgentibus, quovis nomine nuncupantur; vel quibuſvis Communitatibus, & Rebusblicis, hac perpetuo noſtra Conſtitutione valitura, ſub excommunicationis, & anathematis pœnis, ipſo facto incurrendis, prohibemus, & interdicimus, ne in ſuis Provinciis, civitatibus, terris, oppidis, a locis hujuſmodi ſpectacula, ubi taurorum, aliarumque ferarum beſtiarum agitationes exercentur, fieri permittant: militibus quoque, cæteriſque aliis perſonis, ne cum tauris, & aliis beſtiis in præfatis ſpectaculis, ipſi tam pedeſtres, quam equeſtres congredi audeant, interdicimus. Quod ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, eccleſiaſtica careat ſepultura. Clericis quoque tam regularibus, quam ſecularibus, beneficia eccleſiaſtica obtinentibus, vel in ſacris Ordinibus conſtitutis, ſub excommunicationis pœna, ne eiſdem ſpectaculis interſint, ſimiliter prohibemus; omneſque obligationes, juramenta, & vota, a quibuſvis perſonis, Univerſitate, vel collegio de hujuſmodi taurorum agitatione, etiam ut ipſi falſo arbitrantur, in honorem Sanctorum, ſeu quarumvis eccleſiaſticarum ſolemnitatum, & feſtivitatum, quæ divinis laudibus, ſpiritualibus gaudiis, piiſque operibus, non hujuſmodi ludis celebrari, & honorari debent, hactenus factas, & facta, ſeu in futurum facienda, quæ, & quas omnino prohibemus, caſſamus, & annullamus, ac pro caſſis, nullis, & irritis haberi perpetuo decernimus, atque declaramus.

Mandamus autem omnibus Principibus, Comitibus, & Baronibus S.R.E. feudariis, ſub pœna privationis feudorum, quæ ab ipſa Eccleſia Romana obtinent: reliquos vero Principes chriſtianos, & terrarum dominos prædictos hortamur in Domino, & in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut pro divini nominis reverentia, & honore, præmiſſa omnia in ſuis dominiis, ac terris hujuſmodi exactiſſime ſervari faciant, uberrimam ab ipſo Deo

 mer-

mercedem tam boni operis recepturi: ac univerſis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, in virtute S. Obedientiæ, ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus in civitatibus, & diœc. propriis præſentes noſtras literas ſufficienter publicari faciant, & præmiſſa, etiam ſub pœnis, & cenſuris eccleſiaſticis obſervari procurent.

Hujus Conſtitutionis rigorem temperavit Gregorius XIII. pro Regnis tamen Hiſpaniarum dumtaxat cum limitationibus, ut in ſequenti Conſtit. relata a Quaranta, verb. *Torneamenta.*

Exponi Nobis nuper fecit cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, quod fel. record. Pius Papa Prædeceſſor noſter periculis fidelium occurrere volens, per ſuam Conſtitutionem omnibus Principibus chriſtianis, cæteriſque perſonis in ea expreſſis, ſub excommunicationis, & anathematis, & aliis cenſuris, & pœnis prohibuerit, ne in eorum locis ſpectacula, ubi taurorum, aliarumque ferarum beſtiarum agitationes exercerentur, fieri permitterent, aut illis, quomodolibet intereſſe, prout in eadem Conſtitutione latius continetur. Nihilominus idem Philippus Rex Regnorum ſuorum Hiſpaniarum utilitate motus, quæ ex agitationibus hujuſmodi taurorum pervenire ſolita erant, nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ipſius Philippi Regis Nobis in hac parte humiliter porrectis ſupplicationibus inclinati, excommunicationis, anathematis, & interdicti, aliarumque eccleſiaſticarum ſententiarum, & cenſurarum in ipſius Pii Prædeceſſoris Conſtitutione contentas pœnas, eiſdem Hiſpaniarum Regnis, quoad laicos, ac Fratres milites tantum quaruncumque militiarum, etiam præceptorias, & beneficia ipſarum militiarum pro tempore obtinentes, dummodo dicti Fratres milites ſacris Ordinibus initiati non fuerint, & agitationes taurorum feſtis diebus non fiant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium tollimus, & amovemus, præmiſſis, aliiſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Proviſo tamen per eos, ad quos ſpectat, quod exinde alicujus mors, quoad fieri poterit, ſequi non poſſit.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Auguſti 1575. Pontificatus noſtri Anno IV.

Denique a Clemente VII. pro dictis itidem Regnis ſublata eſt tantum pœnalis prohibitio præfatas agitationes ſpectandi quoad omnes, etiam Clericos ſeculares, non vero regulares, ut in ſequenti Conſtit. relata ab eodem Quaranta *loc. cit.*

Nos conſiderantes, pœnas omnes, excommunicationis præſertim, & anathematis, ſalutares eſſe debere, quod eo conſilio adhibendæ ſint, ut omnes illarum timore perterriti eas res, quæ prohibentur, omnino evitent, & animadvertentes commemoratas cenſuras, & pœnas parum in dictis Hiſpaniarum Regnis hactenus profeciſſe, atque hoc tempore non ſolum animabus non mederi, ſed plurimum obeſſe, quinimo materiam ſcandali pleriſque afferre; his ſane malis, atque periculis pro debito paſtoralis officii, quantum cum Domino poſſumus, occurrere cupientes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, excommunicationis, atque anathematis, cæteraſque pœnas in dictis literis contentas, quoad omnes in illis expreſſos in Regnis Hiſpaniarum dumtaxat (Monachis, & Fratribus Mendicantibus, cæteriſque cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti Regularibus exceptis) tollimus, removemus, & amovemus, eaſdemque Pii Prædeceſſoris literas ad terminos juris communis, cui per præſentes non intendimus derogare, perpetuo reducimus, ac reſtituimus, reductaſque, & reſtitutas eſſe decernimus, & declaramus, non obſtantibus præmiſſis, necnon cæteris Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aliiſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut hujuſmodi taurorum agitationes in eiſdem Hiſpaniarum regnis feſtis diebus non fiant, & per eos, ad quos ſpectat, provideatur, ne inde alicujus mors, quoad fieri poterit, ſequatur. Clericos vero ſeculares beneficia eccleſiaſtica obtinentes, & in ſacris Ordinibus, ſeu in eccleſiaſtica dignitate conſtitutos in dictis Hiſpaniarum regnis exiſtentes per præſentes monemus, & hortamur in Domino, ne paterna hac noſtra ex Sedis Apoſtolicæ benignitate abutantur, ſed memores muneris, & vocationis ſuæ, eamque utriuſque rationem habeant, ut nihil quod a p ropria dignitate, & a ſua, cætero runque ſalute, alienum exiſtimetur, ullo un-

unquam loco admiſiſſe arguantur. Dat. Romæ apud Divum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die decimotertio Januarii, anno 1596. Pontificatus noſtri Anno IV.

Tituli XIV. De Clericis pugnantibus in Duello.

SECTIO DCCCXXXI.

CAPUT I. PORRO, *ex Decretali Alexandri III.*

PORRO ſi Clericus alicui ſponte duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit, ſive victor, ſive victus fuerit, de rigore juris eſt merito deponendus. Sed quantumcunque ejus in hoc gravis ſit, & enormis exceſſus, evadere poteſt depoſitionis ſententiam, ſi cum ipſo ſuus Epiſcopus duxerit miſericorditer diſpenſandum; dummodo ex ipſo duello homicidium, vel membrorum diminutio non fuerit ſubſecuta.

SECTIO DCCCXXXII.

CAPUT II. HENRICUS, *ex Decretali Cæleſtini III. ignotum, cui reſcripta.*

HEnricus Presbyter Nobis humiliter intimavit, quod cum laicum quendam ſuper furto in ſeculari placito conveniſſet, quia teſtes ſui defecerunt, pugilem ſecundum pravam terræ conſuetudinem introduxit, qui reum uſque adeo ictibus vulneravit, quod coactus eſt expirare. Quia igitur ſuper hoc nos conſulere voluiſti, ambiguitatem tuam reſponſione hujuſmodi removemus, quod tales pugiles homicidæ veri exiſtunt: nec prædictus Sacerdos, licet non ipſe, ſed alius pro eo in duello pugnaverit, debet in ſacris Ordinibus miniſtrare, ſicut tradunt ſacrorum Canonum inſtituta. Homicidium autem, tam facto, quam præcepto, ſive conſilio, aut defenſione non eſt dubium perpetrari: poterit tamen cum eo circa habendum beneficium miſericorditer diſpenſari.

In prima hac Decretali ſtatuitur, deponendum eſſe Clericum, ſi alicui ſponte duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit, & ab hac ſuſpenſione, poſtquam lata fuerit, diſpenſari, ſeu abſolvi poſſe a proprio Epiſcopo, ſi in duelli conflictu ſubſecuta non fuerit mors, aut membrorum mutilatio.

Pro intellectu ſecundæ Decretalis præmittendum eſt, prout notat ad hunc tit. Ambroſius le Grauffre *in Synopſi Decretalium*, apud aliquas nationes, etiam chriſtianas, in more poſitum fuiſſe, ut quoties dubia veritatis probatio de objecto crimine videretur, ea ex eventu ſingularis certaminis, ab accuſatore, & accuſato ineundi, erueretur, & ſi accuſator non valeret per ſe pugnare, obtinere poſſet a magiſtratu licentiam alium ſubſtituendi loco ſui, (quem pugilem, ſeu campionem Longobardi vocabunt) pro purgatione objecti criminis, tanquam ſpeciem purgationis vulgaris, ut *lib. V. L L. Longobardicarum, tit. de Maleficiis, L. ultima.*

Cum igitur tempore Cæleſtini adhuc hic mos vigeret, & quidam Presbyter hoc certamen per alium iniiſſet, ſtatuit Pontifex, ut ſiquis Sacerdos id peregiſſet, adverſario occiſo, pro vero homicida, & irregulari habendus eſſet, relicta Epiſcopo facultate diſpenſandi, ut obtinere poſſet beneficium.

Verum hodie longe diverſa eſt Eccleſiæ diſciplina in infligendis pœnis contra hujuſmodi reos, inter quos reperiri ſolent quinque genera perſonarum, ut docet Azorius *par. III. lib. II. cap. VII.* I. Principes, Imperatores, Reges, vel alios dominos, duellum concedentes in terris ſibi ſubjectis. II. Pugnantes. III. Patrinos eorum. IV. Eos, qui conſulunt, vel aliquo modo favent. V. Spectatores, qui ad ſpectaculum concurrunt.

Quæ autem ſint ex pene, nedum contra Clericos, ſed etiam contra laicos quoſcunque, duellum, illudque permittentes, auctæ tam a Tridentino, quam ab Apoſtolicis Conſtitutionibus, ſpecialis inſtituetur ſermo *parte II. ad caput XIX. ſeſſ. XXV. ejuſdem Trident.* in qua etiam referentur propoſitiones hac de re proſcriptæ.

Titu-

Titulus XV. De Saggittariis.

SECTIO DCCCXXXIII.

CAPUT UNICUM, ARTEM ILLAM, *ex Decretali Innocentii II. non III. deſumpta ex Can. XIX. Concilii Lateronenſis II. ut probat Gonzalez, ſub eodem Pontifice celebrati an.* 1139.

ARtem illam mortiferam, & odibilem baliſtariorum, & ſagittariorum adverſus chriſtianos, & catholicos exerceri de cætero ſub anathemate prohibemus.

Sagittariorum ars olim in eo ſita erat, ut ex arcubus plures ſagittæ ſimul, & ſemel emitterentur: Baliſtariorum vero, ut ex baliſtis, & catapultis jacularentur ſaxa in hoſtes. Cum vero frequenter exerceretur contra catholicos, & etiam in bello injuſto, (juxta Gloſſam hic) inter catholicos, & catholicos, ideo Pontifex dictam artem prohibuit ſub pœna excommunicationis, ferendæ tamen ſententiæ.

Hodie ſagittarum, & balliſtarum loco ſunt in uſu tormenta, aliaque inſtrumenta bellica: & ſi bellum ſit juſtum, nihil ad juſtitiam intereſt, quibus inſtrumentis, & armis militetur, etiam inter catholicos, & catholicos, *Can. II. Dominus, cauſ. XXIII. qu.* 2.

Titulus XVI. De Adulteriis, & Stupro.

SECTIO DCCCXXXIV.

CAPUT I. SI SEDUXERIT, *ex Decretali deſumpta a cap. XXI. Exodi.*

SI ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt.

Huic Decretali ſtatuenti, ut seducens, & ſtuprans virginem, eam debeat nedum dotare, ſed etiam in uxorem ducere, acceſſit uniformis Interpretum conſenſus, ac ubique recepta conſuetudo in omnibus tribunalibus, ut luculenter demonſtrat clariſſimus vir Chriſtophorus Coſci *de Sponſalib. filiorum familias, Voto VII. num.* 47. *& ſeqq.* qua vel hæc lex explicata eſt, vel nova ſancita, ut pro ſui optione, aut dotare, aut deſponſare teneatur, dummodo copulam non præceſſerit promiſſio acceptata contrahendi matrimonium, & ſtuprum non factum fuerit vi, ut probat Fagnanus *ad cap. II. Pervenit, hoc eod. tit. n.* 3. Quamvis non deſint Juriſtæ, aſſerentes particulam *Et*, quæ legitur in d. Decretali ex ſui ſignificatione in jure accipi nedum pro conjunctiva, ſed etiam pro disjunctiva *L. LIII. ff. de verb. ſignificat.*

Poſita hac alternativa dotandi, vel nubendi, electio erit ſtupratoris, tanquam debitoris,

Non dabitur vero electioni locus, ſi ſtuprata nolit ei nubere, vel non poſſit ob aliquod impedimentum, & tunc tenebitur eam dotare, & ſi dotare nequeat, tenebitur ipſam volentem ducere. Si tandem hæc nubere nolit, loco ſolutionis dotis, ſuccedet pœna fuſtigationis, vel alia &c. Remig. Maſch. *Inſtit. Canon. hoc tit. par. II. num.* 12. *pag.* 523.

SECTIO DCCCXXXV.

CAPUT II. PERVENIT, *ex Decretali S. Gregorii Magni, Epiſcopo Sipontino ſcripta.*

PErvenit ad Nos, quod Felix quandam virginem ſtupro decepit: quod ſi verum eſt, quamvis eſſet de lege pœna plectendus, Nos aliquatenus legis duritiem mollientes, hoc modo diſponimus, ut aut, quam ſtupravit, uxorem habeat, aut ſi renuendum putaverit, cor-

corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque, in monaſterio, in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo nulla ſit egrediendi ſine præceptione licentia.

Statuit hic Pontifex, ut quam quis ſtupravit, uxorem habeat, etſi eam ducere renuerit, puniatur corporaliter, ac præterea excommunicetur, & donec ſtupratam non deſponſaverit, in monaſterium detrudatur ad agendam pœnitentiam ſine ſpe egrediendi abſque licentia Papæ.

Ex hac Decretali infertur clare, derogatum fuiſſe alteri mox tranſcriptæ: quandoquidem non relinquitur hic ſtupratori optio dotandi, vel nubendi, ſed imponitur onus ſub gravibus pęnis nubendi dumtaxat.

Verum hæc hodie non eſt amplius in uſu, tam quoad onus nubendi, quam quoad pęnas, potiſſimum detruſionis in monaſterium, ſed ſervatur quod juxta probatam conſuetudinem de ſtuprata virgine, dotandi nempe, vel ducendi deciditur.

Romæ, præter onus dotandi, vel nubendi ſtrupratam, & refectionis damnorum, ex edicto Cardin. Guadagni Papæ Vicarii, juſſu Clementis XII. publicato die 13. Septemb. 1736. ſtuprator ſubjacet pœnæ corporali, triremium videlicet, ſi laicus fuerit, & ergaſtuli, ſi Clericus, aut etiam relegationis, judicis arbitrio, juxta caſus, gradus, & conditionis perſonæ circumſtantias, & potiſſimum juxta majorem, vel minorem ſeductionem factam deſloratæ: hæc vero ſubjacet pęnæ carceris, juxta pariter circumſtantias, ut ſupra, & qualitatem ſeductionis, quam vel paſſa fuerit, vel ipſamet fecerit.

Si ſtuprum commiſſum fuerit cum promiſſione matrimonii, nulla eidem ſtupratæ competit actio, niſi promiſſionem legitime, & concludenter probaverit: ſicuti nec ſi eſſet diſparis conditionis cum deſlorante; ita ut ex matrimonio ſic contracto oriretur grave aliquod ſcandalum, aut conſanguineis ignominia, licet promiſſionem concludenter probaret: firmo tamen remanente onere in deſlorante refectionis damnorum favore partium, prout de jure.

Tandem parentibus, fratribus, aliiſque, quibus de jure competit puellarum cuſtodia, ac proinde querela, & accuſatio ſecuti ſtupri, ſi reperti fuerint, vel lenocinii rei, vel conniventes pravæ deſlorantis, & deſloratæ conſuetudini, adimitur actio petendi tam dotem nomine deſloratæ, quam refectionem damnorum, quorum æſtimatio, a deſlorante debita, & judicis arbitrio taxanda, exigi debet a Fiſco, in pios uſus, prout ei libuerit, eroganda.

Quibus præterea pęnis prædicti ſubjaceant ſequenti Sectione dicetur.

Nota, quod quamvis prudenter fere ubique locorum prohibeatur, ne ante contractum matrimonium ſponſus in una, eademque domo cum ſponſa habitet propter periculum evidens copulæ, non tamen prohiberi poteſt ſub pœna ſtupri, ſed dumtaxat ſub pœna arbitrio Ordinarii infligenda ex decreto Cong; Conc. relato a Bened. XIV. *lib. XII. de Synod. diœc. caput VI. num. 3.*

SECTIO DCCCXXXVI.

Caput III. Si vir, *ex Decretali, tributa Concilio Arelatenſi, quam tamen Gratianus citat ex Hormisda cauſ. XXXIV. Can. VII. quæſt. I.*

Si vir, ſciens, uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permaneat in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps. Quod ſi mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum ſuum reverti, debet, ſed non ſæpe, recipere peccatricem.

Duo in hac Decretali ſtatuuntur.

I. Ut maritus, conſcius adulterii uxoris, ſi hæc perſeveret in tali commercio, teneatur eam dimittere, ne fiat ejuſdem peccati particeps, & lenocinii reus.

II. Ut teneatur eam, ſaltem prima vice, recipere, ſi poſt peractam pœnitentiam ipſa ad eum redire voluerit.

Ad ſecundam partem quod ſpectat, huic Decretali derogatum eſt a Gregorio IX. declarante, maritum non teneri eam recipere, licet ad melioris vitæ frugem converſam, qui hortari quidem (non certe cogi poteſt) ut ex charitate recipiat, prout ex ejus Decretali, relata in *cap. XIX. Gaudeamus, de Converſ. conjugat.* ibi

Gaudeamus in Domino (& infra.) Mulieres vero, quæ relicto maritali thoro, lapſu carnis ceciderunt, ſi mariti earum a te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ converſas noluerint recipere propter Deum, in clauſtris cum religioſis mulieribus ſtudeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant.

Idem jam prius declaravit Alexander III. in *cap. IV. Significaſti, de Divortiis.*

Primæ vero parti acceſſit Conſtitutio Sixti V. *Ad compeſcendum 30. Octobris 1586.* in qua præter alias pœnas, a Sacris Canonibus inflictas, addidit pœnam ultimi ſupplicii tam in adulteros, & adulteras, quam in Lenones, & Lenas, ibi.

Sta-

Statuimus, & ordinamus, ut conjuges, qui, quæque indiſſolubilem matrimonii nexum divina lege copulatum contemnentes, ſine Eccleſiæ judicio, ſeu eccleſiaſtici judicis ſententia propria temeritate a communi cohabitatione diſceſſerint, aut ſe a conjugali thoro ſeparare præſumpſerint, arbitrio judicum pro exceſſuum gravitate puniantur.

Sed &, ſi per ſententiam judicis eccleſiaſtici ſeparatio facta fuerit, ne ipſi conjuges ſacrorum Canonum, & publica judicum auctoritate abutentes, delinquendi, & adulteria committendi occaſionem ſumant, ſtatuimus, & decernimus, maritum, qui dolo, aut fraude, ſive alia quavis occaſione, vel cauſa, etiam ſecundum juris canonici diſpoſitionem, ſeparationem thori ab uxore ſua affectaverit, procuraverit, & obtinuerit, ſeque a cohabitatione uxoris cum effectu ſeparaverit, ac poſt a ſe abjectam, vel amotam uxorem, pellicem, vel concubinam palam induxerit, & retinuerit, aut cum ſcortis, & meretricibus, & aliis mulieribus impuram vitam duxerit, adeoque impudenter ſe volutaverit in cæno luxuriæ, & adulteriis, ut vel ex eo ſatis conſtet, ipſum ad exercendam liberius libidinem ſuam ſe ab honeſtiſſimo matrimonii jugo exolvendi cauſam de induſtria quæſiviſſe, pœna ultimi ſupplicii plectendum eſſe. Similiter uxorem, quæ iſtigante antiquo pacis, & pudicitiæ hoſte, ſub prætextu morum, ſevitiæ, furoris, vel inſaniæ, impotentiæ coeundi, maleficii, aut alterius canonici impedimenti, vel alicujus delicti marito ſuo objecti, aut alias quoquo modo ſuſcitatis contra maritum diſcordiis, ac diſſidiis, etiam ad id via juris procedendo, ſubterfugium obedientiæ maritalis improbe exquiſierit, & frænum, ac jugum viri ſui excutere, ſeque ab illo eximere procuraverit, aut certe culpa ſua marito petendæ ſeparationis cauſam præbuerit, & poſteaquam a connubiali thoro judicio Eccleſiæ ſeparata extiterit, quaſi auctoritate legum, & judiciorum ſuæ luxuriæ explendæ occaſionem nacta, ſe ſcandaloſæ, & impudicæ vitæ dederit, & complura, ac cum diverſis perſonis adulteria perpetraverit, aut ſe in prædam adulterorum turpiter commaculandam publice expoſuerit, ſive palam quæſtum fecerit, eadem pæna ultimi ſupplicii puniri volumus. Quod ſi, pendentibus hujuſmodi litibus, & controverſiis ſuper ſeparatione, vel divortio, aut ſubſecuta, ut præmittitur, thori ſeparatione, uxor ipſa arbitrio Judicis, ad quem ſpectaverit, in monaſterio aliquo monialium, aut certe in aliquo tuto, & honeſto loco, ſive apud aliquas probas, honeſtas, & non ſuſpectas perſonas depoſita, & collocata fuerit (ſuper quo etiam, ut id magna adhibita cautione, & ſine aliquo periculo, aut ſuſpicione circumſpecte fiat, judicis ipſius conſcientiam oneramus) ſtatuimus, ut ipſa uxor ſic depoſita, & collocata, ſlè monaſterio ſine licentia ſui Judicis, violata clauſura, exiverit, ſive a cuſtodia, & cura, vel alio honeſto loco ſibi per Judicem aſſignato, temerario auſu aufugerit, & vitam impudicam, & inhoneſtam duxerit, eadem etiam pæna plectatur. Præterea eum, qui, ut virginem aliquam, aut alienam uxorem, ſtupro, ſive adulterio corrumpat, aut polluat, ejus patrem, aut matrem, fratrem, ſive ſororem, aut maritum, aliamve perſonam, ſub cujus cura, tutela, cuſtodia, vel poteſtate illa exiſtit, prætextu cujuſvis cauſæ civilis, criminalis, aut mixtæ, etiam ad Procuratoris Fiſci inſtantiam in carcerem detrudi directe, vel indirecte procuraverit, & ea occaſione deinde virginem illam, ſive uxorem alienam ſtupraverit, aut adulteraverit, cum & is quoque ſuæ pravæ concupiſcentiæ explendæ cauſa, publicam legum, & magiſtratuum poteſtate impudenter abutatur, & ſub colore judicii innocentes, atque incatos opprimat, dicta quoque pæna ſtatuimus puniendum. Ac poſtremo etiam in patrem, matrem, aut virum, qui, quæve ſuæ filiæ virginis pudorem, aut propriam uxorem in prædam alienæ libidinis tradiderit, & re ipſa proſtituerit, aut induxerit, ut contra jus, & fas ſtupra ,] & adulteria, quæſtus, aut alia quavis cauſa palam exerceat, pæna eadem volumus animadverti. Antiquis tamen juribus contra cæteros adulteros, & adulteras, lenones, & lenas, ac ſtupra, & hujuſmodi facinora perpetrantes promulgatis, alias in ſuo robore permanſuris. Cæterum, quemadmodum hac noſtra Conſtitutione id nobis propoſitum eſt, ut ſi quos homines in poſterum honeſtatis, ac divinæ legis interdum oblivio cæperit, eos ſaltem ſupplicii metus, a flagitiis, ſceleribuſque deterreat, ita hodie tales nullos eſſe vehementer optamus. Quod ſi quæ forte ſint conjugatæ, quæ palam impudice, ac turpiter vivant, iis novem dumtaxat dierum ſpatium, poſt hujus Conſtitutionis publicationem ad reſipiſcendum damus: intra quod tempus, ſi velint redire ad cor, venerabilem fratrem noſtrum Jacobum Epiſcopum Portuenſem, Cardinalem Sabellum, noſtrum in prædicta Urbe Vicarium, vel ejus Vicesgerentem adire debeant, eiſque polliceri,

ri, ſe deinceps pudicam vitam acturas, & aut cum ſuis viris cohabitaturas, aut honeſto in loco, ubi ab ipſis judicibus, ut ſupra dictum eſt, collocatæ, ſeu depoſitæ fuerint, permanſuras, quo termino elapſo contra ſic, ut ſupra, delinquentes, ad pœnas prædictas omnino procedi mandamus.

Nota I. Sixti Conſtitutionem locum habere in Urbe tantum, ut ex ipſius Pontificia declaratione in fine §. I.

Nota II. Ad incurrendam pœnam ibi ſtatutam requiri, quod uxor, vel filia pluries lenocinio mariti, vel fratris fuerit proſtituta: quamvis tam maritus, quam pater lenones dicantur, licet ſemel reſpective permittant eas alterius libidini inſervire, ut animadvertit Urſaya *Inſtit. crimin. lib. 3, tit. 5. de crimin. carn. num.* 40.

Nota III. Ad perfectam rationem lenocinii requiri, ut hoc ſuum ſortitum ſit effectum, quod ſcilicet libidinis exercitium ſecutum fuerit, ut etiam animadvertit laudatus Auctor §. *Limita modo*.

Nota IV. Quod quamvis ad rigoroſum lenocinium requiratur, quod fiat cauſa lucri, in Urbe tamen reſpectu parentum, & reſpective maritorum ex cit. Sixti Conſt. ſemper eſt tale, etiam ex quacunque alia cauſa.

Nota V. Ex cit. Sixtina Conſtit. & Pauli IV. (de quibus ſermo eſt in mox cit. Cardin. Guadagni edicto) Clericos lenones privari ipſo facto omni beneficio clericali, & ex eodem edicto infamiam incurrere, ex clariſſima utriuſque lectura, ac proinde etiam irregularitatem, quæ ex vulgatis, oritur ex infamia.

Nota VI. Quod prædictæ Conſt. in laudato edicto declarantur in ſuo robore permanere, & expreſſe innovantur, & præcipitur a judicibus exacte ſervari, etiam quoad ultimum ſupplicium, in caſibus in eiſdem expreſſis: in quo ulterius contra reos ſimplicis lenocinii infliguntur ſequentes pœnæ in eadem Urbe valituræ, videlicet.

I. Carceris decem annorum juxta diverſitatem ſexus in parentes, fratres, alioſque, quibus de jure competit cuſtodia earum puellarum, ſi rei reperti fuerint dicti lenocinii: ſeptem vero annorum ad triremes, aut reſpective carceris, ſi conniventes tantum extiterint, relicto judicibus arbitrio puniendi etiam eorum negligentiam in illas cuſtodiendo.

II. Item ſeptem annorum ad triremes, & reſpective carceris, ut ſupra in famulos, famulas, alioſque ſalario conductos, quorum mediatione, auxilio, & conſilio ſtuprum ſecutum fuerit.

III. Item quinque annorum ad triremes, & totidem carceris reſpective in quoſcunque alios ſimplicis lenocinii reos, data facultate judicibus hanc pœnam ad majus tempus extendendi juxta diverſas caſuum circumſtantias.

IV. Tandem, ut omnes ſupra enunciati, ſive lenocinii rei, ſive conniventes, antequam ad triremes mittantur, aut carceri mancipentur, per Urbem cum ſolitis infamiæ inſignibus circumducantur, inſcripta ante pectus in membrana delicti ſpecie.

Quæ actio competere poſſit tam defloratis puellis, quam parentibus, fratribus, aliiſque, ad quos de jure ſpectat earundem cuſtodia, ſi reperti fuerint, vel lenocinii rei, vel conniventes ipſarum deflorationi, jam dixi in Notis ad *cap. II. Pervenit* pag. 653.

Propoſitio circa adulterium proſcripta ab Innocentio XI. *ſub die 2. Martii* 1679. in ordine la 50. inter alias ab eodem proſcriptas eſt = Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; ideoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum = Quam propoſitionem docens &c. & ad praxim deducens, incurrit pœnas, quas incurrunt docentes &c. propoſitiones proſcriptas circa homicidium, relatas ſupra ad *cap. II. Interfeciſti* pag. 655.

S E C T I O D C C C X X X V I I.

Caput V. Significasti, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Cartonenſi reſcripta.*

SIgnificaſti nobis, quendam Presbyterum cum alterius conjuge infra Eccleſiam dormiviſſe, quæ ſe, & illum cuidam Sacerdoti hujuſmodi delictum confeſſos fuiſſe publice tibi detexit, & hoc ipſum idem Sacerdos nomen adulteri celans in tua præſentia dixit. Super quo quid fieri debeat, cum negante adultero, mulier in confeſſione perſiſtat, conſilium requiſiſti. Ideoque mandamus, quatenus condignam pænitentiam præfatæ imponens adulteræ, Eccleſiam per aſperſionem aquæ benedictæ reconciliare procures. Prædicto autem Sacerdoti, ne contra Apoſtolum infirmorum corda mala fama ipſius percutiantur, & ne vituperetur miniſterium noſtrum, neque ſecuriores Presbyteri exiſtentes, in peccatum licentius prolabantur, cum vicinis quinque Presbyteris, quos ſe nolle pejerare cognoveris, juxta arbitrium tuum purgationem indicas, quem, ſi purgare ſe poterit, in officio ſuo miniſtrare permittas: alioquin ab officio ſuo ipſum ſuſpendere non poſtponas.

In hac Decretali ſtatuitur, indicendam eſſe purgationem canonicam cuidam Presbytero diffamato de crimine commiſſi adulterii intra Eccleſiam.

Verum hæc purgatio fere jam obſolevit, ut notabitur infra ad eundem titulum.

Statuitur quoque, ad dictum unius de commiſſo adulterio in Eccleſia hanc eſſe pollutam, ideoque reconciliandam, licet alter hoc neget. Circa quam execrationem, & reconciliationem vide dicta Sectione DCCII. pag.426.

Titulus XVII. De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Eccleſiarum.

SECTIO DCCCXXXVIII.

Caput I. De illis, *ex Decretali, deſumpta, a Can.XX. Concilii Meldenſis celebrati an. 745. apud Meldam, vulgo Meaux, annuente Carolo Calvo, Francorum Rege.*

De illis autem, qui de loco ad locum iter faciunt, & ibi rapinas, & deprædationes peragunt, placuit, ut ab illius loci Prælato excommunicentur, nec ante ex parochia illa exeant, quam digne, quæ perpetraruut, emendent, quorum excommunicatio proprio Epiſcopo ſignificanda eſt, ne eos recipiat, antequam illuc redeant, ubi rapinam fecerint, & omnia plene emendent,

Hæc Decretalis, ſtatuens, excommunicandos eſſe peragentes rapinas, & deprædationes, ampliata eſt ab Eugenio III. in ſequenti Decretali, univerſo Clero indicta, & relata *hoc eod. tit. cap.II. Super eo*, addente, ut ſi ante mortem noluerint ſatisfacere, priventur etiam eccleſiaſtica ſepultura, tanquam notorii peccatores, ibi.

Super eo vero (& infra.) Statuimus, ut quicunque ex his, qui violenter ſurrexerint in rapinam, ſive Eccleſiarum violationes, manifeſte fuerit deprehenſus, niſi prius ablata reſtituat, ſi poterit, vel emendandi firmam, & plenam ſecuritatem fecerit, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegetur. Si vero uſque ad obitum in contumacia ſua duraverit, & in extremis poſitus, remedium pœnitentiæ humiliter poſtulaverit, ſi emendationem, vel emendandi ſecuritatem præſtiterit, ei pænitentia, & ſepultura eccleſiaſtica concedantur. Qui autem in ſanitate, obſtinata mente, non pænituerit, vel emendaverit, & in morte ſecuritatem præſtare nequiverit, ſolemnitas pænitentiæ parum prodeſſe videtur, ſicut credimus, ſed de peccato contrito, Viaticum non negetur, ita tamen, ut nullus Clericorum ſepulturæ illius interſit, nec ejus eleemosynam præſumat accipere. Quod ſiqui Presbyterorum, vel Clericorum contra hoc in vita, vel in morte pænitentias dare, aut ſepulturæ intereſſe, vel eorum eleemosynas accipere attentaverint, ſeu hujuſmodi rapinæ participes inventi fuerint, Ordinis ſui damnum irreparabiliter patiantur, & eccleſiaſtico beneficio careant,

Hæc Decretalis, ſi attendatur integra ejus lectio, prout refertur a Gonzalez, locum habebat in Urbe dumtaxat, ibi enim ſic legitur = Qui in Urbe, ſuggerente diabolo, violenter corruerit in rapinam, ſive Eccleſiarum violationes = ſed a Gregorio IX. extenſa eſt ad ſimilia perpetrantes ubique, ut in vulgato Codice Decretalium, quo in ſcholis utimur.

Ad violatores Eccleſiarum quod ſpectat, contra quos in hac Decretali infligitur pęna dumtaxat carentiæ eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi deceſſerint ſatisfactione non præmiſſa, addita eſt altera a Clem. III. excommunicatio ſcilicet latæ ſententiæ Papæ reſervata, poſtquam nominatim denunciati fuerint excommunicati ab Epiſcopo, prout denunciare tenetur, cum onere perſonaliter accedendi ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione obtinenda, præmiſſa tamen ſatisfactione, ut ex ejus Decretali, relata in *cap, XXII. Conqueſti, de Sent. excommun.* ibi.

Conqueſti ſunt Nobis Regin. Canonici, quod I. de Malafrena, & ejus ſequaces quaſdam Eccleſias Regin. Epiſcopatus violenter confregerunt, eaſque ſpoliare minime dubitarunt. Quoniam igitur gravia ſunt, nec clauſis debent oculis præteriri: mandamus, quatenus, ſi eſt ita, memoratos ſacrilegos excommunicatos nuncietis, & faciatis ſicut excommunicatos arctius evitari, donec paſſis injuriam congrue ſatisfactionem, & damna (pro eis) data reſarciant, & cum literis veſtris, rei veritatem continentibus, Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent,

No-

Nota I. Nomine ſpoliationis venire omne factum grave, conſtituens materiam peccati lethalis; & ad incurrendam excommunicationem hic inflictam, ſatis etiam eſſe juxta DD. relatos a *Theſauro de pœnis eccleſiaſt. cap. III. verb. Sacrilegium*, fractionem, ſeu violentiam illatam contra portas, aut ſeras, vel muros Eccleſiæ: ſicuti & ſi quis cardines moveat, vel feneſtram vitream frangat, vel vectes, aut feneſtras inpingens, faciat eas cedere, vel cadere, vel vi aperiri: quam tamen docent non incurri, ſi hæ actiones fiant contra res ad Eccleſiæ uſum non deſtinatas: nec ſi intententur contra privatum Oratorium, vel cœmeterium, ſi non ſit unitum Eccleſiæ. Quod tamen dicitur de rebus Eccleſiæ, valet etiam de eidem commodatis, v. g. ſi Eccleſiæ fuerit commodatum tapete &c.

Nota II. Acceſſum perſonalem ad Sedem Apoſtolicam præſcriptum in mox allata Decretali, pro obtinenda abſolutione, hodie amplius præcipi non ſolere, niſi in gravioribus quibuſdam exceſſibus, quorum circumſtantiæ maximum populo ſcandalum ingerant, ut in percuſſione proprii parochi, & ſimilibus, juxta ſtylum S. Pœnitentiariæ, & tunc quidem non ut tales delinquentes Romæ abſolvantur, cum ab eadem S. Pœnitentiaria remittantur in forma miſſi ad eorum Ordinarios pro abſolutione, ſed ut aliquantulam peragant pœnitentiam commiſſi delicti, unde cæteri magis a ſimilibus perpetrandis facinoribus retrahantur. Pro abortu autem, etiam occulto, a Presbytero perpetrato, dicta S. Pœnitentiaria committere ſolet intra Italiam confeſſario facultatem eum abſolvendi, injuncto tamen onere accedendi intra certum tempus ad limina Apoſtolorum.

Huc ſpectat Conſtitutio Sixti IV. *Cum provida*, relata a laudato *Theſauro loc. cit. cap. IV. verbo Sacrilegium*, in qua lata eſt excommunicatio latæ ſententiæ Papæ reſervata contra quoſcunque, qui = de lapidibus porphyreticis, marmoreis, aliiſque diverſorum generum, ſeu colorum ad Eccleſiarum Urbis Romæ decorem, & ornatum deputatis, ſive de aliis earundem Eccleſiarum ornamentis auſu ſacrilego abſtulerint, ſeu auferrent in futurum, aut per ſe, vel per alios ad diverſa loca aſportare præſumpſerint, aut talia babuerint, aut in ſurripiendo, ſervando, & retinendo auxilium præſtiterint, vel favorem, & contra ſcientes, & non revelantes Papæ: item ſtatutum eſt ibidem interdictum latæ ſententiæ contra Eccleſias, & loca, quorum uſui taliter ablata deputata fuerint, ſeu deputabuntur, quod tandiu duret, quandiu ad loca, unde prius ablata fuere, abſque diminutione aliqua fuerint reportata, in ſuo robore etiam permanentibus Conſtitutionibus ab aliis Summis Pontificibus promulgatis, quibus excommunicati declarantur auferentes lapides, ſeu ornamenta de Eccleſiis, ſeu ſacris locis =.

Ex Conſtit. Clem. XI. *Cum ſicut*, extrahentes vaſa, & ornamenta ſacra ex Sacriſtia, & Eccleſia SS. Fabiani, & Sebaſtiani extra muros Urbis, incurrunt excommunicationem, Papæ reſervatam.

Ex Conſt. Benedicti XIV. *Sub auguſtiſſimo*, 5. *Martii* 1744. Surripientes, aſportantes, aut apud ſe retinentes Hoſtias, vel Particulas conſecratas, ſeculari Curiæ tradendi ſunt, prævia degradatione, ſi ſint eccleſiaſtici; etiamſi juxta Conſt. Innocent. XI. *quarto idus Mart.* 1676. hoc ſcelus pro prima vice perpatraverint, & minores ſint annis XXV. dummodo XX. attigerint; rejectis exceptionibus, a reis dari ſolitis, vel quod non ſatis conſtet de eorundem Particularum conſecratione, vel quod non fuerint ſubreptæ, aſportatæ, vel reſpective retentæ ad malum finem: quarum exceptionum claram, & concludentem probationem ad eoſdem reos, & non ad Fiſcum ſpectare decernitur.

SECTIO DCCCXXXIX.

Caput III. Excommunicationi, *ex Decretali, deſumpta a cap. XXIV. Concilii generalis lateranenſis III. celebr. ſub Alexandro III. an.* 1179.

Excommunicationi ſubdantur qui Romanos, aut alios chriſtianos pro negociatione, vel aliis honeſtis cauſis navigio vectos, aut capere, aut rebus ſuis ſpoliare præſumunt. Illi etiam, qui chriſtianos naufragium patientes (quibus ſecundum regulam Fidei auxilio eſſe tenentur) damnata cupiditate, ſpoliant rebus ſuis, niſi ablata reddiderint, excommunicationi ſe noverint ſubjacere.

Hæc Decretalis infligens in ſecunda ejus parte excommunicationem contra ſpoliantes chriſtianos, naufragium paſſos ipſo facto incurrendam, ſi ablata non reſtituerint, ampliata eſt a Bulla in die cœnæ Domini legi ſolita; quandoquidem excommunicatio, quæ hic infligitur, nedum non eſt reſervata, ſed neque incurritur, ſi facta fuerit ablatorum reſtitutio: in §. vero IV. dictæ Bullæ reſervata eſt Papæ, & incurritur, etiamſi facta fuerit reſtitutio, ut ex claro ejus textu, quem leges in calce hujus Operis.

Nota juxta ſententiam, quam amplectitur etiam *Theſaurus de pœnis eccleſiaſt. cap. I. verb. Naufragium*. I. Neutram hanc excommunicationem incurri in caſu naufragii facti in flumine, vel lacu, ſed in mare tantum. II. Neque in caſu naufragii hæreticorum, cum in favorabilibus non contineantur nomine chriſtianorum *cap. VIII. Sicut, de Hæret.* attamen etiam his, refectis expenſis, per ſe facienda eſt reſtitutio. III. Neque, ſi quis capiat res projectas, vel aliter naufragio amiſſas, ſi dominus cenſeatur eas babere pro derelictis, & non curare recuperationem; ut ſunt res, quæ vel ſtatim ſolent corrumpi, vel difficiliter recolligi poſſunt,

Digitized by Google

SECTIO DCCCXL.

Caput VII. Accedens, *ex Decretali Innocentii III. Epiſcopo Cracovienſi reſcripta.*

ACcedens ad Ap.S.(& infra)Rapta puella legitime contrahet cum raptore,ſi prior diſſentio tranſeat poſtmodum in conſenſum: & quod ante diſplicuit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum legitimæ ſint perſonæ.

Hæç Decretalis, in qua ſtatuitur, puellam raptam legitime contrahere poſſe matrimonium cum raptore, quandiù in illius poteſtate fuerit, ſi prior ejuſdem puellæ diſſenſus tranſierit in conſenſum, correcta eſt a Conc. Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. VI. de reform. Matrim.* nullum declarante hujuſmodi matrimonium, quandiù ipſa in poteſtate raptoris permanſerit, cum additione pænarum tam in eundem raptorem, quam in omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ibi.

Decernit ſancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiù ipſa, in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi Clerici fuerint de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam in uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter, arbitrio Judicis, dotare.

Nota I. Excommunicationem hic inflictam eſſe quidem latæ ſententiæ, ſed non reſervatam: pœnam vero infamiæ, inhabilitatis ad dignitates, & dejectionis a ſtatu clericali, hoc eſt depoſitionis, juxta probabiliorem, eſſe ferendæ ſententiæ.

Nota II. Rapientem puellam, invitis ejus parentibus, cum qua jam contraxit ſponſalia de futuro, ſi ipſa ſit conſentiens, cum tunc non ſit rigoroſus raptus, non incurrere pœnam juris canonici, nec civilis juxta communem Doctorum, quos refert *Theſaurus loc. cit. cap. II. verbo Raptus, ex cap. VI. Cum cauſam, hoc eod. tit.* quam ſententiam amplectitur etiam de Ameno *de Delict. & pæn. tomo III. §. VII. verb. Raptus num. 6.* aſſeritque laudatus Theſaurus jus civile in hoc correctum eſſe a Trident. incurrere autem, ſi mulier poſt ſponſalia mutaſſet voluntatem, & nihilominus rapta fuiſſet, in quo caſu iſte raptor puniendus eſſet pœna extrajudiciaria dumtaxat, Quæ opinio confirmari etiam poteſt ex mente Congregat. Conc. cum *in Ruben. Raptus, & Cenſurar. 3. Martii 1714.* declaraverit = Raptori, non obſtare raptum ad contrahendum matrimonium cum puella rapta, conſito quod raptus fuerit executus nedum conſentiente, ſed & ſollicitante ipſa puella = ut ex *lib. Decretorum LXIV. ac in fol. dicti diei.*

Ex quo inferes quid reſpondendum alleganti S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 7. dicentem: *Violentia quandoque infertur tam ipſi virgini, quam patri, & quandoque infertur patri, ſed non virgini, puta cum ipſa conſentit, ut per violentiam de domo patris abſtrahatur, qualitercunque violentia adſit, ſalvatur ratio raptus.* Pluries etiam dixit *Rota Romana in Recent. ſcilicet deciſ.* 498. *num.* 7. *par.* 14. *deciſ.* 162. *num.* 7. *& ſeq. par.* 15. *ac deciſ.* 250. *num.* 3. 5. *& 6. par.* 16. Dicendum namque S. Thomam ita fuiſſe loquutum conformiter ad jus antiquum quod ſuo tempore adhuc vigebat; cum ſolum poſt fere trecentos annos editum fuerit, ac cœperit obligare jus novum Conc. Trid. pro valido ſtatuens matrimonium a filiisfamilias libere, ac ſponte contractum inſciis, ac etiam invitis parentibus, ut ex cit. *cap. VI. ſeſſ. XXIV. de reform. matrim.* aperte colligitur; proindeque validum declarat contractum etiam a filia, quæ poſt fugam cum viro a patria domo, in tuto poſita extra raptoris poteſtatem, in illud cum eodèm libere conſenſit. Cui nec refragantur præfatæ aſſertiones Romanæ Rotæ; illæ enim procedunt ex præſumptione, quod puella fuerit ad fugam violentata; vel de ea loquuntur, quæ adhuc eſt ſub poteſtate raptoris, aut quando adhuc durat cauſa metus, vel illi nubere nequit ob aliud impedimentum dirimens. Cæterum quod ſolus diſſenſus parentum non officiat in caſu valori matrimonii, ſed tantum liceitati ejuſdem, ex eo conjicitur, quod Tridentinum ibidem eos anathemate damnat, qui falſò affirmant matrimonia, a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe; & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe. Quinimmo eſt valde controverſum inter DD. an cadat ſub Tridentini decreto raptus ſeductionis, ſeu ſubornationis, cum ſcilicet puella fugit cum viro ſubornata dolo, aut illecebris &c plurimum affirmant Galli cum quibuſdam aliis. Cæteri tamen communius negant cum Cabaſſutio.

Si vero quis mulierem raperet ob aliam cauſam puta explendæ libidinis, non ut in uxorem duceret, non comprehenderetur in hoc Tridentini decreto, cum Concilium unice conſulere voluerit libertati matrimonii, & ita etiam declaratum fuiſſe hic refert Galemart ab eadem Cong. 23. *Jan.* 1585.

Et confirmatur hæc aſſertio ex ſtylo Romanæ Curiæ, qui ita ſe habet, ut in omnibus literis diſpenſationum, quæ committuntur Ordinariis, illi clauſulæ: *Dummodo mulier rapta non fuerit*, addat hæc verba: *Propter hoc*, cauſa ſcilicet contrahendi matri-

trimonium, cujus additionis ſtylus profecto inepte introductus fuiſſet, ſi in decreto Concilii comprehenderetur raptus mulieris, factus ob aliam cauſam, ſicut eſt illa explendæ libidinis, prout recte notat Vincentius de Juſtis *de Diſpenſ. matrim. lib. 2. cap. 18. num. 48.* ex quacumque enim alia cauſa factus fuerit raptus, amplius non verificatur, quod hic factus fuerit *propter hoc*, ſed ob talem aliam cauſam: unde optime monet, quod, ut raptus comprehendatur ſub Tridentini decreto, debet ſemper eſſe factus cauſa contrahendi matrimonium, quidquid poſtea ſit, quod factus ſimul fuerit etiam ob alium, vel alios fines, quod non obſtat dictæ comprehenſioni, cum in tali caſu adhuc verificetur quod raptus fuerit factus propter hoc.

Et in hoc ſenſu vere procedit Congr. Conc. decretum in contrarium allatum a Cabaſutio, Continuatore Oper. Tornely, & aliis. Viceverſa ob quoſcumque alios fines factus fuerit raptus, ſed non cauſa contrahendi matrimonium, non comprehenditur in Trident. decreto, quia tunc non eſt factus *propter hoc*, quod ſtylus Curiæ exigit pro comprehenſione in d. decreto.

Inſuper laudatus Theſaurus, circa raptum hæc habet = *Ex leg. unica cap. de Raptu virgin. §. Etſi quidem*, bona rapientis mulierem, nec non auxiliantium ipſo facto in dominium raptæ transferuntur, *Auth. de rapt. mulier. §. un. verſ. Sancimus*, ſi rapta conſentiat nubere raptori, matrimonium eſt nullum, & ammittit dominium prædictorum honorum =.

Nota primo, quod pœna nullitatis matrimonii raptæ conſentientis cum raptore non procedit, ſi illa ſit repoſita in libertate, ut ſupra ex Trident. & contra hoc prædicta lex civilis nihil valet.

Nota ſecundo, quod ſecundum probabiliorem ſententiam, & magis communem, hodie per jus canonicum, præſertim per Trident. loc. cit. abrogata eſt pœna illa amiſſionis honorum, quando mulier libere conſentit nubere raptori, ut Sanchez *lib. VII. diſp. 12. num. 27. de matrim.* Farinac. *quæſt. 145. num. 12.* cum multis DD.

Nota tertio, quod pœnæ Tridentini procedunt etiam in raptu mulieris inhoneſtæ: ſecus de pœnis juris civilis, Farinac. *n. 153.* cum communi =.

Opinionem Farinacci *quæſt. 145. num. 153.* cui adhæret dictus Theſaurus, de jure ſuſtineri non poſſe probat Ludovicus de Ameno *tom. III. de Delictis, & pœn. tit. 4. §. 7. verb. Raptus, num. 31.* ibi = Quia pœnæ appoſitæ a Concilio ſunt contra veros raptores, eos nempe, quos jus civile decernit reos de raptu, non enim Concilium aliquid ſtabilit circa crimen, ſed ſupponit illud jam determinatum a lege cæſarea, quæ non corrigitur ab eccleſiaſtica, niſi in ordine ad matrimonium, ut ſupra *num. 9.* dictum eſt. Cum igitur jus civile determinet, raptum tunc committi, quando honeſta mulier rapitur, nec raptus ſit, quando rapitur inhoneſta, ſequitur, quod pœnæ conciliares, quæ afficiunt veros raptores, non poſſunt convenire violenter abducenti meretricem, qui raptum non committit, & cum ſimus in odioſis, non poſſunt extendi pœnæ ultra caſum expreſſum =.

Titulus XVIII. De Furtis.

SECTIO DCCCXLI.

Caput I. Qui furatur, *ex Decretali deſumpta a cap. XXI. Exodi.*

Qui furatur hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur.

Hanc Decretalem tranſcribo, non quod ei novi aliquid acceſſerit, ſed ne juris canonici ſtudio vacantes mirentur, cur pœna mortis contra plagiarios in ipſa ſtatuta, recipiatur inter leges eccleſiaſticas; cum cæteroqui Eccleſia, ne defectu lenitatis laboret, a ſanguinis effuſione ſemper abhorruerit *Can. VI. Inter hæc, cauſ. XXXIII. quæſt. 2. & cap. IV. In Archiepiſcopatu, de Raptorib.* Verum eam non amplectitur, ſed refert dumtaxat, qua pœna hujuſmodi rei puniendi ſint a judicibus ſecularibus, ad quos remitti debent, ut fiebat in lege antiqua.

Nec ſatis congrua videtur interpretatio quorumdam Canoniſtarum, aſſerentium, verba illa *morte moriatur*, non intelligenda eſſe de morte naturali, ſed de civili, de excommunicatione ſcilicet, quæ pro morte accipitur ab Innocentio III. *in cap. XIII. Per venerabilem, tit. Qui filii ſint illegitimi*, in quo §. *Tria quippe*, referens legem antiquam, inferentem mortem corporalem, intelligit, quoad judicem eccleſiaſticum, ſententiam excommunicationis; nimia ſiquidem violenta eſt, & contra textus intellectum.

SECTIO DCCCXLII.

Caput II. Fures, *ex Decretali deſumpta a cap. XXXI. Concilii Triburienſis celebrati an. 895.*

Fures, & latrones, ſi in furando, vel deprædando occiduntur, viſum eſt pro eis non eſſe orandum. Sed ſi comprehenſi, aut vulnerati Presbytero, vel diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.

Hæc

Hæc Decretalis, ut patet ex ipſomet textu, habet duas partes. In prima dicitur, quod, ſi fures, & latrones occiſi fuerint in fraganti, dum ſcilicet actu mortale furtum committunt, pro ipſis orandum non eſt. Rationem hic aſſignat Gloſſa, quia nempe conſtat in illo caſu, eos mortuos eſſe in peccato mortali: pro iis autem, qui ſic mortui ſunt, orandum non eſſe, aperte patet ex *Can. XXI. Pro obeuntibus, Can. XIII, quæſt. II.* ubi congruum quidem dicitur, *ut Sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat, & intercedat; non tamen pro impiis (quamvis ebriſtiani fuerint) tale quid agere licebit*. Hinc inferunt Jo. Andreas, Jo. de Anania, & alii Canoniſtæ comm. tales privandos etiam eſſe eccleſiaſtica ſepultura. Et quamvis Baſilius Pontius *De impedim. matrim. cap. 35. in fin.* Decretalem hanc explicet de raptoribus rerum eccleſiaſticarum, in quos lata eſt excommunicationis ſententia; cæteri nihilominus ponderantes, Decretalem hanc loqui de furto, vel deprædatione ſimpliciter, & abſolute, nec ullum verbum apponere, ſtatutum reſtringens ad furtum ſacrilegum, & excommunicationi obnoxium, de quocunque occiſo in actu mortalis furti, eandem intelligunt: ſiquidem notum eſt, quod ubi lex non diſtinguit, ſed abſolute loquitur, abſolute intelligenda eſt, neque nos diſtinguere debemus = In ſecunda dicitur, quod ſi iidem fures, & latrones occiſi non fuerint in fraganti, ſed tantum vulnerati, vel etiam comprehenſi, ac vere pęnitentes confeſſi fuerint, tunc non eſt illis neganda communio. At non levem ingerit difficultatem ly *ſi confeſſi fuerint Presbytero, vel Diacono*.

Ad conciliandum textum hunc, quoad confeſſionem faciendam Diacono, cum Fidei dogma ſit, ut ſoli Sacerdoti facultas competat dimittendi peccata clavium miniſterio, ut definivit Conc. Trident. *cap. VI. & Can. X. ſeſſ. XIV. de Pœnit.* nonnulli Interpretes ſenſerunt, confeſſionem, quam Patres Concilii Triburienſis in caſu propoſito exigebant, ut hujuſmodi publici peccatores admitti poſſent, non ad Euchariſtiam, ſed ad fidelium communionem, juxta quam, & oratur pro mortuis, & Sacrificium offertur, non fuiſſe ſacramentalem, ſed conteſtationem coram Diacono factam per ſigna pœnitentiæ, quibus oſtenderent, ſe ſerio fuiſſe converſos. Alii exiſtimarunt, præſentem textum intelligendum eſſe de abſolutione excommunicationis, quam olim incurrebant publici latrones, a qua ex Epiſcopi commiſſione abſolvi poterant a Diacono. Alii de Euchariſtia, quæ permittebatur adminiſtrari a Diacono furi vulnerato, ſi de illius contritione ei conſtitiſſet, cum inter cæteros caſus (ut animadvertit Benedictus XIV. *de Synodo diœc. edit. an. 1755. lib. VII. cap. XVI. num. 8.*) in quibus ſufficit contritio, ſine ſacramentali confeſſione ad percipiendam Euchariſtiam, enumeretur etiam ille hominis conſtituti in mortis articulo, cui deeſt Sacerdos, a quo ſacramentalem abſolutionem obtineat. Alii tandem intelligendum eſſe ſenſerunt de eo, qui erat in pęnitentia ſolemni, cujus reconciliatio, deficiente Sacerdote, ſpectabat ad Diaconum.

Verum, ſi Canon iſte Triburienſis Concilii ex integris ejuſdem exemplaribus repetatur, ſatis, ſuperque evincetur, allatis interpretationibus non opus eſſe. In collectione igitur Conciliorum *tomo XXIV. edita in regia typographia Pariſienſi an. 1644. pag. 629.* & altera ab Harduino confecta, edita in eadem typographia *an. 1714. tom. VI. par. 1. pag. 449.* his verbis extenſus legitur.

Statuimus, & judicamus, ut ſi quis poſt hæc evangelica, & apoſtolica, atque prophetica verba, & definitionem pacatiſſimæ Synodi inventus fuerit furtum, aut rapinam exercere, & in ipſo diabolico actu mortem mereatur incurrere, nullus pro eo præſumat orare, aut eleemoſynam dare: & eleemoſyna pro eo data, in memoriam Clericorum, nec pauperum veniat, ſed execrabilis ſordeſcat. B. Auguſtinus de talibus horribilem profert ſententiam, dicens: nemo te poſt mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluiſti. Si autem ille fur, vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis deſperatus putatur, atque reconciliari ſe myſteriis ſacroſanctis habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque, & Sacerdoti, comite vita, emendationem morum, & actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam.

Quæ lectio concordat cum capitularibus Theodori Cantuarienſis *cap. XXXV. Spicilegii, tom. I. & cum Can. XXX. inter excerptos* a Gregorio III. ex variis Patrum ſententiis apud cit. Harduinum *tom. III. col. 1876.* quibus in locis dicitur, deficiente Sacerdote, in caſu neceſſitatis confeſſionem faciendam eſſe ſoli Deo.

Quommodo autem tranſcriptus fuerit in collectione Decretalium Gregorii IX. cum verbis illis, *Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint*, indicat Berardus ad Gratiani *Canones tom. I. par. I. cap. LIX. de Conc. Triburien. Can. XXXI. cauſ. XIII. quæſt. 2.* ibi „ Hunc Canonem ita deſcriptum primus, aut „ corrupit, aut corrumpendi occaſionem dedit Re- „ gino Prumienſis, apud quem ita legitur in *c. XCIV.* „ *lib. II. ex Concilio Triburienſi*. Fures, & latro- „ nes, ſi in furando, & prædando occidantur, vi- „ ſum eſt pro eis non orandum, ſi comprehenſi, aut „ vulnerati, Presbytero, vel Diacono confeſſi fue- „ rint, communionem eis non negamus, facile eſt „ in vetuſtis Reginonis Codicibus verba illa, quæ „ hodie leguntur: *vel Diacono*, breviata fuiſſe hoc „ modo, *Dō*, *vel Dño*, quæ ſignificarent, *Deo*, „ *vel Domino*, quemadmodum in Triburienſi Con- „ cilio legitur, atqui Codicem Reginonis, & bre- „ viatos characteres non intellexit, facile potuit in „ illis verbis legere *Diacono*, præterquam in ipſo „ Concilio legatur, in quo nulla Diaconi mentio „ habetur. Atque erratum hoc ſecutus eſt Burchar- „ dus, ex Burchardo Gratianus, & ex Gratiano „ etiam Collector Decretalium in dicto *cap. II. de* „ *Furtis*“.

Et quod revera verba illa: vel *Diacono* non ſint authentica, probat etiam laudatus Benedictus *cit. num. 8.*

num.8. cum Antonio Auguſtino in notis ad primam collectionem Decretalium *hoc ecd. cap. Fures*.

Supra relatæ quidem interpretationes aptari poſſunt aliis textibus, aſſerentibus, in extrema neceſſitate, abſente Sacerdote, confeſſionem faciendam eſſe Diacono; ita ut eorum ſenſus ſit, quemadmodum notat Cardinalis de Aguirre *tom. I. Conciliorum Hiſpaniæ pag.729.* = Abſente Sacerdote, & urgente extrema neceſſitate, Diaconos olim interdum, & in aliquibus locis ſolitos ex delegatione Epiſcoporum, audire confeſſiones lapſorum pœnitentium, non quidem ad abſolvendum illos (non enim unquam id facere potuerunt, aut poſſunt adhuc per delegationem Epiſcopi, imo nec Romani Pontificis, ſed ad explorandum illorum ſtatum, & veram contritionem, ſive plenam converſionem ad Deum =.

Canon vero I. *Qui vult de Pœnit. diſtin. VI.* & quotquot alii Textus, ac Patrum dicta, S. Cypriani potiſſimum Epiſtola XII. adduci poſſint, in quibus legatur, in extrema neceſſitate confeſſionem faciendam eſſe Diacono, vel laico, ſi deſit Sacerdos, intelligenda ſunt de confeſſione, qua morti proximus cum animi demiſſione, & dolore pandebat peccata ſua, ut in uſu fuit uſque ad ſeculum XV. teſte Guilelmo Lyndeuuode, *in Gloſſematis adjectis ad Conſtitutiones Angliæ, tit. de Sacram. iterand. vel non verſ. Pœnitentia pag.32.*

Et quamvis etiam D. Thomas in *IV. diſt. XVII. q. 3. art. III. q. 2.* aſſeruerit = Miniſter pœnitentiæ, cui confeſſio eſt facienda ex officio, eſt Sacerdos; ſed in neceſſitate etiam laicus vicem Sacerdotis ſupplet, ut ei confeſſio fieri poſſit = ſtatim tamen ſe, alioſque Doctores explicando, addidit in reſponſione ad primum = Confeſſio laico ex deſiderio Sacerdotis facta, ſacramentalis eſt quodammodo, quamvis non ſit Sacramentum perfectum, quia deeſt ei id, quod eſt ex parte Sacerdotis = Et clarius in reſponſione ad tertium = Quamvis ille, qui laico confeſſus eſt in articulo neceſſitatis, conſecutus ſit veniam a Deo, eo quod propoſitum confitendi, ſecundum mandatum Dei, quod concepit, ſicut potuit, implevit, non tamen adhuc Eccleſiæ reconciliatus eſt, ut ad Sacramenta Eccleſiæ admitti debeat, niſi prius a Sacerdote abſolvatur: ſicut ille, qui Baptiſmo flaminis baptizatus eſt, ad Euchariſtiam non admittitur: & ideo oportet, quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit, & præcipue quia, ut dictum eſt, Sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit =.

S E C T I O D C C C X L I I I.

Caput III. Si quis, *ex Decretali deſumpta a Pœnitentiali Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis*.

SI quis propter neceſſitatem famis, aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres: etſi reddiderit, non cogatur jejunare.

Pœnitentia jejunii per tres hebdomadas hic ſtatuta, non intelligenda eſt, ut per ſingulos hebdomadæ dies debuiſſet quis jejunare, ſed feria ſecunda, quarta, & ſexta juxta *CIX. De illis, cauſ. XI. q. 3.* quæ utique impoſita eſt pro furto commiſſo in neceſſitate gravi, ut patet ex qualitate ejuſdem furti, & pœnitentiæ hic injunctæ: cum alias in neceſſitate extrema nulla imponenda ſit pœnitentia; tunc enim, cum omnia ſint communia, dici nequit furtum committi. Sed hodie iſtæ pœnitentiæ, & ſimiles Canones pœnitentiales non ſunt in uſu, cum juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam pœnitentia pro peccatis injungenda, relicta ſit arbitrio prudentis confeſſarii, plus, minuſque pro qualitate, & gravitate culparum.

Quod autem declaretur, furem, de quo in textu, eximi ab hac pœnitentia, ſi ablatum reſtituerit, non inde ſequitur, nullatenus illum peccaſſe; cum neque in gravi neceſſitate licitum ſit furari, nec reſtitutio reddit actum licitum, qui ab initio, & ab intrinſeco fuit illicitus: & contraria aſſertio proſcripta eſt ab Innoc. XI. ut infra.

Dumtaxat igitur infertur, ſurripientem rem alienam in gravi neceſſitate, eſſe minoris culpæ reum, ideoque mitius puniendum, etiam in foro externo.

Huc revocanda eſt Conſtitutio Benedicti XIII, circa committentes furtum bonorum Montis Pietatis, de qua ſermo inſtituetur *part. II. cum de cap. XI. ſeſſ. XXII. Conc. Trid. de reform.*

Revocandæ etiam ſunt propoſitiones circa furtum proſcriptæ ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. ſub pœnis in eas docentem, & ad praxim deducentem, quas vide poſt *cap. II. Interfeciſti, de Homicid.* videlicet in ordine la XXXVI. Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

XXXVII. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

XXXVIII. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.

XXXIX. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

Notandum hic, non eſſe accenſendos inter fures, pauperes colligentes ſpicas poſt meſſem, etiam invitis prædiorum dominis: imo nec ab iis prohiberi poſſunt, quin illas colligant, ut ex Conſt. Benedicti XIV. *Ex commiſſo, 18. Maii* 1751. edita pro tota ditione eccleſiaſtica, in qua.

I. Præcipitur, quod prædiorum domini, facta frugum collectione, ſpicas, vel ſolo diſperſas, vel a meſſoribus præteritas, pauperibus colligere minime impediant, ſequentibus ſub conditionibus, ut.

I. Non liceat cuipiam, ſe in prædium conferre,

in

in quo actu metitur, ſolummodo tamen poſtquam ſpicarum acervi ſublati, & in nubilarium, vulgo *il Barcone*, tranſlati fuerint.

II. Facta vero hujuſmodi tranſlatione, fas utique ſit pauperibus, ut ſupra dictum fuit, ſpicas in ſolo relictas ſpatio decem dierum colligere, quo tempore nequeant domini in proprios agros boves, vel alia quæcunque animalia ad paſcendum immittere.

III. Hoc decem dierum ſpatio præterito, domini, vel ſpicarum emptores quæcunque voluerint animalia, ſecundum ipſorum conventionum formam poſſint in prædium immittere.

IV. Sub hac autem diſpoſitione omnia latifundia, poſſeſſiones, agri, ſeu prædia, in quibus colligatur frumentum, etiam ad Cameram Apoſtolicam, Eccleſias, Monaſteria, Religiones, Cardinales, Epiſcopos, Capitula ſpectantia, nemine excepto, comprehendantur.

Epiſcopi vero, & locorum Gubernatores cum juriſdictionis cumulativa executores deputantur.

Tranſgreſſores, ſiqui adſint, puniendi ſunt pæna ſcutorum triginta, manu regia exigendorum in quocunque contraventionis caſu. Declaratur inſuper tot fore contraventores, quot erunt latifundia, prædia, agri, a quibus pauperes arceantur; prædictæ autem pænæ ipſis pauperibus diſtribuentur. Executorum conſcientia oneratur ad quamcunque diligentiam, adhibendam, tam in executione ipſarum pænarum, quam in diſtributione facienda, neceſſariis expenſis ſublatis, cum clauſula derogatoria.

Titulus XIX. De Uſuris.

SECTIO DCCCXLIV.

Caput I. Pluras, *ex Decretali Alexandri III. in Concilio Turonenſi, celebrato an.* 1163.

Plures Clericorum (& infra.) Generalis Concilii decrevit auctoritas, ut nullus conſtitutus in Clero, vel hoc, vel aliud genus uſuræ exercere præſumat. Et ſiquis alicujus poſſeſſionem, data pecunia, ſub hac ſpecie (vel conditione) in pignus acceperit, ſi ſortem ſuam, deductis expenſis, de fructibus jam percepit, abſolute poſſeſſionem reſtituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto, poſſeſſio libere ad dominum revertatur. Quod ſi poſt hujuſmodi conſtitutum in Clero quiſquam extiterit, qui deteſtandis uſurarum lucris inſiſtat, eccleſiaſtici officii periculum patiatur: niſi forte Eccleſiæ beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.

In hac Decretali, ſicut & in altera, relata in *cap. VIII. Conqueſtus, hoc eod. tit.* Alexander prohibet Clericis dumtaxat contractum Antichreſeos, quo abſolute pignoris fructus conceduntur creditori pro pecunia mutuata, etiam poſtquam ſortem æquant, vel excedunt, præcipitque computandos eſſe in ſortem; verum hanc prohibitionem poſtea extendit ad quoſcunque alios, etiam laicos, ut ex ſequenti ejus Decretali, relata in *cap. II. hoc tit.*

Quoniam non ſolum viris eccleſiaſticis, ſed etiam quibuslibet aliis periculoſum eſt uſurarum lucris intendere: auctoritate præſentium duximus injungendum, ut eos, qui de poſſeſſionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noſcuntur, ſortem (deductis expenſis) receperunt, ad eadem pignora reſtituenda ſine uſurarum exactione, eccleſiaſtica diſtrictione compellas.

Extenſa etiam legitur eadem prohibitio ad quoſcunque ab Innoc. III. ut in ejus Decretali *R. de Monte Fortino* Judici eccleſiaſtico ſcripta (ad quem criminis uſurarum cognitio ſpectat) relata in *cap. VI. Cum Contra de pignorib.* ibi.

Cum contra G. civem Anaginum ſuper quibuſdam poſſeſſionibus, quas quondam pater tuus L. de Saul pro certa quantitate pecuniæ obligaverat, & ipſius creditoris hæredes prædicto G. pignoraverant, moviſſes in noſtra præſentia quæſtionem, legitime probaviſti, quod ex earum proventibus tantum fuerat tam ab eodem G. quam ab aliis, qui eas tenuerant a tempore, quo fuerant obligatæ, perceptum, quod fructus ſorti poterant adæquari. Nos igitur attendentes, quod in talibus perceptio fructuum in ſolutione ſortis accedat, cum ſecundum canonicas ſanctiones fructus reſtitui, & in ſortem debeant computari: conſiderantes etiam, quod poſſeſſiones ipſæ jam extenuaſſent penitus totum onus, & debitum annullaſſent, ipſas ſibi reſtituendas eſſe decrevimus, & te per nuncium noſtrum in poſſeſſionem induci fecimus corporalem.

Nul-

Nullatenus autem computandi ſunt in ſortem fructus fundi ſpecialiter hypothecati pro pecunia ſoluta titulo cenſus realis, cum ſit emptio juris exigendi ejuſdem fundi fructus, ut ex Conſlit. S. Pii V. notavi ad *cap. I. Regimini De empt. & vendit. in Extravag. comm.* pag. 294. ubi etiam de cenſu perſonali.

Idem dic de fructibus fundi a ſocero hypothecati genero cum proportione ad fructus dotis, eidem non ſolutę, nam in *cap. Salubriter 16. hoc tit.* inquit Innocentius III. *Sane generum ad fructus poſſeſſionum, qua ſibi a ſocero ſunt pro numerata dote pignori obligata, computandos in ſortem non credimus compellendum.* Aſt quid dicendum, ſi ſocer poſt aliquod temporis genero dotem offerat, eamque ipſi ſolvere velit; ſed per hunc ſtet, quod non recipiatur, poteſt ne gener proſequi perceptionem hujuſmodi fructuum hos non computando in ſortem? Reſp. negative cum Boſſio *de Dote cap. 20. num. 62.* ac Roſignolo *eod. tr. tom. 2. pranot. 21. num. 56.* teſtantibus, opinionem hanc eſſe communem. Semel ac enim dos offertur marito, prout tradi debet, & per hunc præciſe ſtat, quod illa non recipiatur, rea ita ſe habet quoad fructus pignoria, perinde acſi dos ipſa effective ſoluta fuiſſet; proindeque ceſſat in iſto caſu diſpoſitio præfati *cap. Salubriter*, ut oſtendunt iidem DD.

SECTIO DCCCXLV.

CAPUT IV. SUPER EO, *ex Decretali Alexandri III. Panormitano Archiepiſcopo reſcripta, prout refertur a Gonzalez.*

Super eo vero, quod a Nobis tua devotio poſtulavit, utrum poſſit in recipienda pecunia ad uſuram fieri diſpenſatio, ut pauperes, qui in Saracenorum captivitate tenentur, per eandem poſſint pecuniam liberari; præſentibus tibi literis duximus reſpondendum, quod, cum uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam non videmus adhibendam, quia cum Scriptura ſacra prohibeat, vel pro alterius vita mentiri, multo magis eſt prohibendus quis, ne pro redimenda vita captivi uſurarum crimine involvatur.

In hac Decretali definitur, ne Papam quidem diſpenſare poſſe, ut cuiquam liceat uſura, etiamſi pecunia ex ea proveniente redimendi eſſent pauperes in Saracenorum captivitate detenti, cum uſuræ crimen ſit contra jus naturale, & divinum in utriuſque Teſtamenti pagina fundatum.

Diſpenſare tamen poteſt Pontifex, ut bona ex uſuris acquiſita retineantur a Judæis ad chriſtianam Religionem converſis, dummodo non notæ ſint perſonæ, quibus eædem uſuræ eſſent reſtituendæ, ut oſtendi ſupra pag. 616.

Licitum tamen eſt aliquid ſupra ſortem mutuatam exigere a Montibus Pietatis, ad mutuandam pecuniam egenis inſtitutis, ut definivit Leo X. in Concilio generali Lateranenſi V. ea vero lege præſcripta in ejus Conſtit. *Inter multiplices 4. Maii 1515.* ibi,

Sacro approbante Concilio, declaramus, & definimus, Montes pietatis antedictos, per Reſpublicas inſtitutos, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus probatos, & confirmatos, in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate, aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſervationem, ut præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra ſortem, abſque lucro eorundem Montium, recipitur, neque ſpeciem mali præferre, nec peccandi incentivum præſtare, neque ullo pacto improbari, quinimmo meritorium eſſe, ac laudari, & probari debere tale mutuum, & minime uſurarium putari, licereque illorum pietatem, & miſericordiam populis prædicare, etiam cum Indulgentiis a Sancta Sede Apoſtolica eam ob cauſam conceſſis. Ac deinceps alios etiam ſimiles Montes cum Apoſtolicæ Sedis approbatione erigi poſſe. Multo tamen perfectius, multoque ſanctius fore, ſi omnino tales Montes gratuiti conſtituerentur, hoc eſt, ſi illos erigentes, aliquos cenſus aſſignarent, quibus ſi non omni, ſaltem vel media ex parte, hujuſmodi Montium miniſtrorum ſolverentur impenſæ, ut ad leviorem æris ſolvendi portionem, medio hoc, pauperes gravari contingat, ad quos cum hujuſmodi cenſus aſſignatione, pro impenſarum ſupportatione erigendos, Chriſtifideles majoribus Indulgentiis invitandos eſſe decernimus.

Omnes autem Religioſos, & eccleſiaſticas, ac ſeculares perſonas, qui contra præſentis declarationis, & ſanctionis formam de cætero prædicare, ſeu diſputare verbo, vel ſcriptis auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam, privilegio quocunque non obſtante, incurrere volumus.

Nota quod excommunicatio hic inflicta, non eſt reſervata; ſed hodie, ſi quis contra hanc definitionem obſtinate prædicaret, aut diſputaret, ſcilicet cum errore in intellectu, æſtimans, dictam definitionem non eſſe veram, ſeu tenendam, aut alias ſi externo ſigno hunc ſuum errorem proderet, incurreret excommunicationem latam contra hæreticos, Papæ reſervatam in Bulla Cœnæ Domini *cap. I. Quia hæc definitio eſt de Fide, & de Fide tenenda, Theſaurus de pæn. eccleſiaſt. cap. I. verb. Montes*.

De uſuræ labe, jure tam naturali, quam divino interdicta, fuſior redibit ſermo infra in Notis *ad cap. X. Conſuluit*.

SECTIO DCCCXLVI.

Caput VI. In civitate, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III. Archiepiſcopo Januenſi reſcripta.*

IN civitate tua dicis, ſæpe contingere, quod cum quidem piper, ſeu cinamomum, ſeu alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valent, promittunt, ſe illis, a quibus illas merces accipiunt, ſex libras ſtatuto termino ſoluturos. Licet autem contractus hujuſmodi ex tali forma non poſſit cenſeri nomine uſurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, niſi dubium ſit, merces illas plus, minuſque ſolutionis tempore valituras: & ideo cives tui ſaluti ſuæ bene conſulerent, ſi a tali contractu ceſſarent, cum cogitationes hominum Omnipotenti Deo nequeant occultari.

In hac Decretali declarat Pontifex, eſſe quoddam uſuræ genus vendere piper, & cinamomum, aut alias merces pluſquam valent ob dilationem ſolutionis, niſi dubium ſit, an tempore ſolutionis pretium excreſceret, & venditor antea venditurus non eſſet.

Cum hæc Decretalis concordet cum tertia parte ſequentis capi tuli; ideoque opportunas nata circa hujuſmodi contractum mox referendas leges.

SECTIO DCCCXLVII.

Caput X. Conſuluit, *ex Decretali Urbani III. Brixienſi Presbytero reſcripta.*

COnſuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum quaſi uſurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, ut licet, omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat. Et utrum eodem reatu criminis involvatur, qui (ut vulgo dicitur) non aliter parabolam juramenti concedit, donec, quamvis ſine exactione, emolumentum aliquod inde percipiat. Et an negociator pœna conſimili debeat condemnari, qui merces ſuas longe majori pretio diſtrahit, ſi ad ſolutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam ſi ei in continenti pretium perſolvatur. Verum, quia, quid in his caſibus tenendum ſit, ex Evangelio Lucæ manifeſte cognoſcitur, in quo dicitur: date mutuum, nihil inde ſperantes: hujuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cum omnis uſura, & ſuprabundantia prohibeatur in lege) judicandi ſunt male agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi.

In hac Decretali explicans Pontifex Chriſti verba Lucæ VI. = Mutuum date, nihil inde ſperantes = auctoritati hujus textus omnem quantumcunque minimam uſuram univerſim vetitam definit; ut etiam definivit Alexander III. in *cap. IV. Super eo*, Quapropter ad hujus definitionis tramites declaravit, omnes tres caſus, hic ſibi propoſitos, uſuræ labe infectos eſſe.

Ad allatam Evangelici textus explicationem quod ſpectat, facit noviſſima declaratio Bened. XIV. his verbis expreſſa in ejus Conſtitutione *Vix pervenit* 1. *Novembris 1745*.

I. Pec-

I. Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodue in contractu mutui propriam ſuam Sedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantundem dumtaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum; ideoque ultra ſortem, lucrum aliquod ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat: omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.

II. Neque vero ad iſtam labem purgandam, ullum arceſſiri ſubſidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium ſed moderatum, non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat; nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negociis utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in dati, atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convincitur, quiſquis eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur: proindeque, ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius, ex ejus obligatione juſtitiæ, quam commutativam appellant, & cujus eſt, in humanis contractibus æqualitatem cujuſque propriam, & ſancte ſervare, & non ſervatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos forte concurrere, ex quibus juſta omnino, legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ prorſus naturæ a mutui natura contractus recte collocari, & impendi, ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negociationem exercendam, honeſtaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejuſmodi diverſis contractuum generibus, ſi ſua cujuſque non ſervatur æqualitas, quidquid plus juſto recipitur, ſi minus ad uſuram (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum abſit) at certe ad aliam veram injuſtitiam, reſtituendi onus pariter afferentem, ſpectare compertum eſt; ita ſi rite omnia peragantur, & ad juſtitiæ libram exigantur, dubitandum non eſt, quin multiplex in iiſdem contractibus licitus modus, & ratio ſuppetat humana commercia, & fructuoſam ipſam negociationem ad publicum commodum conſervandi, ac frequentandi. Abſit enim a Chriſtianorum animis, ut per uſuras, aut ſimiles alienas injurias, florere poſſe lucroſa commercia exiſtiment; cum contra ex ipſo oraculo divino diſcamus, quod *juſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum*.

V. Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falſo ſibi quemquam, & nonniſi temere perſuaſurum, reperiri ſemper, ac præſto ubique eſſe, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alios juſtos, quorum, vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcunque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicunque creditur, toties ſemper auctarium moderatum ultra ſortem integram, ſalvamque, recipere. Ita, ſi quis ſenſerit, non modo divinis documentis, & catholicæ Eccleſiæ de uſura judicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui, ac naturali ratione procul dubio adverſabitur. Neminem enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus tenetur homo, ſimplici, ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo præſertim Chriſto Domino edocente: *Volenti mutuari a te, ne avertaris*, & quod ſimiliter multis in circumſtantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, juſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ conſultum velit, inquirat prius diligenter oportet, vere ne cum mutuo juſtus alius titulus; vere ne juſtus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.

Huc revocanda eſt, præter Conſtitutionem Pii IV. *Cum ſicut*, prohibentis cambia ſicca in Urbe Romæ, Conſtitutio S. Pii V. *In eam*, 5. *Kalend. Februarii* 1571.

Cum ſicut .... Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca cambia celebrare ſi-

 mu-

mulant, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, literas quidem ſuas cambii tradunt, ſed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut tranſacto tempore, unde proceſſerant, inanes referantur, aut etiam nullis hujuſmodi literis traditis, pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, ubi contractus fuerat celebraturus; nam interdantes, & recipientes, uſque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat, neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis hujuſmodi literis receptis, ſolutionem faciat. Cui malo ſimile etiam illud eſt, cum pecuniæ, ſive depoſiti, ſive alio nomine ficti cambii traduntur, ut poſtea eodem in loco, vel alibi cum lucro reſtituantur. Sed & in ipſis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, ut ad nos perfertur, campſores præſtitutum ſolutionis terminum, lucro ex tacita, vel expreſſa conventione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo, differunt. Quæ omnia nos uſuraria eſſe declaramus, & ne fiant diſtrictius prohibemus. Porro ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo poſſumus, occaſiones peccandi, fraudeſque fœneratorum, ſtatuimus, ne deinceps quiſquam audeat, ſive a principio, ſive alias, certum, & determinatum intereſſe, etiam in caſum non ſolutionis paciſci, neque realia cambia aliter, quam pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur, ubi vero non celebrantur, pro primis terminis juxta receptum locorum uſum exercere, abuſu illo prorſus rejecto, cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis, ſive terminis exercendi. Curandum autem erit in terminis, ut ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, ne, dum longiores præfiguntur, quam loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant, fœnerandi detur occaſio. Quicunque contra hanc noſtram Conſtitutionem commiſerit, pœnis a Sacris Canonibus contra uſurarios inflictis, ſe noverit ſubjacere. Eos vero, qui conſpirationes fecerint, vel congeſtam undique pecuniam ita ad ſe redegerint, ut quaſi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis, quæ a jure contra exercentes monopolia, conſtitutæ ſunt, retineri ſancimus.

Revocanda eſt etiam Conſtitutio Sixti V. *Deteſtabilis 21. Octobris 1586.* circa contractum ſocietatis, ſecuritatem capitalis, aut certam reſponſionem uſuram continentem.

Proinde nos.... hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoſcunque contractus, conventiones, & pactiones poſthac ineundos, ſeu ineundas, per quos, ſeu quas cavebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, ut, etiamſi fortuito caſu quamlibet jacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſalvum ſit, & integrum, a ſocio recipiente reſtituatur, ſive ut de certa quantitate, vel ſumma in ſingulos annos, aut menſes, durante ſocietate, reſpondeatur. Statuimuſque hujuſmodi contractus, conventiones, & pactiones uſurarios, & illicitos poſthac cenſeri debere, atque in poſterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo, inter ſe paciſci, & concordare. Neque etiam ſive ad certum, ſive ad incertum lucrum convenerint, ſocios, qui ea recipient, ad ſortem, ſeu capitale ſalvum, & integrum, ubi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum, quovis pacto, aut promiſſione ſibi obligare. Ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub hujuſmodi pactis, & conditionibus, quæ uſurariam pravitatem ſapiunt, diſtricte interdicimus, & prohibemus.

Sed potius cuncti noverint, ſocietates hujuſmodi, cum in poſterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel induſtriam confert, pure, ſincere, & bona fide, ſicut decet, juſtis, & æquis conditionibus, & pactis, ſecundum juris diſpoſitionem, ac ſine ulla prorſus fraude, palliatione, aut uſurariæ pravitatis labe, aut ſuſpicione ineundas, ſeu contrahendas eſſe, ita ut non ad certam ſummam, aut quantitatem, ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem lucri nomine perſolvendam, neque ad capitale, ſi caſu fortuito perit, reſtituendum, ſocius accipiens teneatur. Si vero, finita ſocietate, ipſum capitale extat, ei, qui illud in ſocietatem contulerit, reſtituatur, niſi ſocio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipſos contrahentes, ſuper eo legitime conventum ſit. Ac præterea iidem contrahentes fructus, expenſas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & juſtum fuerit, ſibi communicent, atque dividant. Decernentes, ſiqui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra noſtram hujuſmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem Conſtitu-

ſtitutionem noſtram, damnatis, & reprobatis, etiamſi juramento, aut in forma Cameræ Apoſtolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem, aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut perſonalem, aut judicis officium, neque aliud quodcumque jus cuiquam competere, neque quoad ſortem, ſeu capitale integrum recuperandum, quod caſu fortuito perierit, aut amiſſum erit, neque quoad certas ſummas, & quantitates in ſingulos annos, aut menſes lucri ſocialis nomine promiſſas. Siqui vero in poſterum ſub prædictis conditionibus, & pactis contrahere temere præſumpſerint, aut prætextu ſimilium contractuum, conventionum, & pactionum ſocietatis nomine initorum, qui hucuſque durant, ad exactionem dictæ ſortis, ſeu capitalis, ſive illius pretii, & valoris, poſtquam illud in toto, vel in parte caſu fortuito perierit, aut amiſſum ſit, aut certæ ſummæ, vel quantitatis annuæ, aut menſtruæ ſibi promiſſæ in futurum, procedere auſi fuerint, eos univerſos, & ſingulos in pœnas contra manifeſtos uſurarios, & fœneratores, a Sacris Canonibus, & Conciliis generalibus latas, & promulgatas, eo ipſo incurrere, & contra illos, uti manifeſtos uſurarios, & fœneratores, via juris, aliiſque opportunis remediis procedi poſſe, & debere.

Circa hanc Conſtitutionem, & contractum ſocietatis cum aſſecuratione capitalis, & fructuum, qui etiam appellatur contractus trinus, placet hic per extenſum referre verba Benedicti XIV. quibus *lib. X. de Synod. diœc. edit. anno 1755. cap. VII.* ſuum ſenſum aperuit, ne in re tam plena periculi abundem in meo = Contractus ſocietatis, generatim acceptus, eſt duorum, vel plurium conventio contribuendi ad commune lucrum, & damnum ſecundum proportionem rerum contributarum. Poteſt autem contribui vel pecunia, vel opera, ſeu induſtria, vel inſtrumentum, puta navis, equus, animalia &c. eaque omnia debent ad negociationem deſtinari, nulla quippe, niſi ficta poteſt eſſe ſocietas, ubi nulla ex rebus a ſociis collatis inſtituitur negociatio, ex qua lucrum ſperari queat. Ut autem ſocietas juſta ſit, ſicuti lucrum, ita & periculum, ac damnum, debet ſecundum eandem proportionem eſſe ſingulis ſociis commune: nam ut ait Ulpianus in *leg. 29. ff. pro Socio*, ſi alter lucrum tantum, alter damnum ſentiret, ſocietas diceretur leonina, ab apologo leonis, qui abſque ullo ſui periculo, aliarum ferarum venationis particeps eſſe voluit.

Ad hujuſmodi vero periculum evitandum, atque unum ex ſociis ſolius lucri participem, ejuſque ſecurum reddendum, hic ineundæ ſocietatis modus eſt adinventus. Titius iniit contractum ſocietatis cum Sempronio mercatore, cui mille aureos tradit, e quibus probabiliter ſperat, ſe centum, & triginta lucraturum: ſed metuens Titius, ne una cum ſperato lucro etiam capitale amittat, alium contractum init cum eodem Sempronio. cui condonat ſexaginta aureos ſperati lucri, ut, qualiſcunque ſit futurus negociationis exitus, ipſi caveat de ſecuritate capitalis mille aureorum: rurſuſque ſecum reputans Titius, melius ſibi fore, aliquod moderatum lucrum, ſed certum habere, quam pinguius, ſed incertum expectare, tertium contractum cum eodem Sempronio init, quo eidem remittit alios viginti aureos ſperati lucri, ut quinquaginta reſiduos ei ſolvat, ſive negociatio bene, ſive male ſuccedat. Obſtringitur itaque hiſce contractibus Sempronius ad reddendum Titio intra certum tempus integram ſortem, ideſt ſummam mille aureorum ſalvam, & quinquaginta inſuper aureorum incrementum.

Hic porro eſt trinus ille contractus, quam celebrem fecit exorta inter Dominicum Sotum, & Martinum Navarrum diſcordia. Putabat nimirum Navarrus, tres prædictos contractus ſimul, & cum eadem perſona, tuta conſcientia iniri poſſe, atque ab uſuraria pravitate immunes eſſe ob rationes, quas adducit in ſuo Manuali *cap. 17. num. 254. & ſeq.* Sotus ex adverſo aſſerebat, trium illorum contractuum conjunctionem degenerare in mutuum fœneratitium, & ſocietatis leges, quæ lucri, damnique communionem expoſcunt, evertere, ſuamque aſſertionem pluribus propugnabat argumentis, quæ videri poſſunt in ejus Opere de Juſtitia *lib. 6. q. 6. art. 2.* Cauſa delata eſt ad Sixtum V. Pont. max. qui, diligenter quæſtione diſcuſſa, duplicis ſecuritatis pactionem ſocietati adjectam, uſurariam pronunciavit, eanque deinceps fieri prohibuit ſua Conſtitutione 68. quæ incipit *Deteſtabilis, edita anno 1586. tom. 4. part. 4. Bullar. pag. 263.*

Et nihilominus nondum cauſa finita eſt; ſiquidem plures, & non obſcuri nominis poſteriores Theologi trinum contractum ab omni uſuræ reatu abſolvunt, & licite etiam nunc fieri poſſe defendunt: inter quos Covarr. 3. *var. cap. 2. num. 3.* Leſſius *lib. 2. de Juſt. cap. 25. dub. 3. num. 24.* Franciſcus Garcia *de Contract. part. 2. cap. 67.* Cardinalis de Lugo *de Juſt. & jur. diſp. 30. ſect. 4.* Gibalinus *de Uſur. lib. 6. cap. 3. art. 4.* Salmaticenſes *tom. 3. Curſ. moral. tract. 14. cap. 3. punct. 2. §. 2.* Bonacina *de Contract. diſput. 3. quæſt. 3. punct. 11. num. 2.* Vanroy *part. 3. tract. de Contract. cap. 6. quæſt. 10.* Neque his negocium faceſſit contraria Conſtitutio Sixti V. ajunt enim, Cardinales Toletum, & S. Severinæ, quibus concinnandæ Conſtitutionis cura fuerat a Pontifice commiſſa, teſtatos eſſe Patri Stephano Tuccio Societatis Jeſu, Sixti mentem fuiſſe, damnare dumtaxat conventiones, & pacta, quæ in ſe injuſta, illicita, & uſuraria forent, non vero, quæ omni uſura vacare probarentur, quod refert Comitulus *Reſponſ. moral. lib. 3. quæſt. 12. num. 3.* hiſce verbis = Cardinalis Toletus, & Cardinalis S. Severinæ, quibus munus mandatum fuit a Sixto V. componendæ legis, ſeu Bullæ *Deteſtabilis*, affirmarunt Patri Stephano Tuccio, Theologo Societatis Jeſu, ut is datis ad me literis teſtatus eſt, noluiſſe Sixtum ſua lege prohiberi, niſi injuſtos ſocietatis contractus; quare qui ante legem latam juſti erant, poſt latam quoque licere. At ante legem a Sixto latam, pergunt præfati Doctores, injuſta, & uſuraria erat ſocietas, in qua periculum capitalis, & lucri

rejici

rejicitur in alium ſocium, virtute ſoliua contractus, ſocietatis, non autem, quæ vi duorum, qui ſocietati ſuperadduntur, contractuum, unum ſocium ſecurum reddit capitalia, & alicujua partis lucri: hic quippe hanc ſecuritatem emit ab altero ſocio, qui libere, & ſponte ad eam ſe obligat, &, tanquam præſtitæ cautionis pretium, aſſequitur illud longe majua lucrum, quod primus ex collata in negociationem pecunia probabiliter poſſet ſperare. Ita pariter ſenſiſſe addunt celebrem Romanæ Rotæ Auditorem Joannem Baptiſtam Coccinum in una Romana ſocietatia 3. Junii 1602. cujus ſententiam idem Sacræ Rotæ Tribunal conſtanter tenuit, pluribuſque confirmavit deciſionibus, in quibus ratum habuit contractum trinum.

At præfatis Doctoribus contradictorea ſe præbent Genett, *Theolog. moral. tom.1.tract. 4. cap.14.* Natalia Alexander *Theolog. dogmat. & moral. edit. Pariſ. tom.2. lib.3. cap. 7. art. 5. regul. 23.* Auctor *Diſſertationis edita Lugduni anno 1673. de uſuraria trium contractuum pravitate*, Aureliua Piette *to.4. de Contract. quæſt.4. §.2.* Saintebeuve *caſ.185. to. 2. reſolut.* Auctor *Theologiæ moralis ad uſum Seminarii* Petrocorenſis *tom. 2. lib.4. cap.8.* Gabriel Antoine *tom.3. tract. de Contract. cap 8. quæſt, 3.* Continuator Prælectionum Tournely *part. 2. de Contract. cap.4. art.1.* & nuper Daniel Concina *in Opere, cui titulus Uſura contractus trini diſſertationibus hiſtorico-theologicis demonſtrata*, aliique, quibus abſonum videtur opinari, Sixtum V. in Conſtitutione, quam edidit ad terminandam controverſiam inter Sotum, & Navarrum ſumma contentione agitatam circa illum contractum trinum, de quo in præſena eſt ſermo, verbis luſiſſe, & quæſtionis nodum non ſolum non ſolviſſe, ſed ne attigiſſe quidem. Ex aſſertione autem Cardinalium Toleti, & S. Severinæ, aliud non inferri autumant, niſi quod Sixtus noluerit legem novam rogare, ſed contractum proſcribere, quem deprehenderat jam in ſe turpem, & uſuræ labe fædatum. Equidem cum tempore Clementis VIII. compilandua eſſet liber Septimua Decretalium, fuit dubitatum, an illi inſerenda foret prædicta Sixtina Conſtitutio, atque in Congregatione habita die 12. Novembria 1593. deliberatum, non eſſe inſerendam, eo quod nihil novi in ea decernatur, ſed contractus reprobetur in ſe fœneratitiua, jam a jure communi proſcriptua; ſicuti colligitur ex actia Congregationum ea ſuper re habitarum, quæ aſſervantur in Archivio Arcia Sancti Angeli. Quod autem contractua trium contractuum ſit in ſe fœneratitiua, evidenter patere prædicti Auctores arbitrantur: quoniam conferens pecuniam, rejecto periculo in accipientem, cenſetur mutuum dare, & pecuniæ dominium in eundem accipientem transferre, cui re ipſa perit, ſi pereat. Neque ad rem facere videtur, quod accipiena pecuniam obligetur ex pacto ad eam erogandam in negociationem, quod non contingit in vero mutuo, cujua ratione, ita mutuatarius ſit dominus acceptæ pecuniæ, ut eam pro ſuo libito in quemcunque uſum impendere valeat: etenim ea pactio, & inde orta obligatio videtur apparena, atque unice appoſita ad obtegendam uſuram, quia revera nihil intereſt ejus, qui pecuniam tradit, habita cautione & pecuniæ, & lucri, an illa ab accipiente in negociationem, vel in alium quemcunque uſum impendatur. Addunt præterea trini contractus obtentu omnes leges eludi, uſuras prohibentea: cum petenti mutuum quilibet reſpondere poſſit: nolo mutuum dare, ſed ſocietatem tecum inire ſub pacto, ut me de ſorte ſecurum faciaa, & ob majus lucrum, quod ex negociatione probabiliter ſpero eventurum, aliquod minus, ſed certum, mihi tradendum promittaa. Sciunt ſane etiam hunc contrahendi modum approbari a Navarro *c. loc. num. 55.* at non ita ſenſiſſe clamitant Gregorium IX. in *cap. Naviganti, de Uſuris*, cum ait: naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus; ſiquidem (inquiunt) ſi Pontifex fœneratorem pronunciavit, qui non aliter pecuniam vult mutuam dare mercatori maritimo, quam ſubeundo ejuſdem pecuniæ periculum, ut hac ratione aliquid ultra ſortem a mutuatario percipiat, quemadmodum prædictum textum expendentes adnotarunt S. Antoninus *2. par. cap.7. §. 21. tit.7.* Sylveſter *verb. Uſura I. §.35.* Molina *de Contract. diſput. 318. num. 1.* & Gonzalez *in cod. cap. Naviganti num. 8*, multo magia uſurarius erit, qui non aliter vult ſocietatem inire, niſi rejecto in ſocium ſortis periculo, & accepta inſuper ab eo ſecuritate alicujus lucri. Neque vero audiendos volunt Auctorea relatoa a Gibalino *de Uſuris lib.2. c.4. art.3. num.25.* exiſtimantes, in allegatum textum irrepſiſſe mendum, & legendum, *Uſurarius non eſt cenſendus*: huic quippe explicationi, teſte eruditiſſimo Gonzalez *ibid. num.7. in fin.* repugnat omnium codicum fidea, in quorum nullo invenitur particula *non*, ſed textua legitur, ſicuti habetur in vulgata Decretali.

Hæc ſunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur, neque Apoſtolica Sedea priori opinioni, etſi minus congruere videatur Sixtinæ Conſtitutioni, ullam hactenua cenſuram inuſſit, a qua proinde eidem infligenda debet Epiſcopus abſtinere. Ad uſum vero quod attinet, tuto poterit contractum trinum, quem etiam ejuſdem patroni periculoſum fatentur, pro viribua impedire, atque ab eo ineundo ſuos ſubditos dehortari; quod a pleriſque Epiſcopis in ſuia diœceſania Synodia ſapientiſſime factum referunt citati Genet. *tom.1. tract.4. cap.14.* & Natalia Alexander *epiſt.94. in Appendic. ad tom.2. ſuæ Theolog. moral.* =

Quoad caſus vero in tranſcripta Decretali *Conſuluit* declaratos, attendenda etiam eſt proſcriptio ſequentium Propoſitionum, facta, ab Alexandro VII. ſub die 18. Martii 1666. & ab Innocentio XI. 2. Martii 1679.

Ab Alexandro VII. quidem, quæ eſt in ordine Ia.

XLII. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempua.

Ab Innocentio XI. quæ ſunt in ordine Ia.

XL. Contractua mohatra licitua eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præviæ inito cum intentione lucri.

XLI. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

XLII. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine de-

Digitized by Google

debitum, ſed ſolum, ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum.

Circa venditionem mercium, dilata ſolutione pretii, vulgo a *Credenza*, de qua in caſu tertio allatæ Decretalia, & alterina Decretalia Gregorii IX. relatæ in *cap. IX. Naviganti*, attendenda eſt ſequens inſtructio, exarata a Benedicto XIV. cum eſſet a ſecretis Congregationis Concilii, italico idiomate impreſſa in folio ejuſdem Congr. habitæ ſub die 23. Februarii 1726. *ut tom. III. Theſauri Reſolutionum dictæ Cong. pag. 285.*

CONDIZIONI DE CONTRATTI *DI VENDITA A CREDENZA.*

Due Regole generali devono oſſervarſi ne' contratti di vendita a credenza.

La prima è, che non ſi venda il tempo, cioè a dire, che quegli, che vende, non pretenda della coſa venduta qualche coſa di più del prezzo giuſto per il tempo, che concede a pagare.

La ſeconda, che il medeſimo non ponga ſe ſteſſo, ò ſempre, ò per il più in ſicuro del guadagno, ed il compratore per contrario in ſicurezza di perdita.

E perchè queſte regole dipendono molte volte dall' intenzione del vendente, quindi è, che il prudente Confeſſore dovrà in ſimili caſi eſplorar bene l' intimo di quella ſua intenzione; poichè chi vende per eſempio il ſuo grano in credenza nel meſe di Decembre, per ricevere il prezzo nel meſe di Agoſto, ò intendeva di venderlo nel ſuddetto meſe di Decembre, ò penſava di trasferire quella vendita in altro tempo, quando forſi probabilmente credeva, che poteſſe valer più caro, come nel meſe di Maggio, ver. gr.

Se intendeva di venderlo nel meſe di Decembre, non può ſenza manifeſta nota di uſura pretendere prezzo maggiore del prezzo giuſto, che corre nel predetto meſe, altrimenti venderebbe il tempo: ma ſe penſava di trasferirne la vendita in altro tempo, ò determinava in queſto caſo il prezzo, che corre nel tempo, che vende, ò ſi contenta, che queſta determinazione abbia a dipendere da un tempo futuro.

Se determina al ſuo grano il prezzo, che corre, ancorchè determinaſſe il prezzo rigoroſo, queſto contratto è lecito, purchè non traſcenda il detto prezzo rigoroſo: mentre debbonſi conſiderare dalla ſua parte i pericoli, le fatiche, e le ſpeſe, che regolarmente occorrono nella conſervazione del grano ſino al tempo, nel quale aveva propoſto di venderlo: ſe poi laſcia, che queſta determinazione dipenda da un tempo futuro, ò vuole, che queſto tempo ſia quello del pagamento, ò altro determinato, benchè in eſſo comunemente ſoglia valere più caro, che in altro tempo precedente, ò pretende, che abbia à dipendere da un tempo futuro indeterminato.

Se vuole, che dipenda il prezzo da un tempo futuro determinato, come ſe diceſſe per eſempio, io ti vendo adeſſo il mio grano, che mi pagherai il meſe di Agoſto al prezzo, che valerà a Maggio, ò a Giugno, queſto contratto è lecito, purchè due coſe vi concorrano.

La prima, che non pattuiſca del prezzo ſommo, che correrà nel tempo del pagamento, ma al più del prezzo medio.

La ſeconda, che ſi deducano dal prezzo le ſpeſe, che dovriano farſi, è tuttociò, che ſarebbe mancato nel conſervarlo ſino à quel tempo, ſecondo il giudizio di Uomini eſperti.

Ma ſe pretende, che il prezzo abbia à dipendere da un tempo futuro indeterminato, come ſe diceſſe, io voglio, che tu mi paghi il mio grano tanto, quanto valerà in qualſivoglia tempo ſino alla ſoluzione del prezzo, quando ſi venderà più caro; il contratto è uſurario; perchè egli ſi aſſicura per il più del guadagno, e pone in contrario il compratore nel ſicuro della perdita.

Queſte regole ſi verificano particolarmente nella vendita a credenza, o commutazione economica; che è allora, che il vendente non intende di negoziare il prezzo di ciò, che vende, ma di ſervirſene ſolo ad uſo proprio; è però ſebbene in eſſa può ſuccedere talvolta il danno emergente, non per queſto potrà giammai il lucro ceſſante, come potriaſi forſe conſiderare nella vendita, o commutazione negoziativa: onde può un mercante, che tiene i ſuoi denari ſempre eſpoſti al negozio, vender le ſue merci più care in credenza, che in pecunia numerata, perchè vendendo a credenza, ſi priva del guadagno, che colla negociazione avrebbe potuto acquiſtare, il che ha da intenderſi con queſte limitazioni,

I. Che veramente perda di queſto il guadagno, perchè non riceve attualmente il prezzo.

II. Che nell' alterazione del prezzo abbia in conſiderazione i pericoli, le fatiche, è le ſpeſe, che avrebbe fatte nel conſervare le ſue merci; è perciò non deve alterarlo ſopra il prezzo rigoroſo, che corre.

III. Che non venda in credenza, perchè non può vendere di preſente à pecunia numerata.

IV. Che ammoniſca il compratore, che egli veramente *coram Deo* per la dilata ſoluzione ceſſa di guadagnare tanto, quanto egli vende a credenza più care del prezzo giuſto le ſue merci, acciò ſe il ſuddetto con queſta condizione non vuole comprarla, ſia poſto in ſua libertà.

SE-

SECTIO DCCCXLVIII.

Caput XVIII. Quanto, *ex Decretali, deſumpta a cap. LXVII. Concilii generalis lateranenſis IV. celebr. ſub Innocentio III. an.* 1215.

QUanto amplius chriſtiana Religio ab exactione compeſcitur uſurarum, tanto gravius ſuper his Judæorum perfidia inſoleſcit, ita quod brevi tempore Chriſtianorum exhauriunt facultates. Volentes igitur in hac parte proſpicere chriſtianis, ne a Judæis immaniter aggraventur, ſynodali decreto ſtatuimus, ut ſi de cætero quocunque prætextu Judæi a Chriſtianis graves, immoderataſve uſuras extorſerint, Chriſtianorum eis participium ſubtrahatur, donec de immoderato gravamine ſatisfecerint competenter. Unde Chiſtiani (ſi opus fuerit) per cenſ. eccl. app. poſtpoſita, compellantur ab eorum commerciis abſtinere. Principibus autem injungimus, ut propter hæc non ſint Chriſtianis infeſti, ſed potius a tanto gravamine ſtudeant cohibere Judæos. Hac eadem pœna Judæos decernimus compellendos, ad ſatisfaciendum Eccleſiis pro decimis, & oblationibus debitis, quas a Chriſtianis de domibus, & poſſeſſionibus aliis percipere conſueverant, antequam ad Judæos quocunque titulo deveniſſent; ut ſic Eccleſiæ conſerventur indemnes.

Cum in hac Decretali prohibeatur Judæis = graves tantum, immoderataſque uſuras exigere, primo intuitu videtur, eis permitti uſurarum ſaltem moderatarum exercitium: at verus intellectus eſt, quaſcunque etiam modicas hic eſſe interdictas = Nam (ita Gonzalez) *omiſſa ſolutione Gloſſæ ibi, dum ait illa verba referenda eſſe ad uſuras, quæ excedunt legitimum modum, cum certum ſit, jure canonico attento, uſuras etiam in parva quantitate prohibitas eſſe. Verius reſpondendum eſt, in ſpecie illius textus non poſſe ſumi argumentum a contrario ſenſu, quia reſultat abſonus intellectus, & contrarium jure divino, naturali, & poſitivo reperitur expreſſum, argumento legis, Conventicula Cod. de Epiſc. & Cleric. l. 1. ff. de Offic. ejus: illa namque verba, graves, immoderataſve referenda ſunt ad quaſcunque uſuras, quæ immoderatæ, & graves, atque pravæ cenſentur*, ut probant Hoſtienſ. & Joannes Andreas =.

Cum autem hic præcipiatur, compellendos eſſe ad ſolvendas decimas, & oblationes, quæ a Chriſtianis ſolvi conſueverant, de bonis ſtabilibus, antequam hæc in eorum manus devenirent, id hodie locum amplius non habet, cum interdictum ſit Judæis, ſaltem in ſtatu eccleſiaſtico, bona immobilia poſſidere, ut ſupra notavi *tit. de Judæis*.

SECTIO DCCCXLIX.

Caput XIX. Naviganti, *ex Decretali Gregorii IX. ignotum, cui reſcripta.*

NAviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus. Ille quoque, qui dat x. ſolidos ut alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur. quæ licet tunc plus valeant, utrum plus, vel minus ſolutionis tempore fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur, non debet ex hoc uſurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excuſatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant in certo termino recipiat pro eiſdem, ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.

Nihil quidem novi huic Decretali acceſſit; verum cum eam diverſimode Auctores interpretentur, ideo tranſcripſi, ut intelligatur, qui verior ſit illius intellectus. Alii enim, ut licitum reddant nauticum fœnus ratione periculi a mutuante in ſe ſuſcepti, ſupponunt, eam eſſe corruptam, in eaque eſſe ablatam particulam *non*, ita ut ejus ſenſus ſit, Uſurarius non eſt cenſendus. Alii vero rectius ſuſtinent, minime eſſe corruptam, inter quos Benedictus XIV. *de Synod. diœc. lib. X. cap. VII. num. 5. edit. anno* 1755. & alii ibidem relati, cujus verba paulo ante tranſcripſi pagina 678. columna 2. ideoque ita eſſe intelligendam, ut ſic contrahens, cenſeatur uſurarius in foro interno, quoties ipſe mutuans non relinquat in electione debitoris, an velit in ſe ſuſcipere periculum ſortis, vel potius illud tranſmittere in eundem mutuantem; ſed mutuat hac lege, & intentione, ut onus periculi ſibi omnino remaneat ad hoc, ut aliquid ultra ſortem recipere poſſit. Secus autem eſt, ſi mutuans relinquat in electione debitoris ſuſcipere periculum, quia in hoc caſu, ſi de conſenſu ejuſdem debitoris ſuſcipit in ſe periculum, poteſt aliquid ultra

tra ſortem recipere ratione dicti periculi, dummodo hoc ſit extrinſecum, nempe maris, tempeſtatum, prædonum &c. Quandoquidem ratione periculi intrinſeci, quale eſt inopia debitoris, vel ipſius mala conditio, nunquam licite poteſt aliquid ultra ſortem accipi, quemadmodum egregie diſſerit Fagnanus in hoc eodem cap.

In foro autem externo contractus cenſetur uſurarius, ſi mutuans accepit aliquid ultra ſortem ratione periculi; ſecus autem eſt, ſi per probationes extrinſecas clare conſtet, ipſum recepiſſe lucrum ultra ſortem non ratione mutui, ſed ratione periculi tantum in ſe ſuſcepti ex conſenſu mutuatarii idem Fagn. *loc. cit. a n. 18. ad 23.*

Hanc eandem regulam, quod ſcilicet ratione tantum periculi aliquid ſupra ſortem mutuans recipere poſſit, firmavit etiam S. Antoninus *part. II. tit. I. cap. VII. §. XXI.* ejuſdem Decretalis intellectum explicans per hæc verba ,, Quid de eo, qui ,, mutuavit negotianti, vel eunti ad nundinas receptu- ,, rus aliquid ultra ſortem, pro eo quod ſuſcipit in ,, ſe periculum, ideſt, ſi pecuniam, vel merces ,, inde emptas portaverit ſalvas, alias nihil rece- ,, pturus etiam de ſorte? Reſpondet, quod aut il- ,, lud ultra ſortem recipit ratione mutui tantum, & ,, ſic eſt uſura, non obſtante, quod periculum ipſe ,, ſuſcipiat: & iſte eſt caſus capitis *Naviganti*, aut ,, accipit illud ultra ſortem præciſe ratione periculi, ,, ut pretium periculi; & ſic non eſt uſura, ſed lici- ,, tum: nam etiamſi non mutuaret, & periculum ,, navigantis in ſe vellet recipere, licite poſſet reci- ,, pere pretium periculi. Nec propter hoc, quod ,, ei ſervitium faciat in mutuando, efficitur deterio- ,, ris conditionis. Aut aliquid ultra ſortem recipit ,, partim ratione periculi, & partim ratione mutui, ,, & tunc uſura eſt quantum ad id, quod plus percipit ,, reſpectu mutui, & illud tenetur reſtituere ".

Cæterum circa periculum etiam intrinſecum, quod excludit Fagnanus, Cabaſutius *Juris can. theoria lib. VI. cap. VIII. num. 2.* hæc habet ,, Licitum eſt ,, igitur in mutuo aliquid ſupra ſortem recipere ra- ,, tione periculi amittendi ſortem, aut recuperandi ,, cum moleſtiis, laboribus, & expenſis, ut docent ,, Sylveſter *verbo Uſura I. quæſt. 35.* Petrus Navar- ,, rus *lib. 3. cap. 2. num. 343.* Medina *tract. de Reſtit.* ,, *quæſt. 38.* Fillucius *tract. 34. num. 97. & 103.* Bo- ,, nacina *de Contract. diſput. 3. quæſt. 3. puncto 5.* ,, ceſſant tamen hujuſmodi cautiones ubi creditor ni- ,, hil periclitatur, eo quod ſit præmunitus idoneis ,, cautionibus, fidejuſſoribus, & pignoribus. Sed ,, tandem præter rationis, & periculi evidentiam, ,, quale non tenetur creditor ſubire, quæſtionem, & ,, reſolutionem iſtam extra omnem dubitationis ,, aleam eximit decretum Sacræ Congregationis ab ,, Innocentio X. Pontifice approbatum, poſtulanti- ,, bus apud Sinenſium regionem Regularibus Miſſio- ,, nariis, Romæ typis editum anno 1645. relatum- ,, que a Ludovico Bancel Dominicano, Profeſſore ,, Theologiæ in Avenionenſi Civitate, & Fidei In- ,, quiſitore, in ſua Morali ſumma, *verbo Uſura*, his ,, ſancitum verbis = *In præfato Sinarum Regno lege* ,, *ſtabilitum eſt, ut in mutuo triginta pro centum* ,, *accipiantur abſque reſpectu lucri ceſſantis, &* ,, *damni emergentis. Quæritur utrum chriſtianis ſit* ,, *licitum pro pecuniarum ſuarum mutuo, licet non* ,, *interveniat lucrum ceſſans, aut damnum emergens,* ,, *prædictam triginta pro centum quantitatem lege* ,, *Regni taxatam accipere? & cauſa dubitationis* ,, *eſt, quia in recuperanda pecunia eſt aliquod peri-* ,, *culum, quod qui accipit mutuum, fugiat, vel quod* ,, *tardet in ſolvendo, vel quod neceſſe ſit coram ju-* ,, *dice repetere, vel propter alia hujuſmodi* =.

,, Cenſuit Sacra Congregatio Cardinalium ,, S. R. E. ratione mutui immediate, & præciſe ni- ,, hil ultra ſortem principalem eſſe accipiendum. Si ,, vero aliquid recipiant ratione periculi probabili- ,, ter imminentis, prout in caſu, non eſſe inquie- ,, tandos, dummodo habeatur ratio probabilitatis ,, periculi, & qualitas ejuſdem, ac ſervata pro- ,, batione inter periculum, & id, quod accipitur ".

Cujus quidem decreti, ſeu reſponſi exiſtentia ne in dubium revocetur, illud, a me recognitum, prout jacet in Regeſtis ejuſdem Cong. tranſcribo.

QUÆSITA MISSIONARIORUM
CHINÆ, SEU SINARUM
SAC. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE EXHIBITA

Infraſcriptæ propoſitiones a Sac. Congreg. de Propaganda Fide ad Sanctum Officium tranſmiſſæ fuerunt, a Patribus Qualificatoribus ejuſdem Sancti Officii qualificatæ, ut infra. *Omiſſis aliis.*

TErtio, in præfato Regno lege ſtabilitum eſt, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur abſque reſpectu lucri ceſſantis, aut damni emergentis. Quæritur, utrum Chinenſibus ſit licitum pro pecuniarum ſuarum mutuo, licet non interveniat lucrum ceſſans, aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta quantitatem, Regni lege taxatam accipere: & cauſa dubitationis eſt, quia in recuperanda pecunia eſt aliquod periculum, ſcilicet, quod qui accipit mutuatum, fugiat, vel quod tardet in ſolvendo, vel quod neceſſarium ſit coram Judice repetere, vel propter alia hujuſmodi.

Cenſuerunt ratione mutui immediate, & præciſe nihil eſſe accipiendum ultra ſortem principalem. Si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in caſu, non eſſe inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejuſdem, ac ſervata proportione inter periculum, & id quod accipitur.

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

Habitæ die 12. Septembris 1645.

REferente Eminentiſſimo D. Cardinali Ginetto ſuprascripta quæſita una cum reſponſis a reſolutionibus Congr. Theologorum ad eorundem quæſitorum examen ſpecialiter inſtitutæ, Sacra Congreg. Eminentiſſimorum DD. Cardinalium de Propaganda Fide præfata reſponſa, & reſolutiones approbavit, & eadem Congr. ſupplicante, Sanctiſſimus Dominus noſter (Innoc. X.) ad conſervandam uniformitatem in Prædicatione, ejuſque praxi, omnibus, & ſingulis Miſſionariis cujuſcunque Ordinis, Religionis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in Regnis Sinarum, aut Chinæ pro tempore exiſtentibus, vel extituria ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sanctitati ſuæ, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatæ, diſtricte præcipiendo mandavit, quatenus præfata reſponſa, & reſolutiones diligenter obſervent, illiſque in praxi utantur, ac ab aliis, ad quos pertinebit, obſervari, & practicari faciant, donec Sanctitas ſua, vel Sancta Sedes Apoſtolica aliud ordinaverit =.

Circa ultimam partem allatæ Decretalis, de venditione ſcilicet mercium, vel comeſtibilium, dilata ſolutione pretii, recole notata ſupra ad *cap. X. Conſuluit pag. 674.*

Titulus XX. De Crimine falſi.

SECTIO DCCCL.

CAPUT III. AD AUDIENTIAM, *ex Decretali Urbani III. ignotum, cui reſcripta.*

AD audientiam noſtram, te ſignificante, pervenit, quod cum quoſdam Clericos, qui falſaverunt ſigillum Philippi Regis Francorum, carcerali cuſtodiæ mancipaveris (& infra.) Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, ut eis nec membrum auferri, nec pœnam infligi facias corporalem, per quam periculum mortis poſſint incurrere, ſed eis a ſuis Ordinibus degradatis in ſignum maleficii characterem aliquem imprimi facias, quo inter alios cognoſcantur, & provinciam ipſam eos abjurare compellens, abire permittas.

Impreſſio characteris, qui juxta jus commune erat litera F. quæ eſt prima falſarii, non eſt amplius in uſu reſpectu Clericorum, potiſſimum cum in caſu hujus Decretalis fuerit pœna extraordinaria, ut ſentiunt DD. communiter.

SECTIO DCCCLI.

CAPUT V. LICET AD REGIMEN, *ex Decretali laudati Innocentii Archidiacono, Archipresbytero, & Canonicis Mediolanenſibus reſcripta.*

LIcet ad regimen (& infra.) Ut autem varietates falſitatis circa noſtras literas deprehendere valeatis, eas vobis præſentibus literis duximus exprimendas. Prima ſpecies falſitatis hæc eſt, ut falſa Bulla falſis literis apponatur. Secunda. ut filum de vera Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis literis inſeratur. Tertia, ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur, inciſum, cum vera Bulla falſis literis immittatur, ſub eadem plicatura cum filo ſimilis canabis reſtauratum. Quarta, cum a ſuperiori parte Bullæ altera pars fili ſub plumbo reſcinditur, & per idem filum literis falſis inſerta reducitur infra plumbum. Quinta, cum literis bullatis, & redditis, in eis aliquid per raſuram tenuem immutatur. Sexta, cum ſcriptura literarum, quibus fuerat apposita vera Bulla, cum aqua, vel vino univerſaliter abolita, ſeu deleta eadem charta cum calce, & aliis juxta conſuetum artificium dealbata de novo reſcribitur. Septima, cum chartæ, cui erat apposita vera Bulla, totaliter abolitæ, vel abraſæ alia ſubtiliſſima charta ejuſdem quantitatis ſcripta cum tenaciſſimo glutino conjungitur. Eos etiam a crimine falſitatis non re-

reputamus immunes, qui contra Conſtitutionem noſtram ſcienter literas, non de noſtra, vel bullatoris noſtri manu recipiunt. Illos quoque, qui accedentes ad Bullam falſas literas caute projiciunt, ut de vera Bulla cum aliis ſigillentur. Sed hæ duæ ſpecies falſitatis non poſſunt facile comprehendi, niſi vel in modo dictaminis, vel in forma ſcripturæ, vel qualitate chartæ falſitas cognoſcatur. In cæteris autem diligens indagator falſitatem poterit intueri, vel in adjunctione filorum, vel in collatione Bullæ, vel motione, vel obtuſione, præſertim, ſi Bulla non ſit æqualis, ſed alicubi magis tumida, & alibimagis depreſſa

Hanc Decretalem tranſcripſi, non quod ei novi aliquid acceſſerit, ſed in eum tantum finem, ut notum fiat, quando incurrantur pœnæ contra falſificantes literas Apoſtolices, inflictæ tam in ſequenti Decretali, quam in Bulla die cœnæ Domini legi ſolita.

SECTIO DCCCLII.

CAPUT VII. AD FALSARIORUM, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, ignotum, cui reſcripta.*

AD falſariorum confundendam malitiam (& infra.) De communi Fratrum noſtrorum conſilio duximus ſtatuendum, ut, qui literis noſtris uti voluerint, eas primo diligenter examinent, quoniam ſi falſis literis ſe uſos dixerint ignoranter, eorum ſera pœnitentia evitare nequibit pœnas inferius adnotatas: Nos enim omnes falſarios literarum noſtrarum, qui per ſe, vel alios vitium falſitatis exercent, cum fautoribus, & defenſoribus ſuis anathematis vinculo declaramus innodatos; ſtatuentes, ut Clerici, qui falſarii fuerint deprehenſi, omnibus officiis, & beneficiis eccleſiaſticis perpetuo ſint privati: ita quod, qui per ſe falſitatis vitium exercuerint, poſtquam per eccleſiaſticum Judicem fuerint degradati, ſeculari poteſtati tradantur, ſecundum Conſtitutiones legitimas puniendi: per quam & laici, qui fuerint de falſitate convicti, legitime puniantur: qui vero ſub nomine noſtro literis falſis utuntur, ſi Clerici fuerint, officiis, & beneficiis eccleſiaſticis ſpolientur: ſi laici tandiu maneant excommuuicationi ſubjecti, donec ſatisfaciant competenter: ita tamen, ut iu iſtis, & in illis malitia gravius, quam negligentia puniatur: quod & de his, qui falſas literas impetrant, ſtatuimus obſervandum.

Excommunicatio hic inflicta contra falſantes literas Apoſtolicas non eſt reſervata; contra vero illis utentes eſt reſervata ſolummodo ratione prærequiſitæ ſatisfactionis faciendæ; verum hodie ex cap. VI. Bullæ Cœnæ (cujus textum leges infra in calce hujus Operis) excommunicatio eſt Papæ reſervata quoad ipſos falſantes, non quoad cooperantes, & utentes.

Hujuſmodi ſanctiones, & excommunicationes innovatæ, extenſæ, & declaratæ ſunt ab Innocentio X. Conſtit. *In ſupremo juſtitiæ*, 8. *April.* 1653. ut ſequitur.

In ſupremo .... Itaque motu proprio .... hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, in primis crimen falſi prædictum pro vere, ac proprie atrociſſimo crimine habendum, & cenſendum eſſe, & fore, adeo ut ſuper eo poſſit inquiri, & procedi iiſdem plane modis, & formis, quibus procedi poteſt in quovis alio crimine, ſuapte natura atrociſſimo, decernimus, & declaramus. Præterea Conſtitutionem fel. rec. Innocentii Papæ Tertii Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Ad falſariorum*, & quaſcunque alias ſanctiones canonicas, Conſtitutioneſque Apoſtolicas, ſive in corpore juris inſertas, ſive non inſertas, & Extravagantes contra falſarios hujuſmodi quandocunque editas, pœnaſque contra eoſdem falſarios in eis ſtatutas, forenſique judiciorum uſu inductas, & receptas innovamus, illiſque etiam confiſcationis omnium, & quorumcunque bonorum, etiam juriſdictionalium, ac devolutionis feudalium, & emphyteuticorum, necnon privationis tam quoad proprietatem, quam quoad exercitium omnium, & quorumcunque officiorum, etiam mere ſecularium, tam vacabilium, quam non vacabilum Romanæ Curiæ, vel quorumvis aliorum locorum, etiamſi emptionis, ac juſtæ compenſationis, & remunerationis meritorum, vel quovis alio, etiam vere oneroſo titulo conceſſa, collata, & acquiſita fuerint, pœnas ipſo facto una cum antiquis, ut præmittitur, innovatis, a die commiſſi criminis falſi hujuſmodi incurrendas addimus, adjungimus, & adjicimus. Ad hæc omnes, & ſingulas perſonas, etiam eccleſiaſti-

cas. cujuſcunque ſtatus, gradus, conditionis qualitatis, & præeminentiæ, etiam cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, ac Militiarum quarumlibet, etiam Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani Regulares, quibuſcunque privilegiis, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clauſis, munitas, & ſuffultas, etiam ſpeciali nota dignas, ac etiamſi nominatim, & in individuo exprimi debeant, neque aliter quam ſub præſcripto certæ formæ in generalibus, aut ſpecialibus Conſtitutionibus includi, & comprehendi poſſint, & ſoleant, nulla prorſus excepta, quas pro tempore atrociſſimi hujus criminis falſi reas eſſe conſtiterit, omnibus, & ſingulis pœnis prædictis, tam antiquis, ut præmittitur, innovatis, quam per præſentes additis, & adjectis obnoxias omnino, & irremiſſibiliter fore. Ac inſuper eaſdem pœnas locum habere, & executioni demandari debere contra quoſcunque falſarios non ſolum literarum Apoſtolicarum, quæ ſub plumbo, ſed etiam illarum, quæ in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris expediri conſueverunt, tam gratiam, quam juſtitiam ſeparatim, aut utramque mixtim continentium: necnon contra falſarios, quarumcunque ſupplicationum, cedularum, motus proprii, ac mandatorum de expediendo gratis manu noſtra, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, vel per *conceſſum* ab Officialibus, ad id pro tempore deputatis reſpective ſignatarum, & ſignatorum, etiamſi ſuper illis literæ Apoſtolicæ, ſive ſub plumbo, ſive in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris non expediantur, neque conſueverint expediri: necnon contra quoſcunque falſarios cujuſcunque generis aliarum ſimilium, vel diſſimilium conceſſionum, in quibus adſit ſubſcriptio noſtra, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut quorumvis Officialium, ſuper quibus literæ Apoſtolicæ ſub plumbo, vel in prædicta forma Brevis expediuntur, & expediri conſueverunt, ac etiam contra quoſcunque falſarios Datarum in præmiſſis ab Officialibus ad hoc deputatis apponi ſolitarum: necnon contra quoſcunque falſificantes originalium ſupradictorum regiſtra Apoſtolica, ſeu regiſtrorum Apoſtolicorum libros, æque prorſus, acſi falſificaſſent ipſa originalia.

Præterea quod ſub præſenti noſtra Conſtitutione ſint, & eſſe cenſeantur comprehenſi, ac omnes, & ſingulas pœnas tam antiquas, ut præfertur, innovatas, quam de novo additas ſuperius expreſſas, ut præmittitur, ipſo facto incurrant non ſolum illi, qui per ſe ipſos, ſed etiam ii, qui per alium, ſeu alios quomodolibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo falſum committent, aut committi mandabunt, vel mandatum ſibi ad id datum exequentur, ſeu directe, aut indirecte fieri curabunt, vel quoquomodo, ac tempore falſificationis participes fuerint, eorumque complices, mediatores, auxiliatores, ſeu fautores quicunque. Ac demum, quod ſub eadem præſenti noſtra Conſtitutione includantur, & incluſi cenſeantur, omnibuſque, & ſingulis pœnis prædictis ſubjaceant, & obnoxii ſint etiam illi, qui unica tantum vice in præmiſſis deliquerint, ac per ſe, vel alium, ſeu alios unicum falſitatis actum dumtaxat in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo commiſerint, in eoque participes, complices, mediatores, auxiliatores, ſeu fautores quoquomodo fuerint, etiam decernimus, & declaramus, atque ita ſanctiones, & Conſtitutiones prædictas innovando, extendendo, illiſque addendo reſpective in perpetuum ſtatuimus, & ordinamus.

Hic nota, quod in hoc §. *Praeterea*, extenditur pœna nedum ad exercentes falſitatis vitium, ut in tranſcripta Decretali, ſed etiam ad unicum actum.

Nota pariter, excommunicationem inflictam contra hujuſmodi falſarios a Bulla Cœnæ afficere etiam Epiſcopos, alioſque majori dignitate præditos, ut ex §. *Cæterum* ejuſdem Bullæ.

Huc revocanda ſunt notata in *cap. II. Ex parte, de Reſcriptis pag.* 8. in quo oſtendi, de jure antiquo falſarios literarum Apoſtolicarum judicandos eſſe a ſolo Papa, & ideo ad eum ab Ordinariis vinctos eſſe mittendos; ſed hodie puniri poſſe ab iiſdem Ordinariis, dummodo non fuiſſent carcerati de commiſſione Papæ.

An autem falſantes literas Ordinariorum incurrant excommunicationem, aliamve cenſuram latæ ſententiæ, *Theſaur. de pœnis &c. cap. V. verb. Falſantes* cum Navar. *conſ XXX. num. 2. de Tempor. Ordination.* docet, nullam incurrere. Si vero damnati fuerint in judicio de earumdem falſificatione, incurrerent infamiam juris, & irregularitatem. Incurrerent etiam ſuſpenſionem, ſi promoverentur ad Ordines per falſas commendatitias, vel dimiſſorias; idem *Theſaurus loc. cit.*

Eod.

Digitized by Google

SECTIO DCCCLIII.

Caput Unicum, Prodiens, *ex Decretali Joannis XXII.*

In hac Decretali, quam tranſcribere omitto, cum nihil aliud contineat, quam excommunicationem, Papæ reſervatam, quæ inflicta erat contra falſantes monetam in Regno Galliæ, & locis vicinis, aut fabricantes, aut ementes extra, & in dictum Regnum portantes, aut vendentes monetam extra illud in locis vicinis ſub ſigno Caroli Regis Francorum.

Sed an hodie hæc excommunicatio locum amplius babeat, controvertunt DD. apud *Theſaurum de pœnis eccleſ. cap. III. verb. Falſum*, cum lata fuerit contra adulterantes monetam dicti Regis Caroli dumtaxat, aut illo dominante.

Subnectimus hic pœnas inflictas contra falſantes, vel tondentes monetam tam auream, quam argenteam in Urbe, aliiſque locis S Romanæ Eccleſiæ mediate, vel immediate ſubjectis, necnon degentibus intra fines Italiæ, a Conſtitutionibus Summorum Pontificum. quarum ſumma eſt, &.

I. In Conſtit. S. Pii V. *Cum nihil magis*, 25. *Octobr.* 1570. ſtatuitur, monetam argenteam tondentes in Urbe, aliiſque locis S. Romanæ Eccleſiæ mediate, vel immediate ſubjectis, puniendos eſſe ultimo ſupplicio, ut auream tondentes, quibus de jure talis pœna inflicta eſt.

Hanc Conſtit. confirmavit Urbanus VIII. Conſt. *In ſuprema, idib. Novembr.* 1627. in qua .I. eandem pœnam extendit ad omnes eccleſiaſticos quomodolibet exemptos, habitantes in quibuſvia locis intra fines Italiæ, qui præſumpſerint aureas, aut argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut exponere. II. Sancit, repertos culpabiles in tali delicto, tradendos eſſe Curiæ ſeculari, prævia degradatione. III. Damnandos eſſe ad triremes per decennium ſcienter detinentes pecuniam ſic adulteratam, ſeu transferentes de loco ad locum, præſtanteſque opem, materiam, aut inſtrumenta ad patrandam dictam falſitatem. IV. Cognitionem de hoc crimine reſpectu dictarum perſonarum, privative, etiam quoad Superiores regulares. ſpectare ad Legatos, ſeu Prolegatos Apoſtolicos in locis eorundem juriſdictioni ſubjectis: in aliis vero ad locorum Ordinarios. V. Inhibet omnibus eccleſiaſticis ſub pœnis privationis officii, ac beneficii, vociſque activæ, & paſſivæ, & inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, ac excommunicationis latæ ſententiæ, ne audeant, aut præſumant impedire, perturbare, aut moleſtare Legatos, Prolegatos, aut Ordinarios, procedentes in hoc crimine. VI. Mandat ſub iiſdem pœnis, ut Regulares, quoties ad id fuerint requiſiti, religioſos ipſos (etiamſi Superiores alicujus loci regularis actu fuerint) conſignent cum ſcripturis, & actis (ſi quæ factæ fuerint, reperiantur) ipſis Legatis, aut Ordinariis, aut aliis de eorum mandato.

Nota I. Pœnam ordinariam in hac Conſtit. ſtatutam, habere locum etiam contra falſantes monetas minimi valoris, ut probat Ludovicus de Ameno *de Delict. & pœnis, tom. III. titulo VI. §. III. num. 46. ad* 48.

Nota II. Eandem Conſtit. utpote pœnalem, non extendi ad falſantes alias monetas, quæ non veniunt nomine aureæ, & argenteæ, idem de Ameno *loco cit. num.* 45.

Nota III. Quod Superior regularis in caſu denunciationis, aut accuſationis contra ſuum Religioſum reum alicujus ex recenſitis delictis, poteſt quidem tanquam Judex ordinarius contra illum proceſſum conſtruere, & ſententiam proferre, ſi exiſtat in locis extra Italiam, cum Conſtit. Urbani §. 3. loquatur de locis tantum intra Italiam: ſi vero exiſtat in locis intra Italiam, & ejus adjacentes Inſulas, Siciliam nempe, Corſicam, & Sardiniam, cum & hæ in odioſis veniant nomine Italiæ juxta declarationem Cong. Epiſcop. & Regul. relat. ab Ameno *loc. cit. num.* 50. tunc debet accuſatorem remittere ad Judices, de quibus in Conſtitut. non tamen ipſi interdictum eſt procedere circa præparatoria judicii, quæ facit pro informatione Curiæ, & ut ipſe certioretur, an delictum tale ſit, ut de eo poſſit cognoſcere, necne.

Nota IV. Superiorem teneri conſignare dictis reſpective judicibus Religioſum accuſatum ſimul cum proceſſu a ſe conſtructo, in caſu dumtaxat, quod ſit ab eis requiſitus, ut ſonat Conſtitutio.

Nota V. Superiorem ſcienter, vel ignoranter procedentem in bac cauſa, nullam ex Conſtit. pœnam incurrere, ſed in ea apponitur nullitas actorum cum pœnæ privationis officii, & vocis activæ, & paſſivæ ſolummodo illi infligantur, ſi auderet perturbare, impedire, vel moleſtare Judices procedentes in cauſa.

Nota VI. Quod prædicta nullitas incurreretur etiam cum ignorantia bujus Conſt. cum enim in ea ſublata ſit Super. regularibus facultas cognoſcendi, cognoſcerent abſque juriſdictione: ac proinde acta eſſent ipſo facto nulla, abſque ulla declaratione. Non incurrerentur tamen pœnæ; cum enim hic infligantur contra audentes, & præſumentes, ad eas incurrendas requiritur ſcientia legis prohibentis, & auſus temerarius.

His pœnis addita eſt a Bened. XIII. Conſtitut. *Ex quo divina, idib. Jun.* 1725. privatio. beneficii aſyli loci ſacri, nedum contra conflantes, adulterantes, vel tondentes quaſcunque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, ſi in loco ubi crimen admiſſum eſt, liberum habeant uſum, & commercium, ſed etiam contra præſumentes ſcienter ita expendere, & erogare eaſdem monetas conflatas, adulteratas, aut detonſas, ut fraudis conſcii, atque participes cenſeri poſſint.

Nota VII. Conſtitutiones S. Pii, & Urbani confirmatas fuiſſe a Bened. XIV. Conſtit. *Ad curam*, 31. *Octobr.* 1756. extendente dictas omnes pœnas ab iiſdem inflictas ad falſificantes, & alterantes in quacum-

Digitized by Google

cunque ſumma ſyngraphas, ſeu cedulas Montis Pietatis, & menſæ nummariæ S. Spiritus in Urbe, etiamſi falſificatio facta fuerit extra ditionem eccleſiaſticam, & ad eas tam falſas, quam corruptas, & alteratas ſcienter expendentes in locis Italiæ, S. Sedi immediate, vel mediate ſubjectis, repetendo pœnam contra eccleſiaſticos inflictam ab Urbano: etſi eccleſiaſtici fuerint, etiam exempti, & privilegiati, ut ſupra prævia degradatione, Curiæ ſeculari puniendi tradantur.

Eodem Titulo de Crimine falſi in Extravagantibus communibus.

SECTIO DCCCLIV.

Caput Unicum, Spondet, *ex Decretali Joannis XXII.*

Cum hujus Decretalis textus ſit nimis prolixus, illius tranſcriptionem omitto: ejus autem ſumma eſt, ut quicunque arte alchimica aurum, vel argentum fecerint, vel fieri, ſecuto effectu, mandaverint, vel ſcienter facientibus ad hoc miniſtraverint, aut ſcienter tali auro, vel argento uſi fuerint, vendendo, vel dando in ſolutum, tantum pondus veri auri, vel argenti in ærarium publicum inferre cogantur, in pauperes erogandum, & perpetuo ſint infames. Si ad hoc exſolvendum illorum facultates non ſufficiant, carceri mancipentur, vel alia pœna afficiantur. Qui ex tali auro, vel argento cudunt, vel cudi faciunt monetam, ipſorum bona publicentur, & ipſi perpetuo ſint infames. Si Clerici fuerint, ultra prædictas pœnas, priventur beneficiis, & ad habenda reddantur prorſus inhabiles.

Hanc Decretalem *Theſaurus de pœn. eccleſiaſt. verbo Falſatio cap. II.* ſentit cum Martino del Rio non eſſe receptam, ſed contrario uſu abolitam quoad pœnas ibidem inflictas, cum tales Alchimiſtæ publice tolerentur, & a multis Principibus æſtimentur. Addit tamen cum eodem del Rio merito in foro conſcientiæ communiter artem iſtam illicitam cenſendam eſſe, cum ſit expoſita multis fraudationum periculis.

Ad hunc titulum revocanda eſt pœna inflicta a Bened. XIV. contra falſo accuſantes Confeſſarios de ſolicitatione: ſed cum de hoc jam ſermo inſtitutus fuerit in titulo *de Calumniatoribus pag.* 560. ad eam lectorem remitto.

Titulus XXI. De Sortilegiis.

SECTIO DCCCLV.

Caput I. In tabulis, *ex Decretali deſumpta a Pœnitentiali Theodori.*

In tabulis, vel codicibus, aut aliis ſorte furta non ſunt requirenda: nec divinationes aliquas in aliquibus rebus quis obſervare præſumat: qui autem contra fecerit, quadraginta dies pœniteat.

Hæc Decretalis ita legitur in Codice Gregorii IX. quo in ſcholis utimur; ſed aliter refertur a Gonzalez, prout etiam legitur in *Pœnitentiali Romano tit. VI. cap. VII.* ut ſequitur.

In taleis, vel in codicibus ſorte futura non ſunt requirenda, aut nullus in Pſalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus ſortiri præſumat, nec divinationes aliquas in aliquibus rebus obſervare. Quod ſi fecerit, XL. dies pœniteat.

Ac inſuper notat, idem Gonzalez *n. 2. & 3.* in dicta Decretali relata in Codice Gregorii mendoſe legi: *In tabulis*, *pro taleis*, *& furta*, *pro futura*. Verum ut ingenue fatear quod cenſeo, hæc omnia abſque ſolido fundamento dicta videntur. Atque ut a ly *in tabulis* exordiar, id certum eſt, quod etiam Pœnitentiale Romanum idem ponit *tit. 6. cap. 7.* nempe *in tabulis*, & non *in taleis*, ut fatetur Gonzalez, referens per extenſum ejuſdem verba hic *num. 1.* ubi addere poterat, quod ita legitur in qualibet genuina editione, tum codicis Decretalium (quod enim in ſexta editione poſitum fuerit in *talibus* pro *tabulis*, eſt error typographi, non authographi) cum utriuſque præfati Pœnitentialis, Theodori nempe, ac Romani. Item, quod *in tabulis* legunt Joannes Andræas, Panormitanus, Barboſa, cæterique Canoniſtæ omnes, neque ipſo excepto; quamvis in expoſitione cum Cironio ipſe poſtea dicat, eſſe legendum *in taleis*, & non *in tabulis*: quod equidem non percipio; ſi enim ly *in tabulis* per ipſum eſt mendum, cur, ut Decretalis, ſaltem in ſuis Commentariis correcta prodiret, eandem non inchoavit: *in taleis*, prout per ipſum legi debet, ſed eam cum cæteris inchoavit *in tabulis*? At rationem audiamus, ob quam *in taleis* legendum dicit. Affert ipſe plura teſtimonia, & exempla ex Nonio Marcel. & aliis, quibus probatur, quamplura ſortilegia effecta fuiſſe in taleis. Verum pace tanti viri debile admodum eſt hoc argumentum ad probandum

Digitized by Google

dum ſuum inteutum . Siquidem hoc probat quidem, quod etiam in taleis fieri poſſint, immo & facta fuerint ſortilegia ; attamen non excludit, quod fieri poſſint etism in tabulis ; prout cæteroquin neceſſarium eſſet , ut ly in tabulis eſſet mendum , adeo ut in Decretali locum habere non poſſet . Alias , quemadmodum, non obſtante, quod ea omnia ſortilegia facta fuerint in taleis ; tamen quia in capite ſequenti ſortilegium refertur factum etiam ex inſpectione aſtrolabii , ly *inſpectione aſtrolabii* ibidem appoſitum , neque ab ipſo mendum reputatur , ſed verum medium , per quod effici valeat ſortilegium ; ita quia, non obſtantibus iis omnibus ſortilegiis , factis in taleis , ſortilegium etiam in tabulis fieri poteſt , ut mox oſtendam, dicendum, quod ly *in tabulis* mendum non ſit in præſenti, ſed vernm medium ad ſortilegium efficiendum . Cæterum quod ſortilegium fieri valeat in tabulis, probo in primis ex laudato Pœnitentiali Romano , quod, teſte eodem Gonzalez *cit. tit.6. cap.7.* hæc habet . *In tabulis , vel in codicibus , ſorte futura non ſunt requirenda , aut nullus in Pſalterio , vel in Evangelio , vel in aliis rebus ſortiei præſumat , nec divinationes aliquas in aliquibus rebus obſervare . Quod ſi fecerit , XL. dies pœniteat* . Item *cap. 20. Requiſiſti ſortes in codicibus , vel in tabulis , ut plures faciunt &c.* Profecto etiam pee Gonzalez illa vetantur, ne fiant ſortilegia per hæc, aliave ſimilia media . Deinde oſtendo ex Can. 4. Concilii Aquiſgranenſis , tempore Caroli Magni edito ad rem noſtram ; necnon ex ſtatuto propterea tunc facto circa requiſitionem faciendum de codicibus , *vel tabulis* ; quæ relata ſunt ab eodem Gonzalez in Comment. ad hanc eandem Deceetalem : quem proinde miror ly *in tabulis* mendoſe hic dictum reputaſſe .

Quantum poſtea ad ly *furta* , etiamſi Pœnitentiale Romanum *cit. cap.7.* ponat *futura* , hoc non obſtante mendum non repnto . 1. Quia *furta* ponunt omnes genuine editiones tum codicis Decretalium, cum Pœnitentialis Theodori , ex quo fatetur Gonzalez Decretalem hanc fuiſſe deſumptam ; ut enim mendum non ſit , ſufficit, quod ita legatur in genuino ſuo authographo ; cum quo neceſſe poſtea non eſt , quod in omnibus concordent alia diverſa Pœnitentialia, quæ ad rem noſtram diſparate ſe habent . 2. Quia ſortilegia divinatoria non ſolum ea ſunt , quæ per ſigna improportionata , nullamque cum effectu connexionem habentia , fiunt ad cognoſcenda futura contingentia (ut cæteroquin ex rationibus , quas adducit , videtur falſo ſupponere Gonzalez) ſed etiam ea ſunt , quæ ex inſpectione talium ſingnorum fiunt ad cognoſcenda occulta , etiam præterita , puta ad detegendum , ac agnoſcendum auctorem furti commiſſi per inſpectionem aſtrolabii , ut recte notat Schmier *Juriſprud. lib.5. tract.2. cap.3. ſect.3. §.4. num. 122.* & aperte colligitur *ex 2. cap. ſeq. hoc eod. tit.* Quare cum per inſpectionem tabularum , hoceſt notarum quarundam, quæ in tabulis inſcriptæ erant , vel impreſſæ , nedum factum fuerit , verum etiam fieri adhuc poſſit ſortilegium ad dignoſcendum furem , eo fine, ut res , per furtum ablatæ , recuperentur , ſuum utique locum adhuc habere cognoſcitur ly *furta* in hac Decretali ; quod propterea mendo adſcribi non debet , nec pro eo legi *futura* .

Nec refert, quod Pœnitentiale Romanum habeat *futura* . In primis namque hoc Pœnitentiale non eſt illud Theodori , unde illa Decretalis deſumpta eſt; ſed eſt ab eo diverſum . Deinde ideo Pœnitentiale Romanum ponit *futura*, & non *furta* , quia diverſum habebat ſcopum , non enim determinate tendebat ad deſignandam penitentiam pro ſortilegio commiſſo ad detegendum furem (quem ſcopum hic habuit per prima verba Penitentiale Theodori , ac præſens Decretalis , quæ proinde poſuit *furta*) ſed pœnitentiam deſignavit pro ſortilegiis commiſſis circa agnitionem eventuum futurorum : quam ob rem *futura* expreſſit, non *furta* . Et ſane nedum in hoc primo capite, verum etiam in ſequenti agi etiam de ſortilegiis circa furta , res eſt evidens .

In aliquo vero differt iſta Decretalis , in Codice Gregoriano relata , ab expoſitione Pœnitentialis Romani ; hoc enim *tit.6. cap.7.* hæc habet . *In tabulis , vel in codicibus ſorte futura non ſunt requirenda , aut nullus in Pſalterio , vel in Evangelio , vel in aliis rebus ſortiri præſumat , nec divinationes aliquas in aliquibus rebus obſervare . Quod ſi fecerit , XL. dies pœniteat* . Ex quo patet, quod ubi Decretalis inquit *furta*, Pœnitentiale Romanum ponit *futura*: quo modo eſſe legendum cum Cironio ait Gonzalez hic n.2.& 3. mendum reputans ly *furta*. Immo, quamvis & ipſe inchoet Decretalem , *in tabulis* ; nihilominus inquit poſtea , etiam hoc mendum eſſe , ac legendum *in taleis* , non autem *in tabulis* .

In hac igitur Decretali injungitur penitentia XL. dierum iis , qui ex tabulis , hoceſt ex inſpectione quarundam notarum , quæ in tabulis erant impreſſæ, aut ex lectione facta in libris fortuito apertis , vel aliis hujuſmodi , dignoſcere nitebantur auctores furtorum , & res , quæ furto ablatæ fuerant , ſic adinvenire , ac recuperare . Item iis , qui alias res occultas , vel etiam futuras divinare volebant per alia media , quæ nullam cum eiſdem connexionem habebant , nec habent . Sed hodie hæc pœnitentia obſolevit ; ejuſque loco ſucceſſit penitentia , prudentis Confeſſarii judicio proportionata majori , vel minori qualitati , ac gravitati delictorum , habito reſpectu ad circumſtantias &c.

Huc ſpectat Conſtitutio Bened. XIII. emanata ſub die 12. Auguſti 1727. de qua mentio eſt in Motu proprio Clem. XII. ut notavi ad cap. VI. *Cum ad monaſterium* pag. 370. derogata quidem ab eod. Clem. in d. Motu proprio quoad excommunicationem inflictam vacantibus ludo , vulgo *del Lotto* , ſed confirmata quoad eandem excommunicationem , qua Benedictus ipſo facto ligatos declaraverat utentes in dicto ludo pravis artibus , & deteſtabilibus , ac damnatis ſuperſtitionibus , non abſolvendos , excepto mortis articulo , niſi a Papa , ut ex ſequentibus verbis , quæ leguntur in præfato Motu proprio . *Quanto poi alla pena della ſcommunica , vogliamo parimente , che reſti ferma ſolamente contro quelli , che tratti da una folle ſperanza di vincere per mezzi riprovati , ed illeciti , uſaranno nel giocare arti prave , o ſi ſerviranno di deteſtabili, è dannate ſuperſtizioni; quale deve crederſi eſſere ſtata ancora l'unica , e principale mira del prenominato noſtro Predeceſſore nell' imporla .*

SE-

SECTIO DCCCLVI.

Caput II. Ex tuarum, *ex Decretali Alexandri III. Gradenſi Patriarchæ reſcripta.*

EX tuarum tenore literarum accepimus, quod V. Presbyter cum quodam infami ad privatum locum acceſſit, non ea intentione, ut vocaret dœmonium, ſed ut inſpectione aſtrolabii furtum cujuſdam Eccleſiæ poſſet recuperari. Verum licet hoc ex bono zelo, & ſimplicitate ſe feciſſe proponat, id tamen graviſſimum fuit, & non modicam inde maculam peccati contraxit [& infra.] Mandamus, quatenus talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quod per annum, & amplius, ſi tibi viſum fuerit, eum ab altaris miniſterio præcipias abſtinere: & ex tunc liberum ſit ei exercere officium Sacerdotis.

Huic damnatæ divinationi acceſſit Conſtitutio Leonis X. *Supernæ*, edita in Concilio generali Lateranenſi V. ſub die 5. Maii 1514. in cujus §. XLI. hæ graviores infliguntur pęnæ tam in Clericos, quam in laicos, hujus delicti inventos culpabiles.

Et, cum ſecundum leges civiles, & ſacrorum Canonum cenſuras ſortilegia per invocationem dœmonum, incantationes, ac divinationes, ſuperſtitioneſque prohibita ſint; ſtatuimus, & decernimus, ut Clerici, qui in præmiſſis culpabiles inventi fuerint, arbitrio Superiorum infamia notentur. Si vero non deſtiterint, deponantur, atque in monaſterium ad tempus arbitrio Superioris præfiniendum detrudantur, beneficiiſque, & officiis eccleſiaſticis priventur. Laici vero utriuſque ſexus excommunicationis, & aliis pœnis juris, tam civilis, quam canonici, ſubjaceant.

Verum cenſuras has, ſicuti & excommunicationem latam in *Can. I. Si quis Ariolos* (qui eſt Gregorii Papæ junioris in Concilio Romano, relato *cauſa XXVI. quæſt.* 5. ac Conſtitione Joannis XXII. de qua directorium Inquiſitorum *part. II. quæſt.* 43.) non eſſe latæ ſententiæ ſentit *Theſaur, de pæn. cap. I. verbo Superſtitio* cum DD. ibi cit. exceptis caſibus contentis in Conſtitutionibus Sixti V. Urbani VIII. & Gregorii XV. de quibus infra, ac præterea excepto caſu, quo in ſimilibus actibus continetur error hæreticalis in intellectu, tunc enim incurruntur ipſo facto excommunicatio, omneſque pęnæ contra hæreticos latæ.

Acceſſit præterea damnatio artis aſtrologiæ judiciariæ, & aliorum quorumcunque divinationis generum ex Conſtitutione Sixti V. *Cæli, & terræ*, 5. *Januarii* 1585. in qua numeratæ leguntur omnium ſortilegiorum ſpecies, ibi.

Sunt etiam inanes quidam homines, & curioſi, vel impii, & irreligioſi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere ſtudent, ut ob eadem prænoſcenda, & inveſtiganda in divinæ legis offenſionem multipliciter incurrant. Alii enim geomantiæ, hydromantiæ, acromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, aliiſque ſortilegiis, & ſuperſtitionibus, non ſine dœmonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione, operam dare, ſeu illis, ac ſortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum; jactu uti non verentur. Alii vero aliquas priſtinæ, & antiquatæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ idololatriæ reliquias retinentes, quibuſdam auguriis, auſpiciis, ſimilibuſve ſignis, & vanis obſervationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem ſunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui ſimiliter ad occultorum divinationem, ad inveniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum diabolo pactione facta, in manifeſta ſuarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, inſtrumenta, & veneficia adhibent, circulos, & diabolicos characteres deſcribunt, dœmones invocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliave ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus ſacris, vel ſacramentis, aut ſacramentalibus ſacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quævis alia impietatis obſequia præſtant, cultum, venerationemve tribuunt, aut annulum, vel ſpeculum, aut parvas phyalas ſibi fabricant, au fabricari curant ad dœmones in eis alligandos, ſeu includendos, ut putant, ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alii præterea etiam in corporibus obſeſſis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus, dœmones, de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut merito ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas, mendaceſque referant

ferant reſponſiones. Alii quoque præſtigiatores, frequentius vero mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ, in phyalis, ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo, accenſis candelis, etiam benedictis, ſub nomine Angeli, Sancti, & Albi, diabolum omnium malorum factorem ſupplices adorantes, vel in unguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis, eundem omnium fallaciarum architectum orant, ut ſimiliter futura, vel occulta quævis per ſpectra, & apparentes imagines, ſeu phantaſticas viſiones ſibi oſtendat, aut ab eodem patre mendacii diabolo aliis incantationibus, aut variis ſuperſtitioſis obſervationibus, futurorum, & occultorum hujuſmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicare contendunt.

Quorum omnium, quos ſupra enumeravimus, conſimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quod dœmonis præſtigiis, ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt, illuſi, ac deluſi miſerrime reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in ſeipſis conſiderare, antequam fiant, ſit Dei proprium, illud neceſſario conſequitur, ut aſtrologi, & alii prædicti, qui hujuſmodi futura prænunciare, aut præuoſcere quocunque modo, niſi Deo revelante, audent, injuſte, atque impudenter, quod Dei eſt, ſibi aſſumant, & uſurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod ſolius eſt Creatoris, perperam creaturis tribuitur, Divina majeſtas graviter lædatur, Fidei integritas violetur, & animabus, pretioſo Chriſti ſanguine redemptis, peſtis, atque exitium importetur.

§. 2. Et licet jampridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto ſacri generalis Trid. Conc. confecti, illud inter cætera conſtitutum fuerit, ut Epiſcopi diligenter providerent, ne hujuſmodi aſtrologiæ judiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contigentibus, ſucceſſibus, fortuitiſve caſibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent, permiſſis tamen judiciis, & naturalibus obſervationibus, quæ navigationis, agriculturæ, ſive medicæ artis juvandæ gratia conſcripta fuiſſent. Libros vero omnes, & ſcripta geomantiæ, hydromantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, ſive in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicæ, prorſus rejici, & aboleri curarent: non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abuſuum prædictorum extirpationi uſque adeo proviſum eſt, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curioſius vigeant, cum valde frequenter, detectis diaboli inſidiis, divinationum, ſortilegiorum, & variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe in dies detegantur &c.

Nos igitur .... ſtatuimus, & mandamus, ut tam contra aſtrologos, mathematicos, & alios quoſcunque dictæ judiciariæ aſtrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam, in poſterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contigentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamſi id ſe non certo affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quam contra alios utriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas divinandi artes, ſive ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, quive hujuſmodi illicitas divinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cujuſcunque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, ac alii Ordinarii locorum, quam Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ubique gentium deputati, etiamſi in pleriſque ex his caſibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos ſeverius canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animadvertant.

Prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus hujuſmodi judicariæ aſtrologiæ, geomantiæ, hydromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ artis magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, ac, ut ſupra, in memorato Indice interdictos ſub cenſuris, & pœnis in eo contentis, a quibuſcunque chriſtifidelibus legi, aut quolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, ut contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta hujuſmodi, ſeu in quibus

Digitized by Google

talia continenter, ſimiliter iidem Inquiſitores libere, & licite procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere poſſint.

Hanc Sixti Conſtitutionem confirmavit Urbanus VIII. ampliavitque, infligendo ſequentes pœnas contra utentes divinatione, ſeu ab aſtrologis reſponſa quærentes ſuper ſtatu Reip. Chriſtianæ, Sedis Apoſtolicæ, vita, & morte Summi Pontificis, ejuſque conſanguineorum uſque ad tertium gradum incluſive, ut in ejus Conſtitutione *Inſcrutabilis prid. Kal. Aprilis 1631.*

Nos itaque .... Conſtitutionem per præfatum Sixtum Prædeceſſ. deſuper, ut præfertur, editam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus.

Et inſuper omnibus, & quibuſcunque laicis, cujuſcunque ſexus, conditionis, ſtatus, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam marchionalis, vel ducalis exiſtentibus, qui de ſtatu Reip. Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ejuſque uſque ad tertium gradum incluſive conſanguineorum, mathematicos, ariolos, aruſpices, vaticinatoreſve nuncupatos, vel alios aſtrologiam judiciariam exercentes, ſeu alias quomodolibet profitentes, de cætero conſuluerint, ſive deſuper eorum judicia, prognoſtica, prædictiones, ſeu præcoguitiones, etiam ſibi oblatas receperint, illiſve quomodolibet uſi fuerint, vel illas penes ſe ſcienter retinuerint, aut alicui oſtenderint, necnon iiſdem mathematicis, ariolis, aruſpicibus, vaticinatoribus, ſive aliis aſtrologiam judiciariam,ſeu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profitentibus, qui judicia, prognoſtica, ſeu præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſſis, etiamſi id non certo ſe affirmare proteſtentur, fecerint, ſive a ſe, vel ab aliis jam facta, ſeu factas in poſterum penes ſe ſimiliter retiuuerint, vel alicui dederint, ſeu oſtenderint, aut de eis quovis modo, etiam improbando, ſcripto, vel verbis tractaverint, nedum excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ſed etiam uti læſæ majeſtatis reis, ultimi ſupplicii, ac confiſcationis omnium bonorum ſuorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac devolutionis quarumcunque, Civitatum, Caſtrorum, & locorum juriſdictionalium, & feudalium.

Clericis quoque, & Presbyteris, aliiſque perſonis eccleſiaſticis tam ſecularibus, quam cujuſvis Ordinis, congregationis, ſocietatis, ſeu inſtituti, vel militiarum quarumcunque, etiam Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, aliiſque quomodolibet exemptis, ac Nobis, & Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectis, Regularibus utriuſque ſexus, ultra prædictas, etiam privationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum eccleſiaſticorum, etiam monaſteriorum, prioratuum, & præceptoriarum, ac aliorum quorumcunque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa in poſterum obtinenda, ita quod perſonæ eccleſiaſticæ, prævia illarum degradatione, Curiæ ſeculari tradantur puniendæ, in epiſcopali vero, archiepiſcopali, metropolitana, primatiali, patriarchali, aut quacunque alia etiam ſuperiori eccleſiaſtica, vel mundana quantumvis ſublimi, excellente, & ſpeciali nota digna, etiam ſuprema conſtitutis dignitate, eaſdem excommunicationis, ac privationis, etiam regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiarum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, & dignitatum, quantumvis ampliſſimarum, & patriarchali majorum, ac officiorum ſuorum, & inhabilitatis pœnas ipſo facto incurren. Apoſtolica auctoritate tenore præſentium infligimus, & imponimus.

Cognitionem autem cauſarum hujuſmodi quoad perſonas eccleſiaſticas tam ſeculares, quam regulares in Urbe noſtra, & illius diſtrictu ad dilectos filios, noſtrum in eis Vicarium in ſpiritualibus generalem, necnon ejuſdem Urbis Gubernatorem, ac cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditorem generalem, & eorum quemlibet in ſolidum: extra vero Urbem, & diſtrictum prædictum in provinciis, Nobis & Apoſtolicæ Sedi ſubjectis, ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in eiſdem Provinciis de latere Legatos, & Prolegatos, ac Præſides, in dignitate eccleſiaſtica conſtitutos pro tempore exiſtentes; in aliis vero omnibus, & ſingulis provinciis, regnis, civitatibus, oppidis, caſtris, & locis tam ſub noſtra, & dictæ Sedis, quam cujuſvis alterius Principis ditione comprehenſis, privative quoad omnes, etiam Superiores religioſorum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum, ubilibet vero locorum, etiam ad hæreticæ pravitatis Inquiſitores ſpectare volumus.

Man-

Mandantes dilectis filiis noſtris, & dictæ Sedis de latere Legatis, & eorum Vice-Legatis, & Præſidibus prædictis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, necnon venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſingulis, videlicet, in ſuis civitate, & diœceſi, & quoad loca intra fines alicujus diœceſis, non tamen de diœceſi exiſtentia ipſarum diœceſum, intra quarum fines eadem loca extiterint; quo vero ad ea, quæ extra fines alicujus diœceſis conſiſtunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinariis, àc etiam Inquiſitoribus prædictis, quatenus ad inſtantiam cujuſvis Fiſci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio, cauſarum hujuſmodi cognitiones ſuſcipientes, prævia etiam avocatione a quibuſvis aliis ſupra non expreſſis, nec a Nobis ſpecialiter delegatis, in cauſis ipſis modo præmiſſo procedant omnibus juris, & facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachii ſecularis.

Inhibentes inſuper Decanis, & capitulis Eccleſiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Inſtitutorum, ac etiam Hoſpitalis prædictorum Superioribus conventibus, & Fratribus, quantumvis exemptis, ne ſub privationis beneficiorum, & officiorum quorumcunque per eos reſpective obtentorum, ac ſimiliter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vociſque activæ, & paſſivæ, necnon excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, ſeu Vice-Legatos, alioſque prædictos in cauſis hujuſmodi procedentes quoquomodo impedire, moleſtare, ſeu perturbare audeant, vel præſumant, ac etiam mandantes, ut quoties ad id fuerint requiſiti, Religioſos ipſos, etiamſi alicujus loci regularis Superiores actu fuerint, Ordinariis, Legatis, ſeu Vice-Legatis, ac aliis prædictis, ſeu quibus iidem mandaverint, conſignent cum ſcripturis, & actis, ſiquæ facta fuiſſe reperiantur &c.

Acceſſit etiam Conſtitutio Gregorii XV. *Omnipotentis Dei* 20. *Martii* 1623. in qua ſtatuitur.

Conſtito, quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & a Fide apoſtatando, maleficiis, ſeu ſortilegiis unam, ſeu plures perſonas ita læſerit, ut ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam primo lapſu, Curiæ ſeculari tradatur debitis pœnis puniendus. Qui vero ſimiliter apoſtatando, pactum cum diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit, ex quo licet mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, divortium, impotentia generandi, ſive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, ſive perpetuis carceribus in S. Inquiſitionis Officio, ubi illud exiſtit, fabricandis, mancipari debeat. Qui vero ſimilium delinquentium notitiam habuerint, eos Epiſcopo, ſeu Inquiſitori denunciare teneantur.

Acceſſit tandem decretum Congr. Univerſalis Inquiſitionis, editum *ſub die* 5. *Auguſti* 1745. confirmatum a Benedicto XIV. contra Sacerdotes abutentes Sacrificio Miſſæ ad ſortilegia, tenoris, ut ſequitur.

. Sanctiſſimus D N. ſolicite animadvertens, quam grave ſit delictum illorum perditorum hominum, qui ſacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, ac ſalutaris pœnitentiæ Sacramento ad animarum reparationem a Chriſto Domino inſtitutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in poſterum Sacerdotes tam ſeculares, quam regulares, cujuſcunque Ordinis, Inſtituti, Congregationis, & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, vel in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive illius occaſione, aut prætextu, ad turpia ſolicitantes, vel Sacrificio Miſſæ abutentes ad ſortilegia, præter pęnas a jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſignanter ſan. mem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eoſdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem, quodque ejuſmodi decretum ſignificetur ſingulis cujuſcunque Ordinis Superioribus, ac Præpoſitis, ad hoc, ut de illo, ſicuti & de prædictis, aliiſque Summorum Pontificum Conſtitutionibus juxta præſcriptum in generali decreto ſupremæ Inquiſitionis die 15. Decemb. 1633. ſemel ſaltem in anno feria ſexta poſt octavam Aſſumptionis B. M. Virginis in publica menſa, vel in capitulo, ad hoc ſpecialiter convocato; ac inſuper in quocunque generali, vel provinciali capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congreſſu, ſuos ſubditos, ac religioſos commonendos curent, ejuſdemque commonitionis coram ſuprema Congregatione juratum teſtimonium exhibeant.

Nota I. Quoad Conſtitutionem Sixti V. ex Ameno *tom. III. de Delict. & pœnis tit. VI.* §. *V. num.* 22. non eſſe audiendos DD. ab eo relatos, opinantes, dictam Conſtitutionem non obligare, niſi in foro externo: quandoquidem (ait) = in utroque foro militare non ſolum, dum futura prænuntiantur, verum etiam, dum aſtrologus declarat, ſe id non aſſeveranter affirmare =& cum ipſo quamplurimi DD. quos citat.

Excommunicatio autem inflicta in eadem Conſtit.

ſtit. contra legentes, & retinentes libros ibidem expreſſos, non eſt reſervata, ut ex *Regula X. Indicis librorum prohibitorum*, *Theſ. de pan. verb. Superſtitio.*

Nota II. Quoad Conſtitutionem Urbani VIII. quod abſolutio excommunicationis inflictæ, quam ipſe ita Romano Pontifici reſervavit, ut neque major Pœnitentiarius eam impertiri poſſit, ſimili modo reſervata eſt a Benedicto XIV. etiam in occultis, ut in §. XIII. Conſtit. *Paſtor bonus 13. Aprilis 1744.* Hac tamen cenſura non ligantur inquirentes de vita affinium Papæ, quia cum ſimus in pœnalibus, non veniunt nomine conſanguineorum *Theſ. loc. cit.*

Nota III. Inhabilitatem ad ſacrificii celebrationem inflictam in ſupra relato Univerſalis Inquiſitionis decreto, confirmato a Benedicto XIV. non incurri in caſibus occultis, prout animadvertit Nicolaus Terzago, Epiſcopus Narnienſis in *Inſtructione practica ad Confeſſarios ſuæ Diœceſis*, §. *de Caſibus*, & *cenſuris reſervatis Sedi Apoſtolicæ num.* 42.

Titulus XXIII. De Delictis puerorum.

S E C T I O D C C C L V I I.

Caput II. Referente, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Rhemenſi ſcripta.*

REferente Nobis H. intelleximus, quod cum filius ejus decennis cum aliis pueris ſagittaret, quidam nepos ejuſdem H. ſagitta percuſſus, interiit: quod idem filius ejus cum inter alios luderet, fortuito caſu dicitur peregiſſe: propter quod Abbas Sancti Remigii a præfato H. ſecundum conſuetudinem illius terræ, centum ſolidos inſtantius requirebat (& infra.) Unde, quoniam in pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ leges dicunt ſeverius corrigendum, mandamus, quatenus, ſi conſtiterit, filium prædicti H. infra decimum quartum ætatis ſuæ annum eundem exceſſum commiſiſſe, memoratum Abbatem moneas, & compellas, ut ab eodem H. prædictos centum ſolidos propter illam conſuetudinem non exigat, nec ab ipſo pro temporali pæna requirat.

Ex ſenſu contrario hujus Decretalis approbatur conſuetudo, quæ frequenter ſtatuebatur in lege Salica admittendi pro homicidio loco pœnæ temporalis, etiam mortis, compoſitionem in certa pecuniæ præſtatione. Siquidem ideo Pontifex pecuniam hic ſolutam reſtitui præcepit, non quia improbaverit dictam conſuetudinem, ſed quia homicidium perpetratum fuerat ab impubere, in quo hujuſmodi delicta relinqui ſolent inulta.

Verum hodie hæc pœna, neque in puberibus admittitur, quandoquidem puniri ſolent pœna ordinaria homicidii juxta facti circumſtantias.

Eadem conſuetudo vigebat etiam apud Germanos uſque ab anno 895. ut patet ex Can. IV. Concilii nationalis Triburienſis, eodem an. celebrati in Regia Villa Triburia, non longe a Moguntiacho ſuper Rhenum, de qua infra redibit ſermo ad *titulum de Pœnis*, cujus *caput II.* ab eodem Canone deſumptum eſt.

Nota, impuberes nullatenus eſſe immunes, neque a peccato, ut declaravit D. Gregorius Magnus in reſponſo ad conſultationem Auguſtini, Anglorum Epiſcopi, relato in *cap. I. hoc tit.* neque a pœnis ſpiritualibus, excommunicationis videlicet, & interdicti, ſi ſint doli capaces. quemadmodum clare ſtatuitur in *cap. LVIII. Quamvis*, & *cap. LX. Pueris*, *de Senten. excom.*

Verum tamen eſt, quod ſi ob Clerici percuſſionem inciderint in canonem ſententiæ promulgatæ, & abſolutionem petant, poteſt diœceſanus Epiſcopus abſolutionis beneficium eiſdem impertiri, ſive abſolutionem poſtulent ante pubertatem, ſive poſt: cum propter defectum ætatis, in qua fuit commiſſus exceſſus, rigor ſit manſuetudine temperandus; ut expreſſe definivit Gregorius IX. in *cap. Pueris ult. de Sent. excom.* Idem quamplures affirmant, ſi in aliam cenſuram, a jure latam inciderint, tum ob eandem rationem defectus ætatis, qui a præfato Pontifice aſſignari videtur indefinite pro cauſa in eo caſu, tum etiam, quia *Pueri* recenſentur communiter inter impeditos adire Pontificem. Cum magna poſtea circumſpectione procedendum dicunt, ſi agatur de ferenda in eos aliqua cenſura ab homine. Ex una etenim parte, juxta Alexandrum III. in *cap. Referente 2. hoc eod. tit.* pueri non ſunt puniendi pœna, ſaltem ea, qua humanæ leges ſtatuunt eſſe puniendos alios provectioris ætatis. Ex alia parte cenſura, præſertim excommunicationis majoris, eſt pœna graviſſima. Accedit, quod ad incurrendam excommunicationem majorem requiritur contumacia, quæ ſaltem ut plurimum in pueris deeſt defectu plenæ cognitionis, ac ſcientiæ cenſuræ.

Circa impedimentum adeundi Pontificem pro obtinenda abſolutione ab excommunicationis incurſu ob percuſſionem Clerici, vide notanda ad *cap. XIX. Tua nos*, *de Sent. excom.*

Titu-

Titulus XXIV. De Clerico venatore.

S E C T I O D C C C L V I I I.

Caput I. Episcopum, *ex Decretali, deſumpta a Can. LV. Concilii Agathenſis an. 506. non Aurianenſis, ut tribuitur in ſexta Gregoriana collectione; ſeu ex Can. IV. Concilii Epaonenſis an. 517.*

Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum canes, aut accipitres, aut hujuſmodi ad venandum habere non licet. Quod ſiquis talium perſonarum in hac voluptate ſæpius detentus fuerit; ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus a communione; ſi Presbyter, duobus; ſi Diaconus, ab omni officio ſuſpendatur.

In collectione vero Harduini *tom. II. col.* 1004. hic textus, ita legitur.

Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quod ſi quis talium perſonarum in hac voluntate derectus fuerit, ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus ſe a communione ſuſpendat: Presbyter duobus menſibus ſe abſtineat, Diaconus uno ab omni officio, vel communione ceſſabit.

Hæc prohibitio extenſa legitur ad omnes Clericos in ſequenti Decretali, deſumpta a Concilio Germanico, ſeu Francico, celebrato temporibus Zachariæ I. & Caroli Magni Imperatoris an. 742. non Aurelianenſi, ut itidem huic tribuitur in collectione dicti Gregorii, nulla tamen adjecta pœna.

Omnibus ſervis Dei (ideſt Clericis, ut Gloſs. hic) venationes, & ſylvaticas vagationes cum canibus, & accipitres, aut falcones interdicimus.

Eadem extenſio facta fuit ſeculo XIII. ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi IV. Canone XV. ibi:

Venationem univerſis Clericis interdicimus: unde nec canes, nec aues ad aucupandum habere præſumant.

Juxta lectionem allati cap. I. in collectione Harduini pena ſuſpenſionis eſt latæ ſententiæ, ut patet ex verbis = ſuſpendat = abſtineat = & ceſſabit = etiamſi Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus ſemel venationi vacaverit: juxta lectionem vero collectionis Gregorii eſt ferendæ: & tunc ſolum indicenda, cum conſueverint eandem venationem exercere, prout clare eruitur ex verbis = ſuſpendatur = & = ſæpius =. Verum cum lectio collectionis Gregorii IX. ſic reformata, vulgata ſit ejuſdem auctoritate, ut pro certa lege habeatur, hæc, & non illa attendenda eſt.

Adhuc autem hac attenta, cum duo ſint genera venationum, altera ſcilicet clamoroſa, ſeu ſaltuoſa, quæ fit magno armorum, canum, accipitrum apparatu, & tumultu ad capiendos apros, cervos, & majores feras: altera quieta, quæ nimirum exercetur ſolis laqueis, & retibus, aut etiam cum armis, ſed paucis adhibitis canibus, ſine ullo ſtrepitu ad occidendum volucres, minoreſque feras, non feroces, communior DD. ſententia eſt, ut clamoroſa duntaxat ſit interdicta: quamvis contraria ſit ſanctioni utriuſque allatæ Decretalis, & Concilii Lateranenſis conformior. Juxta hanc diſtinctionem animadvertit Zypæus *in Juris Pontificii novi analytica enarratione, tit. de Cleric. venator.* videri non male accipi poſſe *cap. XII. Conc. Trident. ſeſſ. XXIV. de reform.* dum non ſimpliciter, ſed ab illicitis venationibus Canonicos omnes jubet abſtinere: & ſic etiam accipiendum eſſe *cit. cap. I. Epiſcopum*, quod præcipit abſtinere ab immoderata omnium beſtiarum, & volucrum venatione, prout ſibi præſefert ly *Sæpius*.

Cæterum audiendi non ſunt, qui auſi fuerunt aſſerere, ut eos redarguit laudatus Zypæus *loc. cit. tit. de Vit. & honeſt. Cleric. num.* 11. = Titulum de Clerico venatore hodie non obtinere, uſuque abrogatum eſſe: ſed argumentantur ex facto abuſivo, quod juri non derogat, apud pios Clericos jus nihil immutatum eſt, qui meminerint illud Hieronymi, quod venatorem numquam legimus Sanctum, *Can. Quorumdam diſt. XXXIV.* Nemroht non Sanctus, ſed robuſtus venator dicitur = Aliud enim eſt, dictum *cap. Epiſcopum*, una cum allatis textibus contraria conſuetudine abrogatum eſſe quoad prohibitionem venationis clamoroſæ, & aliud, non eſſe communiter, uſu receptas juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam pœnas ibi inflictas contra Clericos eidem vacantes: quas quidem hodie relinquendas videtur Epiſcoporum arbitrio ex deductis a Benedicto XIV. *de Synod. diæc. edit. ann.* 1755. *lib. XI. cap. X. num.* 8. *&* 9. Quæ tamen pena non debet eſſe nimis rigoroſa, præſertim pro prima vice, nec ſub excommunicatione ipſo facto, aut privatione privilegii clericalis, ut ex decretis Cong. Epiſc. & Regul. *in Aſſiſien.* 16. *Mart.* 1622. *& in Eugubina* 16. *Jan.* 1596. *in Licien.* 18. *Jun.* 1602.

1602. & 5. *April.* 1604. *ac in Squillacen.* 15. *Jul.* 1605. relatis a Lucio Ferraris *Prompt. Biblioth. verbo Clericus art.6. num.35.*

Clericis autem in ſacris conſtitutis prohiberi poteſt ab Epiſcopo delatio ſclopi ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, ipſo facto incurrenda, ut declaravit Congreg. Conc. in *Sarſinaten.* 12. *Aug.* 1641. *lib. XVII. Decretor. pag.*499.

Nequit autem Epiſcopus aliis Clericis, arma deferentibus comminari, aut infligere pœnam privationis privilegii fori, ſed aliis pœnis animadvertendi ſunt ad præſcriptum Concilii Viennenſis *in Clem. I. de Vit. & boneſt. Cleric.* ut eadem Conc. Congr. reſpondit ad dubium an. 1625. prout legitur *lib. XII. Decretor. pag.*317.

Nota I. Non videri amplecti poſſe Gloſſam ad hoc idem *cap. Epiſcopum*, *verb. Voluptas* ſententem, vi dicti cap. eadem pœna, qua Diaconus, puniri poſſe Subdiaconum; cum enim innitatur rationi deſumptæ *ex cap. Miramur VII. de Servis non ordin.* ubi declaratur, quod ſubdiaconalis Ordo, poſtquam cooptatus fuit inter ſacros, cum diaconali gradu gaudeat privilegio, nullatenus facienda eſt illatio a privilegio ad pœnam; cum neque in ipſis materiis pœnalibus ex vulgatis, facienda ſit de caſu expreſſo ad non expreſſum, etiam ex identitate rationis: quidquid ſit, quod tempore emanatæ Decretalis Subdiaconatus minoribus dumtaxat accenſeretur Ordinibus.

Poterit vero puniri arbitrio Epiſcopi, ut jam dixi; non tamen præciſe vi dictæ Decretalis, vel alterius textus canonici, habentis vim legis univerſalis, & extendentis dictam pœnam ad Subdiaconum. Quamvis cæteroqui reperiatur extenſa in Conciliis Provincialibus, relatis a Gonzal. *hoc eod. cap. Epiſcopum*; prout etiam reperitur in ſexta Synodo, habita an. 1265. a Nicolao Gelant. Epiſcopo Andegavenſi *cap. II. tom. I. Spigileg. pag.*729.

Nota II. Et quidem obiter, Subdiaconatum cooptatum fuiſſe inter ſacros, Romæ ſaltem uſque a ſeculo V. tempore S. Leonis Papæ, ut in ejus Epiſtola ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicentem, relata in *Can. I. Omnium, diſt. XXXII.* in qua Subdiaconis interdictum eſſe declarat matrimonium, ibi.

=Nam cum extra Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum arbitrium, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, ne Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur =.

Deinde ſeculo VI. tempore S. Gregorii Magni, qui in Epiſtola ad Petrum Subdiaconum in Sicilia, relata in *Can. I. Ante triennium*, *diſt. XXXI.* præcepit omnibus Epiſcopis ejuſdem Regni, ne ullum in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem promoverent, niſi prius, ſicut tunc mos erat etiam in Eccleſia Romana, promiſiſſet, ſe caſte victurum, ibi.

= Ante triennium Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, ut, qui uſum ejuſdem continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur a ſua uxore ſeparari, atque per hoc (quod abſit) deterius cadat. Unde videtur mihi, ut a præſenti die Epiſcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præſumant, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit =.

Idem præcepit ſervandum eſſe in diœceſi Regienſi, ut ex ejuſdem Epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum Regienſem, relata in *Can. IX. Subdiaconis, diſt. XXXII.* ibi.

= Subdiaconis tuis hoc, quod de Siculis ſtatuimus, decernimus obſervari, nec illam definitionem noſtram cujuſquam ſinas contumacia, aut temeritate corrumpi =.

Poſtremo, tempore Urbani II. ſeculo nempe XI. qui præcepit, ut Subdiaconi caſtitatis votum elicerent (quod nunc implicite tantum elicitur) & ſic in tota Eccleſia Latina hic Ordo inter ſacros annumeratus eſt, ut ex ejus Epiſtola ad Dominicum Patriarcham Gradenſem, relata in *Can. XI. Erubeſcant*, *diſt. XXXII.* ibi.

= Erubeſcant impii, & aperte intelligant judicio Spiritus Sancti, eos, qui in ſacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu ſunt poſiti, niſi mulieres abjecerint, & caſte vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate. De manifeſtis quidem loquimur, ſecretorum autem & cognitor Deus, & judex eſt =.

Ad hunc Canonem, ſe refert Innocentius III. *in cap. IX. A multis, De ætat. & qualit. Præficendor.* in quo probat hunc Ordinem eſſe ſacrum.

Titulus XXVI. De Maledicis.

SECTIO DCCCLIX.

CAPUT I. INNOTUIT, *ex Decretali Clementis III.*

INnotuit Nobis (& infra.) Quia Nobis per literas retuliſti, quod I. Clericus multis coram aſtantibus verba quædam in depreſſionem officii, & beneficii noſtri protulit, ipſum a temeritate ſua compeſcas, ut pœna illius aliis terrorem incutiat, ne de cætero contra Romanam Eccleſiam in talia verba prorumpant.

Ita legitur in ſexta collectione, in Codice videlicet Decretalium Gregorii IX. quo in ſcholis utimur; in ſecunda autem juxta Gonzalez legitur, ut ſequitur

Innotuit nobis (& infra.) Ad ultimum frat. tuæ mandamus, atque præcipimus, quatenus, quia Nobis per literas tuas retuliſti, ſcilicet, quod Joannes Clericus Sanctæ Trinitatis, mul-

multis coram aſtantibus, verba quædam in depreſſionem, & contumeliam Romanæ Eccleſiæ protulit, ipſum a temeritate ſua per ſuſpenſionem officii, & beneficii, ſublato appellationis obſtaculo, compeſcas, ut pœna illius aliis terrorem incutiat, ne de cætero contra Rom. Eccl. in talia verba prorumpant.

Huc referri poteſt Conſtitutio S. Pii V. *Romani Pontificis 17. Martii 1572.* in qua puniendos præcipit nedum Auctores famoſorum libellorum circa regimen ſtatus eccleſiaſtici, ſed etiam lædentium famam cujuſcunque perſonæ, tam publice, quam privatim, ibi.

Nos, qui non ſine maxima mentis noſtræ perturbatione ſæpe numero accepimus, quod licet tam per ſacras leges, quam canonicas ſanctiones, ſub certis etiam graviſſimis pœnis prohibitum fuerit, ne quis famoſum libellum componere audeat, & repertum, ſive domi, ſive in publico, vel in quocunque loco, aut corrumpere, vel igne conſumere teneatur, priuſquam alter inveniat, & nulli fateatur inventum, & qui ſecus fecerit, quaſi auctor hujuſmodi delicti eiſdem pænis ſubjaceat. Nihilominus conſiderantes, quod in dies, creſcente malitia, quamplures iniquitatis filii, perditionis alumni, & pænas prædictas parvi pendentes, eaſque variis fraudibus evitare ſatagentes, auſu temerario non erubeſcunt variis modis nonnullos Principes, Prælatos, nobiles, publicas, & privatas perſonas variis injuriis, & conviciis afficere, eorumque famæ, & honori detrahere, ſub quodam ficto colore quarundam literarum, incerto auctore ſcriptarum, nedum ab Urbe noſtra, ſed etiam ex diverſis provinciis, in quibus, nedum ea, quæ in unaquaque regione ſucceſſerunt, narrantur, ſed ea etiam, quæ in futurum quodam eorum temerario judicio fore opinantur, adeo, ut plerunque odia, inimicitiæ, ſeditiones, rixæ, & homicidia permulta oriantur, in divinæ majeſtatis offenſam, animarum periculum, & perncioſum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum.

Volentes præmiſſis, quantum poſſumus, obviare, conſiderantes attentius, quod plures pænarum gravitas, quam Dei timor arcere ſolet a voluntate delinquendi, & propterea tanto periculo occurrere volentes, ac tam nefarios præſumptores, & facinoroſos homines atrocibus pœnis torpeſcere, ut metus pœnæ meta hujuſmodi præſumptionis exiſtat: hujus perpetuæ, & irrefragabilis Conſtitutionis edicto, pœnas omnes, tam temporales, quam eccleſiaſticas in talia præſumentes per ſacras leges, & canonicas ſanctiones latas, & promulgatas, auctoritate Apoſtolica approbantes, & innovantes, ac ad omnes, & ſingulos prædictos, qui forſan ſub illis comprehenſi non eſſent, extendentes, & ampliantes, ſtatuimus, & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus nemo cujuſvis qualitatis, dignitatis, etiam eccleſiaſticæ, ſtatus, gradus, ordinis, & præminentiæ fuerit, audeat, nec præſumat libellos famoſos, nec literas monitorum, vulgo appellatas, *lettere d' aviſi*, continentes convicia, injurias, vel famæ, & honoris alicujus læſionem, nec aliquam ſcripturam, in qua de futuris ſucceſſibus diſſeratur, vel ea, quæ coram Nobis, vel aliis ad univerſalis Eccleſiæ ſtatus regimen deputatis, ſecreto tractantur, revelentur, componere, dictare, ſcribere, exemplari, retinere, nec ad aliquem tranſmittere, etiamſi aliunde ab aliis provinciis, civitatibus, terris, & locis ad eorum manus pervenerint, ſed ſtatim, quod aliqui ſimiles libelli, literæ, ſive ſcripturæ alicui delatæ fuerint, ſtatim quod illos, ſeu illas habuerit, antequam vim earum manifeſtaverit, corrumpere, ſeu igni tradere, vel dilecto filio noſtro Cardinali Ruſticucio conſignare teneatur, ſub pœnis prædictis, quas hic pro expreſſis haberi volumus, ac aliis etiam gravioribus, etiam ultimi ſupplicii, & confiſcationis bonorum, ſecundum qualitatem facti, & perſonarum, arbitrio noſtro irremiſſibiliter infligendis: quibus pœnis etiam eos ligari volumus, qui in hujuſmodi libellis, literis, ſeu ſcripturis de aliquo oblocuti fuerint, alicujuſque famæ, & honori, vera etiam, exprimendo, detraxerint, ac ea, quæ coram Nobis, vel aliis, ut ſupra, ſecreto tractantur, revelaverint. Ex hoc equidem animus deprehenditur pravus injuriandi, & nocendi, atque ideo eos eadem pœna teneri convenit.

Pii Conſtitutioni conſonat Conſtitutio Gregorii XIII. *Ea eſt rerum 1. Septembr. 1572.* præcipiens, ut prædicti ſint ipſo facto perpetuæ infamiæ nota affecti, & perpetuo, aut ad tempus pro delicti qualitate; ſine ulla ſpe veniæ ad triremes damnentur, ibi.

Cum

Cum igitur haud ita pridem in Urbe noſtra ſecta quædam emerſerit hominum improbe curioſorum, qui quoſcunque de publicis, privatiſque negociis, vel aliunde rimari poſſunt, vel ipſi etiam pro ſua libidine comminiſcuntur, domi, foriſque facta, infecta, vera, falſa, nullo diſcrimine proponunt, recipiunt, & ſcriptitant, ita, ut hujus rei jam artem quaſi quandam inſtituerint, ac plerique eorum, etiam vili mercedula conducti, harum rerum commentariolos, ex falſis plerunque vulgi rumoribus, incerto auctore, collectos, huc, illuc miſſitent, aut etiam tanquam primum ex Urbe ad diverſa loca miſſos, deinde iiſdem ex locis in Urbem remiſſos cricumferant, ac venditent, quibus non tantum de præteritis arbitratu ſuo nugantur, ſed etiam quid ex hac, aut illa re eventurum ſit, ſtolide vaticinantur.

Nos, qui & facile proſpicimus, & rerum experimentis edocti ſumus, quæ, quantaque mala ex eo proveniant, cum & ſæpius ſparguntur falſa pro veris, ſeu directe, ſeu oblique, ac quodam quaſi colore quæſito, multorum exiſtimatio, & fama violatur, his ac, talibus incommodis occurrere cupientes, hujus Conſtitutionis auctoritate prohibemus, ne quis in poſterum tales commentarios conficere, neve ab aliis confectos recipere, deſcribere, ſpargere, aut ad alios mittere audeat. Qui horum quid fecerit, ipſo facto perpetua ignominiæ nota affectus, ſine ulla ſpe veniæ ad triremes, aut perpetuo, aut ad tempus pro admiſſi qualitate damnetur. Qui vero hujuſmodi commentariorum, aut ſcriptorum quicquam undecunque, & a quocunque receperit, id quamprimum Urbis noſtræ Gubernatori ſignificare, & eidem omnia conſignare debeat. Quod ſi non fecerit, ipſum pœnis prædictis decernimus ſubjacere: antiquis juribus contra ſcribentes, aut mittentes libellos famoſos editis, nihilominus in ſuo robore duraturis.

Pœnæ autem ſtatutæ a canonicis ſanctionibus contra libelli famoſi auctores, de quibus tam Pius, quam Gregorius mentionem faciunt, ſunt ut excommunicentur, fuſtibus, ac verberibus cedantur *Can. I. Qui in alterius, Can. II. Quidam, Si qui inventi, cauſa V. quæſt. I.*

Referri etiam poteſt Decretalis Alexandri IV. *Ex alto*, per extenſum relata a Luca Wadingo *tomo IV. Annalium Minorum, data Anagniæ 4. Kalendas Julii* 1259. ſcripta Epiſcopo Pariſienſi, in qua fertur excommunicatio latæ ſententiæ contra edentes, retinentes, vel publicare præſumentes libellos famoſos, cantilenas, vel rythmos in infamiam ſtatus Ordinum Prædicatorum, & Minorum, declaraturque, non poſſe abſolvi, niſi perſonaliter Sedi Apoſtolicæ ſe præſentent. Qui tamen perſonalis acceſſus hodie ex ſtylo Curiæ non eſt in uſu, ut alibi notavi.

Quam pœnam *Theſaurus de pœnis eccleſiaſt. c. I. verb. Libelli famoſi*, cum Sayro extendit etiam ad reos dictorum libellorum contra alios Regulares, communicationem privilegiorum habentes cum prædictis Ordinibus. Verum, cum ex vulgatis, odia ſint reſtrigenda, hærens eſſem, an ſit extendibilis: potiſſimum cum nec in Codice Decretalium, nec in Bullario dicti Pontificis inſerta legatur, ſed ſpeciatim emanaverit occaſione infamiæ iiſdem Ordinibus dumtaxat irrogatæ famoſis quibuſdam libellis Pariſiis a Guillemo a Sancto Amore, ejuſque ſectatoribus.

Nota I. Injuria afficientem Papam, Epiſcopum, Prælatum regularem, ac Principem maledictis, aut famoſis libellis ex levitate, inſania, vel temeritate, ſi injuria redundet in dedecus Sedis Apoſtolicæ, Prælati, vel Principis, aut aliquod grave damnum inferat eorundem ſtatui, ac dignitati, puniendum eſſe pœna arbitraria pro qualitate delicti, cum certa pœna non ſtatuatur, neque in allato *cap. Innotuit*, juxta lecturam ſextæ collectionis Gregorii IX. neque in *Can. XXIV. Salonitanæ, diſt. LXIII.* qui eſt Gregorii Magni. Si vero injuria vergat præciſe in eorundem perſonam, convenientius eſt, ut hæc remittatur ad imitationem manſuetudinis Chriſti *Can. XXVII. Inter querelas cauſ. XXIII. quæſt.* 4. Exemplum eſt in Theodoſio, Arcadio, & Honorio, qui licet auctores fuerint *L. unicæ C. Si quis Imperatori maledixerit*, contra hujuſmodi maledicos pœnas imponentis, reſcripſerunt tamen Rufino Præfecto Prætorio, ſe nolle hujus criminis reum pœnæ ſubjacere, digniſſimam illam rationem afferentes = Quoniam, ſi id ex levitate proceſſit, contemnendum eſt; ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum, ſi ab injuria remittendum = Simile exemplum dedit S. Pius V. qui auctorem famoſi criminis in eum conficti, liberum dimiſit. In ſimilibus caſibus, ſi injuria illata ſit Epiſcopo, in *L. X. de Epiſcop. & Cler.* præcipitur judici laico, ut eam vendicet = nec expectet, ut Epiſcopus injuriæ propriæ ultionem depoſcat, cui ſanctitas ignoſcendi gloriam dereliquit =.

Nota II. Quod olim Clericus, & maxime Sacerdos, in privatam perſonam maledicens, cogebatur petere injuriæ veniam, ſecus ſuſpendebatur uſque ad ſatisfactionem præſtitam, *Can. V. Clericus, diſtin. XLVI.* qui eſt Concilii Carthaginenſis IV. Hodie tamen quicunque maledici tenentur actione injuriarum, & palinodiæ, ſeu recantationis *Leg. XV. §. XXVII. ff. de injur.*

Nota III. Hoc crimen eſſe mixti fori, excepta blaſphemia hæreticali, ac etiam ſimplici, quæ pertinet ad cognitionem judicis eccleſiaſtici dumtaxat, licet de conſuetudine etiam judex laicus punire ſoleat tales blaſphemos; non excluſo tamen judice eccleſiaſtico, Maſchat. *Inſtit. Canonic. hoc tit.*

SE-

SECTIO DCCCLX.

Caput II. Statuimus, *ex Decretali Gregorii IX.*

STatuimus, ut ſi quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum ſuorum, & maxime Beatam Virginem, linguam in blasphemiam publice relaxare præſumpſerit, per Epiſcopum ſuum pœnæ ſubdatur inferius adnotatæ, videlicet quod in ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ in manifeſto (dum aguntur Miſſarum ſolemnia) blasphemus exiſtens, ultimo illorum die Dominico pallium, & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, ſeptemque præcedentibus feriis ſextis in pane, & aqua jejunet, Eccleſiam nullatenus ingreſſurus. Quolibet quoque prædictorum dierum tres, ſi poterit, alioquin duos, reficiat pauperes, ſive unum, & ſi nec ad hoc ejus ſuppetant facultates, id in pœnam aliam commutetur, qui etiam ſi renuerit recipere, ac peragere pœnitentiam ſupradictam, Eccleſiæ interdicatur ingreſſus, & in obitu eccleſiaſtica careat ſepultura. Per temporalem præterea poteſtatem coactione (ſi neceſſe fuerit) Epiſcopi diœc. adhibita contra eum, blaſphemus, ſi dives fuerit, quadraginta ſolidorum, alioquin triginta, ſive viginti, & ſi ad id non ſufficiat, quinque ſolidorum uſualis monetæ pœna multetur, nullam in hoc miſericordiam habiturus, quod etiam inter alia Communitatum ſtatuta ponatur.

Pœnæ hic a Gregorio inflictæ contra blaſphemos, quæ jamdiu obſoleverunt, videlicet excommunicatio, publica pęnitentia præ foribus Eccleſiæ, jejunia, & pœna pecuniaria laicos dumtaxat afficiebant: contra Clericos enim de jure antiquo erat depoſitio, ut diſponitur in *Can. X. Si quis per capillum, cauſ. XXII. quæſt. I.* Pio I. tributo; quandoquidem publica pęnitentia remiſſa fuit Clericis, ut *Can. LVI. Ex pænitentibus diſtin. L.* Verum dictas pęnas temperavit Leo X. in Conc. Later. V. Conſt. *Supernæ diſpoſitionis 5. Maii* 1514. quarum loco ſequentes ſubſtituit, addendo etiam pęnas in Clericos, contra quos non ſtatuerat Gregorius, ut § XXXIII. ibi.

Ad abolendam vero execrabilem blaſphemiam, quæ in maximum divini nominis, & Sanctorum contemptum ſupra modum invaluit, ſtatuimus, & ordinamus, ut quicunque Deo palam, ſeu publice maledixerit, contumelioſiſque, atque obſcenis verbis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, vel glorioſam Virginem Mariam, ejus Genetricem expreſſe blaſphemaverit, ſi munus publicum, juriſdictionemve geſſerit, perdat emolumenta trium menſium pro prima, & ſecunda vice dicti officii; ſi tertio deliquerit, illo eo ipſo privatus exiſtat, ſi Clericus, vel Sacerdos fuerit, eo ipſo, quod de delicto hujuſmodi fuerit convictus, etiam beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus applicandis, ut infra, unius anni multetur. Et hoc ſit pro prima vice, qua blaſphemus ita deliquerit. Pro ſecunda vero, ſi ita deliquerit, & convictus, ut præfertur, fuerit, ſi unicum habuerit beneficium, eo privetur; ſi autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod ſi tertio ejus ſceleris arguatur, & convincatur, dignitatibus, ac beneficiis omnibus, quæcunque habuerit, eo ipſo privatus exiſtat, ad eaque ulterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari, & conferri poſſint. Laicus vero blaſphemans, ſi nobilis fuerit, pæna XXV. ducatorum multetur, & pro ſecunda vice, L. fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe applicandorum, & aliis, ut infra deducitur. Pro tertia vero, nobilitatem perdat. Si vero ignobilis, ac plebejus fuerit, in carcerem detrudatur. Quod ſi ultra duas vices publice blaſphemans deprehenſus fuerit, mithra infami per integram diem ante fores Eccleſiæ principalis mithratus ſtare cogatur. Si vero pluries in hoc ipſum peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur, ad judicis deputati arbitrium. In foro autem conſcientiæ nemo blaſphemiæ reus abſque graviſſima pænitentia, ſeveri Confeſſoris arbitrio injuncta, poſſit abſolvi. Qui vero reliquos Sanctos blaſphemaverit, arbitrio judicis, rationem perſonarum habituri, mitius aliquanto puniri volumus. Statuimus etiam, ut ſeculares judices, qui contra tales blaſphemiæ convictos non animadverterint, eoſque juſtis pænis minime affecerint, quantum in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxii, eiſdem quoque pænis ſubjiciantur. Qui vero in illis inquirendis, puniendiſque diligentes, & ſeveri fuerint, pro qualibet vice decem annorum Indulgentiam conſequantur, & tertiam partem multæ pecuniariæ habeant. Quicunque vero blaſphemantem audierint

eum verbis acriter objurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe continget, eumdemque deferre, vel notificare apud judicem eccleſiaſticum, ſeu ſecularem intra triduum debeant. Quod ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audiverint, ſinguli eum accuſare teneantur, niſi forte omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute ſanctæ obedientiæ hortamur, & monemus in Domino, ut pro Divini nominis reverentia, & honore in ſuis dominiis, ac terris præmiſſa omnia ſervari, & exactiſſime exequi mandent, ac faciant, uberrimam ab ipſo Deo tam boni, ac pii operis mercedem habituri, ſimilemque annorum decem Indulgentiam ab Apoſtolica Sede conſecuturi, cum tertia parte multæ, qua dictus blaſphemus plectetur, quoties tales ſcelus puniendum curaverint. Quam quidem Indulgentiam, & reliquam tertiam multæ partem accuſatori blaſphemi nomen deferenti ſimiliter concedi, & aſſignari volumus, aliis pænis contra hujuſmodi blaſphemos per ſacros Canones expreſſis, nihilominus in ſuo robore manentibus.

Prædictam Leonis Conſtitutionem moderavit pænas ſtatuendo, ut §. *II. & ſequenti*, ibi. Julius III. Conſtit. *In multis* 1. *Februar.* 1554. has

Blaſphemantes, ſcilicet Deum Patrem Omnipotentem, vel ejus Filium unigenitum, Dominum, & Redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum, ſeu Spiritum Sanctum, vel particulariter, & explicite, vel generaliter, & implicite, attribuendo Divinæ majeſtati, quæ illi minime conveniunt, vel removendo, quæ eam decent, primo convicti, ſi divites fuerint, compellantur ad ſolvendum ſcuta auri quadraginta, ſi vero pauperes, ſolvant decem, quæ ſi nequeant numerare, luant in corpore. Secunda vice convictis, nobilibus, ſive divitibus, ſive pauperibus duplicetur pæna pecuniaria proportionabiliter ad primam hujuſmodi multam. Atque inſuper incurrant infamiam, & inhabilitatem ad beneficia quæcunque, ad gradus, dignitates, & honores obtinendos. Vilibus convictis perfodia tur lingua. Tertia vice convictis nobilibus, tam divitibus, quam pauperibus triplicetur pæna pecuniaria reſpective, ut ſupra. Ulterius ſint ipſo jure privati beneficiis eccleſiaſticis, & officiis quibuſcunque, dignitatibus, titulis, magiſtratibus, honoribus: ſint inteſtabiles tam active, quam paſſive. Sint inhabiles ad ferendum teſtimonium. Sint banniti publice per triennium ab Urbe. Vilibus imponatur fuſtigatio, aut deportatio ad triremes per triennium, & exulent perpetuo.

Idem ſervetur contra blaſphemantes ipſius D. N. Jesu Chriſti Matrem Beatiſſimam ſemper Virginem Mariam.

Blaſphemi in Sanctos, vel Sanctas Dei, corrigantur ſevere arbitrio DD. Judicum, habita ratione qualitatis, & gravitatis criminis, cum cæteris circumſtantiis jure attendendis.

Volumus autem, & ſtatuimus, ut omnes pænæ pecuniariæ exigendæ applicentur tantummodo ſuſtentationi Orphanorum utriuſque ſexus, Cathecumenorum, & puellarum.

Poſtremo Julii Conſtitutionis rigorem temperavit S. Pius V. in Conſtit. *Cum primum*, 1. *Apr.* 1566. addendo tamen pænas etiam in Clericos non beneficiatos: ad cujus tramites hodie procedendum eſt contra blaſphemos, tam laicos, quam Clericos ut §. X. ibi.

Ad abolendum vero nefarium, & execrabile blaſphemiæ ſcelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & imperialibus quoque legibus receptum eſt, nunc autem, propter nimiam judicum in puniendo ſegnitiem vel potius deſuetudinem, ſupra modum invaluit, Leonis X. Prædeceſſoris noſtri in noviſſimo Lateranenſi Concilio ſtatuta innovantes, decernimus, ut quicunque laicus Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, vel glorioſam Virginem Mariam, ejus Genitricem expreſſe blaſphemaverit, pro prima vice pænam vigintiquinque ducatorum incurrat, pro ſecunda, pæna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos ſolvet, & ignominia notatus, exilio multabitur. Qui vero plebejus fuerit, nec erit ſolvendo, pro prima vice manibus poſt tergum ligatis ante fores Eccleſiæ conſtituetur per diem integrum, pro ſecunda fuſtigabitur per Urbem, pro tertia ei perforabitur lingua, & mittetur ad triremes. Quicunque Clericus in hoc blaſphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium, & quorumcunque beneficiorum ſuorum, pro ſecunda beneficiis ipſis privetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus, depo-

deponatur, & in exilium mittatur. Quod ſi Clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro ſecunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blaſphemaverit, pro qualitate blaſphemiæ, atque perſonæ, arbitrio Judicis puniatur.

Circa has Conſtitutiones, pœnaſque in iis contentas, quoad eorum uſum, notandum eſt cum Cardin. Albitio *de Inconſtantia in Fide cap. XXXI. num.* 139. *& ſeqq.* ibi „ Quo vero ad pœnam licet contra blaſ„ phemos variæ a legibus imperialibus, & SS. Ca„ nonibus latæ ſint pœnæ, ut videre eſt penes Car„ tharium *deciſ.* 2. & habeamus Conſtitutiones Ju„ lii III. & B. Pii V. in hac materia, de quibus per „ Lotther. *De re beneficiar. tom.* 2. *lib.* 3. *quæſt.* 28. „ *num.* 110. *&* 112. nihilominus hujuſmodi leges, „ Canones, & Conſtitutiones non ſunt in uſu in S. „ Officio, ut in ſpecie notant Azor *tom.* 1. *lib.* 9. „ *cap.* 28. *dub.* 6. Sayr. in Clavi *lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 18. „ Santarel. *de Blaſphemis cap.* 6. *dub. unic. num.* 7. „ ſed omnes pœnæ circa blaſphemos ſunt arbitrariæ „ Clar. §. *Blaſphemia verſ. Sed quæro*, cum aliis per „ Santarel *loc. cit.* Carthar. *d. deciſ. num.* 19. ubi „ quod pœna poteſt extendi uſque ad mortem, ſed „ non in foro eccleſiaſtico. Arbitrium autem regula„ tur a qualitate blaſphemiarum, & perſonarum “.

N O T I F I C A Z I O N E

CONTRO I BESTEMMIATORI.

Benchè la Santità di Noſtro Signore Papa Benedetto XIV. ſempre intenta a ſradicare da queſt' alma Città di Roma ogni vizio, ed in particolare il più eſecrando delle beſtemmie, anche ſemplici, fin dall'anno 1745. concedeſſe alla S. Romana, ed Univerſale Inquiſizione la facoltà di procedere in eſſe cumulativamente cogli altri Tribunali ordinarj della ſteſſa città, nulladimeno avendo riconoſciuto, che alcuni, poco amanti dell' onore di Dio, con la loro traſcuratezza in denunziare i delinquenti, vengono a render meno efficace un così ſalutevole provedimento, perciò rinovando, e confermando quanto ſi contiene nelle Notificazioni contro li beſtemmiatori, pubblicate li 3. Decembre 1745. 21. Gennaro 1750., e 4. Gennaro 1752. eſpreſſamente comanda, che ciaſcuna perſona di qualſivoglia grado, e condizione, ancorchè aveſſe biſogno di ſpecial menzione, ſia tenuta onninamente, ed obbligata di denunziare al Tribunale di S. Offizio chiunque averà proferita qualche beſtemmia, anche ſemplice, ſotto pene gravi, in caſo di contravenzione, ad arbitrio della Sacra Congregazione. E ſiccome ſimili beſtemmie ſono più frequenti nelle Oſterie, Bettole, Ridotti, Alberghi, e Botteghe, così contro gli Oſti, Bettolanti, Albergatori, e Bottegari, li quali traſcureranno di denunziare, non ſolo ſi procederà alle pene gravi, come ſopra, ma ſaranno queſti reputati, a tenore della Coſtituzione 23. della San. mem. di Giulio III. come complici, e fautori de' delinquenti, e come tali ſeveramente puniti con le medeſime pene da' Sacri Canoni, dalla Coſtituzione 7. di Leone X. al §. 33. dalla detta Coſtituzione di Giulio III. e dalla Coſtituzione 5. di S. Pio V. al §. 10. e da altre Coſtituzioni Apoſtoliche, e Bandi generali di Roma contro li beſtemmiatori ſtabilite. Avverta pertanto ciaſcheduno di aſtenerſi da ſi empio vizio, e di ſodisfare all' obbligo della denunzia, imperocchè contro i delinquenti il predetto Sacro Tribunale procederà con tutto il rigore alle pene di ſopra eſpreſſe.

Dal Palazzo di S. Offizio queſto di 26. *Settembre* 1752.

Titulus XXVII. De Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.

S E C T I O D C C C L X I.

Caput I. Si quis, *ex Decretali deſumpta a Canone XXVII. Apoſtolorum.*

Siquis Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus depoſitus juſte pro certis criminibus auſus fuerit attrectare miniſterium ſibi dudum commiſſum, hic ab Eccleſia abſcindatur.

Hæc Decretalis, in qua præcipitur, excommunicandos eſſe Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum, audentes divina ſua miniſteria exercere, poſtquam juſte depoſiti fuerint, ampliata eſt ab hac altera, deſumpta ex Concilio Antiocheno, ſeu a *Canone LXXXIII. Codicis Canonum Eccleſiæ Univerſalis*, & relata *hoc eod. tit. cap. II.* in qua ſtatuitur eadem cenſura ligandum eſſe, ultra prædictos, etiam quemcunque alium Clericum audentem miniſtrare in officio, a quo fuit ſuſpenſus, ibi.

Si quis Presbyter, aut alius Clericus fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus ſuſpenſus, & ipſe per contemptum, & ſuperbiam aliquid de miniſterio ſibi interdicto agere præſumpſerit, & poſtea ab Epiſcopo ſuo correptus, in incepta præſumptione perduraverit, modis omnibus excommunicetur: & quicunque cum eo communicaverit, ſimiliter ſe ſciat eſſe excommunicatum. Similiter de Clericis, laicis, vel fæminis excommunitatis obſervandum eſt. Quod ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & Epiſcopus minime emendare potuerit, Regis judicio ad requiſitionem Eccleſiæ exilio damnetur.

Notandum vero eſt, quod hæc ampliatio non repetenda ſit a laudato Canone, cum ibi mentio fiat dumtaxat de Epiſcopo, Presbytero, & Diacono, ſed a Gregorio IX. qui approbavit additionem illorum verborum *aut alius Clericus*, a S. Raymundo poſitam in collectione Decretalium, ejuſdem Pontificis juſſu compilata, qua in ſcholis utimur.

Notandum etiam eſt, quod cum in hac poſteriori Decretali ſtatuatur, vinculo excommunicationis ligari quoſcunque, qui cum prædictis, ut ſupra, excommunicatis communicaverint, intelligendum eſt de excommunicatione minori, ut alibi notavi; ſi tamen iidem excommunicati declarati fuerint ut vitandi, prout videtur hic præcipi, ut declarentur, verbis illis *Omnibus modis excommunicentur*, alias, ſi nominatim non fuiſſent declarati, ut vitandi, communicantes cum ipſis nullam cenſuram incurrerent ex Extravaganti Martini V. *Ad evitanda*, ut notabo infra titulo *de Sent. excommunic.*

Occaſione hujus Decretalis, magna eſt controverſia inter Canoniſtas; an ſicuti conſtitutus in aliquo ex ſacris Ordinibus, exercens Ordinem, ſuſpenſione, aut excommunicatione ligatus, incurrit irregularitatem, ita etiam eam incurrat conſtitutus in minoribus, ſui Ordinis miniſteria exercens, iiſdem reſpective cenſuris irretitus; quorum multi cum Navarro, & aliis a Fagnano hic relatis negativam ſententiam tuentur, cum præſens textus, & *cap. I. Cum medicinalis*, ac *cap. XX. Is, cui, de Sent. excomm. in VI.* cæterique Canones intelligi debeant de conſtitutis in ſacris dumtaxat. Alii vero cum eodem Fagnano affirmativam rectius amplectuntur, cum hic textus, & *cit. cap. Cum medicinalis*, ac *Is, cui*, nedum loquantur de his, ſed etiam de aliis generatim Clericis, qui cenſura ligati aliquid de miniſterio ſibi interdicto agere præſumpſerint, attenta etiam Conſtitutione Sixti V. *Sanctum, & ſalutare 5. Januarii* 1588. in qua expreſſe declarat irregulares omnes Clericos male initiatos, etiam Primæ Tonſuræ, ſi ſuſpenſi ſuum miniſterium exercuerint. Quæ tamen Conſtitutio cum revocata ſit a Clemente VIII. Conſtitut. *Romanum Pontificem* 28. *Februar.* 1595. & redacta ad terminos juris communis, & Conſtit. Pii II. *Cum ex ſacrorum* 17. *Novembris* 1461. ac Concilii Tridentini, locum dumtaxat habet in ſimoniace ordinatos, hac in parte a Clemente præſervata.

Hodie tamen, non obſtante præfata revocatione, dirempta eſt controverſia, dicendumque eſt, & ipſos Minoriſtas cenſura ligatos, miniſterium ſuum exercentes, irregularitatem incurrere, tum ex ſtylo S. Pænitentiariæ, & Congregationis Concilii, ut admonet idem Fagnanus, tum ex declaratione Benedicti XIV. qui in epiſtola encyclica ad Pænitentiarios, & Confeſſarios pro anno Sancto, in Urbe deputatos, incipiente *Inter præteritas 3. Decembris* 1749. poſt relatas hinc inde ſuper hac re Canoniſtarum ſententias, §. IV. hæc habet,

Cum nos cenſuras ab irregularitate ſeparavimus, cumque reſpectu irregularitatis, Pœnitentiariis minoribus nonniſi facultatem dederimus diſpenſandi ab irregularitate *ob violationem cenſurarum*, idque per vocem *dumtaxat* hinc alia omnis irregularitas ſive ex delicto, ſive ex defectu excluditur. Et quamquam ibi non niſi Sacerdotes, & in ſacris Ordinibus conſtituti nominentur, unuſquiſque tamen per ſe ſatis intelligere poteſt, ſi eo conceſſo, quod eſt majus, conceſſum intelligitur quod minus eſt, nequaquam vetitum eſſe Pænitentiariis, quibus data eſt facultas diſpenſandi cum Sacerdotibus, aut in ſacris Ordinibus conſtitutis ſuper occulta irregularitate *ob violationem cenſurarum* contracta, quominus eadem facultate utantur cum Clericis, qui in minoribus Ordinibus ſunt conſtituti.

SECTIO DCCCLXII.

CAPUT VII. POSTULASTIS, *ex Decretali Innoc. III. majori Decano, & Priori Colonienſi reſcr.*

POſtulaſtis per Sedem Apoſtolicam edoceri (& infra.) Conſult. veſtræ reſpond. quod cum excommunicatis communicari non debeat. Clericis excommunicationis vinculo inno-

innodatis eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt, nec illi valent ea retinere licite, niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum, cum ea non fuerint canonice conſecuti. Illi vero, qui ſcienter illa beneficia talibus contulerunt, tamdiù debent a beneficiorum collatione ſuſpendi, donec ſuper hoc veniam conſequi mereantur, ut puniantur in hoc, in quo delinquere præſumpſerunt.

Quæſiviſtis præterea, qualiter puniri debeant Clerici, monachi, vel moniales Eccleſiarum conventualium, qui poſt latam interdicti ſententiam in locis ſuppoſitis interdicto præſumpſerunt hactenus, & adhuc etiam non verentur divina officia celebrare, quamvis propter hoc ſint excommunicationis vinculo innodati. Ad hoc breviter reſpondemus, quod Clerici, qui talia præſumpſerunt, ſunt eccleſiaſticis beneficiis ſpolinadi: monachi vero, vel moniales in arctioribus monaſteriis ad peragendam pœnitentiam detrudendi.

In prima hujus Decretalis parte pro certa generali regula ſtatuitur, quod cum excommunicatis communicari non debeat: ſed quæ circa hanc communicationem ſit hodierna Eccleſiæ diſciplina, exponam infra *tit. de Sent. excommunic.*

In ſecunda parte præcipitur, monachos, & moniales præſumentes divina celebrare in locis interdictis, detrudendos eſſe in arctioribus monaſteriis, ad pœnitentiam peragendam. Verum hæc detruſio hodie non eſt in uſu, potiſſimum monialium.

SECTIO DCCCLXIII.

Caput X. Si celebrat, *ex Decretali Gregorii IX.*

SI celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione juriſdictionis ſibi competunt, exercere. Si tamen ſcienter talis electus fuerit, ejus electio eſt irritanda, pro eo quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a Sanctis Patribus eſt privatus. Peccat autem conferendo eccleſiaſtica Sacramenta: ſed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione, ſed a participatione Sacramentorum (quæ in ſola conſiſtit perceptione) remotus: dummodo non in contemptum eccleſiſticæ diſciplinæ, videlicet contra prohibitionem Superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter ſe ingeſſerit; in quo caſu eſt anathemate feriendus.

Hanc Decretalem Gregorius edidit, ut decideret, ſopiretque veterem controverſiam inter Interpretes ortam, ex eo quod cum tum in hoc tit. tum in *tit. De excom. in VI.* a quam pluribus Canonibus ſtatum fuerit, Clericum excommunicatum, celebrantem, irregularitatem incurrere, nec expreſſum eſſet ob cujus excommunicationis violationem incurreret, dubitare cæperunt, in diverſaſque opiniones abierunt, an majoris dumtaxat, an etiam minoris.

Cum vero hæc minor excommunicatio incurratur ob communicationem cum excommunicatis, circa hanc notari debent exponenda infra *tit. de Senten. excom.*

Titulus XXVIII. De Clerico non ordinato miniſtrante.

SECTIO DCCCLXIV.

Caput I. Si quis, *ex Decretali Hormiſdæ Papæ.*

SI quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Eccleſia, & nunquam ordinetur.

SECTIO DCCCLXV.

Caput II. Ex literis, *ex Decretali Urbani III. Legionenſi Epiſcopo reſcripta.*

EX litteris tuæ fraternitatis innotuit Nobis, quod I. Diaconus, cum non impoſuiſſes ei manum, Miſſarum celebrationem uſurpare præſumpſit (& infra.) Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ad Sacerdotis officium non poterit promoveri: a Diaconatu quippe biennio, vel triennio pro tua maneat proviſione ſuſpenſus. De beneficio autem miſericorditer agatur cum eo, ne ſubſtentatione privatus, ad ſeculi negocia rivertatur. Ut autem ſecurius ei poſſis hanc miſericordiam facere, de agenda pœnitentia diligentem circa eum curam non deſinas exibere: ſalubrius autem ſibi abſque dubio providebit, ſi ad regularem vitam ſe duxerit transferendum.

Pœnæ in his duabus Decretalibus inflictæ, ſive Clericos dumtaxat feriant, ut nonnulli ſenſerunt, ſive etiam laicos, ut alii probabilius tenent, quamvis *Rubrica tituli* de ſolis Clericis loqui videatur, ampliatæ ſunt quoad eos, qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Miſſam celebrant, & Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrant, a Summis Pontificibus Paulo IV. Sixto V. Clemente VIII. Urbano VIII. & noviſſime a Benedicto XIV. ut ex ipſius Conſtitutione *Sacerdos in æternum* 20. *Aprilis* 1744. ibi.

§.I. Et quidem graviſſima hujuſmodi ſcelera execrantes Romani Pontifices Prædeceſſ. noſtri Paulus IV. & Sixtus V. decreverunt, ut qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Miſſarum celebrationem uſurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare præſumpſerint, a judicibus Sanctæ Inquiſitionis tradi deberent Curiæ ſæculari, debita animadverſione puniendi. Eorunque veſtigiis per omnia inhærens fel. record. Clemens Papa VIII. etiam Prædeceſſor noſter, ne circa pœnam hujuſmodi delinquentibus irrogandam ullus dubitationi locus ſupereſſet, in ſuis literis incipientibus: *Et ſi alias*, datis in forma Brevis apud S. Petrum ſub die prima Decembris anni milleſimi ſexcenteſimi primi, diſtinctius conſtituit, ut omnes, & ſinguli, qui ad Sacerdotium, ut ſupra, non promoti, reperti fuerint Miſſarum celebrationem uſurpaſſe, vel ſacramentalem Confeſſionem audiſſe, a prædictis judicibus S. Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam Eccleſiæ miſericordia indigni, a foro eccleſiaſtico abjiciantur, & ab Ordinibus eccleſiaſticis, ſi quos habuerint, rite degradati, ſtatim curæ ſeculari tradantur, per judices ſeculares debitis pænis plectendi.

§. II. Et ſucceſive rec. pariter mem. Prædeceſſor noſter Urbanus Papa VIII. per ſimiles literas, datas die vigeſimatertia Martii anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo, quarum initium eſt: *Apoſtolatus officium*, ſupradictas Decceſſorum diſpoſitiones ita confirmavit, & ampliavit, ut quicunque ſe præfatis ſceleribus obſtrinxerint, mandavit eos privilegio ætatis minoris annis vigintiquinque, nullatenus excuſari, dummodo vigeſimum annum expleverint, quominus ad normam dictæ Conſtitutionis Clementinæ, ſtatim Curiæ ſeculari, condignis pænis afficiendi, tradantur. Quas quidem omnes, & ſingulas Conſtitutiones, atque ordinationes, Apoſtolica noſtra auctoritate adprobamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit, innovamus, atque in poſterum ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari præcipimus, earum omnium tenores, ac ſi præſentibus de verbo ad verbum inſertæ forent, pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes.

§. III. Quia vero propria nonnunquam experientia cognovimus, dum adhuc in minoribus exiſtentes in Romana, atque Univerſali Inquiſitione Conſultoris munere fungebamur, ab hujuſmodi criminum reis, ſeu ab eorum defenſoribus complures alias exceptiones proponi, quarum prætextu pœnarum, ut ſupra, juſte indictarum condonationem, aut ſaltem minorationem obtinere contendunt; & ſignanter contra probationes a Fiſco adſtructas opponi ſolere, quod, aut teſtes cumulaverit in ſua quemlibet depoſitione ſingulares, dum, exempli gratia, unus ex ipſis reum viderit ſacris ſe ſacerdotalibus teſtibus induentem, alter eundem ad Altare progredientem, alius vero unam, alius aliam Miſſæ partem recitantem audierit; aut etiam, quod ab eodem Fiſco non ſatis excluſa fuerit promotio rei ad Ordinem Presbyteratus, juxta prætenſum onus, quod ipſi Fiſco incumbere contendunt: ad aleviandam vero delicti gravitatem, illud aliquando audivimus allegari, quod

reus

Digitized by Google

reus integram Miſſam non celebraverit, ſed antequam illam expleſſet, ab Altari diſceſſerit; vel quod, ſi unam Miſſam integre celebraſſe convictus fuerit, id, juxta aſſertum ſenſum prædictarum Conſtitutionum, nequaquam ſufficiat ad incurrendas pœnas in eiſdem propoſitas; vel denique, etiamſi plures hujuſmodi ſacriligas Miſſas celebraverit, minime probari poſſit, formam conſecrationis ab eo prolatam fuiſſe.

§. IV. Idcirco Nos frivola hujuſmodi reorum effugia de medio tollere volentes, re mutare a Nobis ipſis, & accurate perpenſa, atque etiam audito conſilio Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in tota Repub. chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum a Sancta Sede ſpecialiter deputatorum, motu, primo, ſtatuimus & declaramus, quod licet delictum celebrationis Miſſæ non ſatis plene probatum dici poſſit, ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio ſeculari, quando teſtes inducti in ſuis quiſque depoſitionibus ſingulares dignoſcuntur, nihilominus indicia per hujuſmodi depoſitiones acquiſita ſatis relevantia judicari debeant, ut reus tormentis ſubjiciatur ad eliciendam veritatem.

§. V. Ad dignoſcendum autem, utrum reus in Ordine Presbyteratus revera conſtitutus fuerit, necne, laudabilem quidem commendamus praxim tribunalis Sac. Inquiſitionis, qua conſuevit in hujuſmodi caſibus exquirere per literas ab Epiſcopo illius loci, unde reus originem ducit, vel in quo domicilium habet, an ipſe eundem reum promoverit, ſive ad alium Ediſcopum literas dimiſſoriales pro ejuſdem ordinatione direxerit, ut hic deinde requiratur, an ad earum executionem devenerit. Verum ubi, hoc peracto, ex hujuſmodi extrajudicialibus Epiſcoporum literis conſtet, minime reum fuiſſe promotum, id ſatis, ſuperque eſſe volumus, & Fiſci intentio probata dicatur; declarantes, non aliter Fiſco incumbere onus probandi non promotionem rei ad Ordinem Presbyteratus, ſed ad ipſum potius reum pertinere, quatenus contrarium prætendat ſuam promotionem ad prædictum Ordinem concludenter oſtendere.

§. VI. Sub diſpoſitione vero præſentis noſtræ, necnon præmiſſarum omnium Conſtitutionum comprehendi decernimus omnes, & ſingulos, qui, abſque Sacerdotali gradu, & ordine, non modo unam Miſſam celebrare auſi ſint, ſed etiam unius Miſſæ partem celebraſſe judicialiter fateantur; ſeu legitime convicti fuerint, dummodo elevationem Hoſtiæ, vel Calicis, ſeu utriusque in Altari peregerint, quamvis de probatione formæ conſecrationis non conſtet: cum ex hujusmodi verborum prolatione tremendi quidem Sacreficii contemptus, & delinquentis audacia, & crimen augeatur; ſed ex eorum reticentia nequaquam imminuatur peccatum idololatriæ, quod per actus adorationis a celebrante non promoto erga puram panis, & vini ſubſtantiam exhibitos, admittitur, & in quod populus etiam fidelis, materialiter ſaltem, inducitur. Quod ſi, non peracta elevatione, reum ab Altari diſceſſiſſe probetur, tunc ſolum concedimus, ut contra ipſum ad mitiorem pœnam deveniatur, arbitrio, & prudentia Judicis eccleſiaſticis præfiniendam.

§. VII. Omnes denique exceptiones ſupra expreſſas, quæ ab hujuſmodi reis, eorumque defenſoribus, in ipſorum excuſationem prætendi ſolent, ſeu ſingulatim, ſeu conjunctim conſiderentur, nullatenus attendi, ſeu eiſdem reis ſuffragari debere ſtatuimus, quominus ad realem eorum traditionem bracchio ſeculari, vel, ſi de Clericis in aliquo eccleſiaſtico Ordine conſtitutis agatur, ad eorum degradationem, & traditionem pariter brachio ſeculari, etiam pro prima vice, procedatur, ad hoc, ut condignis tantæ impietatis pœnis a jure, ſeu alias ſtatutis, & comminatis, cum effectu puniantur, & afficiantur.

§. VIII. Eaſdem declarationes, & ordinationes a nobis contra celebrantes non promotos hucuſque ſtatutas, ad eos etiam extendimus, & pertinere decernimus, qui cum Sacerdotes non ſint, confeſſiones Sacramentales audire, & abſolutionem pænitentibus impertiri præſumant; quos pariter eiſdem pœnis traditionis brachio ſeculari, ſeu reſpective degradationis, & traditionis pariter brachio ſeculari, etiam pro prima vice, ſubjici debere præcipimus; non obſtantibus præmiſſis exceptionibus, ſi quas ab hujuſmodi reis ad proprium caſum aptabiles, in ſui defenſionem, ſeu excuſationem adduci contingat: ſed unam dumtaxat exceptionem, ad effectum mitigandæ pœnæ, attendi debere mandamus, ubi nimirum concludenter probetur, abſolutionem a reo minime prolatam fuiſſe: tunc enim concedimus, ut Judex eccleſiaſticus mitiorem pœnam, pro ſuo arbitrio, & prudentia, delinquenti valeat irrogare.

Inſu-

Inſuper in Conſtit. ejuſdem Benedicti *Divinarum 2. Auguſti* 1757. prædictia reis non amplius ſuffragatur, ut olim, ſincera hujuſmodi delictorum, a ſe patratorum confeſſio, facta Judici, cum primum ab eo interrogati fuerint, an ſciant, qua de cauſa carceribus incluſi ſint, ad obtinendam promeritæ pœnæ minorationem, ſcilicet triremium, & carceris in perpetuum, loco mortis, ſed omnino tradi debent, ſervatis, ſervandis, brachio ſeculari, capitali pęna puniendi, ibi.

Idcirco nos pernicioſam hujuſmodi praxim de medio tollere coacti, motu &c. per hanc noſtram perpetuo valituram Conſtitutionem decernimus, atque ſtatuimus, in poſterum, videlicet poſt tres menſes, a data præſentium literarum computandos, nulli amplius Clerico, ſive laico ſæpedicti criminis reo, promeritæ pœnæ minorationem ullam concedi debere, ſive poſſe, intuitu promptæ, apertæ quæ confeſſionis, qua delictum ſuum in circumſtantiis ſuperius enunciatis Judici faſſus fuerit, ſed, ea non obſtante, omnes, & ſingulos in præcedentibus Conſtitutionibus, hac de re editis, comprehenſos, a Judice competente, in caſibus ibidem expreſſis, prævia etiam degradatione, quatenus opus ſit, tradendos omnino fore, & eſſe brachio ſeculari, capitali pœna puniendos.

Quod idem confirmavit Clemens XIII. fæliciter regnans, nedum contra hujuſmodi reos, ſed etiam contra auferentes, vel habentes apud ſe, vel alio transferentes Particulas conſecratas, quomodocunque etiam ſine qualitate furti, ſive per ſe, ſive de mandato alterius, ut in ejus Conſtitutione *Graviſſimum 20. Martii* 1760.

Attenta mox tranſcripta Decretali, *Si quis baptizaverit*, in qua declaratur irregularis miniſtrans in Ordine, quem non habet, quæri poſſet, an etiam irregularis efficiatur exercens, puta Diaconus, actum Ordini Sacerdotali annexum ex inſtitutione eccleſiaſtica, ut ſunt multæ benedictiones. Affirmat *Theſaurus de pœnis verbo Ordo cap. XXXII.* §. *Amplia ſecundo* cum DD. ibi relatis. Verum id non ita certum viſum eſt S. Cong. Conc. cum in hac eadem facti ſpecie declaraverit, non abſolute, ſed ad cautelam dumtaxat, diſpenſandum eſſe Diaconum, qui cum eſſet parochus, præter baptiſmum ſolemniter collatum, benedixit etiam panem, & aquam, dum celebrabatur Miſſa parochialis, ut in *Carnoten. 2. Decembris* 1679. *lib. XXX. Decret. ejuſdem Congr. pag.* 496.

Et hic eſt notandum, quod hoc Decretum a Card. Petra *in Commentario ad Conſtitutionem II. Gregorii XI. tomo 4. num.* 26. refertur diminutum in narratione facti; quandoquidem refert dumtaxat, quod = S. Cong. diſpenſationem ab irregularitate ad cautelam conceſſit parocho Diacono, qui baptiſmum bona fide miniſtraverat =.

Et certe non ob id tantum S. Cong. cenſuiſſet diſpenſandum eſſe ad cautelam, cum cæteroquin Diaconus in ſua ordinatione recipiat poteſtatem baptizandi ſolemniter, & ſolum prohibetur hunc actum exercere ſine licentia parochi, ne illius juriſdictionem uſurpet, qua quidem ille Diaconus non indigebat, cum re vera jam eſſet parochus, & ſic non exercuiſſet Ordinem, quem non habebat, nec ullius juriſdictionem uſurpaſſet.

Titulus XXIX. De Clerico per ſaltum promoto.

SECTIO DCCCLXVI.

Caput Unicum, Tuæ literæ, *ex Decretali Innocentii III. reſcripta Epiſcopo Bononienſi, vel ut aliis placet, Colonienſi, aut Olumicenſi.*

Tuæ literæ continebant, quod (ſicut ex relatione quorundam receperas) P. Presbyter, Diaconatus ordine prætermiſſo, ſe fecit ad Sacerdotii Ordinem promoveri. Ipſe tibi quoque ſecreto confeſſus eſt, ſe pro certo neſcire, ſi res taliter ſe haberet: ſed ex quo boni viri hoc aſſerebant, inter quos fuerat converſatus, & credebat aſſertioni eorum, eo quod tempore, quo Ordines inferiores ſuſceperat, infra annos diſcretionis fuerat conſtitutus (& infra.) Mandamus, quatenus condignam pœnitentiam, pro hujuſmodi negligentia injungas eidem: qua peracta (quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur) ipſum in Diaconum ordinare procures; & ſic de miſericordia eundem miniſtrare permittas in Ordine Sacerdotis.

Caſus hujus Decretalis eſt de promoto ad Presbyteratum per ſaltum, non recepto prius Diaconatu, ſed ignoranter, & ſine dolo; ideoque Innocentius impertitur Epiſcopo facultatem, ut, collato prius Diaconatu, cum eo diſpenſet, quatenus Presbyteratus Ordinem exercere poſſit. Unde ex contrario ſenſu clare eruitur, Epiſcopum diſpenſare poſſe dumtaxat cum promotis per ſaltum ignoranter, minime vero ſcienter. Ve-

Verum hæc Decretalis ampliata eſt a Concilio Tridentino *ſeſs. XXIII, cap. XIV. de reformat.* tribuente Epiſcopo facultatem cum iiſdem diſpenſandi, etiam in caſu publico, ſive ignoranter, ſive ſcienter promoti fuerint; dummodo in Ordine per ſaltum recepto non miniſtraverint: quandoquidem indiſtincte loquitur, ut clare patet ex ejuſdem verbis, ibi.

Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.

Ita Sayrus cum communi in *Theſauro caſuum conſcientiæ lib. IV. cap. XIV. num.* 26. *&* 27. Quamvis contrarium ſentiat Fagnauus ad cit. *cap. Tuæ literæ num.* 24.

Hanc autem facultatem Epiſcopo, ipſique majori Papæ Pęnitentiario ſuſtulerat Sixtus V. Conſtit. *Sanctum, & ſalutare 5. Januarii* 1588. ſibique, expreſſe, derogando Tridentini decreto, diſpenſationem reſervaverat, etiam in foro conſcientiæ, & in caſu occulto. Sed hæc Conſtitutio correcta, & redacta fuit ad terminos juris communis, Bullæ Pii II. *Cum ex ſacrorum*, & Concilii Trident. a Clemente VIII. ſalva tamen Sixti ſanctione contra ſimoniace ordinantes, & ordinatos, ut ex ipſius Conſtit. *Romanum Pontificem decet*, 28. *Februar.* 1595. ibi.

Alias ſane emanarunt literæ fel. rec. Sixti PP. V. Prædeceſſoris noſtri, contra Clericos male promotos, ac in Epiſcopos in Ordinum collatione peccantes, tenoris &c. Nos animadvertentes in dictis literis nihil fere quoad ea, quæ in Ordinum collatione ſervanda ſunt, diſponi ultra id, quod in ſacris Canonibus, & in Concilii Tridentini decretis, ac aliorum Romanorum Pontif. Prædeceſſor. noſtr. Conſtitutionibus diſpoſitum fuit, ſed diverſas pœnas, & cenſuras eccleſiaſticas contra Epiſcopos, & alios Prælatos in Ordinum collatione peccantes, & ſimiliter contra Clericos tam ſeculares, quam cujuſvis Ordinis, inſtituti, & militiæ regulares male promotos conſtitui, abſolutionemque, & diſpenſationem Sedi Apoſtolicæ reſervari, & alias ficut in præfatis literis continetur; conſiderantesque, tam promoventes, quam eos, qui ad dictos Ordines promoventur, ſæpe cenſuris, & pœnis hujuſmodi, ob illarum multiplicitatem in eorum perniciem animarum, variis modis illaqueari, nonnullos ex Prælatis, & Epiſcopis in conferendis hujuſmodi Ordinibus nimis ſcrupuloſe procedere, multoſque metu pænarum, & cenſurarum præfatarum, ab Ordinum collatione prorſus deterreri, adeo, ut Clericorum, & Sacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde imminutus ſit, omnium in præmiſſis ſecuritati, ac animarum ſaluti, paterna charitate proſpicere volentes, motu &c. hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſupradictas literas ad terminos ſacrorum Canonum, ac Conſtitutionis re. me. Pii Papæ II., etiam Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Cum ex ſacrorum Ordinum*, ſub dat. videlicet XV. Kal. Decem. Pontificat. ſui an. IV., cujus tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, & ad diſpoſitionem decretorum S. Trident. Conc. reſtringimus, & reducimus, nec non cenſuras, & pænas in eiſdem Sixti literis contra quoſcunque, præterquam contra ſimoniace ordinantes, & ordinatos, inflictas, quas volumus in ſuo robore permanere (aliis etiam pænis, & cenſuris per eoſdem, Canones, ac Conſtitutionem Pii II, Conciliumque Trident. injunctis, ſalvis, & firmis remanentibus) moderamur, & abolemus.

Adverte tamen in cit. Pii II. Conſtitutione *Cum ex ſacrorum* 17. *Novembr.* 1461. ad promotos per ſaltum quod ſpectat, nihil diſponi, ſed infligi dumtaxat pœnam ſuſpenſionis ab executione Ordinum ipſo facto incurrendam (cujus abſolutionem Sixtus ſibi reſervaverat) ab iis = qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſoriis legitimis, etiam citramontanis . . . . . ad aliquem ex ſacris Ordinibus (in Sixti Conſtitutione legitur ex omnibus Ordinibus) ſe fecerint promoveri. Et ſi, hujuſmodi ſuſpenſione durante, in iiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter a jure inflictas, beneficiis eccleſiaſticis poſſint jure privari =.

Nota I. Cum eodem Sayro *loc. cit.* Epiſcopum uti poſſe facultate diſpenſandi, poſtquam per ſaltum promotus ſuſcepit Ordinem omiſſum: ſi enim exerceat Ordinem per ſaltum receptum, ante diſpenſationem, ſolus Papa diſpenſat propter irregularitatem, in qua ni incurrit, ſi caſus ſit publicus: ſi autem ſit occultus, diſpenſari poteſt ab eodem Epiſcopo juxta facultatem ei tributam a Tridentino *cap. VI. ſeſſ. XXIV. de reform.*

Nota II. Ex declaratione Cong. Conc. relata a laudato Sayro dicto num. 26. & a Gallemant. ad cit. *cap. XIV. ſeſſ. XXIII. Tridentini*, hujuſmodi facultatem tributam Epiſcopo intelligendam eſſe „ de
„ promotis per ſaltum (ſunt verba Gallemart.)
„ aliquo ſacr. Ord omiſſo,) immo vero etiam do
„ promotis ad majores Ordines, omiſſis minoribus,
„ ſive omnibus, ſive uno tantum: & etiam caſu,
„ quo aliqui omiſerint primam Tonſuram: Con-
„ gregatio enim cenſuit an. 1588. habere locum de-
„ cretum Coucilii in omnibus caſibus poſitis “,

Nota III. Majorem Papæ Pœnitentiarium hodie, non obſtante citata Sixti Conſtitutione, diſpenſare, vel diſpenſari mandare poſſe in caſibus tamen occultis, cum promotis per ſaltum ad effectum, ut omiſſos Ordines ſecrete recipiant a quocumque catholico Antiſtite extra tempora, & non ſer-

ſervatis interſtitiis, & abſque dimiſſoriis: non tamen, ut plures Ordines ſacros eodem die recipiant, prout ex Conſtitut. Benedicti XIV. *Paſtor bonus*, §. XVIII. quam habes ad calcem hujus Operis.

Titulus XXX. De eo, qui furtive Ordinem ſuſcepit.

SECTIO DCCCLXVII.

CAPUT I. VENIENS, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Lingonienſi reſcripta.*

VEniens ad Nos P. Nobis expoſuit, ſe furtive Diaconatus Ordinem ſuſcepiſſe. Unde fraternitati tuæ reſpondemus, quod ſi non fuit a te, vel ab aliquo Archidiaconorum, vel Prælatorum tuorum, ſub anathematis interminatione prohibitus, tu ipſe in promotione ipſius ad ſacerdotale officium, condigna ſatisfactione impoſita (niſi alia impediant) pro arbitrio tuo diſpenſes. Si vero interminatio anathematis ſuper hoc facta eſt, moneas eum, ut in aliquo monaſterio, ſeu Canonia habitum ſuſcipiat regularem, cui, ex quo in habitu illo aliquanto tempore fuerit laudabiliter converſatus, poteris miſericorditer providere: alioquin nulla ratione concedimus, eum ad ſacerdotalem Ordinem promoveri.

Ex hac Decretali clare deducitur, tam Archidiaconum, quam parochum (qui hic venit ſub nomine Prælatorum, ut probat Gonzalez in hoc eod. cap. & in *cap. II. de Offic. Ordin.*) ferre poſſe excommunicationem. Verum ad Archidiaconum quod ſpectat, quamvis ex conſuetudine olim eam ferre poſſet, cum certum ſit, de jure communi ei numquam licuiſſe, ut declaravit idem Alexander in *c. V. Archidiaconi, tit. de Offic. Archid.* tamen cum hodie in aliquibus Cathedralibus ne nomen quidem Archidiaconi extet, in aliquibus vero extet quidem, ſed ſine ulla juriſdictione contentioſa pro foro externo, neceſſario requiſita ad cenſurarum fulminationem, ut *cap. I. Cum medicinalis, de Sent. excom. in VI.* nec in vim conſuetudinis excommunicare poteſt. Verum quidem eſt, quod ipſe, vel aliquis officialis immediate ante ordinationem, ut cavetur in *Pontificali Rom. parte I. tit. de Ordinib. conferen.* anathema profert in omnes, qui furtive ad Ordines accedunt, id tamen facit nomine Epiſcopi, qui præcipit, ne quis non deſcriptus, examinatus, approbatus, & nominatus ullo pacto ſub tali pœna audeat ad ſuſcipiendos Ordines accedere, de qua excommunicatione hic loquitur Alexander.

Ex defectu juriſdictionis contentioſæ neque parocho competit hujuſmodi facultas, quæ ſi aliquando ex legitima conſuetudine, aut præſcriptione competierit, certum eſt hodie ex praxi Eccleſiæ nullatenus competere, Maſchat cum communi *Inſtit. canon. tit. de Senten. excomm. n. 5.*

Inſuper prohibitio hic facta Epiſcopo de non diſpenſando furtive promotum ſuper irregularitate, quam contraxiſſet, ſi facta fuiſſet interminatio excommunicationis, quia ea ligatus Ordinem ſuſcepiſſet, locum amplius non habet, cum enim juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam dicta interminatio non ſit latæ ſententiæ, ut olim, ſed ferendæ, ut ex *Pontificali Rom. reformato a Clemente VIII.* diſpenſari poteſt a proprio Epiſcopo: ſi tamen in male ſuſcepto Ordine non miniſtraverit: tunc enim recurrendum eſt ad Papam propter irregularitatem contractam in miniſtratione Ordinis cum ſuſpenſione: ſi vero delictum ſit occultum, diſpenſare poteſt ſuper eadem irregularitate etiam Epiſcopus vi *cap. VI. Conc. Trid. ſeſſ. XXIV. de reform.*

Ulterius nec detruſio in monaſterium, de qua in textu, cum ſuſceptione habitus regularis ad tempus, hodie in uſu eſt.

Nota I. Quod ex Conſt. Sixti V. *Sanctum, & ſalutare 5. Januarii* 1588. ſuſpenſio, quam incurrit ſic ordinatus, erat Papæ reſervata, interdicta etiam majori Cardinali Pœnitentiario facultate eam abſolvendi: ſed dicta Conſtit. redacta fuit ad terminos juris communi, a Clemente VIII. Conſtit. *Romanum Pontificem decet 28. Februar.* 1595.

Nota II. Sacram Pœnitentiariam non abſolvere furtive ordinatum, neque diſpenſare ſuper irregularitate, niſi eum per ſecretum examen idoneum reperiat.

Nota III. Quod ſi Epiſcopus in allocutione, qua ante ordinationem ipſius nomine Archidiaconus jubet ſub pena excommunicationis, ne qui canonico aliquo impedimento laborant, ad ſuſcipiendos Ordines accedant, prætergreſſus limites Pontificalis Rom. aliquo modo declaraſſet, ſibi intentionem non eſſe tales ordinandi, ordinatio eſſet nulla, ut decidit Sac. Congr. Conc. 23. Januarii 1586. propoſito enim ſibi dubio = An ordinati ante ætatem legitimam ab Epiſcopo, qui ante ordinationem in Eccleſia publico edicto proteſtatus eſt, quod non intendebat Ordines conferre, niſi iis, qui in ætate legitima erant conſtituti, receperint vacuam manus impoſitionem; reſponſum fuit ex communi ſententia, recepiſſe vacuam manus impoſitionem =.

Quæ reſolutio approbata fuit ab Innocentio XI. ut refert Benedictus XIV. *de Sacrificio Miſſæ lib. III. cap. X. num. 7.*

Qui inſuper num. 6. hæc addit „ Ad hanc rem edictum promulgavit ante ordinationem Epiſcopus Charchienſis in America, quod tantas excitavit turbas, ut opus fuerit in Sac. Congregatione cauſam proponere ſub titulo *Charchien. Ordinatio-*

„ *nationis*, quæ cauſa ab Altovito tum Secretario „ in hunc modum relata eſt = In ſupplici libello a „ Sanctiſſimo Domino noſtro remiſſo exponitur, „ Fratrem Antonium Gonzalea de Acuna, Epiſco„ pum Civitatis Charchienſis in Indiis occidentali„ bus ſub dominio Regis catholici, ſacras ordinatio„ nes habiturum, edicto caviſſe, ne quis trahens „ originem ab Indis, ſeu, ut vocant *Mulatis*, intra „ quartum gradum, auderet accedere ad ſacros „ Ordines ſuſcipiendos, quia ipſius mens, & in„ tentio erat, hujuſmodi perſonis Sacramentum „ Ordinis non conferre: quam proteſtationem de„ nuo, atque expreſſius ore proprio emiſit in actu „ ordinationis, jurejurando affirmans, ſe neque „ actualem, neque virtualem intentionem habere, „ aut habiturum fore ordinandi dictas perſonas, ſed „ habere dumtaxat intentionem ordinandi ſanguine „ puros; quod & poſtea confirmavit, dum inter„ rogatus a Guardiano Conventus S. Franciſci, an „ quidam comprehenſus intra gradus ab eo prohibi„ tos eſſet valide ordinatus, abſque ulla hæſitatione „ reſpondit negative ex defectu intentionis. Plura „ hinc ſcandala, & inconvenientia orta ſunt. Multi „ enim originem trahentes ab Indis, ſeu, ut vocant „ *Mulatis* (cum inibi pauci ſint ſanguine puri) Or„ dines ſuſceperunt, & ſubinde Miſſas celebrarunt, „ Confeſſiones audierunt, aliaque ſuſceptis Ordi„ nibus congruentia munera exercuerunt: & e con„ tra non deſunt in populo, qui ſic ordinatos effu„ giunt, ac uti male promotos digito oſtendunt = „ Dubia vero tum propoſita ad examinandum, hæc „ ſunt = Primo, an hujuſmodi, perſonarum ordina„ tio fuerit valida. Secundo, an actus ab illis vigore „ ſuſceptorum Ordinum exerciti fuerint validi: & „ quatenus negative. Tertio, quonam remedio hiſce „ malis conſuli debeat = Reſponſum S. Congrega„ tionis habitæ die 13. Feb. 1682. fuit hujuſmodi = „ Ad primum, & ſecundum negative: ad tertium „ ad mentem; & mens eſt, ſupplicandum eſſe San„ ctiſſimo, quatenus jubeat omnibus Indiarum Epi„ ſcopis, ne deinceps præſumant in ordinatione „ conditionalem intentionem habere, eoſque ani„ madvertat, Indos, & Nigros, omneſque ab eis „ per paternam, vel maternam lineam deſcenden„ tes, nullo jure ab Ordinum, aliorumque Sacra„ mentorum receptione arcendos eſſe, dummodo „ cætera per ſacros Canones requiſita habeant, & „ obſervent ".

In ſimilibus caſibus exploranda eſt mens Epiſcopi, qui ſic Ordines contulit. Quod ſi clara deſit probatio ipſius contrariæ intentionis, vel dubitari poſſit, num aliquo modo eam revocaverit, iteranda eſt ordinatio ſub conditione, potiſſimum, ſi agatur de ordinatione Sacerdotis ſic facta, ne remaneat dubium cum periculo invaliditatis aliorum Sacramentorum, quæ a Sacerdotio dependent. Ita reſpondit eadem Congregatiam in dubio de Ordinibus minoribus *in Aprutina Ordinum, 11. Februarii* 1710. *& in Ugentina Ordinum 3. Auguſti* 1743. in foliis typo datis dictorum dierum, quam praxim ſervat pariter S. Pœnitentiaria, teſte *Theſauro de pæn. eccleſiaſt. cap. VII. verb. Ordo num. 2.*

Titulus XXXI. De Exceſſibus Prælatorum.

SECTIO DCCCLXVIII.

CAPUT I. PERVENIT, *ex Decretali Alexandri III. ignotum, cui reſcripta.*

PErvenit ad audientiam noſtram (& infra.) Cum autem Presbyteros, quaſi filios, & fratres benigna, ac fraterna debeatis charitate fovere, mandamus, quatenus in eos tallias, & exactiones indebitas exercere nullatenus præſumatis, nec de cætero irrationabiliter gravetis, vel inhoneſte tractetis eoſdem, aut ſine judicio Capituli ſuſpendere, vel eorum Eccleſias interdicto ſubjicere attentetis, neque duas Eccleſias, quarum unam ſufficere videbitis, permittatis illos tenere, nec aliquem excommunicare ſine ordine judiciario præſumatis. Sciturí pro certo, quod ſi hujuſmodi rumores de vobis iterum ad aures noſtras pervenerint, pro tantis exceſſibus vos taliter puniemus, quod timore pœnæ veſtræ cæteri a ſimilibus abſtinebunt.

In hac Decretali inter cætera prohibetur Epiſcopis.

I. Ne exactionibus indebitis ſuos Presbyteros, ideſt parochos gravent.

II. Ne eoſdem ſine Judicio Capituli ſuſpendant, vel eorum Eccleſias interdicto ſubjiciant.

III. Ne permittant, ut unus Presbyter, ideſt parochus, retineat duas matrices Eccleſias, quarum una ad ejus ſuſtentationem ſufficere videatur.

Circa primum recolenda ſunt notata ad *cap. VI. Cum Apoſtolus, de Cenſibus pag.* 395.

Circa ſecundum, hodie Epiſcopi contra Capitulum præſcrip ſerunt, ita ut ſoli in criminalibus inquirere, & procedere poſſint, de qua præſcriptione ita Fagnanus ad *capus XXIV. Qualiter, de Accuſationibus n.* 14. *&* 15. ibi „ Sed hodie forte propter „ ignorantiam Canonicorum communiter Epiſcopi „ contra eos præſcripſerunt, ut ipſi ſoli abſque Ca„ pituli conſilio de criminibus inquirant, & juriſdi„ ctionem exerceant: & valet talis præſcriptio, ſeu „ conſuetudo, ut in *cap.* 3. & ibi Gloſſ. 1. *de Conſue„ tud. lib.* 6. & probatur in *cap. Irrefragabili, & „ in cap. Paſtoralis, de Offic. Ordin.* & tenet Abbas „ Mar. Soc. & Bero in locis ſupracit. Fallit in Ca„ pitulis, quæ exemptionis privilegio, vel alio ſpe„ ciali jure ſe tuentur adverſus Juriſdictionem Epi„ ſco-

„ ſcopi: tunc enim contra capitulares delinquentes „ Epiſcopus non poteſt ſolus procedere, ſed ſervata „ forma, a Concilio Tridentino præſcripta in *cap.6. ſeſſ.* 25. *de reform.* non obſtantibus conſuetudini- „ bus, etiam immemorabilibus, de quo dic, ut ſcripſi „ in *dict. cap. Irrefragabili*, §. *Exceſſus numer.* 9, „ 10. 20. & 21. *de Offic. Ordinar.* “

Circa retentionem duarum Eccleſiarum inſtituetur ſermo parte II. cum de *cap V. ſeſſ. VII.* Concilii Tridentini.

S E C T I O D C C C L X I X.

Caput IV. Clerici, *ex Decretali, deſumpta a cap. XI. Concilii generalis lateranenſis III. celebr. ſub Alexandro III. an.* 1179.

Clerici (& infra.) Quicunque illa incontinentia, quæ contra naturam eſt (propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque civitates igne conſumpſit) deprehenſi fuerint laborare, ſi Clerici fuerint, dejiciantur a Clero, vel ad agendam pœnitentiam in monaſteriis detrudantur: ſi laici, excommunicationi ſubdantur, & a cætu fidelium fiant penitus alieni.

Hæc Decretalis innovata eſt a Leone X. in Concilio Lateranenſi V. ſub eo celebrato an. 1512. ut in ejus Conſtitutione *Supernæ* 5. *Maii* 1514. in qua §. XXXV. ita diſponitur.

Si quis vero, tam laicus, quam Clericus de crimine, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, convictus fuerit, pœnis per ſacros Canones, aut jus civile reſpective impoſitis puniatur.

Verum quoad excommunicationem reſpectu laicorum, & detruſionem in monaſterium reſpectu Clericorum, de quibus in dicta Decretali, in deſuetudinem abiit, cum hodie, ſi incontinentia contra naturam notoria ſit, ut eſt ſodomia, puniatur pœnis inflictis a S. Pio V. in cujus Conſtitutione *Cum primum* 1. *Apr.* 1566. §. XI. ita diſponitur, ibi.

Si quis crimen nefandum ... perpetraverit, Curiæ ſeculari puniendus tradatur: & ſi Clericus fuerit, omnibus Ordinibus degradatus, ſimili pœna ſubjiciatur.

In altera vero ejuſdem Conſtitutione *Horrendum* 3. *Auguſti* 1568. Pontifex ſe referens ad dictum Lateranenſe Concilium III. & V. aggravat pœnas in utroque, & in allata ſua Conſtitutione ſtatutas contra Clericos, reos hujus nefandi ſceleris, ut ſequitur.

Sane Lateranenſi Concilio dignoſcitur conſtitutum, ut quicunque Clerici, illa incontinentia, quæ contra naturam eſt, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, deprehenſi fuerint laborare, a Clero dejiciantur, vel ad agendam in monaſteriis pænitentiam detrudantur.

Verum, ne tanti flagitii contagium impunitatis ſpe, quæ maxima peccandi illecebra eſt, fidentius invaleſcat, Clericos hujus nefarii criminis reos gravius ulciſcendos deliberavimus, ut qui animæ interitum non horreſcunt, hos certe deterreat civilium legum vindex gladius ſecularis.

Itaque, quod Nos jam in ipſo Pontificatus noſtri principio hac de re decrevimus, plenius nunc, fortiuſque perſequi intendentes, omnes, & quoſcumque Presbyteros, & alios Clericos ſeculares, & Regulares, cujuſcunque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio eccleſiaſtico præſentis Canonis auctoritate privamus. Ita quod per Judicem eccleſiaſticum degradati, Poteſtati ſtatim ſeculari tradantur, qui de eis illud idem capiat ſupplicium, quod in laicos hoc in exitio devolutos, legitimis reperitur ſanctionibus conſtitutum.

Nota I. Ex *Theſauro de pæn. eccleſiaſt. cap. I. verb. Sodomia*, ſodomiæ reum, ſi adſit publicitas, vel notorietas, eſſe irregularem ratione infamiæ.

Nota II. Clericum ſodomitam occultum juxta magis communem non eſſe ipſo jure ſuſpenſum, unde ſi celebret, non fit irregularis.

Nota III. Ad incurrendam pœnam degradationis, & traditionis Curiæ ſeculari, quamvis citata Conſtitutio *Horrendum* loquatur de exercentibus ſodomiam, quod verbum exigit conſuetudinem, vel fre-

frequentiam, per unicum tamen etiam actum laici puniri poſſunt, & Clerici degradari, ac tradi Curiæ ſeculari puniendi, ut clare patet ex *verbo Perpetravit*, quod legitur in prima Conſtitutione, quodque non requirit frequentiam actuum, nec Pius per ſecundam Conſtitutionem aut moderavit primam, aut ei derogavit; immo per hanc ſecundam declaravit = vel plenius, fortiuſque proſequi = ea, quæ in prima ſanxerat.

Nota IV. Quod (ſunt verba laudati *Theſauri*) „ Pæna privationis privilegii clericalis ex dict. Bulla (*Horrendum*) illata non ligat ante ſententiam „ declaratoriam Judicis eccleſiaſtici, ut in ſimili „ dixi *verbo Aſſaſſinium*, & ita in terminis Diana „ *reſol. 51. tract. 2. de Immun. tom. I.* ubi plures al„ legat, neque enim eſt iſta pæna privationis cen„ ſura aliqua, ſeu ſuſpenſio, ut quidam putant, ne„ que irregularitas, ſed pura pæna privativa, ſeu „ depoſitio verbalis latæ ſententiæ ".

SECTIO DCCCLXX.

CAPUT VII. CUM AD QUORUNDAM, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui reſcripta.*

CUm ad quorundam (& infra.) Ideoque diſcr. veſtræ Apoſt. auctoritate concedimus, ut, ſi Eccleſiarum Prælati numerum evectionis, & perſonarum in Later. Concilio conſtitutum, cum Eccleſias viſitant, excedere forte præſumpſerint, & pro illis procurationem exegerint, liberum ſit vobis auctoritate Apoſt. denegare, & ſi propter hoc in Eccleſias veſtras, vel Clericos aliquam ſententiam promulgaverint, ipſam decernimus non tenere.

Quæ hodie ſit Eccleſiæ diſciplina circa exactionem procurationum occaſione viſitationis, recolenda ſunt notata ad *cap. VI. Cum Apoſtolus, de Cenſibus pag. 395.*

SECTIO DCCCLXXI.

CAPUT X. EX LITERIS, *ex Decretali Innocentii III. Iperienſi Epiſcopo, & Abbati de Dileto, Viſitatoribus Lombardiæ reſcripta.*

In hac Decretali, cujus textum tranſcribere omitto, præſervatum legitur antiquum Capituli jus ad eligendum Epiſcopum, Sede vacante, eum hic mandet Pontifex prædictis Viſitatoribus, ut depoſito Epiſcopo Eccleſiæ Albinganenſis propter irregularitatem, quam contraxerat ob delictum, de quo in textu, faciant eidem Eccleſiæ per canonicam electionem de perſona idonea provideri.

Verum hodie, exceptis iis Capitulis, quibus hujuſmodi jus præſervatum eſt, electio Epiſcoporum privative pertinet ad Romanum Pontificem, ut aliubi pluries notavi.

SECTIO DCCCLXXII.

CAPUT XII. ACCEDENTIBUS, *ex Decretali deſumpta a Canone LX. Concilii generalis Later. IV. celebrati ſub Innocentio III. an. 1215.*

ACcedentibus ad Nos de diverſis mundi partibus Epiſcopor. querelis, intelleximus graves, & grandes quorundam Abbatum exceſſus, qui ſuis finibus non contenti, manus ad ea, quæ ſunt epiſcopalis dignitatis, extendunt, de cauſis matrimonialibus cognoſcendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam Indulgentiarum literas, & ſimilia præſumendo: unde contingit interdum, quod vileſcit epiſcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in his & Epiſcoporum dignitati, & Abbatum providere ſaluti, præſenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia ſe præſumat extendere, ſi proprium voluerit periculum evitare, niſi forſan quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa ſuper hujuſmodi valeat ſe tueri.

In

Huic Decret. in qua ſtatuitur jus cognoſcendi cauſas matrimoniales acquiri poſſe nedum ex ſpeciali privilegio, ſed etiam ex alia legitima cauſa, ideſt ex conſuetudine, vel præſcriptione, ut exponit Gloſſa final. & Innocentius hic, derogatum eſt a Concilio Tridentino *ſeſſ. XXIV. cap. XX. de reform.* hanc conſuetudinem abrogante ibi,

Ad hæc, cauſæ matrimoniales, & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum Inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni relinquantur,

Nota, quod prædicta conſuetudo teneret, ſi eſſet immemorabilis ex declaratione S. Cong. Concil. teſte Fagnano, ad hanc eandem Decretalem *numero VI.*

SECTIO DCCCLXXIII.

CAPUT XIII. DILECTUS FILIUS, *ex Decretali Honorii III. ſcripta Saxoni Anagnino, Henrico Cardinali Presbytero Tituli S. Pudentianæ, & interino in Urbe Vicario pro tempore, quo idem Honorius Reatæ moratus eſt juxta Cohelium.*

Dilectus filius Joannes Presbyter expoſuit, conquerendo, quod Rectores Fraternitatis Urbis ipſum ad revelandum fures, & quod ſuper quodam furto ſibi tanquam Sacerdoti fuerat revelatum, vel ad ſatisfaciendum exinde damnum paſſo arctare nitentes, in eum [niſi alterum præmiſſorum efficeret] tulerunt ſententiam interdicti. Quia igitur perniciosum eſſet prædictum Presbyterum ſibi taliter credita revelare, ac cogi ad id, quod non rapuit, exſolvendum, diſcr. tuæ mandamus, quatenus præfatos Rectores coram te conveniens, injungas eiſdem, ut a memorati Presbyteri gravamine penitus conquieſcant.

Hæc Decretalis, in qua adſtruitur Rectoribus Fraternitatis Urbis (erectæ in Eccleſia S. Thomæ in Parione, nempe in ſexta Urbis regione) juriſdictio in Clerum, vi cujus tulerunt ſententiam Interdicti in Presbyterum confeſſarii munere fungentem, de quo in textu, non amplius locum habet, cum hujuſmodi juriſdictione, & quidem delegata, frueretur tempore Honorii, qua tamen hodie nullatenus gaudet, ut probat Cironius.

SECTIO DCCCLXXIV.

CAPUT XVI. NIMIS INIQUA, *ex Decretali Gregorii IX. univerſis Eccleſiarum Prælatis.*

Nimis iniqua (& infra.) Cum religioſi viri abnegantes ſalubriter ſemetipſos, elegerint in paupertate Chriſto pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, non deſunt plerique tam Eccleſiarum Prælati, quam alii, qui cæca cupiditate ſeducti, propriæ aviditati ſubtrahi reputantes, quidquid prædictis fidelium pietas elargitur, quietem ipſorum multipliciter inquietant. Volunt namque contra regulam a Sede Apoſtolica approbatam, & ſui Ordinis inſtituta, ipſis invitis, eorum confeſſiones audire, ac eis injungere pœnitentias, & Euchariſtiam exhibere: nec volunt, ut Corpus Chriſti in eorum Oratoriis reſervetur: & Fratres ipſorum defunctos apud Eccleſias ſuas compellunt ſepeliri, & eorum exequias celebrari: & ſi quis decedentium Fratrum alibi, quam in ſuis Eccleſiis eligat ſepulturam, funus primo ad Eccleſias ſuas deferri cogunt, ut oblatio ſuis uſibus cedat. Nec ſuſtinentes eos habere campanam, vel cæmeterium benedictum, certis tantum temporibus permittunt ipſos celebrare divina. Volunt quoque in domibus eorum certum numerum Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, & laicorum, nec non cereorum, lampadum, & ornamentorum pro voluntate ſua taxare, ac reſiduum cereorum, quando noviter apponuntur, exigunt ab eiſdem. Nec permittunt, quod novi Sacerdotes eorum alibi, quam in Eccleſiis ſuis celebrent primas Miſſas, eos nihilominus compellentes, ut

ut in quotidianis Miſſis, quas in ſuis locis, & altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant, & reſervent: quidquid etiam eis, dum celebrant Miſſaru m ſolemnia, intra domorum ſuarum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipſis extorquere oblationis nomine contendentes, quod eiſdem tam in ornamentis altaris, quam in libris eccleſiaſticis abſolute confertur, vendicant perperam juri ſuo. Quo circa mandamus, quatenus univerſi, & ſinguli a prænotatis gravaminibus deſiſtatis, ſubditos veſtros ab hujuſmodi arctius compeſcendo.

SECTIO DCCCLXXV.

Caput XVII. Nimis prava, *ex Decretali ejuſdem Gregorii IX. ad univerſos item Eccleſiarum Prælatos.*

Nimis parva (& infra.) Cum quidam viri religioſi, utputa Fratres Prædicatores, & Minores (quorum Ordinem, & regulam Sedem Apoſtolicam noſcitur approbaſſe) in arctiſſima paupertate Chriſto pauperi famulentur, plerique Prælati, & alii eos ad Synodos ſuas cogunt accedere, ac ſuis Conſtitutionibus ſubjacere: nec his contenti, capitula, & ſcrutinia in locis Fratrum pro his corrigendis ſacturos ſe comminantur, fidelitatem juramento firmatam ab eorum miniſtris, & cuſtodibus exigentes, eis quoque, ut tam extra civitates, quam intra cum eis proceſſionaliter veniant, ex levi cauſa mandantes, excommunicationis ſententiam fulminant in benefactores ipſorum; & id ipſum Fratribus comminantes, eos de locis, in quibus Domino famulantur, ſatagunt amovere, niſi eis obediant in omnibus ſupradictis. Ad hoc, ne Fratres ad honorabiliores civitates, & villas, ubi religioſe, ac honeſte valeant commorari, a populis devote vocati, accedere audeant, inhibentes, tam in accedentes Fratres, quam in receptatores eorum præſumunt excommunicationis ſententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis Fratrum (ſicut de Judæorum domibus) contendunt redditus extorquere: aſſerendo, quod niſi Fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus proventus aliqui ſolverentur: & ut ipſos ſuæ ſubdant totaliter ditioni, eiſdem miniſtros, & cuſtodes volunt præficere pro ſuæ arbitrio voluntatis. Quocirca mandamus, quatenus univerſi, & ſinguli a prænotatis gravaminibus deſiſtatis, ſubditos veſtros ab hujuſmodi arctius compeſcendo.

In his duabus Decretalibus Gregorius recenſet XXVII. gravamina, quæ a locorum Ordinariis inferebantur Regularibus exemptis, præcipitque ab iiſdem in poſterum abſtinere.

Eadem gravamina, & alia tria unico capitulo complectens Clemens V. eaſdem Gregorii Decretales ampliavit, extendens prohibitionem ea inferendi nedum Regularibus exemptis, ſed etiam non exemptis, ut ex ſequenti Decretali, edita in Concilio generali celebrato an. 1311. Viennæ in Gallia, & relata in Clementinis *cap. unic. hoc eod. tit.*

Frequens, ſidua nos quorundam Religioſorum querela circumſtrepit, quod plerique Epiſcopi, & eorum Superiores, ac cæteris Eccleſiarum Prælati, ipſorum Religioſorum quietem injuſte in ſubſequentibus multipliciter inquietant. Quidam enim exemptos capiunt, & in carcerant in caſibus non conceſſis a jure. Quidam per gravium interminationem pœnarum impediunt, ne debentes exemptis decimas, ſeu redditus, illos ſolvant eiſdem: neve aliqui Miſſas earum audiant: molentes in molendinis, & coquentes in furnis eorum, ſervientes quoque, & vaſſallos, & domeſticos eorundem, vel alios qualitercunque contrahentes, & participantes cum ipſis ſuſpendunt, interdicunt, & excommunicant abſque cauſa rationabili pro libito voluntatis: bona illorum interdum nihilominus illicite occupantes. Et appellationibus, quas prædicti exempti ob prædicta, vel alia gravamina rationabiliter interponunt quandoque, minime deferentes, appellantes occaſione appellationum hujuſmodi interdum capiunt, aut capi faciunt, carceri mancipari. Quidam præterea Capellanos in Eccleſiis pleno jure ſpectantibus ad eoſdem (licet nulla cauſa ſubſit legitima) celebrare non ſinunt, nec adminiſtrare parochianis eccleſiaſtica Sacramenta. Nonnulli etiam indebite Abbates, Monachos, & Converſos exemptos, necnon & Clericos ipſis pleno jure ſubjectos, ſi eis non pareant, in iis etiam, in quibus non tenentur eiſdem, incon-

inconſulta facilitate ſuſpendunt, excommunicant, capiunt, & incarcerant, ac loca, & Eccleſias interdicunt ipſorum. In exigendo inſuper ab ipſis exemptis, ipſorumque ſubditis ſubſidia charitatis excedunt nimium contra eos. Et inſolitas, ac indebitas ipſis contra jura exactiones imponunt, novos cenſus, & indebita onera parochialibus imponunt Eccleſiis, in quibus exempti jus obtinent patronatus: proceſſus juſte factos, ſeu ſententias juſte latas a Legatis Sedis Apoſtolicæ, vel a Conſervatoribus pro exemptis, publicari, ſeu executioni mandari a ſuis ſubditis non permittunt. Tabellionibus publicis inhibent, ne inſtrumenta conficiant, & Judicibus, ne juſtitiam faciant, ac juriſperitis, ne conſilium, vel auxilium præbeant in cauſis, ſeu negociis eorundem, præſentatos per exemptos ad Ordines, vel beneficia, quorum præſentatio ad eos pertinet, nolunt admittere, niſi præſentantes ponant obedientiam in ſalutatione literarum, quas pro hujuſmodi præſentatione tranſmittunt. Eccleſiis quoque vacantibus, in quibus monaſteria jus obtinent patronatus (repulſis perſonis idoneis præſentatis ad eas) perſonas inſtituunt inhabiles, & indignas. Quidam etiam Eccleſias curam animarum habentes, ad menſam Abbatum ſpectantes, quarum fructus quandoque Clericis ſecularibus tradunt, ſeu concedunt ad firmam, Clericis ipſis decedentibus, ſuis conferunt Clericis, quanquam ipſæ propter hoc Eccleſiæ in veritate non vacent. Nonnulli quoque in Eccleſiis monachorum jura ipſorum injuſte ſibi appropiant, & de ipſarum redditibus, ut volunt, ordinant, ita quod rectoribus earum non remanet, unde valeant ſuſtentari. Quidam cum armis, & erecto vexilio, molendina, & alia bona contra juſtitiam deſtruunt exemptorum, quæ etiam tanto tempore poſſederunt, quod de contrario memoria non exiſtit, mittuntque frequenter ad monaſteria ſuarum civitatum, & diœceſum ſuos conſanguineos, & nepotes, & interdum animalia ſua cum cuſtodibus, ut eis de bonis monaſteriorum debeat provideri. Abbates inſuper, & Priores monaſteriorum frequenter compellunt, ut ſuis conſanguineis, & nepotibus monaſteriorum ſuorum, ſeu Prioratuum poſſeſſiones concedant in perpetuum, vel ad tempus, quas quidem conceſſiones, vel penſiones nos nullas eſſe volumus ipſo jure: eoſdem quoque Abbates, & Priores quandoque compellunt ad præſtandum ſibi ad Eccleſias vacantes, in quibus jus obtinent patronatus, & ad monachandum interdum ſuos familiares, conſanguineos, vel nepotes. Frequenter etiam permittunt, & tacite conſentiunt, quod in ſuo dominio temporali per milites, vaſallos, & ipſorum temporales officiales monaſteriorum bona mobilia, & immobilia per violentiam occupentur in caſibus non permiſſis a jure, & aliæ variæ injuriæ perſonis eccleſiaſticis, & monaſteriorum hominibus irrogentur. Præterea interdum injuſte Abbates, Priores, ac alios beneficiatos beneficiis ſuis privant, ut ſic fructus beneficiorum illorum percipere valeant primo anno prætextu privilegii, quod aſſerunt ſe habere, quod uſque ad certum tempus fructus beneficiorum vacantium poſſint percipere primi anni: quibus non contenti, equos, boves, theſaurum, & alia bona monaſteriorum, & beneficiorum vacantium illicite occupant, quæ eſſent futuris ſucceſſoribus reſervanda. Quidam militibus, & aliis potentibus dignitatum ſuarum redditus, & proventus vendunt ad tempus, ut per ipſos exempti vicini fortius opprimantur; nonulli etiam indebite monaſteria dirimunt; alii domos & hoſpitalia, & alia bona monaſteriorum mobilia, & immobilia frequenter occupant, & detinent occupata. Pluries quoque ſine cauſa juſta impediunt, ne exempti loca ſua valeant reparare. Quidam ſtatuta faciunt, per quæ derogatur privilegiis exemptorum. Et generaliter quamplures Prælati Religioſis, præſertim exemptis, & privilegiatis, in perſonis, & rebus ſuis, ac juribus ſpiritualibus, & temporalibus, graves inferunt contra juſtitiam, & eorum privilegia injurias, & jacturas. Verum quia una eſt regularium, & ſecularium Prælatorum, & ſubditorum exemptorum, & non exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, quorum omnium unus eſt Dominus, una fides, & unum baptiſma: decet, ut omnes, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam ſint volnntatis, & ſicut Fratres adinvicem vinculo charitatis ſint adſtricti. Decet igitur, ut & Prælati, & alii tam exempti, quam non exempti, ſuis juribus ſint contenti, & alter in alterius injuriam non proſiliat, ſeu jacturam. Univerſis itaque Prælatis Eccleſiarum præſentis ſanctionis edicto diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ipſi a prædictis gravaminibus omnino ceſſantes, & ceſſare ſuos ſubditos facientes, viros religioſos, exemptos, privilegiatos, & non exemptos, Mendicantes, & non Mendicantes charitative tractent, & foveant, & ſua jura, & privilegia inviolabiliter eis ſervent. Et quoniam plus ſolet timeri, quod ſpecialiter, quam quod gene-

raliter

Digitized by Google

raliter inhibetur, eiſdem Prælatis diſtrictiſſime inhibemus, ut Abbates, Priores, & alios religioſos, ne ad ſua generalia, vel provincialia vadant capitula, impedire quomodolibet non præſumant.

Sed redeamus ad ſecundam Gregorii Decretalem *Nimis prava*. Quamvis hæc videatur emanata favore dumtaxat Ordinis Prædicatorum, & Minorum, extendenda tamen eſt ad Regulares cujuſcunque alterius Ordinis, cum prædicti Prædicatores, & Minores nominati tantum ſint per modum exempli, ut patet ex verbo *Viputa*, vulgati autem juris eſt dicta exempli cauſa generalem diſpoſitionem non reſtringere *cap. I. Ne Clerici, vel monachi, L. Damni, la ſeconda in princ. ff. de Damn. infect.*

Ex ea igitur clare infertur.

I. Regulares cogi non poſſe ad intereſſandum Synodo diœceſanæ.

II. Exiſtentes tam intra, quam extra civitatem non teneri una cum Epiſcopo ad Proceſſiones, ex levi cauſa indictas accedere.

III. Erigere poſſe novos conventus de licentia tantum Ordinariorum.

Verum quoad primum hodie attendenda eſt diſpoſitio Concilii Tridentini, de qua ſpecialis inſtituetur ſermo *parte II. ad cap. II. ſeſſ. XXIV. ejuſdem Concilii*.

Ad ſecundum quod ſpectat, licet Regulares cogi nequeant accedere ad Proceſſiones ex levi cauſa indictas, ex contrario tamen ſenſu hujus Decretalis cogi poſſunt ſi indictæ fuerint ex magna cauſa, puta, ut notat hic Fagnanus num.6.= In novo ingreſſu Epiſcopi, vel Legati, vel imminente peſte, vel flagello, vel ad generales Litanias, quæ fiunt poſt Paſcha ante feſtum Aſcenſionis = aut ad quaſconque alias publicas Proceſſiones juxta ſequens præceptum Tridentini *cap. XIII. ſeſſ. XXV. de Regular.* ibi.

Exempti autem omnes, tam Clerici ſeculares, quam regulares quicunque, etiam monachi, ad publicas Proceſſiones vocati, accedere compellantur iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.

Neque his ſuffragantur amplius privilegia, & conſuetudines, etiam immemorabiles, non accedendi, ante dictum Concilium conceſſa, utpote ab eodem ſublata cap. XXII. ejuſdem ſeſſionis.

Advertendum tamen eſt, quod quamvis tam vi hujus Decretalis, quam Tridentini præcepti, Regulares etiam extra civitatem exiſtentes, teneantur proceſſionaliter ire cum Epiſcopo ex magna cauſa, ex decreto tamen Congregationis Concilii, approbato a Gregor. XIII. teſte Fagnano *loc. cit. n.11.* eximuntur, ſi eorum monaſteria diſtent a civitate ultra medium milliare, dummodo non vigeat conſuetudo accedendi, quæ, non obſtante diſtantia etiam unius milliaris, ſervanda eſt, ut noviſſime cenſuiſſe refert Lucius Ferraris *Prompta Bibliotheca verb. Proceſſio num. 19.* S. Rituum Congregationem *in Nucerina Paganorum* 12. *Sept.* 1699.

Eximuntur etiam, nec cogi poſſunt ab Epiſcopo, prout referre proſequitur idem Ferraris *loc. cit. a n. 70. ad 82.* ex decreto Congregationis Concilii 9. Maii 1597.

Sacerdotes, nullum officium, aut beneficium eccleſiaſticum in civitate, vel diœceſi obtinentes.

Clerici, qui ſunt nullius diœceſis, ex decreto ejuſdem Congreg.

Clerici Regulares Societatis Jeſu ex Conſtitut. Greg. XIII. *Quæcunque*.

Clerici Regulares S. Pauli Decollati ex Conſtit. Sixti V. *Romani*.

Clerici Regulares Scholarum Piarum ex Conſt. Urbani VIII. *Debitum*.

Sic eximuntur alii plures Regulares, juxta eorum reſpective privilegia, dummodo ſint recta, & non ex generali communicatione conceſſa poſt Tridentinum, nec contraria conſuetudine abrogata.

Præter privilegia exemptionis ab acceſſu ad publicas Proceſſiones, poſſunt etiam Regulares eximi ex præſcriptione. Verum circa hanc attendenda ſunt addita a Clariſſimo viro Mazzei in Romana Curia Advocato, ad Ferraris *loc. cit. num. 5. & ſeqq.* per hæc verba „ Ea non aliter poteſt opponi, quam „ ſi Regulares vocati per tempus legitimum non intervenerunt in publicis Proceſſionibus. Cæterum „ Regulares non vocati, tametſi per diuturnum „ tempus non intervenerint in publicis Proceſſionibus, præſcriptionem opponere nequeunt, idque „ quia ubi quæſtio eſt de præſcriptione juris negativi „ cum iis, qui ante interpellationem nulla tenentur „ obligatione, ea non incipit niſi a die, qua interpellati contradixerint, & ſic poſſidere cœperint, „ Peirin ad Conſtit. 2 Sixti IV. §. II. *n.* 57. Maron. „ *reſponſ. in num.3. & 35.* Pellizar. *in Manual. Regular. tract.* 1. *cap.* 11. *num.* 13. Bordon *Variar. reſolut. part.* 2. *reſolut.* 7. *num.*142. Lezzan. *in* „ *Summ. tom.*1. *cap.* 9. *num.* 47. *Rot. in d. Meliten.* „ *Proceſſionum* 24. *Januarii* 1717. §. 15., & 14. „ *Februarii* 1759. §. 10. “

Circa præcedentiam, tam inter Canonicos, parochos, cæteroſque Cleri ſecularis, quam inter Canonicos regulares, monachos, & Mendicantes in Proceſſionibus, & Synodis, necnon Confratres Confraternitatum, vide fuſe allata a Ferraris *Prompta Bibliotheca, in Opere, & ſupplemento, verbo Præcedentia*, & ſignanter Conſtit. Greg. XIII. & Urban. VIII. ac quamplura decreta S. Cong. Rituum ibidem relata.

Ad tertiam tranſcriptæ Decretalis partem quod ſpectat, poſſe ſcilicet Regulares cum ſolo Epiſcopi conſenſu novas domos, ſeu conventus erigere, ei derogatum eſt a Bonifacio VIII. præcipiente, hos erigi non poſſe tam a Prædicatoribus, & Minoribus, quam ab aliis Ordinibus regularibus Mendicantibus abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ facultate, ut in ſequenti ejus Decretali, relata in *cap. unico, hoc eod. tit. in VI.*

Cum ex eo, quod Prædicatores, Minores, & religioſi alii Mendicantes in civitatibus, caſtris, villis, aut aliis locis ad habitandum domos, vel loca de novo ſuſcipiunt, ſeu olim ſuſcepta dimittunt, ſe ibidem ad alia transferentes, diverſa ſcandala quandoque proveniant, & frequentes clamores ad Sedem Apoſtolicum perferantur. Nos ſuper hoc providere volentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis, vel aliqui de prædictis quibuſcunque ſuper hoc privilegiis muniti exiſtant, quæ ipſis contra tenorem Conſtitutionis præſentis nullatenus volumus ſuffragari) in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco quocunque ad habitandum domos, vel loca quæcunque de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, vel ea venditionis, permutationis, donationis, aut cujuſvis alienationis titulo quocunque in alios tranſferre præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem: ſi ſecus egerint, irritum decernentes. Per hoc tamen eis, qui vitam duxerint eremiticam, ſeu ſolitariam eligendum, de majorum ſuorum licentia, quin cellas, manſiones, ſeu habitacula in eremo, ſive locis, ubi non ſit hominum habitatio de propinquo, poſſint acquirere, ac mutare, non intelligimus interdictum.

Quæ autem ampliatio huic Bonifacii Decretali acceſſerit, quæque hodie ſervanda ſint in fundatione novorum Conventuum quorumcunque Ordinum, vide parte II. cum de §. *Nec de cætero*, *cap. III. Concilii Trid. ſeſſ. XXV. de Regul.*

Titulus XXXIII. De Privilegiis.

SECTIO DCCCLXXVI.

Caput III. Cum et plantare, *ex Decretali, deſumpta a cap. IX. Concilii generalis Lateranenſis III. celebrati ſub Alexandro III. an.* 1179.

Cum & plantare ſacram Religionem, & plantatam fovere modis omnibus debeamus, nuſquam hoc melius exequimur, quam ſi nutrire ea, quæ recta ſunt, & corrigere, quæ profectum virtutis impediunt, commiſſa nobis auctoritate curemus. Fratrum autem, & Cœpiſcoporum noſtrorum conquæſtione conperimus, quod Fratres Templi, & Hoſpitalis, & alii Religioſi indulta ſibi ab Apoſtolica Sede privilegia excedentes, contra epiſcopalem auctoritatem multa præſumunt, quæ & ſcandalum faciunt, & grave pariunt periculum animarum; (& infra.) Eccleſias igitur, & decimas de manu laicorum ſine conſenſu Epiſcoporum, tam illos, quam etiam quoſcunque alios religioſos recipere prohibemus, dimiſſis, quascunque contra tenorem iſtum aliquo tempore receperunt.

Excommunicatos quoque, & nominatim interdictos tam ab aliis, quam ab omnibus aliis juxta Epiſcoporum ſententiam ſtatuimus evitandos.

In Eccleſiis vero ſuis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, inſtituendos Præsbyteros Epiſcopis repræſentent, ut eis de plebis cura reſpondeant. Ipſis vero pro rebus temporalibus rationem exibeant competentem. Inſtitutos etiam, inconſultis Epiſcopis, non audeant removere.

Quod ſi Templarii, vel Hoſpitalarii ad Eccleſiam venerint interdictam, non niſi ſemel in anno ad eccleſiaſticum officium admittantur, nec tunc ibi ſepeliantur corpora defunctorum.

De Confratribus hoc conſtituimus, ut ſi non ſe prædictis Fratribus omnino reddiderint, ſed in proprietatibus ſuis omnimodo duxerint remanendum, propter hoc ab Epiſcoporum ſuorum ſententia nullatenus eximantur, ſed poteſtatem ſuam in eos, ſicut in alios parochianos ſuos exerceant, cum pro ſuis fuerint exceſſibus corrigendi. Quod autem de prædictis Fratibus dictum eſt, ab aliis quoque Religioſis, qui præſumptione ſua Epiſcoporum percipiunt jura, & contra canonicas eorum ſentantias, & tenorem privilegiorum noſtrorum venire præſumunt, præcipimus obſervari. Si enim contra inſtitutum hoc venerint, & Eccleſiæ, in quibus iſta præſumpſerint, ſubjaceant interdicto, & quod egerint, irritum habeatur.

In

In hac Decretali, quæ locum amplius non habet quoad Templarios, cum eorum Ordo abolitus fuerit in Concilio Viennenſi, celebrato ſub Clemente V. an. 1311. quorum bona addicta fuerunt Militibus Hoſpitalariis S. Joannis Hieroſolymitani, ut alias innui, ſtatuitur, ut Confratres, ſeu Oblati dicti Ordinis, qui in totum non ſe transferrunt eorum ad Inſtitutum cum emiſſione trium eſſentialium votorum Religionis, ſubjecti ſint juriſdictioni, & correctioni Ordinariurum.

Quia autem hoc idem ſtatutum innovatum eſt a Conc Trid. *cap. XI ſeſſ. XX.V. de reform.* ſpecialis ibidem inſtituetur ſermo parte II.

Circa alios Oblatos vide de *Synod fol* 150. *Theſ. Reſol. tom.3. fol.5. & 10.* Fagnan. *cap. Ut privilegia n.23. & ſeq. de Privileg.*

SECTIO DCCCLXXVII.

Caput VI. Si de terra, *ex Decretali Alexandri III. Abbati, & Monachis S. Andreæ Ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Sagienſi reſcripta.*

Si de terra, quam habetis in parochia Canonicorum de Plautio, per XXX. annos eis decimas perſolviſtis, eas ſibi de cætero integre perſolvatis. Licet enim privilegiorum Ro. Ecc. beneficio Fratribus Ciſtercenſ. Ordinis indultum fuerit, quod de laboribus ſuis nullas decimas perſolvere debeant, de privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluiſtis, cum liberum ſit unicuique ſuo juri renunciare, eoque modo non poteſtis vos in hac parte tueri.

Ex hac Decretali videtur, præſcribi poſſe contra privilegia Eccleſiæ poſt lapſum triginta annorum, & per conſequens eidem derogatum fuiſſe ab Innocentio III. extendente tempus præſcriptionis contra Eccleſiam ad annos quadraginta, ut in *cap. XV. Accedentibus, hoc eod. tit.*

Sed hæc vulgaris expoſitio convincitur erroris (ita has Alexandri Decretales, & Innocentii conciliat hic Wagnerek = Pertinet ad materiam de præſcriptione adverſus Eccleſias. Tempus autem triginta annorum, Jure veteri ſtatutum, jure novo extendit ad annos quadraginta Innocent. III. in *cap. Accedentibus infr.* Non poteſt igitur minori tempore quam XL. annorum contra privilegia Eccleſiarum præſcribi. Atque ſic paſſim hæc jura DD. conciliant. Sed hæc vulgaris expoſitio convincitur erroris, quia dudum ante Alexandr. III. hujus cap. auctorem, abrogata tricennali præſcriptione, in favorem Eccleſiæ conſtituta fuit quadragenaria a Greg. I. & aliis Pontificibus, uti Urbanus II. ex eodem Gregorio refert *cap. I & ſeq. 16. quæſt* 4. Juſtinianus enim jam antea hanc præſcriptionem Eccleſiis conceſſerat in *authent. Hæc Conſtitutio innovat, & in auth. de Eccl. titulis §. Temporalibus*, quod late explicat Covar. *in Regul. poſſeſſor. part.II. §. II. a princ.*

Dicendum ergo eſt, triginta annos hic non aſſignari pro termino præſcriptionis, ſed pro ſigno renunciationis tacitæ, quæ non præſumitur fieri per quemvis actum voluntarium privilegio contrarium, ut ſi exemptus a vectigalis ſolutione, illud ſponte ſolvat, aut in præſenti exempti a decimis illas ſponte præſtent non tantum ſemel, quod fortaſſis ſufficeret (de quo dicemus ad cap.II.) ſed per plures actua repetitos, & triginta annis in propoſito continuatos, ut de renunciatione dubium eſſe non poſſit; licet iſtud tempus pro termino præſcriptionis adverſus Canones, vel Eccleſias non ſufficiat, ſed debeat eſſe quadragenarium, juxta *cap. Accedentibus, infr. & jura ſimilia*. Non ergo via præſcriptionis illi Templarii jus decimarum amiſerunt, ſed via renunciationis voluntariæ, non involuntariæ, quam jus præſcriptionis ſecum trahit. Quam ſolutionem merito aliis præfert, Barboſ. *ad d. cap. Accedentibus infr.* =

SECTIO DCCCLXXVIII.

Caput XI. Tuarum, *ex Decretali Innocentii, Archiepiſcopo Lundenſi reſcripta.*

Huic Decretali, cujus tranſcriptionem omitto, permittenti Quæſtores eleemosynarum cum prædicationis officio, derogatum eſt a Conc. Trident. *cap. IX. ſeſſ. XXI. de reform* præcipiente eorundem nomen, & uſum ubique abolendum eſſe, quam derogationem leges infra parte II.

SECTIO DCCCLXXIX.

Caput XIV. Cum olim, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Epiſcopo Colubrienſi in Luſitania ſcripta.*

In hac Decretali, quam tranſcribere omitto, nullam declaravit Pontifex donationem bis mille aureorum monetæ Luſitaniæ, factam monaſterio S.Crucis Canonicorum regularium cauſa mortis, ſeu in ulti-

ultima voluntate, ut cum aliis ſupponit Barboſa voto 100. num. 10. a Michaele ex Canonico ejuſdem monaſterii in Epiſcopum Colubrienſem conſecrato: juſſitque, reſtituenda eſſe a monaſterio Eccleſiæ Colubricenſi, cum juxta SS. Canones quidquid Regularis poſt conſecrationem epiſcopalem acquirit, etiam non intuitu Eccleſiæ, ſed vel ex agnatorum, amicorumque hæreditate, vel ex propria induſtria, acquirit eidem Eccleſiæ, ad quam *ſanctificatur*, *& titulatur*, non monaſterio *Can. I. Statutum cauſ. XVIII. quæſt.* 1. ea potiſſimum ratione, quia per dictam conſecrationem non eſt abſolutus a voto paupertatis, ſed adhuc remanet in ſtatu incompoſſibili cum acquiſitione dominii; ideoque, ut ait S. Thom. 2.2. *q.*185. *art.*8. *in reſponſ. ad* 3. = non vindicat hæreditatem, ut propriam, ſed quaſi Eccleſiæ debitam = & ſic non fra git votum paupertatis.

Ad tramites hujus Decretalis, & decreti Sac. Cong. Conc. ſibi quærenti Archiepiſcopo Goano in Indiis Orientalibus = an ſpolia Epiſcopi regularis morientis ab inteſtato pertineant ad Cameram Apoſt. an ad ſucceſſorem beneficii = reſpondit (teſte Fagnano ad *cap. VII. Quæ in Eccleſiarum*, *n.*80. *de Conſtit.*) = bona poſt conſecrationem acquiſita ad propriam Eccleſiam pertinere per *Can. Statutum*, & doctrinam Navar. *de Redditibus eccleſiaſt. q. I. n.* 9.

Cum autem ex hac eadem Decretali inferatur, congnitionem cauſarum committi poſſe a Sede Apoſtolica etiam ſimplici monacho, eidem derogatum eſt tum a Bonifacio VIII. tum a Conc. Trid. *cap. X. ſeſſ.* XXV. *de reform.* præſcribentibus quibus hodie committi debeant, de qua re agetur parte II.

SECTIO DCCCLXXX.

CAPUT XVI. CUM CAPELLA, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. Epiſcopo Lingonienſi ſcripta.*

CUm capella Ducis Burgundiæ gaudere dicatur hujuſmodi privilegio, quod nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus in perſonas Canonicorum ejuſdem capellæ ſuſpenſionis, vel excommunicationis, aut interdicti ſententias audeat promulgare, quidam capellæ ſupradictæ Canonici, qui parochiales Eccleſias a te tenent, occaſione privilegii prælibati, in his etiam, quarum juriſdictio ad te pertinet, ita ſe dicunt exemptos, ut quantumcunque graviter interdum excedant, tuæ correctioni recuſant, & ſententiæ ſubjacere. Quo circa mandamus, quatenus, in quantum exempti ſunt ejuſdem ratione capellæ, Apoſtolicis privilegiis deferas reverenter: ſed in quantum ratione parochialium Eccleſiarum, vel alias juriſdictionem tuam reſpicere dignoſcuntur, officii tui debitum in eoſdem libere proſequaris.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, nihil detrahendum eſſe Ordinariorum juriſdictioni in concernentibus Eccleſias parochiales, ac cætera earundem jura etiam quoad capellanos regios, innovata eſt a Conc. Trident. *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XI. *de reform.* cum limitationibus, & declarationibus, ut in textu, quem leges ubi infra ſpeciatim de his exceptionibus inſtituetur ſermo parte II.

SECTIO DCCCLXXXI.

CAPUT XXIII. ANTIQUA, *ex Decretali deſumpta a cap. V. Concilii generalis Lateranenſis IV. ſub Innocentio III. celebrati an.* 1215.

ANtiqua Patriarchalium ſedium privilegia renovantes, ſancta univerſali Synodo approbante, ſancimus, ut poſt Romanam Eccleſiam (quæ diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote mater univerſorum Chriſtifidelium, & magiſtra) Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineat, ſervata cuilibet propria dignitate: ita quod poſtquam Antiſtites earum a Rom. Pontifice receperint pallium (quod eſt plenitudinis officii pontificalis inſigne) præſtito ſibi fidelitatis, & obedientiæ juramento, licenter & ipſi ſuis Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem. Dominicæ vero Crucis vexillum ante ſe faciant ubique deferri, niſi in Urbe Romana, & ubicumque Summus Pontifex præſens extiterit, aut ejus Legatus utens inſigniis Apoſtolicæ dignitatis. In omnibus autem provinciis

corum-

Digitized by Google

eorundem juriſdictionis ſubjectis, ad eos (cum neceſſe fuerit) provocetur: ſalvis appellationibus ad Sed. Apoſt. interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.

Cum hæ quatuor patriarchales Sedes uſque a tempore Benedicti XI. ſint ab Infidelibus occupatæ, & a Schiſmaticis detentæ, ut ipſemet refert in Decretali *Sancta Romana*, relata in *cap.* III. *de Elect. inter Extravag.commun.*& ſola illarum proviſio pertineat ad Sedem Apoſtolicam quoad creationem dumtaxat Patriarcharum Titularium, hæc Decretalis hodie locum amplius non habet, tam quoad illorum privilegia, quam quoad juriſdictionem.

SECTIO DCCCLXXXII.

CAPUT XXIV. UT PRIVILEGIA, *ex Decretali Innoc. III. in Concilio generali Lateranenſi IV. ſub eodem celebrato an.* 1215.

UT privilegia, quæ quibuſdam religioſis Romana conceſſit Eccleſia, permaneant inconcuſſa, quædam in eiſdem duximus declaranda, ne minus ſane intellecta, pertrahantur ad abuſum, propter quem poſſint merito revocari, quia privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate. Sane quibuſdam Regularibus Apoſt. Sedes indulſit, ut his, qui fraternitatem eorum aſſumpſerint, ſi forſitan Eccleſiæ, ad quas pertinent, a divinis officiis fuerint interdictæ, ipſoſque mori contigerit, ſepultura eccleſiaſtica non negetur niſi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti. Suos quoque Confratres, quos Eccleſiarum Prælati apud Eccleſias ſuas non permiſerint ſepeliri, niſi excommunicati, vel interdicti fuerint nominatim, ipſi ad Eccleſias ſuas deferant tumulandos. Hoc autem de illis Confratribus intelligimus, qui vel adhuc manentes in ſeculo, eorum Ordini ſunt oblati, murato habitu ſeculari: vel eis, qui bona ſua dederant inter vivos, retento ſibi (quandiu in hoc ſeculo vixerint) uſufructu: qui tamen ſepeliantur apud ipſorum Regularium, vel aliorum non interdictas Eccleſias, in quibus elegerint ſepulturam: ne, ſi de quibuslibet ipſorum fraternitatem aſſumentibus fuerit intellectum, pro duobus, aut tribus denariis annuatim ſibi collatis diſſolvatur pariter, & vileſcat eccleſiaſtica diſciplina: certam tamen & ipſi remiſſionem obtineant ab Apoſtolica ſibi Sede conceſſam. Illud etiam, quod hujuſmodi Regularibus eſt indultum, ut ſi quis Fratrum ſuorum, qui ab eis miſſi fuerint ad recipiendas fraternitates, ſive collectas in quamlibet civitatem, ſive caſtellum, vel vicum advenerint, ſi forte locus ille a divinis officiis ſit interdictus, in eorum jucundo adventu ſemel in anno aperiantur Eccleſiæ, ut excluſis excommunicatis, divina ibidem officia celebrentur: ſic intelligi volumus, quod in eadem civitate, aut caſtro, aut villa una tantum Eccleſia ejuſdem Ordinis Fratribus ſemel (ut dictum eſt) aperiatur in anno: quia licet pluraliter dictum ſit, quod in eorum jucundo adventu Eccleſiæ aperiantur, non tamen ad Eccleſias ejuſdem loci diviſim, ſed prædictorum locorum conjunctim ſano referendum eſt intellectu: ne ſi hoc modo ſingulas ejuſdem loci viſitarent Eccleſias, nimium vilipendi contingeret ſententiam interdicti. Qui vero contra declarationes prædictas quidquam ſibi uſurpare, præſumpſerint, gravi ſubjaceant ultioni.

In hac Decretali duo ſtatuntur.

I. Ut privilegio a Sancta Sede conceſſo Templariis, & Hoſpitalariis tempore interdicti donari poſſint eccleſiaſtica ſepultura eorum Confratres, etiam manentes in ſeculo, qui vel mutato habitu ſeculari eorundam ſe Ordini obtulerunt, vel qui bona ſua eis dederunt, retento uſufructu.

II. Ut iiſdem Templariis, & Hoſpitalariis venientibus ad locum interdictum ſemel in anno aperiatur janua Eccleſiæ ad divina celebranda.

Ad primum, quod ſpectat, attende notata ſupra ad *cap.*III. *Cum & plantare*.

Secundum vero hodie locum amplius non habet, cum ſimilia privilegia revocata ſint a Bonifacio VIII. in ſequenti Decretali, relata in *cap.*XXIV. *de Sent. excomm. in* VI. in qua præſcribuntur modus, & dies, in quibus tempore interdicti divina celebrari permittuntur.

Alma mater Eccleſia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & conſulte, quæ, ſuadente ſubjectorum utilitate, poſtmodum conſultius, ac rationabilius revocat, in meliuſve commutat. Sane a noſtris dudum fuit Predeceſſoribus conſtitutum, ut in terris ſeu locis eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto, nulla (certis caſibus, & Sacramentis exceptis) divina celebra-

lebrentur officia, vel miniſtrentur eccleſiaſtica Sacramenta. Quia vero ex diſtrictione hujuſmodi ſtatutorum excreſcit indevotio populi, pullulant hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgunt, ac Eccleſiis ſine culpa earum debita obſequia ſubtrahuntur: cum Fratribus noſtris deliberatione habita ſuper his diligenti, concedimus, quod tempore interdicti ab homine, vel a jure prolati, non tantummodo morientes, ſed etiam viventes, tam ſani etiam, quam infirmi, ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum, ſumme neceſſaria eſt) licite admittantur, dum tamen excommunicati non fuerint; quos admitti (perterquam in mortis articulo) nolumus ad eandem. Illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata eſt ſententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occaſione ipſum interdictum eſt latum, præbuerunt auxilium, conſilium, vel favorem; niſi de ipſo delicto (ſi ſint tales, quod id facere valeant) prius ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo idoneam dederint cautionem, aut ſi ſatisfacere nequeunt, vel huiuſmodi cautionem præſtare juraverint, quod cum poterunt, ſatisfacent; & ad ſatisfactionem hujuſmodi per eum, vel per eos, qui facere ipſam debent, & poſſunt præſtandam, dabunt conſilium, & auxilium, ac juxta poſſe ſuum fideliter laborabunt; non eſt pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum. Nec tunc etiam quoad iſtos, vel alios, qui circa hoc minime deliquerunt (ubi civitas, vel locus alius, ſeu univerſitas Interdicti exiſtunt) facienda eſt relaxatio interdicti, ſed eſt eis ſolummodo injungenda pœnitentia ſalutaris. Adjicimus præterea, quod ſingulis diebus in Eccleſiis, & monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur divina officia, ſicut prius, ſub miſſa tamen voce, & anuis clauſis, excommunicatis, ac interdictis excluſis, & campanis etiam non pulsatis. Et tam Canonici, quam Clerici Eccleſiarum, in quibus diſtributiones quotidianæ illis, qui horis interſunt canonicis, tribuuntur, ſi ad officia non venerint ſupradicta, diſtributiones eaſdem amittant, ſicut interdicto perderent non extante, ſi divinis officiis non adeſſent. In feſtivitatibus vero Natalis Domini, Paſchæ, ac Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis glorioſæ campanæ pulſentur, & januis apertis alta voce divina officia ſolemniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis: quibus ob reverentiam dictarum ſolemnitatum (& ut ipſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus divinorum: ſic tamen, quod illi, propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, altari nullatenus appropinquent. Cæteris, quæ circa obſervationem interdictorum a noſtris ſunt Prædeceſſoribus inſtituta, in ſuo robore duraturis: non obſtantibus quibuſvis privilegiis, Eccleſiis, monaſteriis, Ordinibus, Religionibus, ſeu perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus, vel regularibus, exemptis, & non exemptis, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum ab Apoſtolica Sede conceſſis, quæ contra tenorem præſentis Conſtitutionis nullis volumus ſuffragari, cum quibuslibet tam ſecularibus, quam regularibus ſufficere debeat, ut tempore interdicti, modo præmiſſo, diebus celebrent ſupradictis.

SECTIO DCCCLXXXIII.

CAPUT XXV. QUOD NONNULLIS, *ex Decretali laudati Innocentii III. in eodem Concilio Lateranenſi IV.*

QUod nonnullis eſt Religioſis indultum in favorem pontificalis officii ad Epiſcopos extendentes concedimus, ut cum Commune terræ interdictum fuerit, excommunicatis, & interdictis excluſis, poſſint quandoque innuis clauſis, ſuppreſſa voce, & non pulſatis campanis, divina celebrare officia, niſi & hoc ipſum eis expreſſe fuerit interdictum. Verum hoc illis concedimus, qui cauſam aliquam non præſtiterint interdicto, nec quidquam (doli, vel fraudis) ingeſſerint, tale compendium ad iniquum diſpendium pertrahentes.

Hæc Decretalis, in qua ex privilegio nonnullis Religioſis indulto (quod hic extenditur etiam ad Epiſcopos) aliquando celebrare poſſint divina, januis clauſis, ſubmiſſa voce, & non pulſatis campanis, ampia-

plıata eſt a Bonifacio VIII. id omnibus permittente, ut in mox tranſcripta Decretali *Alma mater*, ita, ut hodie hoc non ſolum liceat ex privilegio, ſed etiam ex jure communi.

SECTIO DCCCLXXXIV.

CAPUT XXX. IN HIS, *ex Decretali Honorii III. Epiſcopo, nunc Archiepiſcopo Pariſienſi, ſcriptâ*.

IN his, quæ ad cultum divinum facere dignoſcuntur, non maligna, ſed benigna eſſet potius interpretatio facienda, unde mirari compellimur, quod cum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus duximus indulgendum, ut ubicunque fuerint ſine parochialis juris præjudicio cum Altari valeant viatico celebrare; quidam nimis ſtricte interpretando indulgentiam noſtram, nituntur aſſerere, quod per eam prædicti Fratres præter Prælatorum aſſenſum facere hoc non poſſint, propter quod eos celebrare juxta indulgentiam apoſtolicam non permittunt. Cum autem eis nihil conferret memorata indulgentia, ſine qua, id Prælatis annuentibus, liceret eiſdem, fraternitati tuæ mandamus, quatenus interpretatione hujuſmodi reprobata, dum tamen ab aliis, quæ jure parochiali proveniunt, prorſus abſtineant, datam eis ſic licentiam celebrandi auctoritate noſtra non differas publicare, ita, quod dicti Fratres aliquam ex indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti.

Privilegium celebrandi in Altari portatili in hac Decretali conceſſum ab Honorio Fratribus Minoribus, & etiam Prædicatoribus, & his quidem non ab Honorio, ſed a Gregorio XI. in noviſſima Decretalium collectione, cum in Decretali Honorii non legantur Prædicatores, hodie ſublatum eſt tum a Concilio Tridentino, tum a Clemen. XI. ut in ſequenti ejuſdem decreto, emanato die 15. Decemb. 1703. circa celebrationem Miſſarum in Oratoriis privatis.

Nonnulli Epiſcopi, & complures Regulares, ſub prætextu privilegiorum ea ſibi licere putant, quæ prohibita ſunt; ſiquidem Epiſcopi etiam in aliena diœceſi, extra domum propriæ habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures e ſuis cappellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolari; Regulares vero in quibuſdam Magnatum, ſeu aliarnm nobilium perſonarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex cauſis a Sede Apoſtolica concedi ſolent, celebrare audent, vel plures Miſſas, quam in iis ſit indultum, vel abſque præſentia perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit, vel extra debitas horas, & poſt meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Conſtitutiones diœceſanas, aut etiam decreta Sacræ Congregationis Concilii, celebrari prohibetur, aut quæ in ipſis Indultis Apoſtolicis excipiuntur, quo minus in illis celebrari poſſit; aut etiam Altari portatili uti non verentur in ſacrarum ſanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem ad abuſus hujuſmodi eliminandos, & ad iſtaurandam venerationem tremendo Myſterio debitam, Sanctiſſimus Dominus Noſter, ex unanimi voto S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus, alias hac de re editis, expreſſe declarat: Epiſcopis & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore juris, neque alio quoquo titulo, ullo modo licere, extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere. Ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcunque Ordinis militaris, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcunque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti Domini, aliiſque anni feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis vero diebus prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuſcunque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi jam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata; ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optime informare, atque illa etiam in caſibus præmiſſis celebrari nequeat poſt meridiem: demandando ulterius, & de-

declarando in omnibus caſibus, perſonas quaſcunque dictas Miſſas audientes nullatenus præcepto Eccleſiæ ſatisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit, licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus *in cap. In his, de privil.* ac per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia, in locis, in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præſentis tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcunque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, ad pænas præſcriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto *Seſſ. XXII. cap. Unico*, uſque ad cenſuras latæ ſententiæ; tributa etiam iiſdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde acſi per Sanctam Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet: & ita Sanctitas Sua declarat, & ſervari mandat &c.

Sed quia verba allati decreti, prohibentia celebrationem in Altari portatili, utpote (ita refert Bened. XIV. in Epiſt. ad Primatem Poloniæ *Magno* 2. *Junii* 1751. §. VII.)

Nimis ampla, & effrænata, cuipiam præbere anſam poterant affirmandi non licere Epiſcopis uti privilegio Altaris portatilis, tum, cum, vel diœceſim viſitant, vel iter faciunt, aut alia juſta de cauſa extra reſidentiam ſunt, atque in laicorum domibus morantur, illato de hujuſmodi re ſermone in Congregationibus, quæ ſub Innoc. XIII. immediato Clementis ejuſdem Succeſſore, habitæ fuerunt, quarum Nos tunc in minoribus exiſtentes a ſecretis fuimus, opportunum factu judicatum eſt, ut ea, quam mox ſubjicimus, declaratio fieret, quæ poſtea inſerta fuit in ejuſdem Innocentii literis, incipientibus *Apoſtolici miniſterii*, quas idem Pontifex pro conſtituendo in Hiſpaniarum Regnis bono eccleſiaſticæ diſciplinæ regimine condidit, quaſque etiam ejuſdem Succeſſor Bened. XIII. in forma ſpecifica confirmavit, & ut in omnibus locis pro regula, ac norma haberentur, in Appendice Concilii Romani a ſe celebrati voluit inſertas, ipſam vero declarationem inter ejuſdem Concilii decreta retulit tit. XV. cap. III. in quo quidem Concilio Nos quoque ad ſacrorum Canonum interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba nos etiam hic libenter apponimus = Declaramus quod, cum in prædicto decreto (de Clementis XI. decreto ſermo eſt) ſtatuatur, non licere Epiſcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere Altare, ibique ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere, hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de domibus, etiam laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte occaſione viſitationis, vel itineris hoſpitio excipiantur, etiam & hoc quando Epiſcopi in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpecialis Sedis Apoſtolicæ licentia abſentes, a domo propriæ ordinariæ habitationis moram idcirco faciant in aliena domo per modum ſimilis habitationis: his enim caſibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis. =

Cum autem in allato Clementis decreto præſcriptæ ſint regulæ circa Miſſæ celebrationem in Oratoriis privatis, ſubnectimus addita tum a decretis Congregationis Concilii, tum a laudato Benedicto in cit. Epiſtola *Magno*. Ex decreto itaque Congregationis Concilii ſub die 13. Januarii 1725. relato a dicto Benedicto §. XVIII. d. Epiſt. In die Natalis Domini celebrari poſſunt tres Miſſæ, etiamſi in Brevi de unica tantum Miſſa mentio fiat, dummodo in eodem Brevi indultum ſit, Miſſam celebrari poſſe diebus, etiam exceptis. Ex altero decreto ejuſdem Cong. 3. *Decemb.* 1740. ab eodem Bened. 7. *Januar.* 1741. approbato, relatoque in præfata Epiſtola §. XV. & XVI. in his Oratoriis Miſſa celebrari non poteſt, & præcepto ſatisfieri, quando eidem Miſſæ actu non intereſt aliquis ex iis, quibus principaliter indultum conceſſum eſt. Hoc autem principaliter conceſſum intelligitur iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum perſonis illis, quæ a tergo ejuſdem Brevis proprio nomine nuncupantur. Et propterea majoris claritatis gratia mandavit Pontifex, ut in hujuſmodi Brevibus hæc adjungatur clauſula. *Volumus autem, quod nati, ac conſanguinei, & affines prædicti unicam dictam Miſſam, vobis quidem præſentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant*. Hoc tamen decreto non obſtante declarat = Poſſe miſſam celebrari, etiamſi nulla earum perſonarum præſens adſit, quæ in fronte, ſeu inſcriptione Brevis nominatur, dummodo illa præſens ſit, cui in Brevis corpore nominatim, & expreſſe facultas tribuitur, ut poſſit in privato Oratorio tum, cum ipſa adſiſtat, facere, ut Miſſa celebretur. Item

§. XX.

§. XX. ad totum §. XXVI. declarat in his Oratoriis adminiſtrari non poſſe Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, etiam extra tempus paſchale, ſine Ordinariorum licentia, comprehenſis etiam Regularibus exemptis.

SECTIO DCCCLXXXV.

CAPUT XXXII. QUIDAM, *ex Decretali Gregorii IX. ignotum, cui reſcripta*.

QUidam, ſicut aſſeris, in privilegiatorum fraternitate recepti, nolunt tibi de juribus epiſcopalibus reſpondere: verum quamdiù hujuſmodi Fratres moram in domibus ſuis fecerint, eos compellere poteris ad dicta jura tibi integre perſolvenda.

Circa exemptionem Confratruum in privilegiatorum fraternitatem receptorum, de quibus hic ſermo eſt, attendenda ſunt notata ſupra *hoc eod. tit. ad caput III. Cum & plantare* pag. 714.

Eodem Titulo de Privilegiis in VI.

SECTIO DCCCLXXXVI.

CAPUT I. VOLENTES, *ex Decretali Innocentii IV. in Concilio generali Lugdunenſi, celebrato an.* 1245.

VOlentes libertatem, quam nonnullis Apoſtolica Sedes privilegio exemptionis indulſit, ſic integram obſervari, ut & illam alii non infringant, & ipſi ejus limites non excedant: declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcunque ſic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſive contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, rite poſſunt coram locorum Ordinariis conveniri, & illi, quo ad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem (prout jus exigit) exercere. Nunquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique: quia nec coram Ordinariis ipſis, dummodo ſit in loco exempto commiſſum delictum, vel contractus initus, aut res litigioſa, nec ubi domicilium habent, ſi alibi delinquant, vel contrahant, aut res ipſa conſiſtat, conveniri poſſunt aliquatenus ſuper iſtis: nec domiciliorum prætextu locorum Diœceſani (ſi ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipſa conſiſtit, illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipſis, ut illic reſpondeant, injungendi habent aliquam poteſtatem: ſalvis nihilominus caſibus aliis, in quibus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta. Et idipſum decernimus circa illos, quibus, ut non niſi ſub uno certo Judice teneantur de ſe conquerentibus reſpondere, Apoſtolico privilegio eſt conceſſum.

In eos autem, quibus, ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari a quoquam valeant, a Sede Apoſtolica eſt indultum, ſicut ſunt Religioſi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quiſquam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus monaſteriorum ſuorum monachos pro ulla cauſa, ullove loco interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat, iidem Ordinarii juriſdictionem ſuam quantum ad iſta, ubicunque illi fuerint, penitus exercere non poſſunt: niſi forſan ipſi Monachi ad monaſteriorum ſuorum prioratus Ordinariis eiſdem ſubjectos (ut vel gerant eorum regimen, vel in eis tanquam proprii locorum ipſorum Monachi reſideant) fuerint deſtinati: tunc enim etſi libere poſſint ad eadem monaſteria revocari, ac tam illorum, quam ipſorum prioratuum Monachi reputentur (cum non ſit inconveniens aliquem utrobique locum habere monachicum) unum alteri ſubeſſe monaſterio, vel ab ipſo noſcitur dependere, ratione tamen eorundem prioratuum dicti Ordinarii ſua juriſdictione in ipſis etiam quoad præmiſſa, quamdiù morantur in illis, licite uti poſſunt.

Hæc Decretalis, in qua ſtatuitur, exemptos conveniri poſſe coram locorum Ordinariis ratione delicti, ſive contractus, ſive rei, ſi contractus ſit initus, & res ſita in loco non exempto; non vero ratione domicilii, cum tunc non teneantur reſpondere, niſi coram certo Judice: item monachos privilegiatos inter-

interdici, ſuſpendi, & excommunicari poſſe ab iiſdem Ordinariis, ſi mittuntur ad prioratus illis ſubjectos, innovata, & ampliata eſt a Concilio Tridentino *cap.* XIV. *ſeſſ.* VII. *de reform.* decernente inſuper, ut licet dicti exempti, & Regulares extra clauſtra degentes, certum Judicem a S. Sede deputatum habeant, conveniri, & cogi etiam poſſint ad ſolvendum debitum in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, ſicut & in aliis cauſis, ſi judicem non habuerint, ibi.

In Exemptorum cauſis Conſtitutio Innocentii IV. quæ incipit, *Volentes*, in generali Concilio Lugdunenſi edita, ſervetur, quam eadem ſacroſancta Synodus innovandam cenſuit, & innovat, addendo inſuper, quod in civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, Clerici ſeculares, aut Regulares extra monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiamſi certum Judicem a S. Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant, in aliis vero, ſi ipſum Judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipſa Sede delegatis, conveniri, & jure medio ad ſolvendum debitum cogi, & compelli poſſint: privilegiis, exemptionibus, Conſervatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adverſus præmiſſa nequaquam valituris.

SECTIO DCCCLXXXVII.

CAPUT II. CUM DE DIVERSIS, *ex Decretali laudati Innocentii IV.*

CUM de diverſis mundi partibus multi confluant ad Sedem Apoſtolicam, quaſi matrem, nos ad communem tam ipſorum, quam aliorum omnium commodum, & profectum ſolicitudine paterna intendentes, ut ſit eis mora hujuſmodi fructuoſa, providimus, quod ibidem de cætero regatur, & vigeat ſtudium juris divini, & humani, canonici videlicet, & civilis. Unde volumus, & ſtatuimus, ut ſtudentes in ſcholis ipſis penes Sedem eandem, talibus privilegiis omnino, libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quibus gaudent ſtudentes in ſcholis, ubi generale regitur ſtudium, ac recipiant integre proventus ſuos eccleſiaſticos, ſicut illi.

In hac Decretali ſtatuitur, ut ſtudentes Juri canonico, & civili in generali ſtudio Romanæ Curiæ gaudeant iiſdem privilegiis, quibus fruuntur ſtudentes in aliis ſcholis generalium ſtudiorum, & ſi beneficiati ſint, integros ſuorum beneficiorum fructus in abſentia percipere poſſint.

Quid novi acceſſerit quoad hanc fructuum perceptionem in abſentia cauſa ſtudiorum, vide notata ſupra ad *c. V. Super ſpecula*, *de Magiſtris* pag. 600.

SECTIO DCCCLXXXVIII.

CAPUT III. ABBATES, *ex Decretli Alexandri IV.* (*in manuſcriptis Codicibus legitur Alexandri III.*)

ABbates, qnos Apoſtolica Sedes in exhibitione benedictionis ſuper populum ſpeciali privilegio inſignivit, in Eccleſiis, quæ ad eos pertinent pleno jure, quando in eis Divina Officia celebrant, poſſunt poſt Miſſarum ſolemnia, & veſpertinas, ac matutinas Laudes, benedictionem ſolemnem ſuper populum elargiri. Alibi autem publice, aut per vias, civitates, caſtra, & villas populis, & plebibus benedictionem facere, vel impertiri non valeant, niſi hoc eis expreſſo Apoſtolico privilegio ſit conceſſum. Nec eis licitum ſit aliis, quam monaſteriorum ſuorum Converſis, & qui ad illa convolaverint, & in quos eccleſiaſticam, & quaſi epiſcopalem juriſdictionem obtinent, primam clericalem conferre Tonſuram, niſi eis id competat ex pleno præfatæ Sedis Indulto.

Ad primam hujus Decretalis partem quod ſpectat, confirmata, & ampliata eſt in decretis generalibus, editis a Congregatione Sacrorum Rituum juſſu, & approbatione Alexandri VII. ſub die 26. Sept. 1659. ut videre eſt num. XIII. eorundem decretorum, quæ omnia per extenſum hic transferibo prout refe-

runtur a Cardin. Petra *tom. 3. in Commentario ad Conſtit. Apoſtol. pag. 194. edit. Venet. an. 1729.* una cum declaratione eorundem decretorum, edita ab eadem Congregatione pro Abbatibus Monachorum Caſinenſium.

D E C R E T U M

Circa uſum Pontificalium Prælatis, Epiſcopo inferioribus, conceſſorum, a Sacra Rituum Congregatione ordinaria,

habita coram Sanctiſſimo Domino noſtro

ALEXANDRO PAPA VII.

emanatum die 27. Septembris 1659.

Sacrorum Rituum Congregatio tollendis, ac eliminandis circa eccleſiaſticos Ritus, qui irrepſerunt, abuſibus ſedulo intenta, poſt Epiſcoporum Cæremoniale evulgatum (quo quidquid ad ipſos in ſacris cæremoniis pertinet, abunde præſeripſit) idem quoad inferiorea Prælatos, qui Pontificalium uſu fruuntur, præſtandum curare neceſſarium exiſtimavit, ut exceſſua abolesntur, uniformiſque inducatur Sacrorum Ritus in omnibus, eo præſertim tempore, quo privilegia ipſi perperam interpretantes, obtendenteſque, parum obſequi ſtudent decretis pluries ab eadem ſacra Congregatione hac in remet evulgatis, aut ipſa ignorare prætendunt. Quamobrem omnia ſimul, ut unico conſpiciantur obtutu, cogere, perque capita dirigere conſtituit, quo faciliua obſerventur.

I. Super Altari, in quo Sacra erunt facturi, ſeptimum nequaquam apponant candelabrum.

II. Cathedram, ſeu ſedem fixam, & permanentem in eorum Eccleſiis ne detineant, ſed tribus ipſis diebus, quibua ex antiquis decretia tantummodo pontificaliter celebrare eſt iia permiſſum, mobili ſede, ſeu cathedra utantur, quam nihilominus ſimplici ſericeo panno coloris Feſtivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, five baſilico opere eaornato.

III. Baldachinum adhibere ſupra ſedem poterunt, non pretioſum, aut aureum, ſed ſimplex, & eo, quod Altari ſuperimponitur, materia, & opere inferius. Ad ipſam autem per duos tantum gradus in Presbyterii ſuperficie ſtratos aſcendatur.

IV. Non Abacum alium præter parvam menſam, & in cornu Epiſtolæ parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, necnon Mitra, Calix, Miſſale, thuribulum, navicula, & reliqus ad celebrationem neceſſaria collocentur. Prope vero menſam eandem parieti hærens baculus paſtoralis aptetur.

V. Dies vero, in quibus ſolemniter ipſis operari conceditur, ſint de præcepto feſtivi, vel aliis, in quibus ipſos pontificaliter celebrare, Feſtivitatia ratio exigat, nempe Patroni loci, Fundatoris Ordinis, Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ. Abſtineant autem ab hujuſmodi Pontificalium uſu in Officiis, & Miſſis Defunctorum quocunque die, etiam feſtivo, & de præcepto.

VI. Ad Eccleſiam accedentes licet pontificaliter divina peracturi, iiſdemque abſolutis, ab Altari receſſuri, a ſuis Canonicis, vel monachis (ut mos eſt Epiſcoporum) ne aſſociari ſe ſinant.

VII. Præter duos Sacrificii miniſtros, Diaconum nempe Evangelii, & Subdiaconum Epiſtolæ, duo alii tantum Diaconi cum Dalmaticis, & unicus Presbyter cum Pluviali eis aſſiſtant: duo inſuper capellani, qui de mitra, & baculo, ac totidem Acolyti pro candelabris inſerviant. Præterea ſex alii Canonici, vel monachi, duo ſcilicet Pluvialibus, duo planetis, totidemque tunicellis induti, divinis hujuſmodi intereſſe valeant, qui tamen non in ſedibus, ſeu ſtallis choralibus, ſed in ſcamnis abſque poſtergalibus, panno viridi laneo coopertis, ſitu congruo accommodatis, moxque illinc removendis conſideant.

VIII. Mitram pretioſam, niſi illis expreſſe a S. Sede indultam, non adhibeant. Sub Mitra pileolum nigri tantum coloris induant, baculum paſtoralem albo velo appenſo deferant, ab iiſque, & aliis Pontificalibus, etiam de Ordinariorum licentia extra Eccleſias ſibi ſubjectas prorſus abſtineant, & neque in Proceſſionibus, quæ ab eorum Eccleſiis per vias extra ambitum, vel parochiam ducuntur, inſigniis prædictis utantur, vel penes ſe perferri faciant.

IX. Regulares Rocchettum non deferant, niſi ex tali Ordine fuerint, cui indumentum hujuſmodi competat.

X. Invitati ad Eccleſiam exemptam, nec in illa Pontificalibus uti valeant: nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui, vel benedicti, in propriis Eccleſiis uti poſſint privilegio perpetuis Abbatibus, vel alias benedictis indulto.

XI. Sacras veſtes ex altari non ſumant, niſi pontificaliter Divinis vacaturi.

XII. Indulgentias impartiri, vel publicare non audeant, abſque expreſſo S. Sedis indulto.

XIII. Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Miſſis tantum pontificalibus, nec non Veſperis, & Matutinis, pontificaliter itidem celebratis, licere ſibi tantum meminerint. Privatim vero populis, quamvis pleno jure ſubjectis, niſi expreſſe ipſis permiſſum fuerit, etiam Pontificalibus induti per Eccleſiam incedentes, benedicere non præſumant.

XIV. Præſente Epiſcopo, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ permiſſu, etiam pontificaliter celebrantes, a benedictionibus ceſſent.

XV. Si

XV. Si Epiſcopus aderit, ipſius ſedes in cornu Evangelii uno ſaltem gradu eminentior abbatiali eſt erigenda; hæcque altero gradu humilior, ut dictum eſt, in cornu Epiſtolæ collocetur, A latere Epiſcopi Canonici Cathedralis, prope Abbatem Canonici, vel Monachi monaſterii, & abbatialis Eccleſiæ conſideant. Confeſſionem cum Celebrante Epiſcopus faciat, iſque thus thuribulo imponat, Evangeliorum textum oſculetur, & populo ſolemniter (quamvis Abbas ipſe pontificaliter celebret) benedicat, Epiſcopus præterea trino ductu, & immediate Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (niſi celebret) pariter duplici, ac ſubinde Canonici, vel Monachi abbatialis Eccleſiæ unico tantum ductu thurificentur.

XVI. Abſtineant tamen Epiſcopi, ubi conſuetudo contraria non viget, a frequenti hujuſmodi acceſſu ad Eccleſias exemptas in ſimilibus actibus, ut liberius Abbates valeant ſuis uti privilegiis.

XVII. In ordinationibus Canonicorum, Clericorum, Monachorem, ne non in veſtitionibus monialium, & emiſſione profeſſionis earumdem, etiam pleno ſibi jure ſubjactarum, in benedictionibus ſacræ ſupellectilis, cæteriſque actibus (Miſſarum, Veſperarum, & Matutinarum ſolemniis ter tantum in anno, ut præfertur, exceptis) neque in Eccleſiis, Oratoriis, aliiſque locis, tam publicis, quam privatis, quantumvis exemptis, eiſdemque Abbatibus pleno jure ſubjectis, mitram, baculum, & quævis alia Pontificalia inſignia, niſi de expreſſa Sedis Apoſtolicæ conceſſione adhibeant.

XVIII Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel monaſteriorum benedicant.

XIX. Reliqua Ponteficalia extra loca ipſis Abbatibus ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos, pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, calicum, & ſimilium, in quibus ſacra adhibetur unctio, nec non Minorum Ordinum collationes.

XX. Concionatoribus, qui eorum ſubditis Verbum Dei prædicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non præſumant, ſed Epiſcopis, quibus jus hujuſmodi privative competit, omnino dimittant.

XXI. In Miſſis privatis quoad indumenta, cæremonias, miniſtros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem, a ſimplici Sacerdote non diſcrepent, ac proinde ſacras veſtes induant in Sacriſtia, neque utantur Cruce pectorali: unico ſint contenti miniſtro: aquam cum pelui, & urceolo argenteis ſibi miniſtrari non ſinant, duaſque tantum candelas ſuper Altari adhibeant.

His autem Sanctiſſimo relatis, & in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaris, habita coram Sanctitate ſua, per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Brancaccium accurate perlectis, & mature diſcuſſis, Sanctitaa Sua ea approbavit, & pro omnimoda eorumdem obſervatione typis mandavit imprimi, ad valvas affigi, & publicari, ut elapſo termino ſex menſium a die publicationis eorumdem, omnes, & ſingulos uſu Pontificalium gaudentes, tum ſæculares, tum regulares, quantumvis exemptos, & ſpeciali expreſſione indigentes afficiant, & arctent, acſi omnibus, & ſingulis eadem exhibita, vel perſonaliter præſentata, intimata, ſeu notificata fuiſſent. Indulſitque præterea locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſint, imo debeant, præfatos, etiam per cenſuras, compellere.

Cumque nonnulli ex dictis Abbatibus, & Prælatis proprium habere poſſint territorium, juraque epiſcopalia, nulliſque ſubdantur Epiſcopis, qui eos coercere, ſi exceſſerint, valeant; eo caſu a Sedis Apoſtolicæ Nunciis, ſi aderint, ſin minus ab Archiepiſcopis, in quorum provinciis, vel ab Epiſcopis, Romano tantum Pontifici ſubjectis, intra, vel prope quorum diœceſis limites eorum Eccleſiæ, vel monaſteria ſita fuerint, tamquam a S. Sede delegatis, ad hujuſmodi Decretorum obſervationem prædicti omnino cogantur, die 27. Septembria 1659.

DECLARATIO DECRETI

SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS

emanati die 27. Septembris 1659.

Circa uſum Pontificalium, pro Congregatione Caſſinenſium.

PRocurator Generalis Congregationis Caſinenſium Sanctiſſimo humiliter ſupplicavit, ut dignaretur præcipere Congregationi Sacr. Rituum, ut quæ Abbatibus Caſſinenſibus particulari Apoſtolicæ Sedis Indulto vetitis, ac præter expreſſa in Decreto noviſſime ſuper uſu Pontificalium edito, adhibere liceat, prævia diſcuſſione declaret. Sanctiſſimus autem Oratoris preces ad eandem Congregationem tranſmiſit, reſcripſitque per Eminentiſſ. D. Cardinal. Franciottum notulam dubiorum ſupplici libello ſubnexam in ipſa Congregatione referri, quæ.

Ad §. IV. Decreti, quo prohibetur uſus præterquam unius abaci: aſſerentibus Monachis hactenus ab immemorabili tempore eorum Abbatea adhibere conſueviſſe ſecundum abacum ad pelves, & urceolos exponendos; cenſuit ſervandum eſſe Decretum.

Ad §. V. Quo tribus diebus tantum de præcepto, &c. pontificalis celebratio permittitur: exponentibus Monachis taxativam hujuſmodi non extendi ad uſum Pontificalium ſine baldacchino; ac præterea ex Indulto Alexandri II. ſibi competere Pontificalium uſum in exequiis nobilium virorum: Sacra Congregatio cenſuit, hujuſmodi privilegium tantummodo ſuffragari monaſterio Cavenſi, nec ad alia monaſteria extendi.

Ad §. VI. Quo in acceſſu Abbatis divina peracturi, & receſſu ejuſdem poſt Divina abſoluta, prohibe-

bibetur aſſociatio more Epiſcoporum : affirmantibus Monachis , ſe ab immemorabili tempore ſimili aſſociatione uſos eſſe , atque indecorum videri , ut Abbas pontificaliter peracturus Divina, ſolis Eccleſiam petat : Sacr. Congregatio cenſuit , annuendum eſſe petitis , modo non extra , ſed intra ſepta monaſterii ſeſe ad Eccleſiam conferat.

Ad §. VII. Quo taxatur numerus miniſtrorum : exponentibus Monachis , Abbates indigere miniſtris ad librum , ad intortitia elevationis, & ad candelabra Evangelii , ad mitram , & baculum : Sacr. Congregatio cenſuit indulgendos fore alios quatuor miniſtros cotta indutos præter expreſſos in Decreto .

Ad §. VIII. Quo uſus mitræ pretioſæ , & baculi ſine velo appenſo vetitus eſt : aſſerentibus Monachis , mitram pretioſam ipſis de jure competere, velum quoque nunquam eos conſueviſſe baculo appenſum adhibere , nec eſſe de ritibus Romanæ Eccleſiæ, ſed Ambroſianæ tantum : Sacr. Congregatio cenſuit, quoad mitram ſervandam eſſe diſpoſitionem *cap. Ut Apoſtolica* , de *Privil. in VI.* quoad baculum vero ſervandum eſſe Decretum .

Ad §. X. Quo probibetur uſus Pontificalium in aliena Eccleſia , licet exempta , quamvis Abbas ad ipſam fuerit invitatus : exponentibus Monachis , eos inibi pontificalibus inſigniis hactenus uſos eſſe , idque a jureipſis permiſſum præſumere : Sac. Congregatio cenſuit ſervandum eſſe Decretum .

Ac §. XI. Quo ſacras veſtes ex Altari ſumere Abbates privatim celebraturi prohibentur : aſſerentibus Monachis , ſe hactenus tali privilegio gaviſos eſſe : Sac. Congregatio cenſuit , ſervandum eſſe Decretum .

Ad §. XIII. Quo diſponitur , ne Abbates extra Ponificalia , pontificali more , ac trina Crucis productiooe , necnon privatim occurrenti populo, tum pontificaliter induti , etiam per Eccleſiam incedentes benedicant : aſſerentibus Monachis , Abbates in Miſſis privatis hactenus epiſcopali more benedixiſſe , & Pontificalibus præſertim indutos, per Eccleſiam tranſeuntes occurrenti populo benedictionem elargiri conſueviſſe . Sacr. Congregatio cenſuit , ſervandum eſſe Decretum .

Ad §. XIV. Quo in præſentia Epiſcopi Abbatibus denegatur facultas benedicendi ſolemniter, etiam in Pontificalibus : aſſerentibus Monachis , ex privilegio ipſis , etiam præſeote Epiſcopo , benedictiones hujuſmodi competere : Sacr. Congregatio cenſuit , ſervandum eſſe Decretum .

Ad §. XV. Quo traditur ordo inferioribus Prælatis Divina pontificaliter peragendi , præſenteque Epiſcopo, loci ordinario : exponentibus Monachis , Epiſcopo vetitum reperiri ingreſſum in eorum Eccleſias , ipſis invitis : Sacr. Congregatio cenſuit ſervandum eſſe Decretum .

Ad §. XVII. Quo uſus mitræ , & reliquorum inſignium pontificalium , præterquam tribus anni diebus abrogatus eſt : ſuggerentibus Monachis , indecorum videri, ut in Ordinibus conferendis, & Conſecrationibus , in receptionibus , & profeſſiooe Monachorum , & Monialium , Abbates mitram non adhibeant : Sacr. Coogregatio cenſuit , indulgendum fore, ut ea tantum utantur in actu Ordinationum, & benedictionum cum Sacro Oleo .

Ad §. XIX. Quo vetita eſt Abbatibus benedictio ſacræ ſupellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum : aſſerentibus Monachis , etiam pro aliena Eccleſia ex apoſtolico indulto eis licitum eſſe eccleſiaſticam ſupellectilem benedicere : Sacr. Congregatio mandavit , exhiberi indultum authenticum ex archivio apoſtolico deſumptum , ac interim abſtineri .

Ad §. XXI. Quo in Miſſis privatis probibeotur Abbatibus quivis ritus , & prærogativæ ad Epiſcopos privative ſpectantes : exponentibus Monachis, Abbates Caſinenſes hactenus in Miſſis privatis adhibuiſſe quatuor candelas , miniſtros ad lotionem manuum , & duos Aſſiſtentes cum cotta , &c. Sacr. Congregatio cenſuit, ſervandum eſſe Decretum , præſentiſque declarationis Decretum typis imprimi poſſe conceſſit, die 12. Junii 1660.

Prædictis autem Sanctiſſimo relatis , Sanctitas ſua approbavit, & Decretum editum die 27. Septembris 1659. omnino exequi, & ſervari mandavit . Verum quoad §§. quintum , ſextum , ſeptimum , octavum , & decimum ſeptimum ad limites tantum præſentis declarationis , & non alias , ſalva quavis contraria verbaliter expreſſa diſpoſitione privilegiorum particularibus monaſteriis Congregationis Caſinenſium conceſſorum , die 20. Julii 1660.

Eſt hic notandum cum Benedicto XIV. *lib. II. cap. XXIV. de Sacrificio Miſſæ n. 6.* quod = Ternis
„ olim Crucis ſignis Sacerdotes populo benedice-
„ bant , ut nunc Epiſcopi . Sublatus eſt ejuſmodi
„ ritus a S. Pio V. qui in ſolemnibus Miſſis dumtaxat
„ adhiberi eum voluit . Clemens vero VIII. ſtatuit,
„ ut Presbyteri etiam in Miſſis ſolemnibus , uno
„ tantum Crucis ſigno populo benedicant , ut vide-
„ re eſt apud Meratum *tom. I. pag.* 243. =

Quod autem ſpectat ad ſecundam allatæ Decretalis partem, circa facultatem ſcilicet conceſſam Abbatibus regularibus conferendi primam Tonſuram , & Ordines Minores , ſermo inſtituetur parte II. ad *cap. X, ſeſſ. XXIII.* a quo derogatum eſt hujuſmodi facultati , quoad illos, iiſdem Abbatibus ſubjectos , qui Religioſi profeſſi non ſint .

S E C T I O D C C C L X X X I X.

Caput VIII. Episcoporum , *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Epiſcoporum , & aliorum Prælatorum querelis frequentibus , & querulofis clamoribus excitati , præſenti decreto duximus ſtatuendum , ne aliqui ſeculares , aut regularis , quantumcunque exemptionis , ſeu libertatis Sedis Apoſtolicæ privilegiis communiti, cujuſcunque Ordinis , Religionis , ſtatus , vel conditionis exiſtant , ſcienter celebrent ve

vel faciant celebrari divina in civitatibus, caſtris, villis (niſi quatenus eis a jure conceditur) ſeu locis aliis interdictis ab Ordinariis, ſive delegatis judicibus, vel a jure: aut excommunicatos publice, vel interdictos ad divina officia, ſeu eccleſiaſtica Sacramenta, vel eccleſiaſticam ſepulturam admittant. Qui vero contra præſumpſerint (præter alias pœnas a jure ſtatutas) ingreſſum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum, donec de transgreſſione hujuſmodi ad arbitrium ejus, cujus ſententiam contempſerunt, ſatisfecerint competenter.

In hac Decretali declarantur ipſo facto interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ſeculares, vel Regulares, quantumvis exempti, qui ſcienter celebrant, vel celebrari faciunt divina in civitatibus, vel locis interdictis, niſi ſecundum permiſſionem juris: vel interdictos, aut publice excommunicatos ad divina officia, Sacramenta, vel ſepulturam admittunt.

Sed hodie hujuſmodi delinquentes ſunt ipſo facto excommunicati, & non abſolvendi, niſi prius ad arbitrium diœceſani Epiſcopi exhibuerint ſatisfactionem eis, quibus injuria irrogata fuerit, ut ex Clementina I. *Eos, qui de Sepulturis*, ibi.

Eos, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora non ſine contemptu clavium Eccleſiæ, in cæmeteriis, interdicti tempore, in caſibus non conceſſis a jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt; decernimus ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacere, a qua nullatenus abſolvantur, niſi prius ad arbitrium diœceſani Epiſcopi eis, quibus per præmiſſa fuerit injuria irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem: nullo eis circa præmiſſa exemptionis, vel quovis alio privilegio, ſub quacunque forma verborum conceſſo, aliqualiter ſuffragante.

Eandem excommunicationem ipſo facto incurrunt Regulares, non ſervantes interdictum generale locale, ex Clementina I. relata *tit. De ſent. ex communic.*

Ex frequentibus Prælatorum querelis accepimus, & nos ipſi experientia certa probavimus in minoribus conſtituti, quod plerunque Religioſi nunc patenter excuſationibus fucatis, & frivolis innitentes, nunc latenter Eccleſiarum ſuarum januis perforatis, aut in eis factis feneſtris, ſeu modis aliis exquiſitis, non abſque damno cathedralium, & parochialium Eccleſiarum, & ſcandalo plurimorum, dirumpendo nervum eccleſiaſticæ diſciplinæ, civitatum, terrarum, & aliorum locorum generalia interdicta præſumptione damnabili violare præſumunt. Nos igitur in ſancta Dei Eccleſia, cui (diſponente Domino) præſidemus, quæ quidem unica eſt, & unum Deum prædicat, atque colit, unam fidem firmiter, & ſimpliciter confitetur, uniformitatem (quantum commode poſſumus) conſervare volentes, circa interdictorum obſervantiam prædictorum, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel a locorum Ordinariis poſitorum, de Fratrum noſtrorum conſilio diſtricte præcipiendo, mandamus, quatenus Religioſi quicunque, tam exempti, quam non exempti, cujuſcunque Ordinis, & conditionis exiſtant, cum cathedralem, vel matricem, ſeu parochialem loci Eccleſiam illa viderint, aut ſciverint obſervare (non obſtantibus quibuſcunque appellationibus, antea etiam ad eandem Sedem, vel alium, ſeu alios interjectis, & aliis objectibus quibuſcunque) abſque dolo, & fraude, cum moderatione tamen Decretalis: *Alma*, inviolabiliter conſervent. Alioquin non ſervantes, excommunicationis ſententiæ hoc ipſo volumus ſubjacere. Quod etiam in interdictis, & in ceſſationibus a divinis indictis per provincialium Conciliorum ſtatuta, vel ipſorum auctoritate (cum majus ſit provinciale Concilium, quam ſingularis Prælati provinciæ, ac judicium integrum, quod plurimorum ſententiis comprobatur) volumus obſervari. In ceſſationibus vero generalibus a divinis civitatum, terrarum, & aliorum locorum, quas aliquando ex conſuetudine, vel alias capitula, collegia, vel conventus ſecularium, aut regularium Eccleſiarum ſibi vendicant (quia ipſos hoc unico lumine ad repellendas injurias eis factas privare nolumus, nec debemus) idem intelligimus obſervandum. Ipſi vero ſint diligenter attenti, ut ſtatuta Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ſuper his edita diligenter obſervent. Porro hanc ſanctionem ad pendentia trahimus, non obſtantibus privilegiis, conventionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus quibuslibet, quæ contra præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſorum Religioſis ipſis in nullo volumus ſuffragari.

No-

Notandum tamen eſt, cum Paſſerino ad tranſcriptam Decretalem *Epiſcoporum num.* 4. ut quis pœnam ibi inflictam incurrat, requiri = Quod excommunicati, vel interdicti, coram quibus quis celebrat &c. ſint denunciati nominatim, vel notorii percuſſores Clerici, & jam non ſufficit, quod ſint publice tales ex Extravaganti *Ad evitanda*. =

SECTIO DCCCLXXXIX.

Caput XI. Licet vobis, *ex Decretali ejuſdem Bonifacii VIII.*

Licet vobis conceſſum exiſtat, ut interdicti tempore, janüs clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, voce ſubmiſſa divina celebrare poſſitis, ad ea tamen aliquos, etiamſi aliunde venerint (niſi ſuper hoc privilegiati exiſtant) recipere nulla ratione debetis. Cum conceditur ſingulari perſonæ, ut modo præmiſſo, tempore interdicti celebrare valeat, vel audire divina, ejus familiares domeſtici ad audiendum cum ea, & celebrandum ſibi divinum officium licite admittuntur. Non ſic autem in familiaribus alicujus conventus, ſeu collegii eſt cenſendum: illi enim niſi privilegiati fuerint, admitti non debent. Hujuſmodi quoque conceſſione gaudere non poteſt is, cujus cauſa, ſeu culpa, dolo, vel fraude fuit ſententia interdicti prolata, ſeu qui ad perpetrandum delictum, cujus occaſione lata extitit, præbuit conſilium, auxilium, vel favorem.

Regula, quæ in hac Decretali primo loco firmatur, eſt, quod illis, quibus conceſſum eſt, ut tempore interdicti, excluſis excommunicatis, & interdictis, poſſint ſubmiſſa voce celebrare divina, ex hoc non eſt conceſſum admittere aliquos alios, etiam aliunde venientes, niſi ipſi ſint privilegiati.

Sed huic Regulæ derogatum eſt ab eodem Bonifacio in *cap. XXIV. Alma mater, de Senten. excomunic. in VI.* ibi enim exceptis excommunicatis, & interdictis admitti poſſe declarat omnes, ibi.

Adjicimus præterea, quod ſingulis diebus, in Eccleſiis, & monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur divina officia ſicut prius; ſubmiſſa tamen voce, & janüs clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis.

SECTIO DCCCXC.

Caput XII. Quoniam, *ex Decretali laudati Bonifacii.*

Quoniam Epiſcopi, eorumque Superiores ſe habent diverſis ex cauſis a ſuis Eccleſiis, & diœceſibus abſentare frequenter, nec ſemper poſſunt commode ad Eccleſias accedere pro Miſſa celebranda, vel audienda in ipſis, ſine qua eos tranſire non decet abſque cauſa rationabili nullam diem: præſenti Conſtitutione indulgemus eiſdem, ut Altare poſſint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari, ubicunque abſque interdicti transgreſſione illis permittitur celebrare, vel audire divina.

Privilegium Altaris portatilis, ſeu viatici, Epiſcopis in hac Decretali conceſſum, non fuiſſe ſublatum a Tridentino probat Fagnanus ex Decreto Cong. Conc. ad *cap. Quod nonnullis, hoc tit. n. 6. & n. 15. & 16.* probat eo uti poſſe, etiamſi electi, & confirmati tantum fuerint, & non conſecrati. Quæ autem limitationes, ac declarationes acceſſerint, ſatis expoſui ſupra ad *caput XXX. In his autem pag. 719.*

Verum dumtaxat addo, quod cum hæc facultas indulta ſit Epiſcopis, eorumque Superioribus, horum nomine veniunt etiam Cardinales, qui præeminentia, & dignitate, licet non Ordine, ſunt Epiſcopis ſuperiores; ideoque & illis hujuſmodi privilegium competere, validiſſimis rationibus ſuſtinet ibidem idem Fagnanus, *num. 10. & ſeqq.* quem ſequitur Paſſerinus ad hoc tranſcriptum *cap. Quoniam n. 5.*

Eodem Titulo de Privilegiis in Clementinis.

SECTIO DCCCXCI.

CAPUT I. RELIGIOSI, *ex Decretali Clementis V. edita in Concilio Viennenſi, celebrato anno 1311. Viennæ in Gallia.*

Religioſi, qui Clericis, aut laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, matrimonia vel ſolemnizare, non habita ſuper his parochialis Presbyteri licentia ſpeciali; aut qui excommunicatos a canone, præterquam in caſibus a jure expreſſis, vel per privilegia Sedis Apoſt. conceſſis eiſdem; vel a ſententiis per ſtatuta provincialia, aut ſynodalia promulgatis, ſeu (ut verbis eorum utamur) a pœna, & culpa abſolvere quemquam præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi, quos etiam locorum Ordinarii (poſtquam de hoc eis conſtiterit) excommunicatos faciant publice nunciari, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides, nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis, vel alio privilegio ſuffragante.

Quibus etiam in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictius inhibemus, ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarum Prælatis detrahant, aut etiam retrahant laicos ab Eccleſiarum ſuarum frequentia, vel acceſſu, vel Indulgentias pronuncient indiſcretas: neve cum confectionibus teſtamentorum intererunt, a reſtitutionibus debitis, aut legatis, matricibus Eccleſiis faciendis retrahant teſtatores: nec legata, vel debita, aut male ablata incerta ſibi, aut aliis ſingularibus ſui Ordinis Fratribus, vel conventibus in aliorum præjudicium fieri, ſeu erogari procurent: nec etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſervatis quemquam abſolvere, aut perſonas eccleſiaſticas, præſertim coram Judicibus delegatis a Nobis, ſuam contra eos juſtitiam proſequentes, vexare indebite, aut ad loca plura, & præſertim multum remota, convenire præſumant. Si qui vero præmiſſa, vel aliquod de præmiſſis attentare præſumpſerint, per duos menſes ſubjaceant pœnis illis, quæ ſecundum eorum regulam, vel ſtatuta pro gravibus criminibus, ſeu culpis eis conſueverunt imponi: ſuper quibus abſque manifeſta neceſſitate cum eis non valeat diſpenſari. Cæterum Prælati eorum, niſi de his, quæ occaſione præmiſſorum exceſſuum ad eos quoquomodo pervenerint, Eccleſiis, aut perſonis eccleſiaſticis damnificatis, vel læſis ſatisfactionem plenariam exhibuerint intra menſem, poſtquam ſuper hoc fuerint requiſiti, ſuſpenſionis ſententiam uſque ad ſatisfactionem debitam eo ipſo incurrant, non obſtantibus præmiſſis ſtatutis, aut quibuslibet privilegiis, cujuſcunque temporis exiſtant.

In hac Decretali plura Regularibus prohibentur, & inter cætera.

I. Ne cuiquam tam Clerico, quam laico miniſtrare præſumant extremam Unctionem, ſine licentia parochi, ſub pœnis excommunicationis ipſo facto Papæ reſervatæ: quam tamen ſicut, & alia Sacramenta adminiſtrare permittuntur ſuis familiaribus domeſticis, aut pauperibus in eorum hoſpitalibus degentibus.

Verum hoc indultum locum habet dumtaxat, quoties in his familiaribus copulative concurrant tres conditiones, præſcriptæ, tam a Conc. Triden, *cap. XI. ſeſſ. XXIV. de reform.* quam a Gregorio XIII. Conſt. *Circumſpecta 25. Novembris* 1580. I. Scilicet, quod iiſdem Regularibus actu inſerviant. II. Quod expenſis monaſterii intra eorum ſepta, & domos reſideant. III. Quod ſub eorundem obedientia vivant: quæ quidem obedientia interpretanda eſt non de obedientia religioſa, ſed ſervili, qualem profitentur famuli dominis ſuis.

Quod autem præfatum indultum ſit in viridi obſervantia, patet ex ſequenti noviſſimo Decreto Cong. Conc. in *Vratislavien. jurium parochialium, die 25. Jan.* 1738. propoſito enim dubio.

= An Patri Abbati monaſterii S. Vincentii Ordinis Præmonſtratenſis in Civitate Vratislaviæ, ſive Religioſis ab eo deputatis, competat exercitium omnimodæ juriſdictionis parochialis quoad perſonas inſervientium eidem monaſterio, eorumque familias, tam degentium infra, quam extra illius ſepta in caſu &c.

Sacra Congreg. reſpondit negative = Et P. Abbatem, ſeu Religioſos ab ipſo deputatos poſſe tantum laicis deſervientibus intra ſepta monaſterii, atque actu inſervientibus miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, etiam tempore Paſchatis, ac extremæ Unctionis, necnon ſepulturam dare in propria Eccleſia juxta decretum editum in Mediolanen. = ut videre eſt *tom. VIII. Theſauri Reſolut. dictæ Congr. pag. 17.*

De-

Decretum autem in Mediolaneo hic citatum, & in dicta pag. 17. relatum, ita ſonat ſub num. V.

= An Laicis, qui intra clauſtra Regularium habitant, & illis actu ſerviunt, poſſint Regulares Sacramentum Euchariſtiæ, & tempore Paſchæ, ac extremæ Unctionis miniſtrare, necnon in eorum Eccleſiis eiſdem laicis ſepulturam dare = Sacra Congr. ſub menſem Junii 1587. reſcripſit *Poſſe, ut in lib. IV. Decretor pag. 267. & ſeqq.*

Si autem agatur de hoſpitibus, qui vere non ſunt familiares, quamvis continuo degant intra ſepta monaſterii, ibique infirmentur, & moriantur, nullatenus, dicta Sacramenta inrequiſito parocho, miniſtrare poſſunt, eoſque in propriis Eccleſiis ſepelire, ut declaravit eadem Cong. *in Aſtenſi jurium parochialium*, in qua refertur, quod cum Comes Euſtachius Palio, mortua uxore, ſe contulerit ad conventum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini civitatis Aſtenſis, ibique ſolutis conventui alimentis, habitu ſeculari indutus, diu vitam duxerit, & poſtremo correptus lethali morbo obierit, iidem Patres abſque parochi præſentia, & interventu Viaticum, & Oleum Infirmorum ei miniſtraverint, ipſiuſque cadaver ſepulturæ mandaverint, ortum fuit dubium = An Patres S. Auguſtini licite potuerint, inrequiſito parocho, Sacramenta adminiſtrare, & corpus tumulare =.

S. Cong. die 27. Novembris 1717. reſpondit: ad primum negative, ut videre eſt in cit. *Theſaur. Reſolut. tom. I. pag 8. in Aſten. in folio ſub die 29 Januarii 1718.*

Præter facultatem adminiſtrandi præfata Sacramenta dictis familiaribus, eoſque in propria Eccleſia ſepeliendi, Prælati regulares, & alii Religioſi ab his approbati ad audiendas ſuorum Religioſorum confeſſiones, poſſunt inſuper, ſine approbatione Epiſcopi audire confeſſiones eorundem familiarium, nedum ex ſententia Cong Conc. relata a Fagnano in *cap. omnis utriuſque ſexus, de Pænit. & remiſſion. num. 63.* ſed etiam ex Conſtit. Clementis X. *Superna 11. Kal. Julii 1670.*

Cæterum in monaſteriis, ac etiam collegiis, ubi juxta regularia Inſtituta vivitur, poſſe, tam Prælatos regulares, quam Confeſſores Regularium eorundem monaſteriorum, ſeu collegiorum, audire confeſſiones illorum ſecularium, qui inibi ſunt vere de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt,

II. In tranſcripta Decretali *Religioſi*, iidem Regulares prohibentur ſub dicta pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Papæ reſervatæ, ne cuiquam tam Clerico, quam laico præſumant Euchariſtiam adminiſtrare ſine licentia parochi. Quæ prohibitio cum generaliter indicta ſit, videtur amplecti adminiſtrationem nedum per modum Viatici; & tempore paſchali, ſed etiam quocunque alio tempore.

Circa Viaticum, & Communionem paſchalem remanet quidem in ſuo robore hæc Decretalis, quemadmodum notabo infra ad *cap. omnis utriuſque ſexus*.

Verum ad Euchariſtiæ adminiſtrationem quod ſpectat, quocunque alio anni tempore, hodie ex variis privilegiis Regularium, & diverſorum locorum conſuetudine obtentum eſt, ut nedum in Eccleſiis Regularium, ſed etiam in quibuſvis aliis licite cuique petenti, independenter a parocho adminiſtretur: hujus ſiquidem Clementinæ prohibitionem DD. apud Engel. *tit. XLI. de Celebr. Miſſar. num. 21.* communiter intelligunt de tempore paſchali dumtaxat juxta *cap. XII. Omnis utriuſque ſexus, de Pœniten. & Remiſs.*

III. Prohibentur etiam præfati Regulares, ſub eadem pœna excommunicationis, ut ſupra, ſine licentia Parochi matrimonia ſolemnizare.

Verum hodie, ſi id attentare præſumerent, hanc non incurrent juxta moderationem Conc. Trident. a quo *cap. I. ſeſſ. XXIV. de reform.* impoſita eſt ſuſpenſio, ipſo facto pariter incurrenda, & duratura arbitrio Ordinarii illius parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat Textum leges part II. cum de eod. cap. I.

Per quam quidem ſuſpenſionem juxta veriorem, & magis receptam opinionem, teſte *Theſauro de pœn. cap. I. verb. Matrimonium*, ſublata eſt excommunicatio a Clementina inflicta, nedum quia antiqua pœna gravior cenſetur abrogata per novam mitiorem, ſed etiam, quia ita declaratum fuiſſe refert. idem Theſaurus, & Galemart. *ad cit. cap. I. Trident a S. Cong. Conc.*

Cum autem hæc ſuſpenſio ſit abſolute prolata, eademque oratione complectatur Tridentinum tam parochum alienum, quam alium quemcunque Sacerdotem, ſive regularem, ſive ſecularem; cumque cæteroquin ſuſpenſio ſic abſolute prolata intelligenda ſit juxta omnes Canoniſtas ab officio ſolum, aut ab officio, & beneficio ſimul; quæri hic poſſet a quo ſuſpenſus eſſet Sacerdos ſecularis, & regularis, in hoc delinquens, carens, tam officio, quam beneficio.

Huic dubio ſatis apte, meo videri, reſpondit Sanchez, *tractat. de Cenſur. diſput. XXXI. ſect. III. §. VI. num. 18. pag. 570 tom. V. edit. Venetiis anno 1606.* ſentiens, neque parochum alienum, neque Sacerdotem beneficiatum in hoc delinquentem ſuſpenſum eſſe ab officio, & reſpective beneficio, ſed ab officio ſacerdotali, eo pari modo, quo ſuſpenſus dici deberet ſimplex Sacerdos, tam ſecularis, quam regularis = Non eſt veriſimile (ſunt ejus verba) voluiſſe Concilium ſuſpendere illos Sacerdotes ab omni officio, & beneficio, ut verbum illud ſimpliciter prolatum indicare videtur, tum quia peccatum illud non apparet dignum tanta pœna, tum etiam quia illa pœna Indifferenter fertur in parochos, & Sacerdotes ſimplices, tam regulares, quam ſeculares, & ita videtur ſolum ſuſpenſione communi omnibus illis. Cenſeo igitur, illam eſſe ſuſpenſionem ab officio ſacerdotali, quia juxta Canonum intelligentiam ex materia ſubjecta determinatur pœna, ut in eo quis puniatur, in quo deliquit =.

Quamvis circa hoc idem dubium hæreat Sayrus *in Theſauro caſuum conſcientiæ lib. IV. cap. XV. n. 9.* ſentiatque expetendam eſſe declarationem a Cong.

Concil. ibi = Secundo obſervandum eſt, non exprimi, neque ex antecedentibus, vel conſequentibus colligi poſſe, a qua re ſit iſta ſuſpenſio. Mihi probabile videtur, tanquam mitius, ſatis eſſe intelligere, quod ſuſpenſus ſit ab officio, præſertim cum ſuſpenſio iſta propter uſurpationem alieni officii lata ſit, de qua re conſulenda eſt declaratio a Congregatione Cardinalium, qui ſuper Conc. Trident. ejuſque dubiis interpretandis præficiuntur: interim tamen tutius eſt, ſe tam a beneficio, quam ab officio ſuſpenſum eſſe credat =.

Quidquid tamen ſit de hujus Auctoris opinione, crederem non eſſe recedendum a Sententia Sanchea, aptante æqualem pœnam æquali delinquentium delicto. A qua ſuſpenſione abſolvere poſſe reſolvit etiam Vicarium generalem *lib. III diſput.* 52. *num.* 4. & *diſput.* 48. *num.* 7. cum Concilium utatur verbo *auſus fuerit*, affirmat ab illius incurſu excuſare ignorantiam, dummodo non ſit ita craſſa ut ſit ingens temeritas.

Eodem Titulo de Privilegiis in Extravagantibus communibus.

SECTIO DCCCXCII.

Caput I. Inter cunctas, *ex Decretali Benedicti XI.*

In hac Decretali revocatoria Decretalis Bonifacii VIII. *Super cathedram, de Sepult. inter Extravagantes commun.* emanata favore Prædicatorum, & Minorum, cujus tranſcriptionem omitto, cum nimis prolixa ſit, ſtatuitur inter cætera, Superiores horum Ordinum debere ſignificare Epiſcopo quoſdam ex earum Fratribus a ſe fuiſſe deputatos ad audiendas ſecularium Confeſſiones; non tamen teneri eorum nomina exprimere, nec certum numerum deſignare; quos ita confuſe ſignificatos, ſi intra triduum Epiſcopus non approbaret, iidem nihilominus, auctoritate Apoſtolica, dictis ſecularibus pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare poſſent.

Verum hujuſmodi privilegium abrogatum eſt a Clemente V. in Clementina II. *Dudum, de Sepult.* reſtauravitque cit. Decretalem Bonifacii, quam denuo innovavit Tridentinum *cap. XV. ſeſſ. XXIII. de reform.* de qua abrogatione ſpecialis inſtituetur ſermo in notis poſt dictum *cap. XV. parte II*

Inſuper in dicta Decretali Benedicti tributa legitur iiſdem Fratribus facultas ubique prædicandi verbum Dei abſque Ordinariorum licentia.

Verum & hoc privilegium abrogatum eſt, tam a Tridentino *ſeſſ. V. cap. II. & ſeſſ. XXIV. cap. IV. de reform.* quam a Clemente X, ut ſpeciatim notabo ad dictum *cap. II. parte II.*

SECTIO DCCCXCIII.

Caput III. Divina, *ex Decretali Eugenii IV.*

Huic Decretali, cujus etiam textum tranſcribere omitto, eximenti ab Ordinariorum juriſdictione Clericos curiales beneficiatos, infligentique pœnas ipſo facto incurrendas Papæ reſervatas, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti contra eoſdem Ordinarios, privantes beneficio dictos Clericos, aut ſe immiſcentes in cauſis beneficiorum eorundem, derogatum eſt a Conc. Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. XI. de ref.* decernente, privilegia, quæ competere ſolent reſidentibus in Curia romana in vim hujus Eugenianæ Conſtitutionis, non habere locum in obtinentibus beneficia eccleſiaſtica, etiam reſidentiam non requirentia, quin ipſorum Ordinariorum juriſdictioni ſubjecti remaneant, nec inſuper habere locum in parochis non reſidentibus *ſeſſ. XXIII. cap. I. de reformat.* ibi.

Quæ vero privilegia reſidentibus in Curia romana vigore Eugenianæ Conſtitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere ſolent, ea in iis, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent, ratione prædictorum beneficiorum minime intelligantur, ſed Ordinarii juriſdictioni ſubjecti permaneant: non obſtantibus quibuſcunque inhibitionibus, *Et ſeſſ. XXIII. cap. I.*

Quod ſi per edictum citati (parochi non reſidentes) etiam non perſonaliter, contumaces fuerint; liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere; nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcunque beneficii, pactione, ſtatuto, etiam juramento, vel quacunque auctoritate confirmato, conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt, ſive appellatione, aut inhibitione, etiam in romana Curia, vel vigore Eugenianæ Conſtitutionis ſuſpendi poſſe.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX AD HUNC TITULUM,

ELENCHUS,

Privilegiorum, a Sac. Conc. Tridentino abrogatorum.

Quem hic tranſcribo, prout a me exaratum fuit in Additionibus ad Inſtitutiones Canonicas Remigii Maſchat, Tom. I. pag. 438.

I. ABrogatum eſt privilegium prædicandi a quocunque verbum Dei ſine licentia Ordinarii: & ſi Prædicatores regulares ſunt, ſine licentia ſuorum Superiorum, & benedictione Ordinarii in Eccleſiis proprii Ordinis: in alienis vero ſine dicta Superiorum licentia, & Ordinarii. Abrogatum eſt inſuper privilegium, quominus Ordinarius procedat in prædicantes errores, & hæreſes, aut ſcandala diſſeminantes, ſicuti & quæſtores eleemosynarum prædicare præſumentes, aut per ſe, aut per alios *ſeſ. 5. cap. 2. ſeſs. 24. cap. 4.*

II. Privilegium de perpetuo non reſidendo, aut fructus in abſentia percipiendo *ſeſs. 6. cap. 2. de reformat*

III. Privilegium, quominus Clericus ſecularis exemptus, vel regularis extra monaſterium degens, ab Ordinario loci viſitari, puniri, aut corrigi valeat, *ſeſ. 6. cap. 3. ſeſ. 14. cap. 4. & 5. ſeſs. 25. cap. 6. de reform.*

IV. Privilegium, quominus capitula cathedralium, aliarumque majorum Eccleſiarum, ac illorum perſonæ viſitentur a ſuis Epiſcopis, & aliis majoribus Prælatis, corrigantur, & emendentur, *ſeſs. 6. cap. 4. de reform.*

V. Privilegium exercendi pontificalia, & ad Ordines quemcunque promovendi in aliena diœceſi ſine licentia Epiſcopi diœceſani, & literis dimiſſoriis ſui Prælati, *ſeſs. 6. cap 5. & ſeſs. 14. cap. 2. de reformat.*

VI. Privilegium, quominus ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitetur Vicarius perpetuus, aut ad nutum amovibilis, conſtitutus cum aſſignatione congruæ portionis, etiam ſuper re certa, in Eccleſiis curatis, unitis cathedralibus, aliiſque quibuſcunque locis piis *ſeſs. 7. cap. 7. de reform.*

VII. Privilegium exemptionis ab Ordinario circa viſitationem, reparationem, & obſequia præſtanda curæ animarum, atque Eccleſiarum, ad Regulares ſpectantium, *ſeſs. 7. cap. 8.*

VIII. Privilegium dimiſſorias dandi a capitulo primo anno Sedis vacantis non arctatis *dict. ſeſs. caput X.*

IX. Privilegium, quin exempti, tam ſeculares, quam Regulares extra monaſterium degentes conveniri poſſint coram Ordinario in civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum juxta diſtinctionem in *hoc eod. cap.* expreſſam ultra diſpoſita *in cap. Volentes I. de Privil. in VI. ſeſs. 7. cap. 14. de reform.*

X. Privilegium, quo quis ad ſacros Ordines promoveri poſſit, non obſtante denegatione facta ab Ordinario, etiam extrajudicialiter, & ob crimen occultum *ſeſs. 14. cap. 1. de reform.*

XI. Privilegium puniendi alienos ſubditos ſine interventu proprii Ordinarii *dict. ſeſſ. cap. 8.*

XII. Privilegium transferendi Regularem ad alium Ordinem, ſi perpetuo non maneat ſub obedientia ſuperioris Ordinis, ad quem transfertur *dict. ſeſs. cap. 11.*

XIII. Privilegium præſentandi ad beneficium juriſpatronat. alteri, quam Ordinario *dict. ſeſs. caput 13.*

XIV. Privilegium, quominus ab Ordinariis viſitentur commendata monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ, ac beneficia, tam curata, quam non curata, ſecularia, & regularia, ubi non viget regularis obſervantia, qualitercunque commendata, cæteraque præſtentur ad curam animarum ſpectantia, & alia debita obſequia *ſeſſ. 21. c. 8. de reformat.*

XV. Privilegium quæſtuationes faciendi *dict. ſeſſ. cap. 9.*

XVI. Privilegium, quominus Ordinarii locorum circa Miſſæ celebrationem prohibeant. I. Conditiones, ac pacta cujuſvis generis mercedum, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones. II. Ne interdicant cuicumque vago, & peregrino Sacerdoti Miſſam celebrare. III. Ne Miſſa celebretur, etiam a Regularibus, in privatis domibus, & in locis, ad divinum cultum non deſtinatis. IV. Ne vetent, exerceri in quacunque Eccleſia quaſcunque actiones ſeculares, vana, ac profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, & clamores. V. Quominus edicto, & pœnis prohibere poſſint, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter approbatas ab Eccleſia, ac frequenti, & laudabili uſu receptas *ſeſ. 22. de Obſer. & vitan. in celebr. Miſ.*

XVII. Privilegium non ſuſcipiendi intra annum Ordinem, beneficio annexum, *ſeſs. 22. cap. 4. de reform.*

XVIII. Privilegium non reddendi quotannis Ordinario rationes piorum locorum, cum diſtinctione in hoc eodem cap. expreſſa, *ſeſſ. 22. cap. 9. de reform.*

XIX. Privilegium non reſtituendi fructus a beneficiatis illicite abſentibus, *ſeſs. 23. caput 1. de reform.*

XX. Privilegium gaudendi privilegio fori a non gerentibus habitum, & tonſuram clericalem, carentibuſque aliis requiſitis in hoc eodem cap. præſcriptis *dict. ſeſſ. cap 6.*

XXI. Privilegium adeundi alienum Epiſcopum abſque commendatitiis proprii pro Ordinibus ſuſcipiendis *dict. ſeſſ. 23. cap. 8.*

XXII. Privilegium conferendi ab Abbatibus,

aliiſque quibuſcunque exemptis primam Tonſuram, & minores Ordines iis, qui Regulares ſubditi non ſint, & concedendi ab eiſdem Abbatibus, collegiis, & capitulis, etiam Eccleſiarum cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſecularibus, ut ab aliis, quam a proprio Epiſcopo ordinentur *dict. ſeſſ. 23. cap. 10.*

XXIII. Privilegium recipiendi Ordines, etiam a Regularibus, in minori ætate præſcripta hoc eodem cap. aut ſine prævio Epiſcopi examine *dict. ſeſs.* 23. *cap.* 12.

XXIV. Privilegium excipiendi ſecularium confeſſiones, etiam Sacerdotum, a Presbyteris, ſive ſecularibus, ſive regularibus, ſine approbatione Epiſcopi *dict. ſeſſ. cap.* 15.

XXV. Privilegium contra ſtatuta a Trident. circa Decreta quoad erectionem, & gubernationem ſeminariorum, & quoad deputationem, remotionemque ſcholaſticorum, qui docendi munus per ſe implere non poſſunt, *dict. ſeſſ.* 23. *cap.* 18.

XXVI. Privilegium non intereſſendi Synodo diœceſanæ *ſeſſ.* 24. *cap* 2. *de reform.*

XXVII. Privilegium, quominus viſitatores deputati a capitulo (ubi ei hoc jus viſitandi competit) & ab Epiſcopo approbati, inf a menſem teneantur reddere Epiſcupo rationem peractæ viſitationis, eique teſtium depoſitiones, ac integra acta exhibere *dict. ſeſſ. cap* 3.

XXVIII. Privilegium, quin ii, ad quos ſpectat, fideles inſtituere in rudimentis fidei, per cenſuras etiam compelli poſſint ad id præſtandum *dict. ſeſ.* 24. *cap.* 4.

XXIX. Privilegium, quominus impleantur conſtituta a Paulo III. *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. *& ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *de reform.* & Pio IV. *ſeſſ* 21. *cap.* 8 *de reform.* circa viſitationem beneficiorum, etiam exemptorum, necnon Eccleſiarum ſecularium nullius diœceſis, faciendam ab Epiſcopo, cujus cathedralis Eccleſia eſt proximior, ſi id conſtet, alioquin ab eo, qui ſemel in Concilio provinciali a Prælato loci illius electus fuerit, *dict. ſeſſ.* 24. *cap.* 9.

XXX. Privilegium, quin Epiſcopus poſſit unire beneficia ſimplicia (non tamen regularia) aut eorum proventus præbendis tenuibus, ut præbendarii una cum diſtributionibus quotidianis inde habeant, unde honeſte ſuſtententur, *dict. ſeſſ.* 24. *cap.* 15.

XXXI. Privilegium retinendi ſimul duas parochiales, aut unam cathedralem, & aliam parochialem, *dict ſeſſ. cap.* 17.

XXXII. Privilegium, quominus ſervetur forma in hoc eod. cap. præſcripta circa concurſum, examen, & deputationem Vicarii in quibuſcunque parochialibus vacantibus, *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reform.*

XXXIII. Privilegium. quominus cauſæ omnes tractentur in prima inſtantia coram Ordinario, aliaque circa appellationem in hoc eod. cap. ſtatuta ſerventur, *dict. ſeſſ. cap.* 20.

XXXIV. Privilegium erigendi novas Regularium domos ſine prævia diœceſani Epiſcopi licentia, *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regul.*

XXXV. Privilegium reſpectu Regularis ſe ſubjiciendi obſequio alicujus Prælati, Principis, Univerſitatis, vel Communitatis, alteriuſque perſonæ, vel loci, prætextu cujuſcunque pii operis ſine regularis Superioris licentia; ſicuti & recedendi a proprio conventu, etiam prætextu ſuos Superiores adeundi, ſine eorundem Superiorum mandato, aut vocatione. Item degendi extra regulares domos, ſi ſtudiorum cauſa ad Univerſitates dimiſſus fuerit, *dict. ſeſſ. caput* 4.

XXXVI. Privilegium Sanctimonialibus conceſſum exeundi a monaſterio poſt profeſſionem, & aliis quibuſque intrandi intra earundem ſepta abſque licentia Ordinarii, etiam in caſibus in hoc eod. cap. expreſſis *dict. ſeſſ. cap.* 5.

XXXVII. Privilegium I. Eligendi Superiores regulares, non ſervato ſuffragiorum ſecreto. II. Conſtituendi Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quotcunque Titulares ad effectum eletionis faciendæ. III. Supplendi voces, & ſuffragia abſentium: quæ privilegia declarantur ſubrepetitia, etiamſi in poſterum concedantur, *ead. ſeſſ.* 25. *cap.* 6.

XXXVIII. Privilegium retinendi Sanctiſſimum Chriſti corpus intra chorum, vel ſepta monaſterii monialium *ead. ſeſſ. cap.* 10.

XXXIX. Privilegium, quominus perſonæ, tam regulares, quam ſeculares exercentes in monaſteriis, vel domibus Regularium utriuſque ſexus curam animarum perſonarum ſecularium (inter quas non intelliguntur compræhenſæ perſonæ, quæ ſunt de eorundem locorum familia) Ordinarii juriſdictioni, viſitationi, & correctioni ſudſint in pertinentibus ad dictam curam, Sacramentorum adminiſtrationem, & deputationem parochi, ſeu capellani curati, etiam amovibilis, ſine conſenſu, & prævio examine ejuſdem Ordinarii: exceptis. I. Monaſterio Cluniacienſi cum ſuis limitibus. II. Monaſteriis, ſeu locis, in quibus Abbates, Generales, aut capita Ordinum ſedem ordinariam principalem habent. III. Aliis monaſteriis, ſeu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores juriſdictionem epiſcopalem, & temporalem in parochos, & parochianos exercent. Salvo tamen eorum Epiſcoporum jure, majorem juriſdictionem in dicta loca habentium *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Regular.* Circa derogationem hujuſmodi privilegiorum, exceptis jam enumeratis, vide Conſtit. Greg. XV. *Inſcrutabili*, *nonis Febr.* 1622. & reſcriptum S. Pii V. *Expoſuit*, 22. *Septem.* 1571. relatum a Barboſ. ad dict. *cap. I.* in Conc Tridentin. a quo neque eximuntur Eccleſiæ parochiales Ordinis Militum S. Joannis Hieroſolymitani.

XL. Privilegium, quominus in Eccleſiis Regularium publicentur cenſuræ, & interdicta tam a S. Sede emanata, quam a locorum Ordinariis promulgata, ipſis Ordinariis mandantibus: ſicuti & quominus ab iiſdem Regularibus ſerventur dies feſti ab Epiſcopo in ſua diœceſi præcepi, *ſeſſ.* 25. *cap* 12. *de Regul.* vide Conſt S. Pio V. *Cum primo* 1566.

XLI. Privilegium, quin exempti, ſive ſeculares, ſive regulares, etiam monachi, compelli nequeant ad publicas proceſſiones (exceptis Regularibus in ſtrictiori clauſura viventibus) judiciumque Epiſcopi ſubeant in controverſiis ortis ſuper præcedentia in iiſdem proceſſionibus, in tumulandis defunctorum cadaveribus, in deferenda umbella, aliiſque ſimilibus publicis actibus *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regular.* Vide Conſtit. S. Pii V. *Divina* 1568. & Greg. XIII. *Expoſcit* 1588. & circa alios Regulares exemptos, vide *tit. XXXIII. de Majorit. & obed.*, *in Inſtitut. Canon. Maſchat. tom. I.*

XLII. Pri

XLII. Privilegiorum, quominus Regularis Epiſcopo non ſubditus, notorie delinquens extra clauſtra, ab eodem Epiſcopo puniatur, ſi intra tempus ab eo præſcriptum punitus non fuit a ſuo Superiore, *ſeſſ. 25. cap. 14. de Regul.* Vide Conſtit. Clementis VIII. *Suſcepti* 1596.

XLIII. Privilegium profitendi in quocunque regulari Ordine utriuſque ſexus ante annum 16. expletum, & ſine prævio integro probationis anno *dict. ſeſſ. cap.* 15.

XLIV. Privilegium transferendi Regularem ad laxiorem Ordinem *dict. ſeſſ. cap.* 19.

XLV. Privilegium, ne monaſteria commendata viſitentur ab Abbatibus, qui ſunt capita Ordinum, cæteriſque dictorum Ordinum Superioribus *dict. ſeſſione cap.* 11. & 20.

XLVI. Privilegium, quominus omnia, & ſingula Decreta in hac eadem ſeſſ. de refor. Regul. ſancita obſerventur. *dict. ſeſſ. 25. cap.* 22.

XLVII. Privilegium, quin capitula exempta viſitentur ab Epiſcopo juxta modum in hoc eod. capit. præſcriptum *ſeſſ. 25. cap. 6. de reform.*

XLVIII. Privilegium, quominus ſerventur præſcripta in hoc eodem capit. circa gubernium, adminiſtrationes, & miniſtros Hoſpitalium *dict. ſeſſ. cap.* 8.

XLIX. Privilegium contra obſervantiam Decretorum circa probationem jurisſpatronatus, juſpatronorum, acceſſiones beneficiorum liberorum ad Eccleſias jurispatronatus: revocationem ipſius jurispatronatus, non legitime quæſiti; examen, & repulſionem præſentatorum non idoneorum ab Epiſcopo facienda *dict. ſeſſ. cap.* 9.

L. Privilegium non ſolvendi quartam funeralem cathedrali, aut parochiali Eccleſiæ ſolvi conſuetam per annos quadraginta ante Tridentinum, ſi hæc poſtea conceſſa fuerit monaſteriis, aliiſque quibuſcunque locis piis *dict. ſeſſ. cap.* 13.

Titulus XXXIV. De Purgatione Canonica.

S E C T I O D C C C X C I V.

Quamvis Purgatio canonica non omnino abrogata ſit, cum tamen ipſius uſus in Curiis eccleſiaſticis hodie admodum raro ſuperſit, ut cum Zypæo *de Jure Pontificio novo animadvertit*, Van-Eſpen *part. III. tit. VIII. cap. IV. de Inſtruct. cauſar. crimin.* ideo, quæ hodierna ſit diſciplina circa ſancita in in hoc integro titulo, XVI. capitulis comprehenſo, in quibus indicitur hæc Purgatio, moduſque traditur eam inſtituendi contra vehementer ſuſpectos de aliquo crimine, præſertim eccleſiaſticos, conſulto omitto.

Cum autem ab infamato, ſeu ſuſpecto de crimine præſtandum erat juramentum, ſe illud non commiſiſſe; ut ſtatuitur in cap. I. IV & XVI. hoc titulo, ſi forte in aliquibus Curiis adhuc mos vigeat hanc Purgationem indicendi, ita judices monitos vult idem Van-Eſpen *loc. cit. num.* 58. „ Quin, & „ judices merito in indicenda hac Purgatione cir„ cumſpecti eſſe debent, ne eam facilius indicen„ do, ſacrilegii, & perjurii participes efficiantur: „ etenim cum homines, qui magnorum criminum „ ſunt rei, uſi fuerint propter utilitatem, aut vo„ luptatem, quas in criminibus quæſiverunt, gra„ viter impingere in legem æternam, ejuſmodi „ crimina prohibentem, magnopere timendum eſt, „ ne ut ſupplicium, & infamiam, quæ ob crimina „ commiſſa imminent, evadant, pejerare audeant. „ Facile eſt hinc videre, quam ſæpe ſacrilegum ſit „ ab ejuſmodi criminoſis expetere, ut juramento „ ſe purgent, cum, ſi non certum ſit, ſaltem ad„ modum veriſimile, quod pejerabunt, ſi crimen „ revera commiſerint: temerarium proinde eſt, „ credere, quod tale crimen non commiſerint, quia „ jurant, ſe non commiſiſſe ".

Certum eſt autem, penitus abrogatum eſſe, *caput XVI. Accepimus, relatum hoc eod. tit.* in quo Archiepiſcopo Biſuntino indictum fuit juramentum ad ſe purgandum a criminibus ſimoniæ, vendiſionis juſtitiæ, & incontinentiæ, de quibus fuerat infamatus: hujuſmodi enim criminales cauſæ, aliæque graviores a Concilio Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. V. de reform.* reſervatæ ſunt judicio Romani Pontificis dumtaxat, ibi.

Cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Summo Romano Pontifice cognoſcantur, & terminentur. Quod ſi ejuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſario extra romanam Curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis, a Beatiſſimo Papa eligendis. Hæc vero commiſſio, & ſpecialis ſit, & manu ipſius Sanctiſſimi Pontificis ſignata; nec unquam plus his tribuat, quam ut ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant: reſervata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva.

Titu-

SECTIO DCCCXCVI.

CAPUT IV. SI LÆSERIT, *ex Decretali deſumpta a cap. XXII. Exodi.*

SI læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit jumentum ſuum, ut depaſcat aliena, pro damno æſtimationem reſtituet.

Hæc Decretalis locum habet in foro conſcientiæ, ſed ſi agatur in foro contentioſo ad inſtantiam damnum paſſi, pluries exorta eſt controverſia a quo judice cognoſcenda ſit cauſa; ideoque addo hic ſummam diſpoſitorum a Benedicto XIV. in Conſtit. ſeu Motu proprio *Inveterata, ſub die 25. Januar.* 1751. circa forum competens hujuſmodi cauſarum pro damno dato ab animalibus in ſtatu pontificio.

Hæ igitur cognoſcendæ ſunt in prima inſtantia a Magiſtratu loci, ſi ex ſtatuto, vel conſuetudine hoc jus ei competat. Si vero damnum ſit, aut ſtudioſum, ideſt ex culpa, & negligentia cuſtodum, aut manuale, cognoſcendæ ſunt a ſolo loci Gubernatore.

Pro damno dato a laico in bonis laicalibus cum animalibus Eccleſiaſticorum, ſi ſolus eorum cuſtos laicus querelatus, arreſtatus, aut oppignoratus fuerit, cauſæ cognitio ſpectat ad forum laicale; ſi vero oppignorata fuerint animalia, ad forum eccleſiaſticum: ſi oppignorata fuerint tam animalia, quam cuſtos laicus, eſt in arbitrio damnificati forum eligere, abſque facultate variandi: ita tamen, ut ſi eligat forum laicale, judex laicus ſtatim relaxare debeat animalia Eccleſiaſticorum ſine ulla expenſa tam pro decreto, quam pro mandato relaxationis: ſi vero eligat forum eccleſiaſticum, judex eccleſiaſticus relaxare debeat cuſtodem tantum ſine ulla pariter expenſa.

Nullus judex tam laicus, quam eccleſiaſticus procedere poteſt in his cauſis, niſi intra priores octo dies denunciatum fuerit damnum; cauſæque terminari debent intra quadraginta dies, alias devolventur ad judicem ſuperiorem ex capite denegantæ juſtitiæ. Probatio autem, & liquidatio damnorum, ac pœnarum impoſitio fiant juxta ſtatuta, & conſuetudines locorum in utroqoe foro.

Liberum erit damnum paſſis in captura animalium hujuſmodi damnum inferentium, aut omnia, aut partem illorum capere, ſive a cuſtode pignus recipere, licet animalia ſint Eccleſiaſticorum, dummodo illorum captura, vel pignus factum fuerit antequam aut ipſa, aut cuſtos exierint a fundo damnificato. Data autem fidejuſſione pro ſolutione tam damni, quam pœnæ, relaxanda erunt a quocunque judice animalia, pignora, & multo magis cuſtos.

Pœnæ exigendæ. ſive judex ſit eccleſiaſticus, ſive laicus, ſive in prima, ſive in ulteriori inſtantia, integre ſolvendæ ſunt Communitati, aut illarum conductori, ſublata cuique facultate, eas condonandi, vel imminuendi, licet ſint Cardinales, Legati, Vicelegati, Provinciarum Præſides, Epiſcopi, ac Archiepiſcopi, quamvis Communitatis conſenſus accederet, ſub pœna ſcutorum quinquaginta in favorem ejuſd. Communitatis, vel conductoris ipſo facto & etiam pro prima controventione incurrenda; tributa facultate Magiſtratui loci reſpectu Gubernatoris contrafacientis eadem ſcuta quinquaginta ſubtrahendi a menſtrua præſtatione ei ſolvi ſolita: reſpectu vero judicis eccleſiaſtici, recurrendi ad S. Congreg. Boni Regiminis.

Judici autem, miniſtris, & executoribus poſt compenſationem damni factam parti læſæ, & poſt effectivam ſolutionem pœnarum, danda ſunt tantum emolumenta pro decreto, & executione juxta taxam ſervari ſolitam in cauſis civilibus.

Appellatio a ſententia de damno dato deferenda eſt ad quos pertinent aliæ cauſæ criminales in ulterioribus inſtantiis, ſervata taxa quoad ſportulas, & emolumenta judici debita, ut in cauſis civilibus, ſublata facultate Cong. Conſultæ, ſe in his cauſis ingerendi, tam in prima, quam in ulteriori inſtantia, etiam de conſenſu partium; excepto caſu, in quo damnum datum eius ſit qualitatis, ut tranſeat ad aliud delictum, cui juxta generalia bandimenta impoſita ſit pœna triremium, aut capitis.

Ad Cong. autem Boni Regiminis ſpectabit horum omnium executio, ei tamen interdicta facultate, ſe in particularibus cauſis ingerendi.

SECTIO DCCCXCVII.

CAPUT V. SI EGRESSUS, *ex Decretali deſumpta ex cap. XXII. Exodi.*

SI egreſſus ignis comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit.

SECTIO DCCCXCVIII.

Caput VI. Si quis, *ex Decretali deſumpta a Pœnitentiali Romano.*

SI quis domum, vel aream cujuſquam incenderit voluntarie, ſublata, & incenſa omnia reſtituat, & tres annos pœniteat,

In prima ſupra transcripta Decretali ſermo eſt de ſegetum incendiario culpoſo dumtaxat, ob cujus ſcilicet negligentiam oritur incendium. In ſecunda vero de incendario doloſo domorum, qui deliberate nimirum, & ex mala voluntate incendium excitat. In primum nulla infligitur pena, ſed refectio tantummodo illati damni. In ſecundum præter refectionem damni imponitur penitentia trium annorum; ſed hodie pœnitentia iſta in deſuetudinem abiit, & ejus loco de jure canonico doloſus incendiarius, etiam laicus, eique conſilium, & auxilium præſtans ex Decretali Innocentii II in generali Concilio Lateranenſi II. celebrato an. 1139. cum interventu mille circiter Epiſcoporum, declarandus eſt ab Epiſcopo excommunicatus, & ſi mortuus fuerit impænitens, caret eccleſiaſtica ſepultura, prout legitur in *Canon. XVIII.* ejuſdem Concilii, ita expreſſus, quem etiam refert Gratiatianus *Can. XXXII. Peſſimam, cauſ. 23. quæſt.* 8. ſed diminutum ibi.

= Peſſimam ſiquidem, & depopulatricem, & horrendam incendiariorum malitiam auctoritate Dei & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli omnino deteſtamur, & interdicimus. Hæc etenim peſtis, hæc hoſtilis vaſtitas omnes alias deprædationes exuperat. Quæ quantum populo Dei ſit damnoſa, quantumque detrimentum animabus, & corporibus inferat, nullus ignorat. Aſſurgendum eſt igitur, & omni modo laborandum, ut tanta clades, tantaque pernicies pro ſalute populi eradicetur, & extirpetur. Siquis igitur poſt hujus noſtræ prohibitionis promulgationem malo ſtudio, ſive pro odio, ſive pro vindicta ignem appoſuerit, vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium, vel auxilium ſcienter tribuerit, excommunicetur. Etſi mortuus fuerit incendiarius, Chriſtianorum careat ſepultura. Nec abſolvatur, niſi prius damno, cui intulit, ſecundum facultatem ſuam reſarcito, juret, ſe ulterius ignem non appoſiturum. Pœnitentia autem ei detur, ut Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitio Dei per annum integrum permaneat, *Canon XIX.* Siquis autem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & per annum ab officio epiſcopali abſtineat, *Can. XX.* Sane Regibus, & Principibus facultatem faciendæ juſtitiæ, conſultis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, non negamus =.

Poſtquam ab Epiſcopo declaratus fuerit excommunicatus, nequit abſolutio obtineri niſi a Papa, pro qua etiam ad ipſum mittendus eſt, ut declaravit Clemens III. *cap. XIX. Tua nos, de Sententia excommunic.*

Notandum tamen, quod hodie acceſſus perſonalis ad Papam pro obtinenda abſolutione, ut Clemens præſcripſit, non amplius exigitur a Sede Apoſtolica, quæ, ad ipſam recurrentes per ſupplices libellos conſuevit remittere ad locorum Ordinarios, una cum facultate eos abſolvendi.

Si vero agatur de incendiariis Eccleſiarum, vel locorum religioſorum *Theſaurus de pœn. cap. I. verb. Incendiarii* cum DD. ibi cit. ſentit, eſſe conſuetudine receptum, ut ſint ipſo facto excommunicati.

Titulus XXXVII. De Pœnis.

SECTIO DCCCXCIX.

Caput II. Presbyteri, *ex Decretali, deſumpta a Can. IV. Concilii Triburienſis, celebrati an. 895. in Villa cognomento Triburia, non longe a Moguntia ſuper Rhenum in Germania.*

PResbyteri interfecti compoſitio, Epiſcopo, ad cujus parochiam pertinet, ſolvatur: ita ut medietatem utilitatibus Eccleſiæ, cui præfuit, tribuat, alteram in ejus eleemoſynam juſte diſpertiat: quia nullus ejus hæres proximior videtur, quam qui ipſum Domino ſociavit.

Ante ſeculum IX. vetus lex Germanorum erat, ut homicidia pœna capitis non punirentur, ſed multa pecuniaria dumtaxat occiſi hæredi perſolveretur: poſtea ſtatutum fuit in hoc Concilio, ut pro homicidio Presbyteri (id eſt parochi) hujus ejuſdem multæ medietas erogaretur per Epiſcopum in utilitatem Eccleſiæ, cui occiſus præfuit, & alia medietas pro ſuffragio illius animæ. Cujus multæ quantitas juxta legem Longobardorum erat ſexcentum ſolidorum, canonizata etiam a *Can. Qui Subdiaconum cauſ. XVII. quæſt.* 4.

Verum hodie hæc compoſitio ullibi locum amplius non habet, ſed pœna debita pro qualitate homicidii.

SE-

SECTIO DCCCC.

Caput III. Licet, *ex Decretali Alexandri VIII. Archiepiſcopo Cantuarienſi ſcripta.*

Licet juxta Apoſtolum (& infra.) Accepimus, quod Archidiaconi Conventren. Epiſcopatus pro corrigendis exceſſibus, & criminibus puniendis, a Clericis, & laicis pœnam pecuniariam exigunt, & pro annua exactione pecuniæ perſonas quandoque ſuſpendunt, Eccleſias interdicunt, a Vicariis denarios, ut eos in Eccleſiis cantare permittant, exigere non formidant, & alia agunt, quæ Canonum obviant inſtitutis, & de radice cupiditatis, & avaritiæ prodire videntur (& infra.) Mandamus, quatenus Archidiaconis prædicti Epiſcopatus hoc diſtrictius interdicas: ſi autem contravenire præſumpſerint, eos appell. ceſſante, eccl. cenſura compellas,

Ex hac Decretali clare infertur, in aliquibus Provinciis competere ex conſuetudine Archidiacono juriſdictionem contentioſam: qua tamen hodie caret, ut notavi ad *cap VII. de Offic. Archidiac.* pag. 89.

Prohibitioni vero applicandi ſibi multas acceſſit decretum Conc. Trid. ſtatuens applicandas eſſe fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi, tam in cauſis civilibus, qnam criminalibus ad forum eccleſiaſticum pertinentibus, ut in *cap. III. juncto cap. XIV. ſeſſ. XXV. de reform.* ibi.

In cauſis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus eccleſiaſticis, cujuſcunque dignitatis exiſtant, ut, quandocunque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo, quam definiendo a cenſuris eccleſiaſticis, ſeu interdicto: ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civilibus, ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcunque, etiam laicos, per multas pecuniarias, quæ locis piis, ibi exiſtentibus, eo ipſo, quod exactæ fuerint, aſſignentur.

SECTIO DCCCCI.

Caput IV. Calumniam, *ex Decretali Alexandri III. in Concilio Turonenſi; in quo tamen hic Textus non reperitur, ut notavit Antonius Auguſtinus.*

Calumniam, & audaciam temere litigantium condemnando in expenſis, & alio multiplici remedio ſanctio imperialis compeſcit. Quoniam igitur ſacris inſtitutis conſonare dignoſcitur, præcipimus, ut de cætero in cauſis pecuniariis victus victori in expenſis condemnetur, niſi ſententia pro abſente feratur.

Circa condemnationem in expenſis cum limitatione hic ſtatuta, hodie juxta praxim Tribunalium, ſive ſententia feratur pro abſente, ſive pro præſente, nedum in cauſis pecuniariis, ſed etiam in quibuſcunque aliis, victus ſemper condemnatur in expenſis,

SECTIO DCCCCII.

Caput VI. Tuæ discretionis, *ex Decretali Innocentii III. Leodienſi Epiſcopo reſcripta.*

Tuæ diſcretionis prudentiam (& infra.) Ad illud, quod a nobis tertio requiſivit, qualiter Clerici in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus deprehenſi, puniri debeant: reſpondemus, quod a ſuis Ordinibus degradati, detrudi debeant in arctis monaſteriis, ad pœnitentiam peragendam.

Pœna detruſionis in monaſterium, hic inflicta, in deſuetudinem abiit, cujus loco ſucceſſit, vel carcer perpetuus, vel ergaſtolum, vel damnatio ad triremes, ut alias notavi juxta delicti qualitatem.

SE-

SECTIO DCCCCIII.

CAPUT XII. IN QUIBUSDAM, *ex Decretali deſumpta a cap. XLV. Concilii generalis Lateranenſis IV. celebrati ſub Innocentio III. an. 1215.*

IN quibuſdam provinciis Eccleſiarum Patroni, & Advocati, ſeu Vicedomini ſe in tantam inſolentiam erexerunt, quod non ſolum cum vacantibus debet Eccleſiis de paſtoribus idoneis provideri, difficultates ingerunt, & malitias, verum etiam de poſſeſſionibus, aliiſque bonis eccleſiaſticis, pro ſua voluntate ordinare præſumunt: & (quod horrendum eſt dicere) in necem Prælatorum prorumpere non formidant. Cum igitur, quod ad defenſiones ſubſidium eſt inventum, ad depreſſionis diſpendium non debeat retorqueri, prohibemus expreſſe, ne Patroni, vel Advocati, ſeu Vicedomini ſuper præmiſſis de cætero plus uſurpent, quam reperiatur in jure permiſſum: & ſi contra præſumpſerint, per ſeveritatem canonicam diſtrictiſſime compeſcantur. Sacri nihilominus Concilii approbatione ſtatuimus, quatenus, ſi Patroni, vel Advocati, aut Feudatarii, ſeu Vicedomini, aut alii beneficiati alicujus Eccleſiæ, Rectorem, vel Clericum alium ipſius Eccleſiæ per ſe, vel per alios occidere, vel mutilare auſu nefando præſumpſerint, Patroni juspatronatus, Advocati advocatiam, Feudatarii feudum, Vicedomini vicedominatum, & beneficiati beneficium prorſus amittant. Et ne minus vindictæ quam exceſſus memoria prorogetur, non ſolum de præmiſſis nihil perveniat ab hæredes, ſed etiam uſque ad quartam generationem poſteritates talium in Clericorum collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicujus prælationis aſſequantur honorem, niſi cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum.

Hanc Decretalem, quoad pœnam privationis hic indiſtincte extenſam ad deſcendentes ad quartum uſque gradum Patroni alicujus Eccleſiæ, qui illius Rectorem interfecerit, expendit Benedictus XIV. *lib.13. cap.24. de Synodo diæc. edit. an.1755. n.21.* per hec verba „ Celebris Joannes Andreas *ad præcit.* „ *text, in cap. In quibuſdam, num.8. de Pœnis*, du„ bium propoſuit, an memorata conciliaris ſanctio „ afficeret quoque filios natos, antequam interfice„ retur Rector, cupienſque legis rigorem æquiore „ interpretatione temperare, amplexus eſt, defen„ ditque negativam ſententiam. Quamvis vero ei„ dem contradictorem ſe ſe præſtiterit Zabarella *in* „ *cit. cap. num.5.* afferens tamquam ſibi conſentien„ tem Cardinalem Oſtienſem (qui tamen nihil pla„ ne habet ea de re) nihilominus affirmari poteſt, „ ſententiam Joannis Andreæ, qui aſperitatem le„ gis æquiore interpretatione moderatur, eique „ minime ſubjicit filios ante patratum homicidium „ progenitos, nunc temporis eſſe receptam, omnium„ que propemodum calculo comprobatam, quemad„ modum late demoſtrant Chartarius *de Pœnis in*„ *nocentium art. 1. num.188. verſ. Hæc tamen, cum* „ *pluribus. ſeq.* & Sanchez *Super præcepta Decalogi*, „ *tom. 1. lib. 2. cap. 27. a num.6. ad finem*. Hanc „ ipſam ſententiam amplexa eſt quoque Congregatio „ Concilii in quodam dubio ſuper petita diſpenſatio„ ne propoſito, ac definito die 2. Auguſti 1628. “

Eodem Titulo de Pœnis in VI.

SECTIO DCCCCIV.

CAPUT II. DEGRADATIO, *ex Decretali Bonifacii VIII. Epiſcopo Bitorenen. reſcripta.*

DEgradatio, qualiter fieri debeat a Nobis tua fraternitas requiſivit. Super quo tibi taliter reſpondemus, quod verbalis degradatio, ſeu depoſitio ab Ordinibus, vel gradibus eccleſiaſticis eſt a proprio Epiſcopo ſibi aſſiſtente in degradatione Clericorum in ſacris conſtitutorum Ordinibus, certo Epiſcoporum numero definito a Canonibus facienda; quamquam proprii Epiſcopi ſententia ſine aliorum Epiſcoporum præſentia ſufficiat in degradatione eorum, qui minores dumtaxat Ordines receperunt. Actualis vero, ſive ſolemnis cæleſtis militiæ militis, ideſt, Clerici degradatio (cum ad eam fuerit procedendum) fiet, ut exautorizatio ejus, qui militiæ deſervit armatæ, cui militaria detrahuntur inſignia, ſicque a militia remotus caſtris rejicitur, privatus conſortio, & privilegio militari. Clericus igitur degradandus, veſtibus ſacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud inſtrumentum, ſeu ornamentum ad Ordinem ſuum ſpectans, ac ſi deberet in officio ſuo ſole-

 miniter

Digitized by Google

mniter miniſtrare, ad Epiſcopi præſentiam adducatur: cui Epiſcopus publice ſingula, ſive ſint veſtes, calix, liber, ſeu quævis alia, quæ illi juxta morem ordinandorum Clericorum in ſua ordinatione ab Epiſcopo fuerint tradita, ſeu collata, ſingulariter auferat ab illo veſtimento, ſeu ornamento, quod datum, vel traditum fuerat ultimo, inchoando, & deſcendendo gradatim degradationem continuet uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione Tonſuræ, tuncque radatur caput illius, ſeu tondeatur, ne Tonſuræ, ſeu Clericatus veſtigium remaneat in eodem. Poterit autem Epiſcopus in degradatione hujuſmodi uti verbis aliquibus ad terrorem, illis oppoſitis, quæ in collatione Ordinum ſunt prolata, dicendo Presbytero hæc, vel ſimilia verba in remotione Planetæ: auferimus tibi veſtem ſacerdotalem, & te honore ſacerdotali privamus: ſicquæ in remotione reliquorum inſignium ſimilibus verbis utens in ablatione ultimi, quod in collatione Ordinum fuit primum, infraſcripto, vel alio ſimili modo pronunciet, ſive dicat: auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac Noſtra tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni Ordine, beneficio, & privilegio clericali.

Hæc Decretalis, in qua præſcribitur verbalem degradationem Sacerdotis, fieri debere coram proprio, & ſex aliis Epiſcopis juxta ſacrorum Canonum ſtatutum (videlicet *Can. III. Si quis*, *Can. IV. Si felix*, *Can. V. Si autem, cauſa XV. quæſt. VII.*) Diaconi vero, vel Subdiaconi coram tribus Epiſcopis, ac proprio: & degradationem conſtitutorum in Minoribus coram ſolo Epiſcopo, moderata eſt *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. *de reform.* reſtringente numerum Epiſcoporum in degradatione actuali, & ſolemni ad ſolum proprium Epiſcopum coram ſex Abbatibus, uſum mitræ, & baculi ex Apoſtolico privilegio habentibus, ſi commode intereſſe poſſint: ſin minus, coram aliis in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis. In degradatione vero verbali, etiam coram ejus Vicario, ibi.

Cum vero tam gravia nonnunquam ſint delicta, ab eccleſiaſticis commiſſa perſonis, ut ob eorum atrocitatem a ſacris Ordinibus deponendæ, & Curiæ ſint tradendæ ſeculari: in quo ſecundum ſacros Canones certus Epiſcoporum numerus requiritur; quos ſi omnes adhibere difficile eſſet, debita juris executio differretur; ſi quando autem intervenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur: propterea ſtatuit, & decrevit: Epiſcopo per ſe, ſeu illius Vicario in ſpiritualibus generali, contra Clericum, in ſacris, etiam Presbyteratus, Ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, necnon verbalem depoſitionem; & per ſeipſum, etiam ad actualem, atque ſolemnem degradationem ab ipſis Ordinibus, & gradibus eccleſiaſticis, in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia, in numero a Canonibus definito requiritur, etiam abſque illis procedere liceat; adhibitis tamen, & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, uſum mitræ, & baculi ex privilegio Apoſtolico habentibus, ſi in civitate, aut diœceſi reperiri, & commode intereſſe poſſint; alioquin aliis perſonis in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, ac juris ſcientia commendabiles exiſtant.

SECTIO DCCCCV.

Caput V. Felicis, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Felicis recordationis Honorii Papæ III. Prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, quibuſdam additis, & detractis de communi Fratrum noſtrorum conſilio hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut ſi quis deinceps in hoc ſacrilegii genus irrepſerit, quod Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem fuerit hoſtiliter inſecutus, vel percuſſerit, aut ceperit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut conſilium dederit, vel favorem, aut poſtea receptaverit, vel defenſaverit ſcienter eundem, ſicut reus criminis læſæ majeſtatis perpetuo ſit infamis: diffidatus nihilominus, & bannitus, ſit inteſtabilis, ut nec teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex teſtamento, vel ab inteſtato vocetur: quatenus ab omni ſucceſſione repulſus, publicaque repulſa confuſus minus inveniat ſuæ malitiæ ſucceſſorem: *fiant habitationes ejus deſertæ, & ut non ſit qui eas inhabitet*, dentur cuncta ipſius ædificia in ruinam, & ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina teſtetur, nullo tempore reparentur:

rul-

nullus ei debita reddere, nullus reſpondere in judicio teneatur: quidquid etiam in bonis invenitur ipſius, fiſci, vel reipublicæ dominio applicetur, ut ex illis nil tranſmittat ad poſteros, ſed potius cum ipſo quodammodo damnentur & ſua. Si qua vero fæuda, locationes, officium, vel beneficium ſpirituale, vel temporale ab aliquibus Eccleſiis obtinet, ſit eis ipſo jure privatus, quæ ſic libere ad Eccleſias revertantur, quod Eccleſiarum Rectores de ipſis pro ſua voluntate diſponant. Quod ſi quis prædictorum filium, vel filios habeat, nepotem, vel nepotes per rectam lineam deſcendentes, beneficiatum, ſeu beneficiatos quovis beneficio, etiamſi pontificalem adeptus, vel adepti fuerint dignitatem, ſint eis ipſo jure privati, ſpe promotionis omnino ſublata. Nulli præterea talium filiorum, atque nepotum ex virili ſexu deſcendentium ab eiſdem, alicujus aperiatur janua dignitatis, aut honoris eccleſiaſtici, vel mundani, ſeu ad alicujus loci regimen ſit aſcenſus: ſit eis poſtulandi negata facultas, ſit notorie judicatus, & quodlibet aliud officium, ſeu miniſterium publicum interdictum; in judiciis eorum aſſertio contra quemquam nihil fidei, nihil credulitatis inveniat, ut ad teſtimonium prorſus reddantur indigni; ſit eis ad Ordines aſcenſus inhibitus, ſit ad beneficium, vel officium eccleſiaſticum denegatus acceſſus, & (ut magis famoſa ſit eorum infamia) ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur eiſdem ſuper aliquo præmiſſorum, omni ſpe diſpenſationis adempta. Præſenti nihilominus adjicimus ſanctioni, ut ex inſecutione prædicta, ſicut ex injectione manuum violenta, ipſo facto excommunicationis ſententiam quis incurrat, & tam inſecutor, quam alii ſupradicti tanti mali participes, quamdiu in ſua contumacia perdurarint, ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, per omnes illius loci Eccleſia, in quo tantum facinus fuerit attentatum, necnon civitatum, & diœceſum vicinarum excommunicati publice denuncientur: nec ab alio, quam a Romano Pontifice, poſſint abſolutionis beneficium obtinere, niſi dumtaxat in mortis articulo conſtituti.

Cum autem fuerint abſolvendi, primo ſufficienter, & idonee caveant, quod inferendæ pœnæ parebunt, & auxiliante Domino, pœnitentiam peragent injungendam: deinde per omnes illius loci Eccleſias principales, vicinorumque locorum, diebus Dominicis, & ſolemnibus incedant nudi coram populo, femoralia tantum habentes, & ferulas detinentes in manibus, cum quibus per eaſdem Eccleſias publice fuſtigentur; ituri poſtmodum ultra mare, & ibidem acturi pœnitentiam per tres annos ad minus, nec exinde poſtmodum reverſuri abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Verum cum talis gratiam reconciliationis meruerit, beneficio abſolutionis obtento, indulgeatur ei licentia, ut ſuam, & ſuorum injuriam proſequatur, & debitorum illorum, quæ contracta fuerint, de poſtmodum acquiquiſitis repetitio non negetur. Illud autem non duximus omittendum, quod ſi quis fuerit in præmiſſis nudo conſilio, aut ſimplici favore culpabilis, Judex talem pœnam metiatur ex culpa, ut ſecundum quod exceſſus exegerit, vindicta procedat. Cæterum, quia dignum eſt, ut nefandi ratione flagitii ultionis ſeveritas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum, plagarum modus exuberet, nec pœnis ſolitis contentetur; ſtatuimus, ut ad collaterales fratres, videlicet nepotes, & pronepotes talium poſſit extendere pœnas in hujuſmodi noſtra Conſtitutione contentas, circumſpectio Romani Pontificis, prout circumſtantiæ rationabiles ſuadebunt.

Præmiſſis etiam dignum cenſuimus annectendum, ut ſi quiſquam aliquo prædictorum exceſſuum quemquam de Clericis, vel Religioſis noſtræ familiæ, vel Cardinalium afficere forte præſumpſerit, proportionetur pœna delicto; ita quod vindicta ex æquo exceſſu reſpondente ab offenſa noſtrorum cohibeantur deinceps manus temerariæ formidine ultionis, quas Dei, vel noſtra, ſeu Fratrum noſtrorum reverentia non coercet. Si quis vero per ſe, vel per alium occiderit Cardinalem (quod abſit) vel dederit cauſam mortis, ultra quam præmiſſa continent, ſic in eum poteſtas juriſdictionis inſurgat, ſic rigor ultionis inſiliat, quod contra vitæ ſubſidium mortis ſolatium invocet, vivens pœnæ, non culpæ, vindictæ ſpeculum, non offenſæ. Per hoc quoque ſecularibus Poteſtatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adverſus ſacrilegos catholici Principes ediderunt. Quis enim locus regiminis poterit eſſe tutus, quis Rector ſecuritate gaudebit, ſi Romana Eccleſia (quæ omnium Eccleſiarum, diſponente Domino, caput eſt, & magiſtra) caſibus iſtis ſubjicitur? ſi ejus filii ſpeciales hujuſmodi periculis exponuntur. Quem Eccleſiæ filium,

quem fidei zelatorem contumelia tanta non tangeret, & confuſio tam aſpera non movêret? Porro ſi filius eſt, dolebit: ſi fidelis, matre fidei læſa lædetur. Quapropter, ſi Princeps, Senator, Conſul, Poteſtas, vel alius Dominus, ſive Rector contra præſumptores prædictos, præſentis Conſtitutionis tenorem non fecerit obſervari: tam ipſe, quam officiales ipſius intra menſem, poſtquam res ad notitiam eorum pervenerit, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Civitas vero quævis alia, præter orbem, quæ talia facienti, vel facientibus, ſeu præſumentibus, in his conſilium, vel auxilium dederit, aut favorem, vel intra menſem ſaltem taliter delinquentes (prout tanti facinoris enormiias exegerit, & facultas ei affuerit) non duxerit puniendos, pontificali ut ſupra ſit eo ipſo dignitate privata, & nihilominus remaneat interdicta.

Excommunicatio hic inflicta legitur repetita in *cap. XI. Bullæ Cane*, cujus textum habes in calce hujus Operis.

Inſuper tam eadem excommunicatio, quam pœnæ latæ in tranſcripta Decretali cum eadem reſervatione extenſæ ſunt a S Pio V. Conſtit. *Infelicis*, *19. Decembris 1569.* contra non revelantes, quamprimum ſciverint, vel conjecerint factum, vel faciendum aliquid ex enunciatis in eadem Decretali & denunciatio fieri debet Papæ, ſi delictum in Curia accidat, alias Ordinario loci: & mandatur Epiſcopis, ut ſtatim id Papæ denuntient; non tamen ſub eiſdem pœnis. Item, ſi Ordinarius ipſe ſit Cardinalis offenſus, tunc viciniori Epiſcopo: quod ſi crimen nondum ſit commiſſum, etiam ipſi Cardinali debet fieri revelatio, & procedit quantumvis occultum ſit crimen, ibi.

Infelicis ſeculi pericula miſerati, dolorem comprimere non valemus, quod nefarii homines, juſtorum ſanguinem ſitientes, ad illorum quoque perniciem infeſtiore animo incumbunt, quos Spiritus Sanctus membra conſtituit præcipua Eccleſiæ Dei, quam ſuo ſibi ſanguine acquiſivit.

§. I. Magna igitur ratione poſt alios felic. record. Bonifacius Papa VIII. de Fratrum ſuorum conſilio perpetua Conſtitutione ſancivit, ut ſi quis S. R. E. Cardinalem fuerit hoſtiliter inſecutus, aut percuſſerit, aut cæperit, aut mandaverit id fieri, ſociuſque fuerit facientis, factumve ratum habuerit, ſeu dederit conſilium, vel favorem, aut receptaverit, aut defenderit ſcienter eundem, tanquam læſæ majeſtatis reus, perpetuo ſit infamis, & præterea diffidatus, bannitus, & inteſtabilis, omnia ejus ædificia ruinæ perpetuæ ſubjaceant, nullus ei debita reddere, nullus ei in judicio reſpondere teneatur, bonis omnibus Fiſco, vel Reipublicæ applicatis. Idem etiam feudis, beneficiis, & officiis, ſpiritualibus, & temporalibus ſit ipſo jure privatus, ſed & ipſe inſectans excommunicationis ſententiam incurrat, quam ſolus Rom. Pont. excepto mortis articulo, valeat relaxare.

§. II. Sed ne hæc quidem Conſtitutio, propter abdita conſceleratorum conſilia, omnino ſatis eſſe noſcitur ad hujuſmodi ſacrilegia amplius prohibenda. Qui enim alicui vim inferre ſibi proponunt, id ſecreto, in occulto, ut maxime machinantur veluti impium illud facinus indicat in perſonam dilecti filii noſtri Caroli tituli S. Præxedis Presbyteri Cardinalis Borrhomæi, Eccleſiam Mediolanenſem ſanctiſſimis inſtitutis ſtudioſe informatis proxime attentatum. Quæ res nos gravius commovet, vehementiuſque excitat omnia exquirere, ut nobiliſſimæ corporis noſtri partes undique protegantur. Quibus enim præſidio erimus, quibus ſuppetias afferemus, quos denique tutabimur, ſi templi Dei baſes, ſi clariſſima Eccleſiæ lumina, ſi ſpeciales filios, qui pro animabus populorum pro fide, pro juſtitia, pro unitate pervigilant, inultos deſeramus.

§. III. Itaque ſanctioni prædictæ de ſimili Fratrum noſtrorum conſilio adjicientes, ſtatuimus, ut quiſquis, etiam a nudo conſilio, aut ſimplici favore, aut omnino a cæteris prædictis alienus, quempiam authorum, adminiſtrorum, vel conſciorum, conjurationis, ſive conſpirationis, aut commiſſi, committendive criminis in perſonam Cardinalis, illorumve fautorum, receptorum, vel occultatorum, ſive ex renunciatione ſibi protinus, vel per interpoſitam perſonam, aut literas facta, cognoverit, ſive ex ſcripturis, cætu, conatu, concurſu, inſidiis, aliiſve ſignis, & indiciis qualemcunque ſcientiam habuerit, vel etiam conjecerit, quive horum quidquam intellexerit, quantumcunque res alias occulta ſit, quamprimum id Roman. Pon. ſi in Curia fuerit, ſin autem Ordinario loci, vel ſi Cardinalis ipſe Ordinarius extiterit, propinquiori Epiſcopo, & ſi crimen nondum commiſſum fuerit, etiam ipſi Cardinali properet revelare. Quicunque vero, etiam non ſubditus, &

omnino

omnino extraneus defecerit, cujuſcunque dignitatis fuerit, prædicto ſit excommunicationis laqueo innodatur, pariterque majeſtatis reus infamiam, & omnes pœnas prædictas eo ipſo incurrat.

§. IV. Eadem nihilominus Conſtitutione quoad reliquas ejus partes, ac cæteris omnibus ſanctionibus canonicis, & civilibus, ad talium coertionem editis, in ſuo robore duraturis.

§. V. Porro ſi quis ad ſanitatem revertens, rem adhuc incognitam retexerit, omni noxa penitus liberetur.

§. VI. Cæterum loci Ordinarius ſecreto, cum caſum ad ſe delatum, prædicto Pontifici primo quoque tempore nunciare, & interim rem omnem ab ſtirpe exquirere, & ſi neceſſitas tunc poſtulet, ſecularequoque brachium adhibere teneatur.

§. VII. Sed ne quiſquam horum ignorationem valeat excuſare, jubemus, præſentes valvis Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ubi publicabuntur, appendi, eiſque detractis earum exempla eo in loco relinqui, & eas pariter ab omnibus locorum Ordinariis in ſuis Eccleſiis, lociſque inſignibus promulgari.

Dictam Bonifacii Decretalem nedum confirmavit Leo X. ſed etiam extendit ad invadentes Cardinalium domos tempore conclavis, ut ex ejus Conſtitutione *Temerariorum 16. Martii* 1516. ibi.

Nos igitur hujuſmodi temerarios conatus debita volentes animadverſione reprimere, ſacro approbante Concilio, fel. rec. Honorii III. & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum contra aliquem dictæ Eccleſiæ Card. hoſtiliter inſequentes, & illis præſentia, conſilio, aut favore aſſiſtentes, eoſve ſcienter receptantes, aut defendentes, & eorum domos, & ædes, ut ſupra, invadentes, & eorum poſteros, & bona, editas Conſtitutiones, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium innovamus, decernentes eas ubique debere perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari.

Et nihilominus Conſtitutiones eaſdem cum omnibus, & ſingulis, in eis contentis cenſuris, & pœnis, ad omnes, & ſingulas perſonas cujuſcunque ſtatus, conditionis, & excellentiæ exiſtentes, qui alicujus dictorum Card, domum, tum tempore dicti conclavis, etiamſi in Roman. tunc Pontificem ſit electus, quam alias quandocunque, & ex quacunque cauſa armata manu invadentes, & in ea violenter, hoſtiliter aliquid diripientes, aut quempiam ex inibi exiſtentibus vulnerantes, & eorum ſocios, & qui id fieri mandaverint, vel factum ejus nomine ratum habuerint, ac ipſis invaſoribus conſilium in præmiſſis, vel favorem præſtiterint, & defenderint, extendimus, & ampliamus.

Nota ex tranſcripta Pii Conſtitutione „ Quoad „ non revelantes, admitti purgationem moræ, ubi „ ſi ad ſanitatem reverſi, crimen adhuc occultum „ detexerint, omni noxa penitus liberentur, unde „ poterunt abſolvi ab excommunicatione incurſa, „ & ceſſabit reſervatio eo ipſo, propter particulam „ penitus, *Theſaur. de pœnis eccleſ. cap. I. verb. Majeſtat. læſe crimen*, §. *Nota octavo*.

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO DCCCCVI.

CAPUT I. SI QUIS, *ex Decretali Clementis V. in Concilio Viennenſi, celebrato anno* 1311.

Si quis, ſuadente diabolo, in hoc ſacrilegii genus proruperit, quod quemvis Pontificem injurioſe, vel temere percuſſerit, aut ceperit, ſeu banniverit, vel hæc mandaverit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit, vel ſocius in his fuerit facientis, aut conſilium in his dederit, aut favorem, ſeu ſcienter defenſaverit eundem, in illis caſibus de prædictis, in quibus excommunicationem per jam editos Canones non ſubiret, ſit hujus noſtræ Conſtitutionis auctoritate (non obſtante quacunque conſuetudine; quam reputamus, approbante ſacro Concilio, potius corruptelam) anathematis mucrone percuſſus, a quo nequeat, niſi per ſummum Pontificem (præterquam in articulo mortis) abſolvi. A feudis inſu-

inſuper, locationibus, officiis, & beneficiis ſpiritualibus, ſive temporalibus, quæ ab Eccleſia, cui ſic offenſus præeſt Epiſcopus, obtinet, cadat hoc ipſo, ac ad eandem Eccleſiam libere revertantur. Ipſius filii per maſculinam deſcendentes lineam uſque ad generationem ſecundam (omni ſpe diſpenſationis adempta) reddantur ipſo facto inhabiles ad eccleſiaſtica beneficia, in civitate, & diœceſi, in quibus idem Epiſcopus præſidet, obtinenda. Terra quoque ipſius (dum tamen ultra unam diæceſim non contineat) uſque ad condignam ſatisfactionem ejuſdem, necnon locus, aut loca, in quibus captus Epiſcopus detinebitur, quamdiu detentio ipſa in eiſdem duraverit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Quod ſi terra ejuſdem duas diæceſes, vel ultra contineat, diæceſis domicilii principalis ipſius, & illa etiam, in qua fuerit delictum commiſſum, ſi ſua ſit, & duæ aliæ, quæ ſub ipſo ſint, eidem loco magis vicinæ, interdicto ſubjaceant ſupradicto. Et quia eo major erit ipſius confuſio, quo ſua fuerit culpa patientior, quouſque dignam ſatisfactionem præſtiterit, per omnes illius loci, in quo commiſſum eſt facinus, necnon civitatum, & diæceſum vicinarum Eccleſias, quibuslibet diebus Dominicis, & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, excommunicatus publice nuncietur. Et cum abſolvendus fuerit, ſufficienter, & idonee caveat, quod inferendæ pænæ parebit, & auxiliante Domino, pænitentiam peraget injungendam. Civitas autem, quæ præmiſſa, vel eorum aliquod in Epiſcopum ſuum commiſerit, interdicto (donec ſatisfecerit) memorato. Poteſtas vero, Conſiliarii, Ballivus, Scabini, Advocati, Conſules, Rectores, & Officiales ipſius, quocunque nomine cenſeantur, in præmiſſis culpabiles exiſtentes, ſimiliter excommunicationis ſententiæ, a qua (niſi ut præmittitur) non valeant abſolutionis obtinere beneficium, ſint ſubjecti. Quæ omnia tanto magis in Epiſcoporum interfectoribus ſunt ſervanda, quanto in eos ſeverior, quam in præfatos pæna debet exurgere, & gravioris indignationis aculeus deſevire. Nec ſuper.... Sane ſi quis in aliquo caſuum prædictorum fuerit ab excommunicationis ſententia in mortis articulo abſolutus, niſi poſtquam priſtinæ reſtitutus fuerit ſanitati, quam cito commode poterit, conſpectui Romani Pontificis ſe præſentare curaverit, ejus mandatum humiliter recepturus, prout juſtitia ſuadebit: in eandem excommunicationis ſententiam reincidat ipſo facto. Quamvis enim ſuper hoc ſatis plene in jure alibi ſit piovíſum, ne tamen aliquis in hoc ex ignorantia juris ſe ſatagat excuſare, hoc expreſſe præmiſſis duximus annectendum.

In *cap. XI. Bullæ Cœnæ* quod leges in calce hujus Operis, reſervatur pariter Papæ excommunicatio contra injuriam inferentes in perſonam Epiſcopi; quæ excommunicatio partim excedit, partim exceditur ab illa lata in hac Clementina: hic enim excommunicantur bannientes Epiſcopum de quocunque territorio, ibi vero non continentur niſi eumdem bannientes de terra, in qua juriſdictionem, ſeu jus aliquod habet. Rurſus hic excommunicantur etiam ratum habentes, ibi non, tandem ibi excommunicantur hoſtiliter Epiſcopum ſuſequentes, qui tamen hic non continentur. In aliis autem actionibus, tam hæc Clementina, quam dictum *cap.* conveniunt.

Eædem pœnæ inflictæ a Clemente in allata Decretali contra bannientes Epiſcopum, extenſæ fuerunt ab Urbano VI. etiam ad bannientes quoſcunque Eccleſiæ miniſtros, ut ex ejus Conſtitutione, *Quia ſicut* 10. *Decemb.* 1383 in Bullario Cherubini, in ordine h III. relata etiam in VII. Decretalium Clemen. VIII. *tit. de Sent. Excom.* his verbis.

Etſi laicis nulla eſt poteſtas tributa in Clericos, perſonaſque eccleſiaſticas, & eorum bona, tamen tanta eſt nonnullorum laicorum temporalem juriſdictionem obtinentium temeritas, ut non vereantur Eccleſiæ miniſtros, ſæpe etiam in dignitate conſtitutos, bannire, relegare, vel proſcribere, cui quidem audaciæ, ac ſacrilegio providendum omnino eſt. Omnes igitur Principes, Conſiliarii, Magiſtratus, Officiales, quocunque nomine appellentur, omnes ſingulares perſonæ, cujuſcunque fuerint dignitatis, gradus, ſtatus, conditionis, ſive per ſe talia commiſerint, ſive aliis mandaverint, ſuove nomine commiſſa rata habuerint, vel ad ea committenda conſilium, auxilium, vel favorem præbuerint, ipſo facto in ſententiam excommunicationis incidant, nec poſſint ab alio, quam a Romano Pontifice abſolvi, niſi fuerint in articulo mortis conſtituti. Univerſitates vero, ac Communitates talia audentes, locaque ipſa Communitatum, Principum, & aliorum Dominorum, in quibus talia fieri contigerit, ipſo facto eccleſiaſtico interdicto, quod a ſolo Romano Pontifice relaxari poſſit, ſubjaceant.

SE-

SECTIO DCCCCVII.

Caput II. Multorum, *ex Decretali ejuſdem Clementis V. in dicto Concilio Viennenſi.*

Multorum ad nos gravis querela deduxit, quod nonnulli obtinentes temporale dominium, viros ſæpe eccleſiaſticos capere, captoſque, donec ſua reſignent beneficia, aut ne citati ad Apoſtolicam Sedem, ab homine, vel a jure, venire ad ipſam valeant, auſu detinere ſacrilego non verentur, citatos eoſdem in exitu eorum diſtrictuum, utplurimum capientes. Conſiderantes igitur, quantum ex his tam noſtro, & Apoſtolicæ Sedis honori, quam perſonarum eccleſiaſticarum quieto, & proſpero ſtatui non ſine damnanda exempli pernicie derogetur: ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, ut præter ſententiam Canonis, quam facientes, & fieri procurantes præmiſſa incurrere dignoſcuntur, procurantes ipſi perſonæ eccleſiaſticæ exiſtentes, a perceptione fructuum Eccleſiarum ſuarum, ſi fuerint Prælati, triennio ſint ſuſpenſi. Quod ſi inferiores extiterint, eo ipſo obtentis beneficiis ſint privati: illis pœnam incurſuris eandem, qui ne citati (ut præmittitur) ad Sedem Apoſtolicam veniant, ſed ut ſe ſub obtentu hujuſmodi a veniendo excuſent, a Poteſtate ſeculari ſe capi (ut interdum contigiſſe audivimus) procurarint. Sane reſignationes beneficiorum modo ſupradicto extortas (licet a reſignantium ipſorum Prælatis receptæ, aut ratæ habitæ fuerint) nullius omnino decernimus eſſe firmitatis: locorum Ordinariis injungentes, ut poſtquam eis conſtiterit, aliquos ſibi ſubjectos pœnam, & ſententiam incurriſſe præmiſſas, ipſas publicare non differant, executionique debitæ (prout ad eos pertinuerit) demandare.

Excommunicatio hic inflicta, Papæ itidem re, quorum textus habes in calce hujus Operis, ſervata, legitur in *cap. IX. XII. & XIII. Bullæ Cænæ.*

SECTIO DCCCCVIII.

Caput III. Cupientes, *ex Decretali laudati Clementis V. in præfato Concilio Viennenſi.*

Cupientes eos, quos ad obſervantiam jurium virtutum præmia non inducunt, tam adjectarum exaggeratione pœnarum, quam adjiciendarum de novo formidine a temerariis auſibus refrænare, transgreſſores Conſtitutionis, quæ Religioſis Mendicantibus domos ad habitandum, vel loca quæcunque de novo recipere, recepta hucuſque mutare, vel ea transferre in alios cujuſvis alienationis titulo interdicit. Illos etiam Religioſos, qui aliqua, ut audientes a decimarum Eccleſiis debitarum ſolutione retrahant, in ſermonibus ſuis, vel alibi proferre præſumunt, excommunicationis ſubjacere ſententiæ decernimus ipſo facto.

Et quia, niſi fiat quod bonum eſt, a malo abſtinere non ſufficit, Religioſis omnibus injungimus ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, ut quoties populo prædicabunt, in prima Dominica, quarta, & ultima Quadrageſimæ, & in feſtis Aſcenſionis Dominicæ, Pentecoſtes, Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ, Aſſumptionis, & Nativitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Dei, audientes expreſſe ſtudeant informare, ſi ab Eccleſiarum Rectoribus, vel Vicariis, aut loca tenentibus eorundem requiſiti fuerint: necnon & iis, quorum confeſſiones audient, conſcientiam facere, quod decimas ſolvere non omittant. Quod ſi forte in prædicationibus hoc ipſum ſupradictis diebus ſuadere ſcienter omiſerint, per Superiores eorum graviter arguantur. Quibus etiam Superioribus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, ut contra taliter omittentes ſtatuta pœnalia faciant, ſecundum quæ ſic acriter puniant transgreſſores, quod pœna eorum ſit cæteris in exemplum: Conſtitutione bonæ memoriæ Gregorii Papæ X. Prædeceſſoris noſtri circa hæc edita in ſuo nihilominus robore duratura. Qui vero ſcienter poſtpoſuerint confiten-

ſitentibus conſcientiam facere de ſolvendis hujuſmodi decimis, ab officio prædicationis tamdiu maneant ipſo facto ſuſpenſi, donec confitentibus ipſis (ſi hoc ipſum ſibi dicendi commode facultatem habuerint) conſcientiam fecerint: exinde excommunicationis incurſuri ſententiam ipſo facto, ſi prædicare præſumpſerint, prædicta negligentia (ut præmittitur) non purgata. Ad Religioſos tamen monaſteriorum, vel Rectores Eccleſiarum decimas percipientium nolumus hoc extendi.

Sane temerarios violatores Conſtitutionis illius, quæ Religioſis, & Clericis ſecularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel jam electam ulterius non immutent, ſimilem ſententiam (pœna in dicta Conſtitutione contenta in ſuo perdurante robore) incurrere volumus ipſo facto, ab alio, quam a Sede Apoſtolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus abſolvendos: nullis privilegiis, aut ſtatutis, cujuſcunque tenoris exiſtant, ſuper his valituris.

Hæc Decretalis, in ea parte, in qua ſtatuitur, ut Regulares juxta *caput unicum, Cum ex eo, de Exceſſibus Prælator. in VI.* ſub pœnis excommunicationis ipſo facto incurrendæ, nequeant nova loca recipere ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, moderata eſt a Conc. Trident. *cap. 3. ſeſſ. 25. de Regul.* decernente, ne hujuſmodi loca recipiantur ſine licentia Epiſcopi diœceſani.

Idem ſtatuitur in Decretali Gregorii X. relata in *cap. unic. Religionum, §. Confirmatos de Religioſ. domib. in VI.*

Sed quid hodie ſervandum ſit, ſpecialis inſtituetur ſermo parte II. cum de *cit. cap. III. Trid.*

Quod autem ſpectat ad mandatum Religioſis injunctum de prædicandis, & ſolvendis decimis, videtur non eſſe amplius in uſu.

Quoad pœnam excommunicationis in hac Decretali inflictam contra Clericos, & Religioſos inducentes ad immutandam ſepulturam jam electam, hæc ex decreto Clementis XI. extenſa eſt etiam ad ſeculares quoſcunque, & confratres ſocietatum ſecularium ad idem inducentes, reſervata tamen abſolutione, non Papæ, ſed Eminentiſſimo ejus generali pro tempore Vicario, ut in ſequenti additione ad Statutum Cleri Romani *cap. III. §. XXVII. De jure eligendi Sepult. eoque funerandi*, ſed hæc pœna locum habet in Urbe dumtaxat ibi.

= Sciant Regulares, & Clerici ſeculares quicunque, ſeſe incurſuros pœnas a ſacris Canonibus inflictas, præſertim excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, ſi aliquem ad vovendum, jurandum, ſeu fide interpoſita, vel alias promittendum inducant, ut ſepulturam apud eorum Eccleſias eligant, vel jam electam ulterius non immutent =.

Pari, ac majori ratione ſeculares quicunque, & Confratres Societatum ſecularium quarumcunque ſimiliter inducentes quenquam ad eligendam ſepulturam in propriis Confraternitatum Eccleſiis, vel ſepulchris, vel ut jam electam non mutent, ipſo facto incurrant in excommunicationem (& hoc facto verbo cum Sanctiſſimo) Nobis, & Eminentiſſimis Vicariis pro tempore reſervatam, a qua non poſſint abſolvi, niſi facta reſtitutione cadaveris, & omnium emolumentorum, ultra alias pœnas noſtro, noſtrorumque Succeſſorum arbitrio infligendas, edict. Clem. XI. 22. Aug. 1708. in append. n. 5.

Titulus XXXVIII. De Pœnitentiis, & Remiſſionibus.

SECTIO DCCCCIX.

CAPUT I. MANIFESTA.

MAnifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda.

Hæc Decretalis tributa eſt Alexandro I. & etiam Calixto I. ſed in nulla horum Pontificum Epiſtola reperiuntur hæc verba. Extant tamen apud D. Gregorium Magnum *lib. 12. Epiſtolar. Epiſt.* 132. ubi dum inſtruit Fælicem Epiſcopum Meſſanenſem ſuper variis articulis ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantibus, ait = Manifeſta quoque peccata non ſunt occulta correctione purganda: ſed palam ſunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione ſanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur; dum enim unus corripitur, plurimi emendantur: & melius eſt, ut pro multorum ſalute unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum, ſi inter homines hæc ratio cuſtoditur, cum inter jumenta hoc fieri perſæpe cognovimus, ut ea, quæ ſcabiem, aut impetiginem habere videntur, ſeparentur a ſanis, ne illorum morbo cætera damnentur, & pereant. Satius eſt ergo, ut mali aperte corrigantur, quam pro illis boni pereant =.

Ex hac ergo Decretali, & Epiſtola D. Gregorii clare eruitur, publicis peccatoribus publicam injungendam eſſe pœnitentiam.

An autem in praxi eam injungere poſſint ſimplices Confeſſarii, & Pœnitentiarii Epiſcoporum, inſtituetur ſermo parte II. *cum de cap.* VIII. *Tridentin. ſeſſ.* XXIV. *de Reform.*

SECTIO DCCCCX.

CAPUT II. QUI PRESBYTERUM, *ex Decretali deſumpta a Can. XXIV. Synodi Moguntinæ, etiam relata in cap. I. Pœnitentialis Romani.*

QUi Presbyterum occiderit, XII. annorum pœnitentia ei ſecundum Canones imponatur [& infra.] Convictus, uſque ad ultimum tempus vitæ ſuæ militiæ cingulo careat, & abſque ſpe conjugii maneat.

Uſque ad ſeculum IX. notorius Presbytericida XII. annis agere debebat pœnitentiam, & contrahebat impedimentum matrimonii impediens: præterea convictus de hoc facinore, ſi religioſus militaris erat, ipſo facto perdebat cingulum, ſeu militiam, & conſequenter privilegium clericale, & remanebat mere laicus, ſubjectus laico foro.

Verum hodie, tam pœnitentia XII. annorum, quam prædictum impedimentum eſt deſuetudine abrogatum, quorum loco intrat pœna ordinaria homicidii ſacrilegi.

SECTIO DCCCCXI.

CAPUT XI. QUOD IN TE, *ex Decretali Innoc. III. ignotum, cui reſcripta.*

QUod in te .... In illo verbo, per quod pænitentiam morientibus non negamus, Viat. etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipſum decedentibus denegetur. Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam Unctio, quam eccleſiaſtica ſepultura, concedimus tamen ex gratia, ut Clerici decedentes, qui tamen ſervaverint interdictum, in cæmeterio Eccleſiæ, ſine campanarum pulſatione, ceſſantibus ſolemnitatibus omnibus, cum ſilentio tumulentur. Et in conventualibus Eccleſiis bini, & bini, vel ſimul tres, horas canonicas valeant legere, non cantare, januis clauſis, interdictis, & excommunicatis excluſis, & voce ita demiſſa, quod exterius audiri non poſſint: cum & Regularibus ſecundum privilegium Sedis Apoſtolicæ ſit indultum, ut cum generale interdictum terræ fuerit, liceat eis januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce celebrare divina. Recipientibus autem ſignum Crucis non negamus, quominus eis ob reverentiam Crucifixi pœnitentiam, cum poſtulaverint, injungatur: quod & aliis peregrinis poteſt miſericorditer indulgeri.

Hæc Decretalis, In qua Innocentius ſtatuit, ut tempore generalis interdicti, ſive a jure, ſive ab homine, nulla publice divina celebrarentur officia, vel eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrentur, excepta pœnitentia, & Viatico pro morientibus, ac pœnitentia pro Cruce ſignatis, & peregrinis, limitata eſt, & reſpective ampliata a Bonifacio VIII. *cap. Alma mater* XXIV. *de Senten. excommunic. in* VI. & ibi in Gloſs. permittente. I. Ut, quilibet fidelis, etiam corpore ſanus, admitti poſſit ad Sacramentum Pœnitentiæ, modo non ſit excommunicatus. II. Ut in Eccleſiis, & monaſteriis, in loco interdicto ſitis, ſpecialiter non interdictis, dummodo nullam cauſam interdicto dederint, celebrari poſſint Miſſæ, aliaque divina officia ſicut prius, ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, non pulſatis campanis, & interdictis excluſis. III. Ut acquiri, vel amitti poſſint ex Clericorum præſentia, vel abſentia diſtributiones quotidianæ. IV. Ut in feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Virginis pulſari queant campanæ, admiſſis etiam interdictis, dummodo qui ſua culpa cauſam interdicto dederunt, altari non appropinquent, ut in cit. cap. jam ſupra tranſcripto poſt *cap.* XXIV. *Ut Privilegia, tit. de Privileg.*

Præter dictas feſtivitates, quibus publice celebrari poſſunt divina, admiſſis etiam interdictis, ut ſupra a Martino V. Conſt. *Inneffabili*, addita eſt feſtitas Corporis Chriſti cum octava, & a Clemen. VIII. Conſtit. *Sacræ* 17. *Octob.* 1595. reſpectu Fratrum Minorum S. Franciſci, feſtivitates ejuſdem S. Franciſci, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Eliſabeth, ac Martyrum ejuſdem Ordinis, Didaci, & Portiunculæ.

SECTIO DCCCCXII.

Caput XII. Omnis utriusque sexus, *ex Decretali deſumpta a cap. XXI. Concilii generalis Lateranenſis IV. celebrati ſub Innocentio III. an. 1215.*

OMnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipſe illum non poſſit abſolvere, vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, ut more periti medici ſuper infundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.

Præceptum jure divino injunctum cuicunque fideli, cum ad annos diſcretionis pervenerit ſagramentaliter confitendi ſua peccata, quod in hac Decretali adimpleri præcipitur ſemel in anno, tacite declaratum eſt a Concilio Tridentino *cap. 5. ſeſſ. 14. de Pœnit.* intelligendum nempe eſſe de peccatis mortalibus una cum circumſtantiis ſpeciem mutantibus; nam venialia aliis etiam mediis tolluntur, ibi.

Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum adverſus duo ultima decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnunquam animam gravius ſauciant, & periculoſioria ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur: nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt. Verum cum univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant; neceſſum eſt, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confeſſione a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata chriſtifideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt. Qui vero ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pænitentibus imponere: unde alienum a ratione eſt, docere circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe; aut unam tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem.

Præter circumſtantias mutantes ſpeciem, juxta magis communem ſententiam, ex Cathechiſmo Romano deductam *cap. V. de Sacram. Pœnit. §. Sed in Confeſſione*, juſſu S. Pii V. & poſtremo Clemen. XIII. edito, aperiendæ ſunt etiam in confeſſione circumſtantiæ notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem

quæ

quæ licet non mutent ſpeciem phiſicam, mutant tamen ſpeciem moralem, hoc eſt mutant notabiliter judicium Confeſſarii.

Quamvis autem dictum præceptum confitendi ſemel in anno juxta hanc tacitam Tridentini declarationem, intelligendum ſit de mortalibus, praxis tamen Eccleſiæ eſt, ut in Paſchate ante Communionem, quiſque confeſſionem ſacramentalem emittat, licet conſcius ſit peccatorum venialium dumtaxat; tum, ut ſe peccatorem recognoſcat, tum, ut cum majori reverentia ad Euchariſtiam accedat, prout loquitur S. Thomas *Sentent.4. diſt.17. quæſt.3. art.1. quæſtiuncula 3.*

Item quamvis nullibi reperiatur ſtatutum tempus, ſeu dies, intra quos hæc annua confeſſio emitti debeat, mos nihilominus in univerſa Eccleſia receptus, & a Tridentino *loc. cit.* probatus, & tanquam pius, & merito retinendus eſt, ut fideles omnes eam emittant tempore Quadrageſimæ, ibi.

Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſtifideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur: unde jam in univerſa Eccleſia, cum ingenti animarum fidelium fructu, obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc ſancta Synodus maxime probat, & amplectitur, tanquam pium, & merito retinendum.

Et Canone VIII. Anathematizat aſſerentes ſuadendum eſſe Chriſtifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ, ibi.

Si quis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos utriuſque ſexus chiſtifideles, juxta magni Concilii Lateranenſis Conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſtifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ, anathema ſit.

Dictam autem confeſſionem in hac Decretali præcipitur faciendam eſſe proprio dumtaxat Sacerdoti, aut de ejus licentia alieno: ex quo clare infertur ab omnibus parochianis tam laicis, quam Sacerdotibus, & Clericis faciendam cum proprio parocho; a parochis cum proprio Epiſcopo, ab Epiſcopis cum proprio Archiepiſcopo, ab Archiepiſcopis cum proprio Patriarcha, a Patriarchis, & aliis Prælatis exemptis immediate Papæ ſubjectis, necnon habentibus ſupra ſe alium Superiorem, ut Cardinales, cum Papa, aut cum majori ejus Pœnitentiario.

Verum hujuſmodi præcepto derogatum eſt a Gregorio IX. quoad Epiſcopos, alioſque Superiores, & minores Prælatos exemptos, tribuente ipſis facultatem ſibi eligendi diſcretum Confeſſarium ſine licentia propriorum reſpective Sacerdotum, ut ex ſequenti Decretali, relata *hoc eod. tit. cap.16.*

Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut etiam, præter ſui Superioris licentiam, providum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem.

Quoad reliquos vero, ut licite, & valide confiteri poſſint Sacerdotibus tam ſecularibus, quam regularibus ſine licentia proprii parochi, approbatis tamen a ſuis reſpective Epiſcopis, tacite derogatum eſt a Concilio Tridentino *ſeſſ.XIV. cap. VII. de Pænit. & ſeſſ. XXIII. cap. XV. de reform.* tribuente facultatem abſolvendi quoſcunque cuilibet Sacerdoti, ſive ſecularis, ſive regularis ſit, a proprio Epiſcopo approbato, qui eſt primarius omnium ſuorum ſubditorum Sacerdos, ibi.

Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale benefic. aut ab Epiſ. per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obſtantibus.

Imo reſpectu Regularium expreſſe eis ante Tridentinum tributa erat eadem facultas a Clem. V. ut ex ipſius Decretali relata in *Clementina II. Dudum §. Statuimus, de Sepult.* & a Joanne XXII. *cap. II. Vas electionis, de Hæreticis, in Extravag. commun.* audiendi ſecularium confeſſiones etiam cum declaratione, quod per hujuſmodi confeſſiones ſatisfiat Eccleſiæ præcepto, de quo in *cit. cap. Omnis utriuſque*. In dicto cap. *Vas electionis* Joannes ita definivit contra errorem Joannis de Poliaco, Doctoris Pariſienſis.

Quos etiam articulos omnes, & ſingulos idem magiſter Joannes, veris ſibi rationibus opinioni dudum ſuæ habitæ contrariis demonſtratis, in Conſiſtorio revocavit, aſſerens ſe credere eos non veros, ſed ipſorum contrarium verum eſſe, & dicens; ſe neſcire rationibus ſibi factis in contrarium reſpondere. Ideoque, ne per aſſertionem, prædicationem, & doctrinam hujuſmodi in errorem (quod abſit) animæ ſimplicium prolabantur, omnes articulos, & quemlibet eorum tanquam falſos, & erroneos, & a doctrina ſacra devios, auctoritate Apoſtolica, condemnamus, & reprobamus de Fratrum noſtrorum conſilio prædictorum, doctrinam contrariam, veram, & contrarium eſſe catholicum aſſerentes: ſcilicet quod illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam ſi ea alias confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti, juxta Concilium generale.

Intellige tamen, ſi dicti Regulares approbati fuerint ab Epiſcopo diœceſano juxta Conſtitutionem Clementis X. *Superna*.

Præcitatum tamen Tridentini decretum, & Conſtit. *Superna*, quoad prærequiſitam Epiſcopi approbationem reſtringitur ad audiendas confeſſiones ſecular. etiam Sacerdot. non vero ſuorum Religioſorum; ideoque ad audiendas horum Confeſſiones non requiritur approbatio Epiſcopi, ſed confiteri poſſunt iiſdem, quibus ante Tridentinum vigore propriorum ſtatutorum, aut juris communis poterant, cum approbatione videlicet ſuorum Superiorum, Generalis nempe, aut Provincialis reſpective, cum Concilium circa illos nihil innovaverit.

Excipe hodie Moniales, etiam Regularibus ſubjectas, quarum Confeſſiones iidem Regulares audire nequeunt ſine approbatione Epiſcopi diœceſani, cum limitatiooe tamen, ut notabo parte II.

Præcipitur pariter in hac Decretali, ut pœnitens ſtudeat pro viribus implere pœnitentiam injunctam, ex quo duo clare inferuntur.

I. Tenere illam implere non ante abſolutionem; ſed poſt, ut falſa aliquorum irrepſit opinio, ab Alexandro VIII. proſcripta 7. Octobris 1690. *in ordine la XVI.* quæ ita ſonabat = Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio naturæ rei id ipſum quodammodo dictantis = qui error innovatus a Paſchale Queſnellio, damnatus iterum fuit a Clem. XI. Conſtit. *Unigenitus, propoſitione LXXXVII.*

II. Teneri non per alium eam, utpote onus perſonale, implere: & contraria opinio proſcripta pariter fuit ab Alexandro VII. 24. Septembr. 1665. his verbis concepta, quæ eſt in ordine la *XV.* = Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere alium ſibi poteſt, qui loco illius pœnitentiam adimpleat =.

Præcipitur itidem in laudata Decretali, ut ſaltem in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiat: quo præcepto, ſi quis negaverit obſtringi fideles, anathematizatur a Tridentino *Can. IX. Seſſ. XIII. de Euchariſt.* ibi.

Si quis negaverit, omnes, & ſingulos chriſtifideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit.

Tempus autem paſchale, intra quod hoc præceptum implendum eſt, concluditur a Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in Albis incluſive, ut declaravit Eugenius IV. Conſtit. *Fide digna 8. Julii* 1440. ibi.

Nos igitur cupientes, purgatum triticum in horreum Domini congregare, & inutilibus contentionibus finem dare, attendentes juxta doctrinam Beati Auguſtini, quod ſolent circumſtantiæ Scripturarum illuminare ſubſtantiam veritatis, & non ſolum adjacentia, ſed etiam præcedentia, & ſubſequentia verba ſunt conſideranda prudenter, cum dicat Canon Eccleſiæ = Omnis utriuſque ſexus fidelis ſaltem ſemel in anno confiteatur (& infra.) Suſcipiens ad minus in Paſcha reverenter Euchariſtiæ Sacramentum, & ſequitur = niſi de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum = dicimus expreſſe non intentionis Legiſlatoris fuiſſe animas illaqueare fidelium ſub culpa mortali ad communicandum præciſe in die Reſurrectionis Dominicæ, ſed terminum ſtatuiſſe a Paſcha ad Paſcham; cum dicit ſemel in anno, & infra ad minus in Paſcha &c. Mens enim magis, quam verborum ſonus, eſt attendenda diſcrete. Intelligimus itaque optimo jure ſatisfactum eſſe Canoni, ſi in hebdomada ſancta, vel infra octavam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ, ſecundum meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, & aptiorem mentis devotionem, fideles, præparatione debita, Sanctum Euchariſtiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem: & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere,

Quod

Quod ſi quis intra id tempus ſacram Sinaxim non ſumpſerit in ſua Eccleſia parochiali, non ſatisfacit præcepto, etiamſi in alia eam ſuſceperit, puta in Eccleſia Regularium, quibus quamvis interdictum non ſit Euchariſtiam fidelibus adminiſtrare in aliis diebus a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis, eam tamen adminiſtrare nequeunt in die Paſchatis, quamvis ab iiſdem fidelibus ſatisfactum fuiſſet huic præcepto in propria parochia, ut ex ſequentibus decretis Cong. Conc relatis a Benedicto XIV. *de Synod. diœc. lib.IX. cap. XVI. num. 3. pag. 335. edit. an. 1755.* „ Primum prodiit *in cauſa Burdigalen. 9. Julii 1644.* iterumque confirmatum fuit in una *Senonen. 11. Junii 1650. libr. 19. Decretor. pag. 54.* cujus verba ſunt = Sacra Congregatio Concilii, poſt maturam diſcuſſionem, cenſuit, Archiepiſcopum Burdigalenſem non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive non valeant miniſtrare perſonis ſecularibus Sacramentum Communionis; poſſe tamen iiſdem prohibere, ut perſonis ſecularibus die Paſchatis non adminiſtrent dictum Euchariſtiæ Sacramentum, etiamſi dictæ perſonæ ſeculares ſatisfeciſſent præcepto Eccleſiæ, hac de re edito. Alterum emanavit in cauſa Mechlinien. anno 1682. quod in Sacræ Congregationis actis ita legitur adnotatum = Parochi loci Lovanii conquerentes, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſecularibus miniſtrari a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis a Regularibus, & præſertim Societatis Jeſu, prætextu privilegiorum, unde arguunt, juribus parochialibus præjudicium inferri, & Eccleſiæ præceptum eludi, cum non deſint falſo aſſerentes, ſe in Eccleſiis Regularium illi ſatisfeciſſe, libellum porrexerunt Sanctiſſimo Domino noſtro, ut hiſce malis occurreret, vetando Regularibus, ne præfato tempore dictum Sacramentum audeant miniſtrare. Cum autem Sanctitati ſuæ placuerit ad Sacram Congregationem Conc. remittere hujuſmodi preces, Patri Procuratori Provinciæ Belgicæ Societatis Jeſu ſucceſſive communicatas, proponitur dubium = An Patres Societatis Jeſu, aliique Regulares poſſint miniſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſecularibus a Dominica Palmarum uſque, & per totam Dominicam in Albis = Cui dubio die 31. Januarii ejuſdem anni 1682. reſponſum fuit affirmative, excepto die Paſchatis = ita tamen, ut in aliis diebus ſumentes Euchariſtiam a Regularibus intra duas hebdomadas Palmarum, & Paſchatis, non ſatisfaciant præcepto “.

Quæ decreta ſæpius renovata fuerunt ab eadem Congregatione, & præſertim 14. Januar. 1736. in *in Sveſſana jurium parochialium, ut in Theſauro reſolutionum dictæ Congr. tom. VII. pag. 161. & 181.*

Quod ſi quæras, an huic præcepto ſatisfaciant familiares eorundem Regularium, ſacram Sinaxim in ipſorum Eccleſiis ſumentes tempore paſchali, affirmativam ſententiam unanimes Scriptores tuentur, quam etiam amplectitur Benedictus XIV. *Inſtitut. eccleſiaſt. LV. num. 7.* ſi ſequentes in iis conditiones ſimul concurrant ibi „ Pro quo Tridentinum Concilium tres neceſſarias conditiones enumerat, ut nempe *actu inſerviant, intra eorum ſepta, ac domos reſideant, ac ſub eorum obedientia vivant, ſeſſ. XXIV. cap. XI. de reform.* Quare parochiam adire debet in Paſchate qui aliqua ex his conditionibus careat, licet in æde verſetur, quæ pertineat ad monaſterium, eique conjungatur, ipſiuſque circuitu per muros exteriores includatur; quippe per *domum*, monaſteria, per *ſepta* vero clauſtra a Tridentina Synodo intelliguntur; quod Scriptores unanimes affirmant “.

De familiaribus etiam Monialium idem dicendum eſt, ut ex ſententia Cong. Conc. propoſito enim Dubio = An famuli, & famulæ Monialium ſeculares degentes in manſionibus ſitis in atriis monaſteriorum muro circumvallatis, & quæ ſunt contigua monaſteriis, & habent portam, quæ clauditur, teneantur recipere Sacramentum Euchariſtiæ tempore paſchali a parochis, in quorum parochiis monaſterium, & manſiones ſitæ ſunt: *die 19. Septem. 1722.* reſponſum fuit ab eadem Cong. affirmative, & amplius: vi cujus vocabuli *amplius* declaratur, nullam in poſterum de eadem ſatis clara quæſtionem habendam eſſe.

Quod ſi iterum quæras, an etiam Sacerdotes teneantur huic eidem præcepto ſatisfacere in propria parochia.

Huic dubio numquam melius ſatisfactum credo, quam a reſolutione ſequentis caſus, qui legitur *pagina 39. inter alios Bononiæ impreſſos an. 1768. Bononien. diœc. Parochis, atque Presbyteris ad diſſerendum propoſitos, & reſolutos a R. P. D. Joanne Maria Vidario Cler. Reg. Cong. S. Pauli, tunc pro eadem diœceſi Theologo Deciſore, & in Metropolitana Pœnitentiario meritiſſimo, nunc Præpoſito S. Caroli ad Catinarios de Urbe.*

= Caſus II. Sacerdos, cum eſſet læſus brachio, per totum paſchale tempus Sacrum non fecit: attamen in illa non parochiali Eccleſia, in qua per annum quotidie celebrat, una cum cæteris Capellanis, ut moris eſt, in die *Cœnæ Domini* ſumpſit Euchariſtiam. Conqueritur Parochus, quod prædictus Sacerdos ad propriam parochiam non acceſſerit; eundemque contendit per ejuſmodi laicam Communionem, paſchali præcepto haudquaquam ſatisfeciſſe. Qu. Quid dicendum in hac re?

Reſp. Dicendum cum Synodo Tuſculana a Celſitudine Regia Eminen. Henrici Cardin. Ducis Eboracen. anno 1763. celebrata, *part. 3. cap. 9. de Sacrament. Euchariſt. art. 1. §. 14. Sacerdotes, ubicunque paſchali tempore Miſſam celebrent, Eccleſiæ præcepto faciunt ſatis. Quod ſi vel ob infirmitatem, vel alia de cauſa celebrare nequeant, ipſi quoque non minus, ac laici ad ſacra recipienda Myſteria in ſua Parœcia debent convenire.* Quæ Synodalis Conſtitutio novam legem non ponit, ſed diſciplinam Eccleſiæ præclare promulgat, ab antiquis Patrum regulis derivatam. Olim enim Presbyteri ſimplices, qui *Sacerdotes inferioris ordinis* dicebantur, ita in eorum ordinatione propriæ parochiali Eccleſiæ addicti erant, ut extra illam ne Miſſa quidem poterat ab ipſis celebrari. Capitularia Caroli Magni ea ſunt, quæ illius temporis nobis exhibent occidentalis Eccleſiæ diſciplinam: *Nullus Presbyter in alterius parochia Miſſam cantare præſumat, niſi in itinere fuerit; & infra lib. 6. cap. 456. addit. 4. cap. 37. Statutum eſt,*

ut

Digitized by Google

ut unuſquiſque Clericus, vel laicus non communicet in aliena Plebe ſine literis Epiſcopi ſui. Et quamvis viceſſitudine temporum neceſſitas invaluerit, Presbyteros poſſe licite, etiam extra propriam parochialem quocunque tempore Sacrum facere; ita ut ubicunque paſchali tempore Miſſam celebrent, Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant; nihilominus firma ſtetit in ea parte antiqua lex, ut Sacerdotes non celebrantes eo tempore, ipſi quoque non minus, ac laici propriam parochiam teneantur adire, ibique ſacram Communionem recipere. Hinc eſt quod Concilium Lateranen. IV. dum *cap.* 21. *tit.* 18. adultis omnibus paſchale præceptum indixit in propria parochiali adimplendum, nullo facto perſonarum diſcrimine, generatim locutum eſt. Verum cum nulla ferme ſit tam certa obligatio, quæ a quibuſdam in dubium non valeat revocari, Benedictus XIV. Presbyteros illos raro per annum, & præſertim in paſchate, non celebrantes coercet his verbis *tom.* 3. *Notif. edit. Ital. Bononien. Notif.* 14. *Se i predetti Sacerdoti nemmeno nella Paſqua vorranno, o potranno celebrare la Meſſa, li dichiariamo ſottopoſti al precetto di dover andare a communicarſi nella parrocchia, dovendo valutarſi come perſone laiche nel caſo, di cui ſi tratta*. Quemadmodum ergo ſeculares laici, tametſi in die *Cænæ Domini* etiam in ipſamet Cathedrali, ac Matrice Euchariſtiam ſumerent, tenerentur nihilominus iterum ad paſchale præceptum adimplendum in propria parochiali communicare, uti declaravit ſacra Congreg. Conc. apud Benedictum XIV. *tom.* 1. *Notif. edit. Ital. Bononien. Notif.* 18., ita dicendum eſt de Sacerdote in caſu noſtro; de quo merito conqueritur parochus, quod ad propriam parochiam ipſe non acceſſerit, eundemque jure contendit paſchali præcepto haudquaquam ſatisfeciſſe =.

Præcipitur tandem in tranſcripta Decretali, ut ejus ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur. Verum hæc publicatio hodie non ubique ſervatur, ea fortaſſe ratione, quia unicuique ſatis, ſuperque notum ſit.

Huc referendæ ſunt Propoſitiones circa annuam Confeſſionem, & Communionem proſcriptæ ab Alex. VII. 24. Septembris 1665. in ordine Ia.

XIII. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo *injuſte* reprobato.

XIV. Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

Et ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. in ordine Ia.

LV. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

Cum in allata Decretali præſcribatur, ut quilibet fidelis ſolus peccata ſua proprio Sacerdoti confiteatur, huc etiam ſpectat Propoſitio aſſerens, Sacramentum pœnitentiæ perfici poſſe inter abſentes, proſcripta a Clem. VIII. decreto, edito in generali Congregatione Univerſalis Inquiſitionis Romæ, anno 1602. die 30. Junii, & promulgato, ut apud Cherub. in Bullario, Conſtitutione 87. ejuſdem Papæ, hanc Propoſitiunem ſcilicet = Licere per literas, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, & prohibuit: quod ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea, etiam diſputative, tractaverit, niſi forſitan impugnando, vel ad praxim directe, ſeu indirecte deduxerit, excommunicationem latæ ſententiæ ipſo facto incurrat, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, niſi a ſolo Summo Pontifice abſolvi.

In citato decreto hæc facultas abſolvendi expreſſe adimitur = etiam S. R. E. majori Pœnitentiario =.

Nota, quod hoc decretum nedum accipiendum ſit collective, ut loquitur Suarez *diſput.* 21. *de Pæn. ſect.* 4. & alii apud Dianam 3. *par. tract.* 3. *reſol.* 7. quando ſcilicet tam confeſſio, quam abſolutio facta, & data fuerit in abſentia, ſed etiam diviſive, quando nempe confeſſio fiat in abſentia, abſolutio autem detur a præſente Sacerdote, & e converſo, prout declaravit Paulus V. *ſub die* 14. *Jul.* 1605. in Congr. S. Officii, ſimulque decrevit, ut eadem interpretatio expungeretur a P. Suario. Verum circa hanc, & Pauli decretum Dominicus Viva *in Theſi confixa de Confeſ. & abſolut.* §. *ult. pag.* 587. *col.* 2. *edit. Patavii* 1737. hæc habet = Quod attinet ad Suarium hoc ſolum docuit, in eo decreto Clementis non comprehendi caſum moribundi, quando ſcilicet adſtantes teſtantur, quod ille, antequam ſenſibus deſtitueretur, abſolutionem petierit, & ipſe Clemens VIII. declaravit, hunc caſum non comprehendi: oſtendimus enim in hoc caſu, non haberi in rigore Confeſſionem in abſentia per *literas*, aut per internuncium. Cæterum ne interim interpretatio illa Suarii aliis præberet anſam ad dicendum, quod univerſim liceat confeſſio in abſentia, dummodo abſolutio non detur abſenti, aut viceverſa; idcirco, ut notat Moya *tract.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 2. n. 13 Pontifex decrevit, ut ea interpretatio a P. Suario expungeretur; ubi tamen Pontifici innotuit, quod ea interpretatio ſolum deſerviebat ad explicandum, quo pacto caſus moribundi eo decreto non comprehenderetur, & quod diſertis verbis id ſolum doceretur a Suario, permiſit, ut ad communem utilitatem ea Operibus Suarii reſtitueretur, prout legitur loco laudato =.

Ad pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ quod ſpectat, quam incurrit culpabiliter omittens annuam confeſſionem, & Communionem in Paſchate, quamvis juxta communem ſit ferendæ ſententiæ, in aliquibus tamen locis eſt latæ ſententiæ, quæ incurritur ipſo facto in foro conſcientiæ, ut Romæ: ubi præterea tam Interdictum, quam peccatum hujuſmodi culpabilis omiſſionis eſt reſervatum Urbis Vicario: ſicuti excommunicatio lata contra mutuo dantes, vel recipientes ſchedulam, vulgo Biglietto, Communionis peractæ ad fallendum parochos, juxta præſcriptum Innoc. XI. *ſub die* 7. *Apr.* 1688.

A quibus peccato, & interdicto, non autem ab excommunicatione abſolvere poſſunt in foro conſcientiæ dumtaxat, ex conceſſione laudati Innocentii a die immediate ſequenti poſt Dominicam in Albis uſque ad diem Aſcenſionis Domini incluſive, ſoli proprii delinquentium parochi: quo tempore elapſo, recurrendum eſt pro facultate ad ipſum Vicarium, vel ad ejus Viceſgerentem; ſemper tamen pro foro conſcientiæ dumtaxat.

Quod autem ſpectat ad privationem eccleſiaſti-

cæ

cæ ſepulturæ, quæ licet juxta communiorem, & veriorem ſit latæ ſententiæ, *Theſaurus tamen de Pœnis eccleſiaſt. cap. II. verbo Sacramentum* refert, Laymanum dicere ,, Parochos, cum juriſdictionem fo-
,, ri externi non habeant, non facile debere per ſe
,, propria auctoritate illam pœnam exequi, ſed
,, monito, & jubente Ordinario; maxime, ſi omiſ-
,, ſio Sacramentorum poſſit aliqua cauſa excuſari,
,, illud omnes concedunt; quod ſi talis non fuerit
,, propterea per ſententiam nominatim interdictus, ut
,, ſupra, & ſigna contritionis, ſeu pœnitentiæ edi-
,, derit in mortis articulo, cum non potuerit tunc
,, recipere Sacramenta, & de his conſtet ſaltem te-
,, ſtimonio unius, ſepeliri debet eccleſiaſtica ſepul-
,, tura, ut Sylv. Tabiena, & Angel. ubi ſupra, Ar-
,, chid. in *cap. Qui recedunt 26. quæſt. 6.* Layman
,, *lib. 3. tract. 5. de Sepult. c. 12. num. 11.* ubi teſta-
,, tur de communi ".

Ludovicus de Ameno *de Delict. & pæn. tom. 3. tit. 5. §. 1. num. 12.* reiicit opinionem DD. hic citatt, aſſerentium, quod ſi reus non ſit nominatim interdictus, aut ſigna pœnitentiæ, etiam per unicum teſtem teſtificata dederit, ſepeliendus ſit in ſacro, ibi = Li-
,, cet enim talis nominatim interdictus non ſit, ſi ta-
,, men notorium ſit, ipſum doloſe, & culpabiliter
,, negligentem circa Sacramenta fuiſſe, notorium
,, ex conſequenti eſt, ipſum in mortali deceſſiſſe;
,, notorietas enim facti ſupplet ſententiam Judicis,
,, & ſic non debebit in loco ſacro ſepeliri: nec enim,
,, ut opinantur nonnulli, denegatio ſepulturæ eccle-
,, ſiaſticæ illa ſupponit interdictum, ut, ſi hoc la-
,, tum non fuerit, non ſit locus denegationi ſepultu-
,, ræ; una enim pœna eſt ſeparata ab alia, & una
,, eſt ferendæ, alia vero latæ ſententiæ, & ex con-
,, ſequenti hæc locum habet, licet illa non fuerit
,, inflicta. Et hoc magis patet in caſu ſimili, nam
,, in Decretali *text. in cap. Monachi*, §. *Qui vero,*
,, *de Stat. Monach.* contra monachos proprietarios
,, ſancitur excommunicatio ferendæ ſententiæ, &
,, pœna privationis ſepulturæ eccleſiaſticæ, latæ
,, ſententiæ; neque tamen proprietarius repertus, ut
,, privetur ſepultura in ſacro, requiritur, quod fuerit
,, denunciatus excommunicatus, ſed ſufficit notorie-
,, tas, quod in proprietate deceſſerit; ita eſt in ca-
,, ſu noſtro ".

Quoad pœnam tandem ſtatutam in tranſcripta Decretali contra frangentem ſacramentale ſigillum, depoſitionem ſcilicet a ſacerdotali officio, & detruſionem in monaſterium, notandum hanc ſucceſſiſſe loco pœnæ perpetuæ peregrinationis cum nota infamiæ inflictæ a S. Gregorio *Can. Sacerdotes, de pænit. diſtinct. 6.* Hodie tamen neque hujuſmodi detruſio eſt in uſu, ſed commutata eſt ex contraria conſuetudine in pœnam triremium, vel carceris, vel ergaſtuli, etiam ad tempus, aut in perpetuum pro caſuum, & circumſtantiarum varietate.

Nota I. Ex decreto Congregat. generalis Inquiſitionis, auctoritate Innoc. XI. *edito 18. Novembris an.* 1682. proſcriptam eſſe hanc propoſitionem,
,, Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo
,, fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gra-
,, vamine pœnitentis, niſi alias multo gravius ex
,, non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius
,, merito contemnatur. Addita deinde explicatio-
,, ne, ſive limitatione, quod ſit intelligenda de uſu
,, ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine
,, pœnitentis, ſecluſa quacunque revelatione, at-
,, que in caſu, quo multo gravius gravamen ejuſ-
,, dem pœnitentis ex non uſu ſequeretur. Hanc di-
,, ctam propoſitionem, quatenus admittit uſum di-
,, ctæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, etiam
,, cum dicta explicatione præſenti decreto prohi-
,, bent ".

Nota II. Clementem VII. 26. Martii 1591. prohibuiſſe Regularibus hujuſmodi notitiæ uſum ſequenti decreto = Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioratus gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur =.

Nota III. Quod quamvis fractor ſigilli ſacramentalis peccet contra legem naturalem, divinam, & eccleſiaſticam, hodie tamen hujus criminis cognitio, ordinarie loquendo, non ſpectat ad S. Officium, ut uſque ad diem 25. Martii 1619. in praxi fuiſſe teſtatur Cardinalis Albitius *de Inconſtantia in Fide part. 1. cap. 35. num. 88.* ſed ad Ordinarium, exceptis caſibus, in quibus Confeſſarius, aut cum errore in intellectu diceret, licitam eſſe ejus revelationem; vel aliter oſtenderet, ſe male de Sacramentis ſentire, vel quando pluries, & frequenter illud revelaret: vel tandem, ſi eſſet malæ famæ, & alias de hæreſi ſuſpectus, ut notat idem Albitius *loc. cit. a numero 90. ad 93.* ubi refert. an. 1596. 10. Februarii, quendam parochum, qui confeſſionem revelaverat, ſuſpenſum fuiſſe per triennium a cura animarum.

SECTIO DCCCCXIII.

Caput XIII. Cum infirmitas, *ex Decretali, deſumpta a Can. XXI. laudati Concilii generalis Lateranenſis IV. celebrati ſub Innoc. III. an. 1215.*

CUm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem ſanaverat. Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.

Præſenti decreto ſtatuimus, & diſtricte præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, ut medicos advocent animarum, ut poſteaquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medi-

medicinæ remedium ſalubrius procedatur, cum cauſa ceſſante, ceſſet effectus. Hoc quidem inter alia huic cauſam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a medicis ſuaderetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum hujus noſtræ Conſtitutionis, poſtquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgreſſor extiterit, tamdiù ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec pro transgreſſione hujuſmodi ſatisfecerit competenter. Cæterum cum anima ſit multo pretioſior corpore, ſub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ convertatur.

Cum ſalutare hujus Decretalis ſtatutum in deſuetudinem abierit, acceſſit Conſtitutio S. Pii V. *Supra gregem* 8. *Martii* 1566. cum aggravatione pœnarum, ut ſequitur.

Sane, cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem ſanaverat, vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat; ac proptera provide fel. record. Innocentius III. Prædeceſſor noſter medicis præceperit, ut cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, ut animarum medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ægritudine conſtitutis ſuadetur, in deſperationis articulum incidant.

Nos igitur volentes hoc tam ſalutare præceptum nulla temporis præſcriptione aboleri, ſed ſemper obſervari, Conſtitutionem præfatam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innovamus.

Et hac noſtra in perpetuum valitura Conſtitutione, ſtatuimus, & decernimus, quod omnes medici, cum ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, ut idoneo Confeſſori omnia peccata ſua juxta ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die ulterius eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor, ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo ejus conſcientiam oneramus, conceſſerit, & eis per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit, quod infirmi, ut præmittitur, peccata ſua confeſſi fuerint.

Conjunctos vero, ac omnes familiares, & domeſticos infirmi in Domino rogamus, & monemus, ut de infirmitate parochum certiorem faciant, ac tam parochus, quam conjuncti, & familiares præfati infirmum ad confeſſionem peccatorum ſuadeant, & inducant.

Quod ſiqui medicorum præmiſſa non obſervaverint, ultra pœnas in dicta Conſtitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuo ſint infames, & gradu medicinæ, quo inſigniti erant, omnino priventur, & a Collegio, ſeu Univerſitate Medicorum ejiciantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, ubi deliquerint, multentur.

Et ut hæc omnia inviolabiliter obſerventur, volumus, & eadem auctoritate præcipimus, & mandamus, ut nullus poſthac ubique locorum in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas a quovis Collegio, & Univerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti noſtra Conſtitutione contenta, medio eorum juramento coram Notario publico, & teſtibus obſervare in eorum manibus, vel Ordinarii juraverint. Et de hujuſmodi juramento in privilegio, ſeu licentia medendi, ſpecialis mentio fiat. Quod ſi Collegio, & Univerſitates præfatæ, non recepto a promovendis juramento hujuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promoverint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pœnam privationis facultatis alios ulterius doctorandi incurrant.

Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in civitatibus, & diœceſibus propriis præſentes noſtras literas publicari faciant, ac juramentum prædictum a medicis jam promotis, ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus juris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in civitatibus, & diœceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit, eoſdem juramentum hujuſmodi præſtitiſſe, & contumaces, & jurare, ac juramentum hujuſmodi, jam præſtitum exhibere recuſantes, gradu medicinæ, & omnibus privilegiis eiſdem medicis tam conjunctim, quam diviſim, eis, & eorum cuilibet

liber conceſſis per quoſvis etiam Romanos Pontifices, privent, ac ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, donec reſipuerint.

Tam tranſcripta Decretalis, quam Piana Conſtitutio confirmata,& ampliata eſt a Bened.XIII. in Concilio Romano, celebrato anno 1725. *tit.* 32. *cap.* 1. *de Pœnit.& remiſs.*cum additione excommunicationis, ut ſequitur.

Saluberrima quamvis alia Innocentii III. Conſtitutione in Concilio generali declaratum fuiſſe legatur, corporales nonnunquam infirmitates ex peccato provenire, propter quod medicis optimo fuit ibi conſilio præceptum, ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, ut medicos advocent animarum; quatenus, quia, ceſſante cauſa, ceſſat effectus, poſtquam infirmo fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur. Statutum hoc nihilominus tam ſanctum, & ſalutare, in dies contemni videtur ab iis, dum frequenter, gravi cum animarum præjudicio evenire dolemus, quod morbo ingraveſcente, plures ex hac vita ſacramentali ſine confeſſione demigrant. Nos igitur Epiſcopis omnibus jubemus, ut Decretalem ipſam Innocentianam, & Conſtitutionem S. Pii V. quæ incipit *Super gregem Dominicum*, ſuper hoc etiam emanatam, invigilent omnimode obſervari; impoſita contra medicos excommunicationis pœna, ſibi reſervata., ſi tertiam poſt infirmi viſitationem, ab infirmi cura non abſtineant, infirmus dum uſque ipſe pœnitentiæ non ſuſceperit Sacramentum, quod Confeſſarius, relicta apud ægrotantem ſchedula, ejus manu ſubſcripta, teſtari teneatur.

Poſtea vero per organum Cong. Conc. prædicta omnia una cum pœnis extendit ad quoſcunque locos non comprehenſos in cit. Concilio, ut ex ſequentibus ordinationibus, & monitis impreſſis in Appendice laudati Conc. ſub num. XXVIII.

Inerendo quindi ſua Santità alla Coſtituzione del Concilio generale Lateranenſe, celebrato ſotto Innocenzo III. nel 1226. alla Bolla di S. Pio V. emanata agli 8. di Marzo del 1566. ed a quanto ſi è preſentemente inculcato in queſto Concilio Romano, ſotto il titolo *de Pœnitentiis, & Remiſſionibus*, eſpreſſamente ordina, ed altretanto vuole, che uniformemente eſeguano, e facciano eſeguire i Veſcovi, e gli altri Ordinarj de' luoghi nelle proprie dioceſi.

I. Che tutti i Medici, così Fiſici, come Ceruſici di Roma, e di qualunque città, e dioceſi, nel primo giorno, che viſiteranno l'infermo, giacente in letto per qualſivoglia infermità (eccetto quando foſſe podagra, o altra indiſpoſizione, che da ſe ſteſſa non ricercaſſe il letto) debbano primieramente ammonire l'infermo medeſimo, perchè chiami il medico ſpirituale, e ſi confeſſi ſagramentalmente, affinchè, curata l'anima, ſi proceda con più ſalutevole profitto alla curagione del corpo, giuſta il capitolo *Cum infirmitas* del ſovracitato titolo.

II. A tal effetto non laſcia anche la Santità ſua di ammonire, ed eſortare i congiunti, i domeſtici, familiari, e gli amici dell'infermo, acciocchè avviſino ſubito il proprio paroco; e queſto unitamente con loro perſuada, ed induca con parole efficaci, e caritative l'infermo decumbente a confeſſarſi de ſuoi peccati in iſtato più comodo, e profittevole, non men all'anima, che al corpo.

III. Che i Medici, ſcorgendo nel ſecondo giorno non eſſerſi l'infermo già confeſſato, debbano ammonirlo di nuovo, e minacciargli, che non ritorneranno più a medicarlo, ſe nel giorno ſeguente non ſarà loro preſentata la fede della di lui Confeſſione, ſottoſcritta dal Confeſſore.

IV. Che ritornando nel terzo giorno, e non preſentandoſi loro la ſuddetta fede, debbano gli ſteſſi Medici, ſotto pena della ſcommunica maggiore di lata ſenteuza, al Sommo Pontefice, ed a Veſcovi de luogi privativamente, e riſpettivamente riſervata, e di eſſere in oltre dichiarati perpetuamente infami, privi affatto del grado della medicina, diſcacciati, ed eſcluſi dal Collegio de Medici, e puniti anche con pena pecuniaria ad arbitrio, onninamente laſciar di fatto la cura dell' infermo, fino che non coſti ad eſſi, col mezzo della ſudetta fede del Confeſſore, o di eſſer quello già confeſſato, o che il Paroco,

roco, o altro Padre ſpirituale non teſtifichi, anche in iſcritto, aver egli per qualche motivo ragionevole (ſul quale ſi grava la lor coſcienza) conceduto altro determinato tempo a far la di lui confeſſione; dopo il quale, non avuta la detta fede, ſian tenuti ſotto le preſcritte pene, laſciar nuovamente la cura.

V. Ed acciocchè intorno al dar fuori la precettata fede, non ſi manchi da Confeſſori, con pregiudizio degli ammalati, e con iſcuſa de Medici, ordina ſua Santità a tutti i Confeſſori, anche Regolari, di qualunque Ordine, o Inſtituto eſſi ſiano, eziandio della Compagnia di Gesù, ſotto pena, riſervata pur riſpettivamente alla Santità ſua, ed a Veſcovi de luoghi, della ſoſpenſione ipſo facto dall' udire le confeſſioni, che ſubito, ſenza far paſſare lo ſteſſo giorno, laſcino in mano dell' infermo, o di chi in caſa gli aſſiſte, la fede, o il teſtimoniale di aver eglino udito la confeſſione di tale infermo, o della proroga da eſſi concedutali, di farla in altro tale giorno determinato.

Finalmente in eſecuzione di quanto qui ſi preſcrive, deſidera la Santità ſua, che da ciaſchun Veſcovo ſe ne formi editto particolare, da publicarſi nella propria dioceſi, dopo la di cui publicazione, ſotto le pene ad arbitrio de medeſimi Veſcovi, vuole ancora ſua Santità, che da eſſi ſi aſtringano, col mezzo del giuramento, tutti i Medici alla precettata oſſervanza, la quale in ſomma non contiene, che un ſommario della riferita Bolla di San Pio Quinto.

Nota I. Quod quamvis in tranſcripta Pii Conſtitutione declaretur, Medicos contravenientes ſtatuto allatæ D. cretalis incurrere pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, putat tamen *Theſaurus de pœnis eccleſiaſt. cap. I. verb. Medicus* cum DD. ibi cit. non inde ſequi hodie eſſe latæ ſententiæ, cum verbis illis, *incurrere declaramus*, deficiat particula, *ipſo facto*.

Nota II. Attenta tamen noviſſima declaratione Bened. XIII. excipiente morbos dumtaxat arcteticos, corrigendos eſſe DD. qui ſcoterunt, hoc pœnale præceptum Medicos non afficere, ſi non agatur de morbis actu periculoſis, vel juxta prudens ipſorum judicium periculoſis efficiendis. Ita etiam corrigendos eſſe dictitantes, laudatam Pianam Conſtitutionem in deſuetudinem abiiſſe, cum hodie ſpeciatim innovata fuerit a Benedicto.

Nota III. In dubium revocari = Utrum Medicus ægrotum deſerere teneatur, ſi poſt tertium diem, a S. Pio V. conſtitutum, & a Congr. Conc. ut ſupra, quarto loco iterum præfixum, confiteri recuſet. Cui dubio ita reſpondet Benedictus XIV. *Inſtit. eccleſiaſt. XXII. num. 17.* = Si morbus adeo gravis eſt, ut ſine ope Medici mortis periculum immineat, tunc Pontificis decretum ita explicari poſſe Theologi, Canonum Interpretes, ac Medici unanimes fatentur, ut tunc vim non habeat, videlicet, ut ægroto, ſi forte convaluerit, ad meliorem frugem redeundi locus relinquatur =.

SECTIO DCCCCXIV.

CAPUT XIV. CUM EX EO, *ex Decretali deſumpta a Canone LXII. laudati Concilii Lateranenſis IV.*

In hac Decretali, cujus textus tranſcriptionem omitto, decernitur.

I. Ut quia per indiſcretas Indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verebantur, penitentialiſque ſatisfactio enervabatur, cum dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis dedicetur: ac deinde in anniverſario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis penitentiis indulta remiſſio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum literis præcipitur moderari, quæ pro quibuslibet caſibus aliquoties conceduntur; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueverit obſervare.

Idem decrevit, & confirmavit Honorius III. in *cap. XV. Noſtro, hoc eod. tit.* ac Innocentius IV. in *cap. I. Romana, in VI.*

II. Ut Quæſtuarii, ſeu collectores eleemoſynarum pro hoſpitalibus nihil populo proponant, niſi quod in literis Papæ, vel Epiſcopi continetur. Ponit etiam formam talium literarum, in quibus nulla continetur Indulgentia determinata, ſed tantum in genere dicitur = in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus eis eleemoſynas, & grata ſubſidia erogetis =

Ad immoderatam Indulgentiarum conceſſionem quod ſpectat, non diſſimilis fuit ſenſus Conc. Trid. quod ideo *ſeſſ. XXV. in decreto de Indulgentiis*, ita loquitur.

In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate eccleſiaſtica diſciplina enervetur.

Quoad

Quoad conceſſionem vero Indulgentiæ in Dedicatione Eccleſiæ, ejuſque anniverſario, attendenda eſt poſterior Decretalis Bonifacii VIII. relata in *cap. III. Indulgentiæ*, *hoc eod. tit. in VI.* nullas declarantis quaſcunque alias ab Epiſcopo conceſſas ultra præſcriptas ab hoc Lateranenſi Concilio, ibi.

Indulgentiæ, quæ ab uno, vel pluribus Epiſcopis in Eccleſiarum dedicationibus, vel aliis quibuſcunque caſibus conceduntur, vires non obtinent, ſi ſtatutum exceſſerint Concilii generalis.

Quoad Quæſtuarios tandem eleemosynarum, tranſcriptæ Decretali *Cum ex eo*, derogatum eſt tum a Conc. Trid. *ſeſſ. V. cap. II. & ſeſſ. XXI. cap. IX. de reform.* tum a S. Pio V. Conſtit. *Etſi domini ci*, ut notabo parte II.

Eodem Titulo in VI.

SECTIO DCCCCXV.

Caput I. Romana, *ex Decretali Innocentii IV. in Concilio generali Lugdunenſi I. celebrato anno 1245.*

Romana Eccleſia (& infra.) Quæſtoribus autem fabricæ Rhemen. Eccleſiæ, Rhemen. Archiepiſcopus, ſive ejus officiales, citandi Suffraganeorum ipſius Eccleſiæ ſubditos (quos iidem Quæſtores ſibi reſiſtere, aut nolle parere dixerint) ut ſuper hoc compareant. coram ipſis, nequaquam tribuant poteſtatem. Super benigna vero ipſorum receptione, ac ſubventione ipſi fabricæ facienda, poſſunt eoſdem Suffraganeos, & alios Chriſtifideles Rhemen. Provinciæ charitative monere. In concedendis quoque Indulgentiis non excedat Rhemen. Archiepiſcopus ſtatutum Conc. generalis.

Huic pariter Decretali, admittenti Quæſtores eleemosynarum, derogatum eſt, ut ſupra.

SECTIO DCCCXVI.

Caput II. Si Episcopus, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Si Epiſcopus ſuo ſubdito conceſſerit, ut ſibi poſſit idoneum eligere confeſſorem, ille, quem is elegerit, in caſibus qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur, nullam habet penitus poteſtatem: cum in generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. Nulla quoque poteſt conſuetudine introduci, quod aliquis præter ſui Superioris licentiam, confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere, vel ligare.

Quæ huic Decretali acceſſerint, quoad facultatem abſolvendi a caſibus Epiſcopo reſervatis, notabo parte II.

Eodem Titulo in Clementinis.

SECTIO DCCCCXVII.

Caput II. Abusionibus, *ex Decretali Clementis V. in Concilio generali, celebrato Viennæ in Gallia an. 1311.*

Huic pariter Decretali, cujus tranſcriptionem omitto, cum nihil aliud contineat, admittenti Quæſtores Indulgentiarum, & eleemosynarum, derogatum eſt ut ſupra.

Ccccc 2 Ex-

Eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

SECTIO DCCCCXVIII.

Caput I. Antiquorum, *ex Decretali Bonifacii VIII, edita 8. Kalendas Martii* 1300,

In hac Decretali Bonifacius omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui quolibet anno centeſimo Baſilicas Urbis quindecim diebus reverenter viſitaverint, non ſolum plenam, & largiorem, immo pleniſſimam omnium peccatorum veniam conceſſit. = Unuſquiſque autem. inquit, plus merebitur, & Indulgentiam efficacius conſequetur, quo illas Baſilicas amplius, & devotius frequentabit =. Verum hic annus centeſimus Jubilæi an. 1350. reductus eſt a Clemente VI. ad annum quinquageſimum, ut in *cap. II. Unigenitus, hoc eod. tit.*

Qui tandem annus quinquageſimus 5. *nonas Martii* 1448. redactus eſt a Paulo II. ad quemlibet annum vigeſimumquintum, appoſita tamen ea clauſula, ut in anno Jubilæi ſuſpendantur omnes aliæ Indulgentiæ plenariæ, & facultates Apoſtolicæ confeſſariis conceſſæ, v. g. commutandi vota, abſolvendi a reſervatis in toto mundo extra Romam, ut in ejus Decretali relata in *cap. III. Etſi dominici, hoc eod. tit.*

Ad ſuſpenſionem, & facultatem abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis, durante anno Jubilæi, quod ſpectat, de quibus in cit. Pauli Decretali, attendenda eſt noviſſima Conſtitutio Benedicti XIV. *Cum nos nuper 16. Kalendas Junii* 1749. in qua etiam declaratur, quæ Indulgentiæ ſuſpenſæ non ſint.

Itaque, præſervatis, & firmis remanentibus Indulgentiis conceſſis in articulo mortis, ac facultatibus, ſeu Indultis illas impertiendi, ſeu communicandi, tam Venerabilibus Fratribus Epiſcopis, ac dilectis Filiis Prælatis locorum Ordinariis in vim, ſeu ad formam noſtrarum literarum nonis Aprilis anni 1747. editarum, quam aliis quibuſcunque communiter, aut perſonaliter, ſeu pro certo perſonarum genere, gradu, aut numero, conceſſis; iiſque pariter, quas felic. record. Prædeceſſor noſter Benedictus Papa XIII. cunctis fidelibus ſalutationem Angelicam, ſeu alias preces de tempore, mane, aut meridie, ſeu veſpere ad campanæ pulſum, de genu, vel, juxta dierum, & temporum rationem, ſtando recitantibus; item Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum, quam ipſe Benedictus, noviſſimo Jubilæi Anno durante, omnibus chriſtifidelibus, tam in Urbe, quam extra eam ubicunque degentibus, qui ſacramentaliter confeſſi, & ſacra Communione refecti, vel ſaltem vere contriti, & cum firmo propoſito confitendi, Eccleſias, in quibus Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pro oratione Quadraginta horarum, eo anno durante, expoſitum eſſet, devote viſitaſſent, ibique juxta Sanctæ Matris Eccleſiæ mentem oraſſent, toties, quoties id egiſſent, benigne conceſſit; quamque Nos etiam, illius exemplo, pro proxime incunte Jubilæi anno, & tam pro Urbe, quam pro aliis ubique locis, præſentium tenore, libenter concedimus, & elargimur. Atque illis etiam, quas ſimilis memoriæ Innocentius XI. & Innocentius XII. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, Fidelibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, cum ad infirmos defertur, devote comitantibus, vel lumen, aut facem per alios ea occaſione deferendum, ſeu deferendam mittentibus, ſimiliter conceſſerunt; tum etiam Indulgentiis a S. R. E. Cardinalibus de latere Legatis, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, ac Epiſcopis, in uſu, ſeu exercitio Pontificalium, aut impertinenda benedictione, aliave forma conſueta, concedi ſolitis. Item ſalvis, & firmis remanentibus Indulgentiis Altarium Privilegiatorum pro Fidelibus Defunctis, aliiſque eodem modo pro ſolis ipſis defunctis conceſſis; atque etiam aliis quibuſcunque Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, alias pro vivis conceſſis, ad effectum dumtaxat, ut chriſtifideles illas animabus Fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii directe applicare valeant; quas omnes, & ſingulas, licet pro eo quod reſpicit vivorum favorem, hoc Jubilæi anno durante, generaliter, ut infra, ſuſpenſas, ad prædictum tamen effectum, ipſius anni decurſu, etiamſi in earum conceſſionibus hujuſmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui injuncta in ipſis conceſſionibus opera cum debitis diſpoſitionibus impleverint, acquiri poſſe concedimus, & indulgemus.

Cæteras omnes, & ſingulas Indulgentias, tam plenarias, quam non plenarias, etiam perpe-

perpetuas, & peccatorum remiſſiones, ac facultates, & indulta abſolvendi, etiam a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, ſeu relaxandi cenſuras, commutandi vota, aut diſpenſandi etiam ſuper irregularitatibus, & impedimentis, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam laicorum, Univerſitatibus, & piis locis, illorumque Ordinibus, capitulis, conventibus, Magiſtris, Superioribus, & tam ſecularibus, quam quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum, regularibus perſonis, coroniſque, granis, imaginibus, & numiſmatibus ex metallo, ſeu quacunque alia materia confectis, tam ſingulariter, quam univerſaliter, per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipſis etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacunque alia mundana, vel eccleſiaſtica dignitate fulgentibus, etiam adinſtar Jubilæi, aut alias quomodocunque, & ex quibuſvis cauſis, & occaſionibus, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac alias quomodolibet conceſſas, & conceſſa, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præſentibus pro expreſſis haberi volumus, Apoſtolica auctoritate, de eorundem Fratrum conſilio, & aſſenſu, ac poteſtatis noſtræ plenitudine, ſuſpendimus, & ſuſpenſas, ac ſupenſa eſſe declaramus, eaſque, & ea, eodem anno durante, nulli prodeſſe, ac ſuffragari debere. Irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca per præſentes auctoritate Apoſtolica præcipimus, & mandamus, ne interim, præter ſuperius expreſſas, aliæ, quam indicti a Nobis prædicti Jubilæi, Indulgentiæ, ſive publice, ſive privatim, quovis prætextu, ubivis locorum, & gentium, ſub excommunicationis eo ipſo incurrendæ, aliiſque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis, publicentur, vel nuncientur, aut in uſum demandentur.

Titulus XXXIX. De Sententia Excommunicationis.

SECTIO DCCCCXIX.

CAPUT I. SUPER EO, *ex Decretali Alexandri III. Senonenſi Archiepiſcopo, ſeu Bartholomæo, Exonienſi Epiſcopo, juxta Gonzalez, reſcripta.*

Super eo vero, quod conſilium poſtulaſti (& infra.) Reſpondemus, quod ſi Clerici infra puberes annos ſe ad invicem, aut unus alterum percuſſerit, non ſunt ad Apoſt. Sed. mittendi, quia eos ætas excuſat.

Nec Clerici, ſi ſunt plenæ ætatis, & non odio, vel invidia, vel indignatione, ſed levitate incoſa ſe ad invicem percutere contingat, neque magiſter, ſi ſcholarem Clericum intuitu diſciplinæ, vel correctionis percuſſerit: quia non poteſt in ipſis injectio manuum violenta notari. Cæterum ſi ex odio iidem ſcholares, vel ſeculares Clerici ſeſe percuſſerint, pro ſua abſolutione debent ad Apoſtol. Sedem venire.

Huic Decretali, in qua reſervabatur Papæ facultas abſolutionis pro injurioſa percuſſione Clerici, indiſcriminatim ſumpta, etiamſi fuerit levis, acceſſi, Decretalis Clementis III. relata in *cap. XVII. Pervenit, hoc eod. tit.* in qua pro levi indulgebatur Epiſcopo abſolvendi facultas, immo etiam pro mediocri, cum Pontifex ſolam enormem videatur excluſiſſe, ibi.

Pervenit ad Nos (& infra.) De his abſolvendis, qui Clericis non enormem, ſed modicam, & levem injuriam irrogarunt, tuæ Fraternitatis arbitrio duximus committendum.

Quæ autem ſit percuſſio levis, declaratur in ſequenti Extravaganti, relata a Navarro *in Manuali cap. XXVII. num.* 91. quam notat, perperam adſcribi Joanni XXII. cum ante cujus tempus allegaverit Hoſtienſis in *c. Pervenit, de Sent. excommun.* = Perlectis & infra. Reſpondemus percuſſionem levem

eſſe

eſſe pugni, palmæ manus, pedis, digiti, aut baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam, neque ſuggillationem earnium relinquit, neque abſcindit membrum, ſine effractione dentium, ſine avulſione multnrum capillorum, ſine effuſione multi ſanguinis. Nolumus tamen dicere, quod hujuſmodi levis percuſſio, ut pugni, aut unguis fiat atrox ob multi ſanguinis effuſionem. Ad judicandum tamen quæ læſio ſit levis, mediocris, aut enormis, volumus diligenter perpendi, non ſolum factum, ſed etiam qualitatem ejus, & modum percutiendi, & lædendi eum omnibus ſuis eircumſtantiis loci, perſonæ, & aliis: perſonæ, ſi eſt magiſter, judex, Prælatus, pater, patronus, aut dignitas, percuſſus injuſte a ſubdito, aut ab alio ſe viliori, quia ex hoc interdum cenſentur graves injuriæ, quæ ex ſe ſunt leves, aut mediocres. Et quia conditio negocii non patitur integram determinationem hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares, quæ ſit levis, & quæ enormis injuria, admonentes, ut potius declares in dubio eſſe percuſſionem gravem, & ab ea non poſſe abſolvere, quam declarando levem eſſe, occaſionem præbeas lædendi ſtatum eccleſiaſticum =.

Item, ſi percuſſio fuerit occulta, etiam enormis, acceſſit decretum Conc. Trident. *cap. VI. ſeſſ. XXIV. de reform.* vi cujus Epiſcopus abſolvere poteſt nedum ab hac, ſed etiam a quacunque alia cenſura occulta Papæ reſervata, cujus textum leges infra parte II.

Imo etiam „ Confeſſarii Regulares (ita Remi-
„ gius Maſchat *in Inſtit. canon. hoc eod. tit. n.44.*)
„ in privilegiis communicantes in foro conſcientiæ
„ abſolvere poſſunt a percuſſione quacunque,
„ etiam enormi, dummodo ſit occulta, & quidem
„ ſine onere præſentandi ſe conſpectui Apoſtolico:
„ nam *cap. 13. & 58. hoc tit.* ſtatuit onus illud im-
„ poni ab iis, qui non habent privilegium abſol-
„ vendi, ſed tantum in caſu impedimenti abſol-
„ vunt".

Præterea in hac eadem Decretali præcipitur, ut ſi quis ex odio Clericum percuſſerit, perſonaliter accedere debeat ad Urbem pro abſolutione obtinenda, quod jam præceperat Innocentius II. in Concilio generali Lateranenſi II. celebrato *an.* 1139. *Can. XV.* qui etiam refertur a Gratiano *cauſa XVII. qu.4. Can. XXIX.* his verbis exaratus.

Item placuit, ut ſi quis, ſuadente diabolo, hujus ſacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat: & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat. Præcipimus etiam, ut in eos, qui ad Eccleſiam, vel cæmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat; quod ſi fecerit, excommunicetur.

Verum hodie hujuſmodi perſonalis acceſſus non amplius præcipi ſolet, niſi in gravioribus quibuſdam exceſſibus, quorum circumſtantiæ maximum populo ſcandalum ingerant; ut in percuſſione proprii Parochi, & ſimilibus, juxta ſtylum S. Penitentieriæ: & tunc quidem, non ut tales delinquentes Romæ abſolvantur, cum ab eadem S. Pœnitentiaria remittantur in forma Miſſi ad eorum Ordinarios pro abſolutione, ſed ut aliquantulam peragant pœnitentiam commiſſi delicti, unde cæteri magis a ſimilibus perpatrandis facinoribus retrahantur. Pro abortu autem, etiam occulto, a Presbytero perpatrato, dicta Sac. Penitentiaria committere ſolet intra Italiam Confeſſario facultatem eum abſolvendi; injuncto tamen onere accedendi intra certum tempus ad limina Apoſtolorum.

Quapropter ſufficiet, ut percuſſor Clerici recurrat ad Summum Pontificem, ſeu ad Sacram Pœnitentiariam, ſi cauſa non ſit deducta ad forum, per literas, aut per procuratorem pro obtinenda facultate abſolutionis.

SECTIO DCCCCXX.

Caput II. Monachi, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III.*

Monachi vero, & Canonici Regulares quocunque modo ſe in clauſtro percuſſerint, non ſunt ad Apoſt. Sedem mittendi, ſed ſecundum providentiam ſui Abbatis diſciplinæ ſubdantur: etſi diſcretio Abbatis non ſufficit, ad eorum correctionem eſt providentia diœceſani Epiſcopi adhibenda.

Vi hujus Decretalis patet, poſſe Prælatos regulares abſolvere pro utroque foro ſuos Religioſos ob quamcunque percuſſionem, etiam enormem, Religioſi ejuſdem ſui Ordinis, ut clare deducitur ex illis verbis = quocunque modo ſe in clauſtro percuſſerint = imo etiam pro percuſſione cujuſcunque Clerici ſecularis, prout probat Ludovicus de Ameno, ut dicam infra ad *caput XXXII. Cum illorum, hoc eodem titulo.*

S E C T I O D C C C C X X I.

Caput III. Si vero, *ex Decretali laudati Alexandri*.

SI vero alicujus Poteſtatis Oſtiarius ſub prætextu ſui officii malignatus, Clericum læſerit, ab Epiſcopo ſuo poteſt abſolvi, niſi forte eundem Clericum graviter vulneravit. Officialis vero pro injectione manuum in Clericum, non poteſt ſine mandato Rom. Pontif. abſolutionis beneficium promereri, quia nulli laico ſuper Clericum tanta datur auctoritas, niſi forte turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, ſed fortuito caſu Clericum lædat. Si vero Clericum vim ſibi inferentem vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sed. Apoſt. tranſmitti, ſi in continenti vim vi repellat: cum vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant. Nec ille compellendus eſt ad Sed. Apoſt. venire, qui in Clericum cum uxore, matre, ſorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas. Cæterum, ſi in ſtupro, vel adulterio, quod committit cum ea, quæ ipſum ita proxima conſanguinitatis linea non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus injecerit, non erit a ſententia illius excommunicationis immunis.

Cum etiam in hac Decretali imponatur onus perſonaliter accedendi ad Sedem Apoſtolicam pro obtinenda abſolutione ob gravem Clerici percuſſionem, recolenda ſunt notata ſupra ad *caput I. Super eo* pag. 757.

S E C T I O D C C C C X X I I.

Caput IV. Si vero, *ex Decretali ejuſdem Alexandri*.

SI vero aliquis in Clericum, nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apoſtolico ſe præſentare conſpectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipſum eſſe Clericum ignoraverit. Vel ſi hoc dubium fuerit, propria manu dumtaxat præſtiterit juramentum, quod eum eſſe Clericum ignoraſſet. Ab illo autem (ſi præſtare noluerit juramentum) quia violentas manus conſtat eum in Clericum injeciſſe, ſicut ab excommunicato, donec de mandato Summi Pontificis abſolvatur, convenit abſtineri.

De acceſſu perſonali ad Sedem Apoſtolicam, qui tacite in hac Decretali injungitur, ſicuti & ſi percuſſio Clerici fuerit occulta, dic ut notatum eſt ſupra ad *cit. cap. Super eo* pag. 757.

Juramentum vero, quod hic præcipitur exigendum a reo principali, hodie exigi amplius nequit juxta notata ſupra ad titulum *de Purgatione canonica*.

Quod ſpectat ad præceptum vitandi Clerici percuſſorem, ſi publice conſtet de percuſſione, concordat Extravagans Martini V. *Ad evitanda*.

S E C T I O D C C C C X X I I I.

Caput V. Non dubium, *ex Decretali laudati Alexandri III. Abbatibus, Prioribus, & aliis eccleſiaſticis viris per Eboracenſem Epiſcopatum conſtitutis*.

NON dubium eſt, quod hi, qui violentas manus in Clericos, vel Canonicos, aut cujuslibet Religionis Converſos injiciunt, ex Conſtitutione Concilii ſententiam excommunicationis incurrunt, nec niſi in articulo mortis, ſine Rom. Pontifice abſolutionis poſſunt beneficium impetrare.

Pontifex in hac Decretali ſe refert ad Canonem *Si quis ſuadente* Concilii generalis Lateranenſis II. ſupra tranſcriptum pag. 758.

Quia autem indiſtincte declarat, percuſſorem Clerici abſolvi non poſſe, niſi a Romano Pontifice, excepto mortis articulo, ideo attendenda eſt regula, & limitatio ſupra allata ad *caput I. Super eo* p. 757.

Nota I. Nomine Clerici venire Prima etiam Tonſura initiatum *cap. XI. Cum contingat, de ætat. & qualit. Ordinandor.* licet conjugatus ſit, *cap.*

caput unic. Clerici, de Cleric. conjug. in VI.

Nota II. Non omnes tamen Clericos gaudere privilegio hujus Canonis, quos recenſet ad hoc item caput Wagnerek, videlicet =.

I. Clericos conjugatos, aut non geſtantes habitum Clericalem.

II. Degradatos realiter juxta *cap. 1. de Pœnis in VI.* non tamen verbaliter degradatos, aut depoſitos, nec ſuſpenſos, aut excommunicatus, aut denique irregulares, niſi jure expreſſum ſit.

III. Qui, deſerto habitu clericali, dedunt ſe enormitatibus *cap. Cum non ab homine, de jud. & de excomm. eod. infra*, *Navar.* his accenſet quoſvis Clericos incorrigibiles. Nec eos.

IV. Qui, relicto habitu clericali, militaria geſtant, & in ſeculari luxu vivunt, *cap. In audientia, & cap. Contingit II.* infra, ſi tertio commoniti, non reſipiſcant.

V. Qui ſe joculatores, aut hiſtriones faciunt: item macellarios, aut laniones agunt, *cap. unic. De vita, & honeſt. Cler. & Clem. I. in VI.* Hi privilegium clericale penitus amittunt poſt trinam admonitionem.

VI. Denique qui beneficium nullum habent, vel habitum, & Tonſuram non deferunt, nec alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi deſerviunt, neque cum ejus licentia in ſtudiis verſantur, juxta Concil. Trid. vide Suar. *diſp. 22. Sect. 1. num. 11.*

Quod licet ſolum loquatur de privilegio fori, extendit tamen idem Suar. etiam ad privilegium Canonis, quaſi ſint connexa, cum præſertim Conc. alleget *cap. unic. de Cler. in VI.* quod loquitur de privilegio Canonis. Sed difficilis eſt extenſio pœnarum ad ſimilia, & licet quis in crimine enormi ſine habitu clericali deprehenſus amittat privilegium fori, debere tamen ad Judicem eccleſiaſticum remitti, ſi alleget ſe eſſe Clericum, ſentit Panorm. in *cap. 1. de Apoſtat.* quem ſequuntur alii =.

Nota III. Nomine Religioſi venire etiam Converſos, de quibus in hac Decretali, licet proprie Religioſi non ſint; ac Novitios, qui ſunt in via ad Religionem, *cap. V. Religioſo, §. Quamvis, hoc eod. tit. in VI.*

Quod ſi quæras, an Eremitæ gaudeant hoc Canonis privilegio; Fagnanus in *cap. II. Nullus, de Foro competen. num. 59.* docet gaudere, ſi vivant in Congregatione, & habeant modum vivendi ab Epiſcopo approbatum; ſecus vero, ſi non vivant in communi, licet auctoritate Epiſcopi deputati fuerint ſervitio alicujus Eccleſiæ, vel Oratorii, & de ipſius manibus ſuſceperint habitum eremiticum, ac probat *num. 61.*

SECTIO DCCCCXXIV.

Caput VI. Mulieres, *ex Decretali dicti Alex. III.*

Mulieres, vel aliæ perſonæ, quæ ſui juris non ſunt, ab Epiſcopo diœceſ. abſolvi poſſunt, ſi manus in Clericos injecerint violentas. De his vero, qui magnæ non ſunt potentiæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sed. Apoſtolicam nequeunt ſuſtinere, reſpondemus, quod ſtatus perſonæ prius, & veritas negotii eſt intimanda Romano Pontifici, & ſecundum conſilium ejus tales erunt de commiſſo ſcelere corrigendi.

Illi vero, qui non per ſe ipſos, ſed eorum auctoritate, vel mandato, alii violenter injiciunt manus in Clericos, ad Sed. Apoſt. ſunt mittendi; cum is committat vere, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur.

Cum ſeculo XII. adhuc vigeret Eccleſiæ diſciplina, ut Clericorum percuſſores perſonaliter accederent ad Sedem Apoſtolicam, abſolutionem recepturi, & periculoſum eſſet mulieribus vagari, ac illi, qui juris ſui non erant, romanum iter arripere non poterant, ideo indultum tunc fuit Epiſcopo, ut tam illas, quam illos abſolveret ob percuſſionem etiam enormem.

Hodie vero cum non amplius exigatur iſte acceſſus perſonalis, & per literas obtineri poſſit pontificia abſolutio, ut notavi ſupra ad *cap. I. Super eo*, pag. 757. tutius crederem non uti hujuſmodi indulto, cum ceſſaverit ejus ratio, & conceſſum duntaxat fuerit, attenta veteri Eccleſiæ diſciplina, ut conſideranti patet.

Ob eandem rationem cæteri percuſſores non amplius mittendi ſunt ad Sedem Apoſtolicam, ut præcipitur in hac Decretali, excepta tamen limitatione allata in *cit. cap. Super eo.*

SECTIO DCCCCXXV.

Caput VII. Porro, *ex Decretali ejuſdem Alexandri, ignotum cui reſcripta.*

Porro, ſi aliqui violentas manus in Fratres ſuos injiciunt, & ducti pœnitentia, non convicti, ſed privatim a te veniam poſtulant, eos monere debes, & inducere, ut his, quos læſerunt, congrue ſatisfaciant, & Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent, cum a te, vel alio ſine ſpeciali mandato Rom. Pontificis abſolvi non poſſint.

Huic

Digitized by Google

Huic Decretali, in qua declarat Pontifex, abſolvi non poſſe ab Epiſcopo occultum percuſſorem Clerici, derogatum eſta Concilio Tridentino *cap.VI. ſeſſ.XXIV. de reform.* ei tribuente facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus occultis, Papæ reſervatis, ut notavi ſupra ad *cap.I. Super eo*, & ne acceſſu perſonali de quo in hac Decretali dic, ut ibidem, pag. 757.

SECTIO DCCCCXXVI.

Caput VIII. Nulli, *ex Decretali laudati Alexandri*.

NUlli ſe poſſunt privilegio Apoſtolicæ Sedis tueri, quominus excommunicatos vitare debeant, & pro violenta manuum injectione in Clericos, ſicut excommunicati vitari.

In hac Decretali declarat Pontifex, quoſcunque excommunicatos vitandos eſſe, etiam a Privilegiatis (ut olim erant Templarii) quamvis nominatim denunciati non eſſent, eo pari modo, quo vitandi ſunt notorii Clericorum percuſſores.

Verum hujus Decretalis ſeveritatem temperavit Conſtitutio, quæ fertur edita a Martino V. in Concilio Conſtantienſi, incohato an. 1414. & ſub ipſo clauſo ſub die 22. Aprilis 1418. quæ tamen non eſt Conſtitutio, ſed Articulus VII. inter alios concordatos a laudato Pontifice cum Natione germanica 15. Aprilis anno primo, relatos poſt *ſeſſ.XLIII.* ejuſdem Concilii, in quo declaratur, vitandos eſſe dumtaxat nominatim denunciatos, ut vitandi, & publicos Clericorum percuſſores, ſi percuſſio nulla poſſit tergiverſatione celari.

Præfatus autem Articulus his verbis extenſus legitur in dictis Concordatis editis ab Harduino in actis Conciliorum *tom. VIII. Pariſiis, ex Typographia Regia* 1714. *pag.*892. *col.* 2.

= In Concordatis Martini V. cum Natione Germanica in Conc. Conſtantienſi 15. Apr. an. 1. editis ab Harduino in actis Conciliorum Tom. VIII. Pariſiis ex Typographia Regia 1714. num.7. pag. 892. col. 2.

VII. De non vitandis excommunicatis, antequam per Judicem fuerint declarati, & denunciati.

Inſuper ad vitanda ſcandala, & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, omnibus Chriſtifidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcunque divinis, vel extra prætextu cujuſcunque ſententiæ, aut cenſuræ eccleſiaſticæ, a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, ac interdictum eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententia, vel cenſura hujuſmodi fuerit in, vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, Communitatem, aut locum certum, vel certa, a Judice publicata, vel denunciata ſpecialiter, & expreſſe; Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque: ſalvo ſi quem pro ſacrilegio, & manuum injectione in Clericum ſententiam latam a Canone adeo notorie conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo juris ſuffragio excuſari: nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abſtineri, juxta canonicas ſanctiones =.

In aſſerta Conſtitutione relata a S. Antonino *parte III. tit. XXV. cap. III.* leguntur hæc alia verba „ Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſ„ penſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendi„ mus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet „ ſuffragari.

Quamvis *num.* 11. eorundem Articulorum legatur, *Duratura hæc Concordata ad quinquennium a data præſentium*: ex certis tamen documentis allatis a laudato S. Antonino *loc. cit.* mens Pontificis fuit, ut hujuſmodi ſanctio perpetuo eſſet valitura „ Duo „ (ſunt verba Antonini) Venerabiles viri famoſi in „ vita, & ſcientia, quorum unus Doctor in Theo„ logia, alter in jure, & Epiſcopus, ſcilicet Domi„ nus Nicolaus de Dinchelſeebuhel, & Dominus „ Andreas, poſtea Epiſcopus Poſnanienſis in Polonia, „ qui fuerunt præſentes in Concilio Conſtantienſi, „ ubi facta fuit dicta Conſtitutio, dixerunt ipſam „ acceptatam ab omnibus, & perpetuam, & unam „ nempe de Concordatis inter Martinum V. & Na„ tionem Germanicam, ut ſupra diximus. Magiſtri „ autem Univerſitat. Pariſienſis acceptaverunt ipſam „ Conſtitutionem, quia in ea dicitur. Omnibus „ Chriſtifidelibus: ſed & dictus Dominicus Andreas „ Pariſienſis Epiſcopus poſt celebratum Concilium „ Senis, cui etiam interfuit, vadens ad Curiam ad „ viſitandum Martinum V. Papam, cum ipſe puta„ ret, dictam Conſtitutionem fuiſſe temporalem, „ ſcilicet per quinquennium, & ſic jam expiraſſet, „ loquens cum Papa, petivit ab eo, ut concederet „ ſibi

„ ſibi ex gratia uti tali ſententia, ſive diſpenſatione,
„ quam continebat illa Conſtitutio. Reſpondit Pa-
„ pa. Vos ſcitis, illam unam eſſe de Concordatis.
„ Et cum ipſe Epiſcopus quinquennalem eſſe obji-
„ ceret, dixit Papa: Ego volo, quod ſemper du-
„ ret. Dominus Julianus Auditor Cameræ Apoſto-
„ licæ, vir jure peritus, & famoſus, poſtmodum Car-
„ dinalis effectus, ſuper hoc conſultus, dixit: Tale
„ indultum datum non ſolum Germanicis, verum,
„ etiam omnibus Chriſtianis, & de jure eſſe per-
„ petuum, quia iſta eſt natura Conſtitutionis ipſius,
„ niſi revocetur. Non fuit autem revocata, ſed in
„ Concilio Baſileenſi confirmata ante ſui diſſolutio-
„ nem “.

Et quamvis Concilium Baſileenſe excludat, etiam quoſcunque notorie excommunicatos, licet nominatim non denunciatos, ſicuti etiam Concilium Lateranenſe V. ſub Leone X. ex contrario tamen uſu recepto acquieſcendum eſſe ſubdit Natalis ab Alexandro in *Theolog. Dogmat. tract. de Cenſur. tom. V. lib. II. reg. XXVII. pag. 98. edit. Pariſien.* 1694. imo aſſerit in gallicanæ Juriſprudentiæ praxi nullam admitti notorietatem facti, ſive agatur de percuſſione Clerici, ſive de alio quocunque delicto, niſi legitimis inquiſitionibus, ſeu documentis, vel ipſius rei confeſſione probatum fuerit, juxta regulam deſumptam a ſermone CCCLI. alias *Homilia L. S. Auguſtini* = Nos vero a communione prohibere quemquam non poſſumus (quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis) niſi, aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum =.

Ad quem Galliæ uſum firmandum Pontas, verbo *Excommunicatio caſu XXVII.* in medium affert Decretalem Alexandri III. relatam in *cap. IX. Parochianos, de Senten. excomm.* in qua Pontifex mandat denunciari ut vitandos percuſſores Monachorum & Converſorum Ordinis Ciſtercienſis.

Quod autem, non obſtante poſteriori declaratione Concilii Baſileenſis, & Lateranenſis V. uſu recepta ſit allata Martini Sanctio, audiatur Bened. XIV. *de Synod. diœc. lib. XII. cap. V. num. 4. edit. an.* 1755. contra Fagnanum „ Quamvis vero Fagnan. in *cap.*
„ *Quod a Prædeceſſore*, *num. 55. de Schiſmat.* pro-
„ bare conetur, evitandos etiam eſſe quoſcunque,
„ qui facti notorietate certe dignoſcuntur in ex-
„ communicationem incidiſſe, juxta poſteriorem ſan-
„ ctionem Concilii Lateranenſis V. *ſeſſ. II.* §. *Statui-*
„ *mus autem*, ejus tamen doctrina fere communiter
„ rejecta eſt, cum ubique manibus ſit recepta lau-
„ data Conſtit. *Ad evitanda*.

„ Ex hac igitur Martini Sanctione inferunt
„ Theologi, & Canoniſtæ quamplures, inter quos
„ præfatus Natalis *loc. cit.* & Cabaſſutius *Jur. Canon.*
„ *Theoria lib. V. cap. XI. num* 4. *ac* Van-Eſpen. *part.*
„ *III. tit. XI. cap. IV.* n. 16. *de Pœnis*, *& cenſur.*
„ permiſſam eſſe = Communicationem (ita Natalis)
„ cum excommunicatis, etiam in divinis, & Sacra-
„ mentorum adminiſtratione, vel receptione,
„ modo non ſint publice, & nominatim denuncia-
„ ti =.

Verum quoad communicationem in divinis jure merito laudatus Benedictus *cit. tract. de Synodo lib. VI. cap. V. num.* 2. adverſatur affirmativæ ſententiæ, tamquam periculoſæ, & in praxi illicitæ, qualem reputatam ſemper fuiſſe refert a Sacris Congregationibus S. Officii, & de Propaganda Fide; ut ex ſequentibus Inſtructionibus utriuſque Congregationis.

INSTRUCTIO

De Communicatione in Divinis Catholicorum cum Hæreticis, & Schiſmaticis.

EDITA PRO MISSIONARIIS ORIENTIS,

ANNO MDCCXXIX.

CUm ſæpe, ac diu varii ſub variis utilitatis, neceſſitatis, periculorum, vexationum, atque etiam perſecutionis a Fidelibus ſubeundæ circumſtantiis caſus huic Sacræ Congregationi propoſiti fuerint a Miſſionariis, ac Prælatis Orientis quoad communicationem in divinis Catholicorum cum Hæreticis, & Schyſmaticis; cumque ab hac S. Congregatione conſtanter, uniformiterque reſcriptum fuerit: *non licere*, concepta ſpes erat, Miſſionarios Orientis ſatis, ac facile intellecturos, poſſe quidem *ſpeculative* caſus aliquos excogitari, in quibus communicationem aliquam in divinis tolerare liceret, ſed *practice*, circumſpectis omnibus facti circumſtantiis, difficillime caſus inveniri, in quibus ea communicatio liceat, ac moraliter etiam impoſſibile eſſe, ut alia præſcribatur regula generalis cuique hominum generi, cuique regioni, cuique tempori accomodata, quam quæ iteratis a Miſſionariis Orientis quæſitis data eſt ab hac Sacra Congregatione in Inſtructione, edita anno 1719., eo nimirum doctrinæ principio nixa, quod communicatio in divinis cum Hæreticis, & Schyſmaticis ut illicita regulariter habenda eſſet in praxi, vel ob periculum perverſionis in Fide catholica, vel ob periculum participationis in ritu hæretico, & ſchyſmatico; vel denique ob periculum, & occaſionem ſcandali: quæ quidem circumſtantiæ,

quemad-

Digitized by Google

quemadmodum regulariter communicationi in divinis cum Hæreticis, & Schyſmaticis connectuntur in praxi, ita univerſim vetitæ ſunt jure naturali, ac divino, in quo nec ulla poteſtas eſt, quæ diſpenſet, nec ulla conniventia, quæ excuſet; adeo ut nullus relictus locus fuerit nova dubia fingendi, ac proponendi: proinde in ea Inſtructione diſerte præſcriptum eſt: *Miſſionarii inſtruendi erunt, quod omnino abſtinere debent ab actibus proteſtativis falſæ ſectæ, a communicatione in ritu ſchyſmatico, & heretico, a periculo perverſionis, & ab occaſione ſcandali.*

Addita quidem in prædicta Inſtructione hæc verba ſunt: *hiſce ſemper firmis & ſalvis, & præ oculis habitis, ſi ulterius aliquod grave dubium occurret, Doctores, Theologos, & Miſſionarios diu verſatos in illis Regionibus conſulant*. Quæ quidem aliqui contra mentem S. hujus Congregationis interpretati jus ſibi arrogarunt caſus omnes definiendi, ac ſcriptis etiam regulas generales tradendi in hac materia adeo implexa periculoſas: ex quibus & Miſſionariorum diſciſſa ſtudia, diſtracta conſilia, & opiniones minime cohærentes quæſtionem, licet toties definitam, magis, ac magis implicarunt, non ſine detrimento conſcientiarum, & ſcandalo, offenſioneque bonorum: quare hæc S. Congregatio opportunum duxit prædictam Inſtructionem iterum inculcare, ac ſingulis Miſſionariis omnino præſcribere, ut regulis in ea traditis ſeſe omnino conforment, & obtemperent.

Cordi ſit ergo ſingulis Prælatis, Miſſionariis, ſive Directoribus animarum Fideles edocere, atque excitare ad hæc evitanda pericula, quæ regulariter aut omnia, aut aliqua ſubeunt in communicatione *in Divinis* cum Hæreticis, & Schyſmaticis Orientis, qui licet adhuc ſubſtantiam, ac valorem Sacramentorum plerumque conſervent, non ſinunt tamen, ut ea, quæ debent, catholici improbationis, & ſegregationis ſigna exterius edant; ex quo fit, ut exterior illa conformatio in eodem cultu, & reverentia in Pſeudominiſtros Liturgiæ catholicum quemque, quamvis in fide firmiſſimum, ritus & hæreticos, vel ſcyſmaticos, quibus eorum cultus inficitur, exhorrentem, periculo tamen ſcandali liberare non poſſit.

Id exeo etiam confirmatur magis, quod vix ullus ſit ritus apud Heterodoxos, qui aliquo errore in materia Fidei non maculetur; nam in eorum Eccleſiis, vel dedicatio eſt in memoriam Shyſmatici alicujus, quem ut Sanctum venerantur, vel exſtant imagines, vel coluntur reliquiæ, vel feſta celebrantur eorum, qui in ſchyſmate mortui veluti Sancti vulgo habentur: vel denique commemoratio fit viventium Patriarcharum, & Epiſcoporum ſchyſmaticorum, & hæreticorum, qui ut *Fidei catholicæ Prædicatores* commendantur. Qua de re, qui in ea ritus, & orationis, & cultus celebratione conveniunt in his facti circumſtantiis Catholici quique, reatu perverſæ communicationis, aut ſaltem pernicioſi ſcandali purgari non poſſunt. Nec eos excuſat aſſiſtentiæ mere materialis prætextus; facto enim ipſo excluditur, quo qui functionibus hiſce Hæreticorum, aut Schyſmaticorum interſunt, ſatis cum ipſis convenire in unitate orationis, in unitate cultus, in unitate venerationis, & obſequii erga perverſos miniſtros hæreſeos, ſchyſmatiſque præſeferunt.

Pateſcit id etiam ex eo, quod Orientales ipſi quotidie oculis vident, auribus audiunt, ore confitentur, nullum nempe ſectarium obfirmatum in ſchyſmate accedere, intereſſe, convenire in Eccleſiis Catholicorum, ſive ut Miſſam audiat, ſive ut Sacramenta ſuſcipiat, ea nimirum de cauſa, quod Fidelium conventus veluti perverſæ communiouis blaſphemantes, perincioſum, & illicitum putent commercium hoc, ritumque damnabilem. Cum vero videant ad eorum Eccleſias accedere, eorum ritibus intereſſe, de eorum Sacramentis participare Catholicos, an non credendum, aut ſaltem timendum erit, ne ex hoc ipſo magis in ſuis erroribus confirmentur, ac ſe in recto ſalutis tramite ambulare ſibi etiam hoc exemplo perſuadeant? Ex quo ſequitur, difficillime vitari poſſe periculum ſcandali pernicioſi ſchyſmaticis, & hæreticis ipſis: ac proinde Catholicum tutum in conſcientia non eſſe, ſi cum iis in divinis in hac facti ſpecie communicet.

Hæc ſane Fidelibus documenta tradenda ſunt, atque ideo hæc S. Congregatio Prælatis, Miſſionariis, & ſingulis animarum Directoribus in Oriente ſerio injungit, ut unanimes hoc ipſum dicant omnes, & in eodem ſenſu, ac ſententia maneant, nec contrarium doceant, aut per modum conſilii, aut per modum diſpenſationis, ſed magis hortentur Fideles pro re nata, ut a communicatione *in Divinis* cum ſchyſmaticis, & hæreticis prorſus abſtineant; & ſi quando ab ea regula deviarint, eos hortentur, ac doceant, ut peccatum hoc aperianr

in Sacramento Pœnitentiæ, quo veniam a Deo obtineant, & in poſterum cautiores evadant.

In excipiendis vero confeſſionibus Miſſionarii, ſive Directores circumſtantias caſus, quæ magis, vel minus gravem pœnitentium culpam efficiunt, diligenter examinent, eorumque oculis ſubjiciant; in id ſemper intenti, nequid laxam hac in re eorum conſcientiam efficiant; ſed opportunis documentis, & monitis timidiorem potius, & cautiorem, ne communicando *in Divinis* cum Schyſmaticis, & Hæreticis, animam in ſalutis diſcrimen adducant.

Conſuetum quidem eſt cauſam perſecutionis afferre, quam a Schyſmaticis, & Hæreticis ſubeunt Catholici, qui ab eorum Eccleſiis, ac functionibus abſtinent. At curent Miſſionarii, ac Directores, ut quique cognoſcant vanum plerumque metum eſſe, imo vero etiam neceſſarium omnino eſſe perſecutioni non cedere, eo vel quia perſecutio ipſa æquivalet interrogationi Fidei: atque id etiam oſtendant tum exemplis tot fortiſſimorum, ac firmiſſimorum in Fide Catholicorum, qui hujuſmodi vexationibus minime ſuccumbunt, tum antedicto doctrinæ principio, ab ipſa etiam Eccleſia Orientali ſuſcepto, tum denique catholici nominis dignitate, quæ minime patitur, ut ipſi inimicis animarum, & Fidei, & unionis, quam profitentur cum Romana Eccleſia, ſeſe ſubjiciant, ac demittant: quin etiam attendant non alio ſpectare artem hanc vexandi Fideles, quam ut ab iis agnoſcantur Heterodoxi veluti verorum rituum, veræ Fidei, veræ Eccleſiæ miniſtri, atque ita facile Catholicos, aut a Fide prævaricatores, aut ſaltem errorum approbatores facto ipſo efficiant; licet dictitent, ſemper ſe eorum communionem exigere tantum pro conſervatione ritus, & eleemoſynarum. Quæ quidem omnia ſi ſerio, ac graviter, & iteratis monitis impreſſa Fidelium mentibus fuerint, ſperandum ſane eſt ex ſe ipſis promptiores, & alacriores in dies ferendis injuriis factos, firmiores quoque, ac conſtantiores futuros in unione, & communione veræ unius Eccleſiæ, quam profitentur.

Facile ſibi perſuadet hæc S.Congregatio, omnes, & ſingulos Prælatos, & Directores animarum in Oriente, maxime vero Miſſionarios Inſtructionem hanc veluti normam in praxi ſervandam habituros, diſputationibus hac de re prorſus omiſſis: nec aliud, ſive in agendo, ſive in docendo, ſemotis diſſidiis, ſecuturos. Quod ſi præter ſpem aliter acciderit, noverint omnes, qui catholico nomine gloriantur, S. hanc Congregationem contra tranſgreſſores validiora remedia paraturam, eoſque ut minime idoneos directioni animarum, & Miſſionibus Orientis habituram.

V. Card. Petra Prefet.

FERIA V. DIE X. MAII MDCCLIII.

In Congregatione Generali S. R., & Univerſalis Inquiſitionis

SANCTI OFFICII

Super Dubiis propoſitis a quodam Miſſionario Civitatis Tenos in Pelopponeſo, & a S.Congr. de Propaganda Fide ad S.Officium tranſmiſſis per ejus R. P. D. Secretarium die 24. Martii ejuſdem Anni: Sanctissimus, auditis Votis Eminentiſſimorum, decrevit.

AD primum, nempe: An liceat Catholicis latinis concedere, vel permittere, ut in eorum Eccleſiis Miſſam celebrent Presbyteri græci ritus, Schiſmatici, & Hæretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum? Quoad primam partem dicti dubii reſpondendum: *Non licere*: maxime cum Patriarchæ Conſtantinopolitani commemorationem faciant, & feſtum celebrent infamis Palamas: id enim perinde eſt ac conſentire eorum hæreticis ritibus, & communicare cum eis in eorum Sacris ſchiſmatico, & hæ-

retico

retico furſure pollutis; aut ſaltem occaſionem præbere Catholicis ad latinas intervenientibus Eccleſias communicandi cum hæreticis in divinis rebus, aut ad minus ſcandalum concipiendi. Quo vero ad ſecundam partem ejuſdem dubii, quatenus ſchiſmatici comitantes funera Catholicorum *meram præſentiam materialem* exhibeant cauſa honoris civilis erga defunctos, non ſe immiſcentes precibus, ac ritibus catholicis, quibus mos eſt funera offerre, & defunctos ad ſepulcrum deducere, *tolerari poſſe*; quatenus vero in illa functione *proprios ritus adhibeant*, vel noſtris ſe immiſceant, *non licere, nec eſſe permittendum*,

Ad ſecundum, nempe: An liceat Catholicis græci ritus non habentibus catholicam Eccleſiam ejuſdem ritus, communicare in Divinis cum Græcis ſchiſmaticis, & hæreticis: *Non licere*: quia in caſu propoſito confugere poſſunt ad Eccleſiam catholicam Latinorum, & in defectu Sacerdotis catholici ritus græci a Sacerdotibus latinis Sacramenta ſuſcipere.

Ad tertium, nempe: An liceat Confeſſariis, vel Sacerdotibus latinis adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ Græcis Catholicis communicantibus in Divinis cum Græcis ſchiſmaticis: *Non licere extra caſum extremæ neceſſitatis*.

Pro majori vero Inſtructione ejuſdem Miſſionarii, aliorumque Miſſionariorum tranſcribi mandavit id, quod *Sanctiſſimus* ad materiam docuit in ejus Tractatu de Synodo diœceſana *lib. 3. c. 5. ibi* = Et nihilominus ea eſt miſera noſtrorum temporum conditio, ut multis in provinciis, in quibus hæreſes aut dominantur, aut graſſantur impune, duram Catholici ſubeant neceſſitatem cum hæreticis converſandi, & familiariter agendi. Verum quamvis juxta præſentem diſciplinam inductam a Martino V. in celebri Extravaganti, *Ad evitanda*, de qua nonnulla inferius, liceat Catholicis cum hæreticis, modo non ſint expreſſe, & nominatim denunciati, libere converſari, & cum iiſdem communicare in ritibus mere prophanis, & civilibus; non idcirco tamen arbitrari debent Catholici, fas quoque ſibi eſſe cum iiſdem hæreticis conſortium habere etiam in rebus Sacris, & Divinis. Siquidem Paulus V. poſt maturam rei diſcuſſionem, neutiquam licere definivit Catholicis Regni Angliæ hæreticorum Templa adire, ritibuſque intereſſe, quos inibi exercent, uti legere eſt in duobus Decretis, ab eodem Pontifice editis, uno ſcilicet anni 1606., altero anni 1607., quæ referuntur a Cardinali Lauræa *in 3. Sententiar. part. 2. tom. 3. diſput. 11. artic. 9. §. 4. num. 292.* Haud equidem ignoramus, non deeſſe Theologos, ab omni culpa abſolventes Catholicos, qui cum hæreticis, & ſchiſmaticis nominatim non denunciatis, communicant in Divinis, atque etiam Sacramenta ab iiſdem recipiunt, dummodo hæ ſimul concurrant rerum circumſtantiæ: primo ſcilicet, ut ad prædictam communicationem Catholicos adigat graviſſima, & urgentiſſima cauſa. Secundo, ut hæretici, aut ſchiſmatici, a quibus Sacramenta expoſcunt, ſint valide ordinati, & Sacra adminiſtrent ritu catholico abſque ulla admixtione ritus damnati. Tertio, ut communicatio cum iiſdem in Divinis non ſit externa proteſtatio falſi dogmatis, qualis erat ingreſſus in Proteſtantium Eccleſias, cum Catholicis Angliæ illum inhibuit Paulus V., ideo quippe Regis Edicta omnes adire juſſerant hæreticorum Templa, ut tali pacto ſe cum Proteſtantibus ſentire faterentur. Quarto demum, ut Catholicorum cum hæreticis communicatio in Divinis nulli ſcandalum ingerat. Verum in primis prædicta Theologorum ſententia ſuos habet Adverſarios, neque ab omnibus admittitur tamquam in praxi ſecura: deinde ea etiam admiſſa, cum omnes enumeratæ circumſtantiæ ſimul, & conjunctim adeſſe debeant, ut Catholicorum cum Heterodoxis in rebus ſacris ſocietas omni vacet culpa, quemadmodum docent Silvius *in tertia parte Sancti Thomæ tom. 4. quæſt. 24. art. 6. quæſt. 3. concl. 3.* Cardinalis de Lugo *de Fide diſput. 22. ſect. 1. num. 11.* Thomas a Jeſu *Tractatu de omnium Gentium ſalute* procuranda, *lib. 8. part. 2. § 4. verſ. Sed major eſt difficultas pag. 556.* Cardinalis Albitius *de Inconſtantia in Fide cap. 18. num. 30. & ſeqq.* Cardinalis Gottus *in 2. 2. Sancti Thomæ, quæſt. 4. dub. 6. §. 3. num. 2., & quæſt. 3. de Infidelibus comparate ad Fideles dub. 3. §. 2.* idcirco fere impoſſibile eſt uſu venire, ut a flagitio excuſari valeant Catholici ſeſe in rebus ſacris cum hæreticis, & ſchiſmaticis admiſcentes. Quamobrem Sacræ Urbis Congregationes, Sancti Officii videlicet, & de Propaganda Fide, *illicitam ſemper reputarunt communionem*, de qua eſt ſermo, doctamque concinnarunt Inſtructionem, *Nobis* in minoribus tunc degentibus, qualemcumque noſtram operam navantibus ad Miſſionarios, cum opus fuerit, tranſmittendam, ubi rationes expenduntur, propter quas, vix unquam accidere poteſt, ut in praxi ſit innoxia Catholicorum cum hæreticis communicatio in Divinis =.

Hic

Hic obiter quæri poteſt, an valida eſſet abſolutio, data conſtituto in articulo, vel periculo mortis a Sacerdote nominatim excommunicato, & denunciato.

Huic dubio, ſi fides adbibenda eſt Fagnano, referenti in locis mox citandis decretum Congregat. Conc. negative reſpondendum eſſet.

Verum, cum hoc idem dubium ſibi diſcutiendum propoſuiſſet Cardinalis Albitius, affirmativam contra Fagnanum amplexus eſt ſententiam, juxta ab eo relata *de Inconſtantia in Fide parte I. cap. XVIII. n. 39. pag.* 102 *col.* a. ibi.

„ Dum hæc tranſcriberem, magna inſurrexit
„ controverſia in examine cujuſdam Epiſcopi co-
„ ram ſan. mem. Alexandro VII. nam cum fuiſſet
„ interrogatus a P. Diana, ſive ab alio Examina-
„ tore, an Sacerdos nominatim excommunicatus
„ poſſet abſolvere exiſtentem in articulo mortis, &
„ Epiſcopus reſpondiſſet affirmative; Dominus Car-
„ dinalis Pallavicinus dixit, bon. mem. Fagnanum
„ in *ſuis Relectionibus* atteſtari, in S. Congregat.
„ Concilii fuiſſe determinatum contrarium, & pro-
„ pterea magnum rumor inſurrexit, quia videbatur
„ opinio contraria omnibus Doctoribus, qui poſt
„ Concilium ſcripſerunt. Et revera Fagnanus in
„ repetit *cap. Quoniam, de Conſtitutionibus*, re-
„ fert, Congregationem generalem Moronia, Al-
„ ciati, Senonenſis, Montalti, Albani, S. Sixti cen-
„ ſuiſſe, non poſſe per doctrinam Magiſtri ſenten-
„ tentiarum, S. Thomæ, Durandi, Turræ Crema-
„ tæ, S. Antonini, Bacconi, & aliorum Theolo-
„ gorum, ab eo citat. Sed quia, ut dixi magnum
„ murmur factum fuit, & P. Diana, & forſan ali-
„ quis alius ſcripſit pro opinione affirmativa, idem
„ R. P. Fagnanus latius reaſſumpſit articulum in
„ in *cap. Non eſt vobis, de Sponſalib.* & conatur
„ reſpondere omnibus argumentis in contrarium al-
„ legatis. Sed licet maxima cum diligentia fuerint
„ requiſiti libri, & regeſta Decretorum S. Congr.
„ Conc. Trid. dicta declaratio reperiri non potuit.
„ Dicendum eſt ergo, quod declaratio prædicta fa-
„ cta non fuerit, vel ſi facta fuerit, a prædictis li-
„ bris expuncta, tamquam contraria opinioni di-
„ ctorom Theologorum, qui poſt Concilium ſcripſe-
„ runt. Et novi etiam, quod de anno 1682. tempore
„ Pontificatus SS. Domini noſtri Innocentii XI. fue-
„ rit in S. Congreg. S. Officii ſuper iſta opinione di-
„ ſceptatum: & cum aliqui ex Cardinalibus opinio-
„ nem S. Thomæ ſequerentur, fuit ad trutinam re-
„ vocata, relata re ad Sanctiſſimum, Sanctitas ſua
„ pro ſua prudentia juſſit, ne ſuper dicta opinione
„ diſceptaretur; neque in dubium amplius revoca-
„ retur, prout mihi aſſeruit R. P. D. Piazza Aſſeſ-
„ ſor S. Officii ".

Imo num. 40. ſentit cum Suarez, Navarro, & aliis Doctoribus, poſſe in articulo mortis etiam recipi a Sacerdote hæretico, nominatim denunciato, Sacramentum Euchariſtiæ, ſi non adſit alius Sacerdos, qui poſſit illud adminiſtrare.

SECTIO DCCCCXXVII.

CAPUT IX. PAROCHIANOS, *ex Decretali laudati Alexandri III, Epiſcopis, & Prælatis per Galliam conſtitutis ſcripta.*

PArochianos veſtros, ſi qui in Monachos, vel Converſos præfati Ordinis violentas manus injecerint, ſublato appellationis remedio, ſecundum tenorem generalis Decreti excommunicatos publice nuncietis, ipſoſque faciatis, ſicut excommunicatos arctius evitari, donec læſis congrue ſatisfaciant, & cum literis veſtris Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent,

In hac pariter Decretali præcipitur perſonalis acceſſus ad Sedem Apoſtolicam pro obtinenda abſolutione propter violentam manuum injectionem in Monachos, vel eorum Converſos.

Verum circa hunc acceſſum attendenda eſt hodierna diſciplina, ut notatum eſt ſupra ad *caput I. Super eo* pag. 757.

Cæterum dici poteſt, huic Decretali derogatum eſſe a ſupra relata Martini V. Sanctione, in qua declaratur non opus eſſe, ut percuſſores Clericorum nominatim denuncientur vitandi, ſi fuerint notorii,

SECTIO DCCCCXXVIII.

CAPUT X. EX TENORE, *ex Decretali dicti Alexandi Januenſi Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) reſcripta.*

EX tenore literarum tuarum nobis innotuit, quod B. Canonicus in quendam Subdiaconum manus injecit violentas (& infra.) Mandamus itaque, quatenus recepto ab eo juramento, quod tuo debeat mandato parere, ipſum vice noſtra a ſententia, qua tenetur, abſolvas: ſibique in virtute juramenti præcipias, ne de cætero in Clericum, Monachum,

vel

Digitized by Google

vel alicujus Religionis Converſum manus injiciat violentas, niſi ſe defendendo, aut de mandato ſuorum fecerit Prælatorum, vel niſi ſuper eum prælationis miniſterium, aut magiſterium habeat, aut cum ipſo in eadem Eccleſia ſocius eſſe noſcatur.

Ex facultate hic tributa Epiſcopo Januenſi abſolvendi hunc Canonicum, non inde infertur, notorium Clerici percuſſorem abſolvi poſſe ab Epiſcopo, cum eum abſolverit ex ſpeciali dumtaxat poteſtate delegata.

SECTIO DCCCCXXIX.

CAPUT XI. DE CÆTERO, *ex Decretali ejuſdem Alexandri III, Cenomanenſi Epiſcopo ſcripta.*

De cætero noveris, quod ſi quis pro violenta manuum injectione in Clericum eſt vinculo excommunicationis adſtrictus; ſi habens capitales inimicitias, vel alias juſtas excuſationes, quibus ab itinere rationabiliter excuſetur, ita quod ſine periculo Apoſtolico ſe nequeat conſpectui præſentare: licet diœceſano Epiſcopo, recepto juramento ſecundum morem Eccleſiæ, ſibi abſolutionis gratiam impertiri. Sed eſt illi ſub juramenti debito injungendum, ut quamcitius opportunitatem habuerit, Rom. Pontif. adeat, mandatum Apoſtol. ſuſcepturus.

SECTIO DCCCCXXX.

CAPUT XIII. EA NOSCITUR, *ex Decretali Clementis III. ignotum, cui reſcripta.*

Ea noſcitur (& infra.) Conſultationi tuæ taliter duximus reſpondendum, quod mulieres, ſenes, & valetudinarii, ſeu membrorum deſtitutionibus impediti, licet ad Apoſt. Sed. non veniant, ab Epiſcopis valeant fidelium communioni reſtitui, ſatisfacto juxta facultates his, quibus per eos conſtiterit injurias irrogatas. Alios autem, ſive pauperes ſive divites Sedi Apoſt. vel Legato ejus, ut beneficium abſolutionis obtineant, neceſſe eſt præſentari. Si vero infirmitatis tempore timore mortis beneficium fuerit abſolutionis indultum, juramento præſtito, injungatur eiſdem, ut poſtquam ſanitati fuerint reſtituti, ad Rom. Eccleſ. vel ejus Legatum accedant, mandatum Apoſtolicum ſuper talibus recepturi.

Circa facultatem in his duabus Decretalibus tributam Epiſcopo abſolvendi publicum Clerici percuſſorem ob impedimentum accedendi perſonaliter ad Sedem Apoſtolicam pro obtinenda abſolutione, attendenda ſunt notata ſupra ad *cap. VI. Mulieres*, pag. 760. Quoad perſonalem vero acceſſum, attendenda ſunt pariter notata ſupra ad *cap. I. Super eo p.* 757.

SECTIO DCCCCXXXI.

CAPUT XIV. CUM NON AB HOMINE, *ex Decretali Clem. III. ignotum, cui reſcripta.*

Cum non ab homine (& infra.) Conſult. tuæ taliter reſpondemus, quod a communione illius, qui pro ſacrilega manuum injectione in Clericum in edictum excommunicationis incidit, licet denunciatus non ſit, debes abſtinere: niſi forte id tibi ſoli pateret, in quo caſu ipſum privatim tantummodo evitabis, quamdiu ab Eccleſia toleratur, ut ſaltem verecundiæ rubore ſuffuſus, pro latenti exceſſu ſatisfacere compellatur. In articulo vero ſecundæ quæſtionis reſpondemus, quod occiſores Clericorum, aut Presbyterorum, qui, contempto clericali habitu, tyrannidi, & enormitati ſe inverecunde immiſcent, in odium clericalis exceſſus, & terrorem, atque correctionem ſimilium, Canone latæ ſententiæ minime coercentur: injungatur tamen eis pœnitentia competens aliquantulum aſperior, quam ſi in laicos talia commiſiſſent.

Quoad

Quoad communicationem cum notorio Clerici percuſſore, etiam nominatim non denunciato, concordat Sanctio Martini V. ſupra allata ad *capus VIII. Nulli* pag. 761.

Cum occulto tamen rigor hujus Decretalis temperatus eſt ab eadem Martini Sanctione, quæ declarat, vitandum eſſe dumtaxat notorium percuſſorem.

Ad pœnam occiſoris Clerici, vel Presbyteri quod ſpectat, hodie attendenda eſt pœna contra homicidas ſtatuta.

SECTIO DCCCCXXXII.

CAPUT XV. CUM DESIDERES, *ex Decretali ejuſdem Clementis, ignotum cui reſcripta.*

CUm deſideres (& infra.) Fuit autem primæ quæſtionis tenor hujuſmodi: utrum alicui excommunicato, qui mandato Eccleſiæ ſtare juravit, & ante abſolutionem Epiſcopus ei communionem reddit, ſit communicandum ab aliis, & an Epiſcopus id facere debeat. Cui quæſtioni taliter reſpond. quod cum cautio juratoria, quam hodie, qui excommunicati ſunt, præſtant, potius ad cautelam ex conſuetudine Eccleſiæ, quam rigore Canonum ſit inducta, neque momenti tam validi reputetur, quod niſi abſolutionis beneficium ſubſequatur, ille, qui excommunicatur, debeat communioni aliorum reſtitui, præſertim cum ex eo juramento abſolutionem conſecutus non ſit, & conſtet, eum excommunicatum fuiſſe, & verum ſit, abſolutum non eſſe; nec Epiſcopus, nec alii debent communicare eidem, niſi fuerit ſecundum formam Eccleſiæ poſt juramentum præſtitum abſolutus: quia qui cum excommunicato ſcienter communicaverit, excommunicationis pœnam contrahit cum eodem. Secundæ quæſtioni hunc finem duximus imponendum, quod ſi publica fama eſt, aliquem verberaſſe Clericum, nec Epiſcopus, nec alius communicare ſibi debet, niſi ad arbitrium Epiſcopi de hoc ſe purgaverit, vel ad cautelam abſolutionis beneficium conſequatur. Tertio loco tua diſcretio requiſivit, ſi Clericus verberatus, Epiſcopo mediante, cum ſuo verberatore compoſuerit, & ille reconciliatus ſibi fuerit, an per hoc is debeat ad aliorum communionem admitti. Super quo tibi breviter reſpondemus, quod licet ille, qui violentas manus injecit, ei, quem læſit, ſatisfeciſſe taliter videatur, Eccleſiæ tamen, quam offendit, ex hoc non ſatisfeciſſe dignoſcitur: & niſi forma Eccleſiæ, quæ pro abſolutione talium introducta eſt, obſervetur, non eſt communicandum eidem.

In hac Decretali I. ſtatuitur tamquam regula generalis, quod qui excommunicato ſcienter communicat, excommunicationis pœnam contrahit cum eodem. II. Quod, ſi publica fama ſit, aliquem verberaſſe Clericum, interdictum ſit aliis cum eo communicare, niſi ad arbitrium Epiſcopi de hoc ſe purgaverit. III. Quod etiamſi Clericus verberatus reconciliatus fuerit cum verberatore, non ſit cum eo communicandum, niſi abſolutus fuerit in forma Eccleſiæ.

Ad primum quod attinet, communicationem ſcilicet, cum excommunicato, attenta laudata Martini V. Sanctione, locum habere poteſt, ſi fuerit nominatim declaratus vitandus.

Secundum autem ex eadem Sanctione locum amplius non habet, cum requiratur notorietas percuſſionis, non diffamatio.

Tertium pariter locum non habet quoad communicationem cum percuſſore, ſi non fuerit notorius.

Circa purgationem canonicam, vide dicta ſupra *ad cap. IV. Si vero* pag 759.

SECTIO DCCCCXXXIII.

CAPUT XVIII. SIGNIFICAVIT, *ex Decretali ejuſdem Clementis, ignotum, cui ſcripta.*

SIgnificavit nobis (& infra.) Verum Clericos, qui ſcienter, & ſponte participaverunt excommunicatis a nobis, & ipſos in officiis receperunt, eadem excommunicationis ſententia cum ipſis non dubitamus involui: quos etiam pro beneficio abſolutionis habendo ad nos volumus cum literarum tuarum inſinuatione remitti.

SE-

SECTIO DCCCCXXXIV.

Caput XIX. Tua nos, *ex Decretali ejuſdem Clementis, ignotum, cui reſcripta.*

Tua nos duxit Fratern. conſulendos (& infra .) Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod non ſolum, qui in Clericos temerarias manus injiciunt, vel etiam incendiarii, ex quo ſunt per Eccleſiæ ſententiam publicati, pro abſolutionis beneficio ad Apoſtolicam Sedem ſunt mittendi.

SECTIO DCCCCXXXV.

Caput XXII. Conquesti, *ex Decretali ejuſdem Clementis, ignotum, cui reſcripta.*

Conqueſti ſunt nobis Regin. Canonici, quod I. de Malafrena, & ejus ſequaces quaſdam Eccleſias Regin. epiſcopatus violenter confregerunt, eaſque ſpoliare minime dubitarunt. Quoniam igitur gravia ſunt, nec clauſis debent oculis præteriri, mandamus, quatenus, ſi eſt ita, memoratos ſacrilegos excommunicatos nuncietis, & faciatis ſicut excommunicatos arctius evitari, donec paſſis injuriam congrue ſatisfaciant, & damna pro eis data reſarciant, & cum literis veſtris, rei veritatem continentibus, Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent.

SECTIO DCCCCXXXVI.

Caput XXIII. Perpendimus, *ex Decretali ejuſdem Clementis, ignotum pariter, cui reſcripta.*

Perpendimus ex literis tuis, quod quidam Sacerdos pro eo, quod ſe filium Regis falſo nominare præſumpſit, & armis acceptis, ſeditionem fecit, & guerram, a B. Comite juſſus eſt fuſtigari, qui poſtea ejus mandato traditus patibulo, expiravit (& infra.) Fraternitati tuæ duximus reſpondendum, quod ſi memoratus Sacerdos tali modo exceſſit, & non propulsando, ſed inferendo injuriam fuit occiſus, non videtur nobis, quod interfectores ejus propter hoc ad obtinendam abſolutionem Apoſt. Sedem adire cogantur; tu vero, qui merita perſonarum bene noſti, pœnitentiam eis competentem injungas.

In his quatuor pariter Decretalibus præcipitur acceſſus perſonalis pro obtinenda abſolutione ab excommunicatione, Papæ reſervata, incurſa a Clerici percuſſoribus, & incendiariis.

Verum hodie hic acceſſus non amplius exigitur ut ſupra notavi ad *caput I. Super eo* pag. 757.

SECTIO DCCCCXXXVII.

Caput XXIV. Universitatis, *ex Decretali laudati Clementis III, ignotum, cui reſcripta.*

Univerſitatis veſtræ conſultationem accepimus, qua nos requiſitis, utrum laicus incidat in excommunicationis edictum, qui ad juſſionem Abbatis, in cujus ſervitio commoratur, in Clericum, Monachum, aut Converſum temerarias manus præſumit injicere, maxime ubi cauſa non ſubeſt, propter quam debebat verberari. Nobis autem videtur, quod niſi cauſa regularis diſciplinæ hoc faciat Abbas in propria perſona, vel (ſi neceſſitas urget) per Clericum, vel Monachum fieri jubeat; tam qui tales verberari præcipit, quam illi, qui ver-

verberant (etiamſi cauſa ſubeſſet) excommunicationis ſententiam, donec ad Apoſtolicam Sedem veniant, nequaquam evadunt,

Hæc verberatio neque per Clericum, neque per Monachum etiam cauſa diſciplinæ præſcripta reſpectu Monachorum, & Converſorum non videtur eſſe amplius in uſu, imo eſt inconveniens.

Quoad perſonalem autem acceſſum hic præceptum, in caſu de quo agitur, vide notata ſupra ad *cit. cap. I. Super eo*.

SECTIO DCCCCCXXXVIII.

CAPUT XXV. IN AUDIENTIA, *ex Decretali ejuſdem Clementis, ignotum, cui reſcripta*,

IN audientia noſtra talis fuit ex parte tua propoſita conſultatio, utrum Clerici, qui arma militaria (relicto habitu clericali)geſtare nullatenus erubeſcunt, ſi eis fuerit injuria corporalis illata, vel ſe a captione redemerint, illa Clericorum debeant immunitate gaudere, qua pro temeraria manuum injectione facta in Clericum, excommunicatus quis ipſo jure notatur? Ad hæc tibi breviter reſpondemus, quod cum fruſtra Eccleſiæ imploret auxilium, qui committit in ipſam, & lex ſecularium Principum huic reſponſo ſatis efficax afferat argumentum, qua manifeſte cautum habetur, matronam, cujus pudicitia attentata fuerit, non poſſe injuriarum agere, ſi in veſte meretricali fuerit deprehenſa: hujuſmodi Clerici, ſi a Prælatis ſuis tertio commoniti, militaria noluerint arma deponere, de privilegio Clericorum ſubſidium aliquod habere non debent,

Trina hæc monitio prærequiſita tum ex hac Decretali, tum ex antiquo jure *Can. XXIII. De Presbyterorum, cauſa XXVII. quæſt. 4. Can. VI. De illicita, cauſa XXIV. quæſt. 3.* ad amittendum privilegium canonis hodie ex *cap. VI. Tridentini ſeſſ. XXIII. de reform.* non requiritur, ut notabitur parte II. ad dictum *cap. VI.*

SECTIO DCCCCCXXXIX.

CAPUT XXVI. QUOD DE HIS, *ex Decretali laudati Clementis III. ignotum, cui reſcripta*,

QUod de his (& infra.) Fraternitati tuæ taliter duximus reſpondendum, quod is, qui aſſerit ſe in canonem latæ ſententiæ incidiſſe, non aliter, quam per Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatum abſolutionis poteſt beneficium obtinere; niſi forte ſit in mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, vel ſenectute tanta gravaretur, quod ad Eccl. Rom. laborem ſubire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento canonico retrahatur.

Cæterum ab his in forma ſacramenti exigi conſuevit, ut reſumptis viribus, & opportunitate conceſſa, Rom. Eccleſiam in propria perſona debeant viſitare,

In hac pariter Decretali præcipitur perſonalis acceſſus ad Sedem Apoſtolicam pro obtinenda abſolutione ab excommunicatione incurſa propter percuſſionem Clerici, & tribuitur facultas Epiſcopo percuſſorem abſolvendi in caſu impotentiæ dumtaxat.

Verum ex hodierna Eccleſiæ diſciplina quoad primam partem attendenda ſunt notata ſupra ad *caput I. Super eo* pag. 757. & quoad ſecundam notata ad *caput V. Mulieres* pag. 760.

SECTIO DCCCCCXL.

CAPUT XXVIII. A NOBIS, *ex Decretali Innocentii III. Abbati S. Andreæ reſcripta*.

A Nobis eſt ſæpe quæſitum, utrum ſi aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifeſta, nec per eum ſteterit, quominus reconciliaretur eccleſiaſticæ unita-

unitati, non ſuſcepto beneficio abſolutionis, deceſſerit, pro abſoluto ab Eccleſia ſit habendus, & utrum pro tali recipienda ſit eleemoſyna, & a fidelibus ſit orandum (& infra.) Nos igitur conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quod judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli; propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus eſt apud Deum, in culpæ remiſſione diſſolvitur: illud autem, quo ligatus eſt apud Eccleſiam, cum ſententia remittitur, relaxatur: quod in ſuſcitatione Lazari ſermo Evangelicus manifeſtat, quem prius Dominus ſuſcitavit, & Apoſtolis præcepit poſtmodum ſolvere ſuſcitatum. Unde quantumcunque ſe quis, juramento præſtito, quod Eccleſiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantacunque pœnitentiæ ſigna præceſſerint; ſi tamen morte præventus, abſolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis abſolutus apud Deum fuiſſe credatur, nondum tamen habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus. Poteſt tamen, & debet ei Eccleſiæ beneficio ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pænitentia per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur. Nec obſtat, quod Eccleſiæ legitur attributa poteſtas ligandi, atque ſolvendi homines ſuper terram, tanquam non poſſit ſolvere, & ligare ſub terra ſepultos, & quod legitur: non communicetur mortuo, cui non eſt communicatum & vivo, cum etſi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet, quem non contemptus Religionis, ſed neceſſitatis articulus impedivit, & in certis caſibus a Canonibus denotatis ligaſſe legatur Eccleſia mortuos, & ſolviſſe. Ut autem in uno pariter, & eodem negocio, & ſervemus rigorem, & manſuetudinem oſtendamus, ſtatuimus, ut illius mortui abſolutio a Sede Apoſtolica requiratur, qui cum viveret, ab ea fuerat abſolvendus; aliorum autem abſolutionem ex præmiſſa cauſa cæteris indulgemus, a quibus, dum viverent, fuerant abſolvendi. Abſolutionis autem forma ſervetur, ut fiat cum pœnitentiali Pſalmo, & tam Oratione dominica, quam alia conſueta. Hæredes quoque ipſius ad ſatisfaciendum pro ipſo, ſi monitione præmiſſa, noluerint, per diſtrict. Eccleſ. compellas.

Circa hanc Decretalem placet hic tranſcribere notata a *Theſauro de pænis eccleſiaſt. par.I. cap.* 24. „ ibi „ Reſpondeo V. Mortuo abſolutio dari non poteſt, niſi ab eo, qui pro foro externo poteſt abſolvere, *cap.* *A nobis* 28. *de Sent. excomm.* Suarez *diſp*, 12. *de Cenſur. ſect.* 4. *num.* 3. Bertacch *verbo Excommunicatus abſolvitur num.* 44. Marta *de Juriſdict. par.*3. *cap.* 19. *num.* 26. *Ubi ait in tali abſolutione flagellandum eſſe ſepulchrum, & forma abſolutionis aſſignatur in dict. cap. A nobis.* „ Quod ſi excommunicatio, ſeu cenſura erat occulta, vel ſaltem non denunciata, neque ob notoriam Clerici percuſſionem, multi dicunt, quod „ non indiget mortuus abſolutione, quia abſolutio „ datur, non mortuo directe, cum ipſe ſit jam ſolutus vinculo cenſuræ quoad ſe, ſed tanquam licentia fidelibus vivis cum eo communicandi, quæ „ non requiritur, ſi non erat vitandus; juxta Extravag. Martini V. *Ad evitanda*, & ita Navarro „ *cap.*27 *num.*271. Tamen æſtimo etiam tunc utilem „ fore abſolutionem, & eſſe concedendam, ſi ſigna „ edidit contritionis, ut Marta *loc. cit. & dict. cap.* „ *A nobis.* Ita ſacra Pœnitentiaria ſolet committere abſolutionem mortuorum in excommunicatione „ pro foro conſcientiæ tantum “.

Sacra tamen Pœnitentiaria hodie non ſolet committere dictam abſolutionem, niſi ad effectum ſepeliendi cadaver in loco ſacro, & tunc quidem in forma publica.

S E C T I O D C C C C X L I.

Caput XXIX. Nuper, *ex Decretali ejuſdem Innocentii III. reſcripta Epiſcopo Uratiſlavienſi in Sileſia, quæ eſt provincia Bohemiæ.*

NUper a Nobis tua diſcretio requiſivit, quid de illis laicis ſit faciendum, qui Clericos (ſine læſione tamen) in cuſtodia detinent publica, vel privata, vel etiam detrudunt in vincula? Et utrum, qui nominatim excommunicatis ſcienter communicant, abſolvi ab excommunicatione poſſint per confeſſionem a ſimplici Sacerdote, vel Epiſcopi, ſeu Archiepiſcopi ſit ab eis abſolutio expetenda? Nos igitur inquiſitioni tuæ ex ordine reſpondemus, quod in primo conſultationis articulo non credimus, laicos pœnam excomuni-

municationis evadere, quamvis per eorum factum corporalis læſio non fuerit ſubſecuta, citra quam violentia ſæpius circa Clericos nequiter perpetratur. In ſecunda vero quæſtione credimus diſtinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, ſcienter in crimine communicet criminoſo, ei conſilium impendendo, auxilium, vel favorem, aut alias in oratione, vel oſculo, aut orando ſecum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis communicet crimini, & participet criminoſo, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit; ab eo, vel ejus Superiore merito delicti tunc erit abſolutio requirenda; cum facientem, & conſentientem par pœna conſtringat. In ſecundo vero caſu a ſuo Epiſcopo, vel a proprio Sacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere: quamvis enim, & tunc non Judicis, ſed juris ſententia excommunicato communicans ſit ligatus, quia tamen conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi. Is autem, qui juxta primum modum excommunicato communicat, cum juramento debet abſolvi: qui vero juxta ſecundum modum, reconciliari poterit ſine juratoria cautione. Verum, ſi difficile ſit ex aliqua juſta cauſa, quod ad ipſum excommunicatorem abſolvendus accedat, concedimus, indulgendo, ut (præſtita juxta formam Eccleſiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit) a ſuo abſolvatur Epiſcopo, vel proprio Sacerdote.

Hanc Decretalem traſcribo. I. Ne Tyrones in ſtudio canonicæ facultatis decipiantur, exiſtimantes poſſe *ſimplicem Sacerdotem* abſolvere a minori excommunicatione, cum legant, id aſſeri non quidem in eadem Decretali, ſed tum in ejus Epigraphe extenſa in collectione Gregoriana, qua in ſcholis utimur, tum in Fagnano ad hoc idem *cap. n.* 14. aliiſque DD. relatis a *Theſauro de pœnis eccleſiaſt. cap. XXIV. verb. Abſolutio*, §. *Amplia* III. a qua ſententia omnino abſtinendum eſt, nedum quia in allata Decretali expreſſe tribuatur hæc facultas Epiſcopo dumtaxat, vel proprio Sacerdoti, ideſt parocho, ſed etiam quia cum non aliter abſolvi poſſit hæc cenſura ab inferioribus Epiſcopo, niſi in ſacramentali confeſſione, hodie ex decreto Cong. Conc. *de Communione quotidiana*, juſſu Innocentii XI. *edito* 12. *Februarii* 1679. interdictum eſt ſimplici Sacerdoti abſolvere a venialibus, aut mortalibus, alias abſolutis.

II. Ut intelligatur, quæ ſit hodierna Eccleſiæ diſciplina circa facultatem abſolvendi a minori excommunicatione, non obſtante, quod in dicto decreto aſſeratur, illam competere Epiſcopo, vel parocho: communis enim ſententia eſt, ab omnibus inconcuſſe recepta, abſolvi poſſe etiam a quolibet confeſſario, ab Epiſcopo approbato *cit. Theſaurus part. I. cap. XXIV.*

SECTIO DCCCCXLII.

CAPUT XXX. QUOD IN DUBIIS *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Strigonienſi Archiepiſcopo reſcripta.*

QUod in dubiis (& infra.) Reſpondemus, quod excommunicato, licet, quod ſtet mandato Eccleſiæ juramento firmaverit, communicari non debet, donec per Eccleſiam fuerit abſolutus, alioquin poſt juramentum non eſſet abſolutio neceſſaria. Nullus autem ſcienter nominatim excommunicato communicare tenetur, niſi quædam perſonæ, quæ per illud Gregorii Papæ capitulum; *Quoniam multos*, ſpecialiter excuſantur. Illi autem, qui nominatim excommunicatis præſumptuoſe participant, præter perſonas dicto Canone annotatas, niſi ab eorum participatione commoniti forte deſtiterint, excommunicationis vinculo ſunt innodandi: ſecus autem, ſi ſcienter ei communicant, qui cum participibus ſuis eſt vinculo excommunicationis ſententialiter innodatus: tunc enim & ipſi ſententiam excommunicationis incurrunt.

Huic Decretali, juncto *Can. CII. Excellentiſſimus, cauſa XI. quæſt. III.* ex quibus infertur, ferri poſſe a quocunque eccleſiaſtico judice excommunicationem, excommunicando etiam eodem contextu, v. g. Titium cum participibus ſuis, derogatum eſt ab Innocentio IV. *cap. Statuimus III.* & a Greg. X. *cap. Conſtitutionem IX. hoc eod. tit. in VI.* inhibentibus inferiori Judici a Papa, ferre excommunicationem generalem contra participantes cum excommunicato a ſe; ac præcipientibus ferri poſſe ſolum ſpecialem, trina canonica monitione præmiſſa, vel unica pro tribus, contra nominatim expreſſos, v. g. monendo Cajum, & Sejum, ne cum Titio communicent. Quarum Decretalium textus leges infra pag. 780.

SE-

S E C T I O D C C C C X L I I I.

Caput XXXII. Cum illorum, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, ignotum, cui reſcripta,*

CUm illorum abſolutio, qui pro violenta manuum injectione in Clericos labem excommunicationis incurrunt (quibuſdam caſibus a Prædeceſſore noſtro exceptis) Sedi dumtaxat Apoſt. reſervetur, nonnulli eccleſiaſticam ſententiam negligentes, in excommunicatione poſiti, eccleſiaſticos Ordiues accipere non formidant. Quid autem de his fieri debeat, Apoſtolicum ſæpius oraculum imploratur. Circa quos credimus diſtinguendum, quod tales, vel ſciunt, excommunicationis ſe vinculo irretitos, vel non recolunt factum, pro quo in latæ ſenteutiæ Canonem inciderunt, vel factum quidem ſcientes, juris ignari, neſciunt exinde ſe teneri. Primos, ſi fuerint ſeculares Clerici, a ſuſceptis Ordinibus cenſemus in perpetuum deponendos: in reliquis caſibus tam Archiepiſcopi, quam Epiſcopi abſque mandato Sedis Apoſt. ſpeciali diſpenſandi facultatem ſe noverint non habere, quibus etiam eſt abſolutio talium interdicta, cum majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora. Poterunt tamen hujuſmodi Rom. Pontif. auribus intimari, ut ab eo ſecundum rigorem, vel æquitatem reſponſum prodeat, prout diſcretio ſua viderit faciendum. Qui ſi clauſtrales hujuſmodi fuerint, lieet ab Alexandro Papa fuerit conſtitutum, Monachi, & Canonici regulares quocunque modo ſe in clauſtro percuſſerint, non ſunt ad Apoſtol. Sed. mittendi, ſed ſecundum providentiam ſui Abbatis diſciplinæ ſubdantur; & ſi Abbatis diſcretio ad eorum correctionem non ſufficit, providentia eſt diœceſ. Epiſcopi adhibenda; & alibi dicatur, quod de ſeculo fugientes, qui Religionis habitum in monaſterio receperunt, & inter cætera poſtmodum confitentur, ſe tale commiſiſſe delictum, per quod ipſo actu excommunicationis ſententiam incurrerunt, ſine licentia Rom. Pontif. Abbas non poteſt, nec debet eos abſolvere, quamvis præſumptionem delinquentium debita poſſit animadverſione punire. Nos tamen in Religionis favorem, & ut evagandi materia ſubtrahatur, majorem eis gratiam exhibere volentes, eorum Prælatis, quod etiam talibus abſolutionis beneficium impertiri valeant, indulgemus, uiſi exceſſus ipſorum extiterit difficilis, & enormis, utpote ſi ad mutilationem membri, vel effuſionem ſanguinis eſt proceſſum, aut in Epiſcopum, aut Abbatem violenta manus injecta, cum exceſſus tales. & ſimiles nequeant ſine ſcandalo præteriri. Si vero clauſtralis aliquis in religioſam perſonam alterius clauſtri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium, & ejus, qui paſſus eſt injuriam, abſolvatur. Quod ſi Clericum percuſſerit ſecularem, non niſi per Apoſt. Sed. (ut ſcandalum evitetur) abſolutionis gratiam poterit promereri. Si autem hos ad Ordines promoveri contingat, juxta præmiſſam diſtinctionem, qui ſcienter in contemptum eccleſiaſticæ diſciplinæ ſe fecerint ordinari, ab executione ſuſcepti Ordinis, & officii decernimus manere ſuſpenſos. Circa reliquos vero facti memoriam, vel juris peritiam non habentes, monaſteriorum utilitate penſata, poſt injunctam regularem pœnitentiam, & peractam, Abbates ipſorum poterunt diſpenſare, niſi grave fuerit, & notabile factum, aut is, qui fecit, adultus fuerit, & diſcretus, ut violenter contra oblivionem, vel ignorantiam præſumatur. Præcipimus autem Abbatibus, ut formam iſtam diligenter obſervent, ne privilegium mereatur amittere, qui ſibi permiſſa abutitur poteſtate.

In hac Decretali §. *Si vero* ſtatuitur, quod ſi religioſus percuſſerit religioſum alterius Ordinis, Abbas Monachi percuſſi debeat virga percutere nudos humeros percuſſoris, dum hic genuflexus recitat totum Pſalmum *Miſerere*; illius Abbas autem proferre verba abſolutionis. Et ita dicendum eſt de aliis Superioribus regularibus juxta Abbatem, Panormitanum, quamvis hic ſermo ſit de Abbatibus.

Si vero percuſſerit Clericum ſecularem non poſſit abſolvi, niſi a Papa.

Verum hæc Decretalis quoad hanc ſecundam partem correcta eſt a Bonifacio VIII. ut ex ejus Decretali, relata in *cap. XXI. Religioſo, hoc eod. tit. in VI.* in qua, juncta Gloſſa *verſ. Eo caſu*, facultas abſolvendi conceſſa eſt Epiſcopo, ibi.

Religioſo, qui manus violentas in Clericum ſecularem injecit (ne hoc prætextu habeat materiam evagandi) poterit ab Epiſcopo eo caſu abſolutionis beneficium exhiberi,

quo

quo ſeculari Clerico poſſet, ſi alium Clericum percuſſiſſet. Quamvis autem is, qui Religionem ingreditur, religioſus cenſeri cum effectu non poſſit, donec ſit tacite, vel expreſſe profeſſus; ſi quis tamen violentas manus in eum injiciat, excommunicationis latæ a Canone vinculum non evadit.

Hoc de jure antiquo, de jure autem privilegiato (ita Amenus *de Delictis, & pœnis*, *tom. 3. tit. 7. §. 3. verb. Percuſſio num. 89.*) „ Communi-
„ niter recepto, prout probat Rodric. *tom. 1. q. 20.*
„ *art. 12.* & teſtatur Sanctor. *Comm. cap. 2. ſtat. 14.*
„ poſſunt Prælati regulares abſolvere etiam nomi-
„ natim excommunicatum ſubditum ſuum ob inje-
„ ctionem manus violentæ in Clericum quemvis.
„ Advertendum autem, quod abſolutio iſta eſt tan-
„ tum pro foro animæ, & in foro fori tantum pro
„ percuſſoribus Fratrum ſuorum, reſpectu quorum
„ non requiritur partis ſatisfactio, cum ſint ambo
„ ejuſdem Religionis, nempe percutiens, ac per-
„ cuſſus ".

Et num. 91. & 92. ita proſequitur „ Si vero Re-
„ gularis percutit Clericum ſecularem, dico cum
„ Sanctor. *de Pœnis, cap. XIV. quæſt 3. verb. Reſpon-*
„ *deo inter graves fol.* 82. quod, ſatisfacta parte,
„ percuſſor debet a proprio Superiore abſolvi,
„ etiam pro foro fori, nec poteſt Epiſcopus præten-
„ dere, quod ab eo abſolvatur. Ratio eſt, quia
„ Epiſcopus non poteſt ferre ſententiam declarato-
„ riam, quod Regularis, qui Clericum ſecularem
„ percuſſit intra clauſtra, ſit excommunicatus vi-
„ tandus, ut probat Bordon. *Controverſia 44. q. 4.*
„ *num. 5.* quia Epiſcopus ſupra Regulares delinquen-
„ tes in ſuo clauſtro nullum jus habet. Nec pariter,
„ ſi percutiat Clericum extra clauſtra, ut cum Por-
„ tello *verb. Epiſcopus num. 9.* probat idem Bordon.
„ *Var. Reſol. 7. q. 7. num. 11. verb. Oppoſitum, &*
„ *Reſol. 28. quæſt. 26. num. 60.* Igitur nec poteſt præ-
„ tendere ipſum abſolvere; cum iſte ſit actus ma-
„ joris juriſdictionis.

„ Pariter capitulum illud *Religioſo, de Sent.*
„ *excomm. in VI.* non dicit, quod *debeat* abſolvi ab
„ Epiſcopo Regularis percuſſor Clerici, ſed quod
„ *poſſit ab Epiſcopo abſolutionis beneficium exhibe-*
„ *ri*. Unde deducitur, quod talis abſolutio non eſt
„ obligatoria, ſed facultativa: unde concluditur,
„ quod *Epiſcopus* non poteſt prætendere, quod Re-
„ gularis percuſſor Clerici ſe præſentet coram eo,
„ ad obtinendum beneficium abſolutionis, ut ultra
„ Bordon. *loc. ſupra cit.* probat Ceſpedes *De exe-*
„ *mpt. Regular. cap. 19. dub. 305. num. 2.* & Jurium
„ Regularium acerrimus propugnator Paſqualigus
„ addit. ad Laurent. de Franch. *part. 2. quæſt. 21.*
„ *num. 2.* attento maxime, quod ex privilegio Bo-
„ nifacii IX. quod ibidem per extenſum recitat idem
„ Paſqualigus, Superiores regulares habent facul-
„ tatem abſolvendi in utroque foro ſubditos ſuos,
„ injicientes *manus violentas in Confratres, vel alios*
„ *quoſcunque Clericos, etiam uſque ad ſanguinis ef-*
fuſionem, & enormem læſionem, hæc Amenus ".

Wagnerek etiam ad hanc eandem Decretalem de Regularium privilegio circa hoc ita notat „ Iſte
„ Canon, quatenus negat, vel limitat Abbatibus
„ poteſtatem abſolvendi Clericorum percuſſores,
„ hodie non ligat Regulares ſuos, aut Religionem
„ ingredientes propter privilegia Religionum, per
„ quæ conceſſum eſt illarum Superioribus, ut per ſe,
„ vel alios omnes ſuos poſſint abſolvere ab omnibus
„ peccatis ante, vel poſt ingreſſum commiſſis, &
„ ab omnibus eccleſiaſticis, & ſecularibus ſententiis,
„ cenſuris, & pœnis a jure, vel homine latis per
„ Bullam Sixti IV. conceſſam Minoribus, quatuor
„ tantum caſibus exceptis, de quibus in eorum mo-
„ numentis ſimile privilegium conceſſum eſt PP. Be-
„ nedictinis. Utrumque participat Societas Jeſu,
„ ut refertur in *Compendio Privilegiorum, verb.*
„ *Abſolutio §. 7. & 10.*"

Juxta regulam præſcriptam in *cit. §. Si vero*, reſolvi poteſt celebre dubium excitatum a Gloſſa in *cap. 33. De monialibus, hoc eod. tit.* in quo delegatur Epiſcopo illimitata facultas abſolvendi moniales, quæ tam ſe invicem, quam Converſos, vel Converſas ſuas, aut Clericos etiam in earum monaſteriis ſervientes, a quo ſcilicet abſolvi poſſint, ſi monialis monaſterii unius Epiſcopatus percuſſerit monachum, vel Converſum, aut Clericum alterius Epiſcopatus: in hoc enim caſu, vel convenire deberet uterque Epiſcopus, vel alter alteri delegare vicem ſuam.

Cum autem hæc Decretalis §. *Quamvis* admittat profeſſionem tacitam, ei derogatum eſt a Concil. Trident. *ſeſſ. XXV. cap. XV. de Regul.* cum limitatione tamen, ut pluries notatum eſt ſupra.

S E C T I O D C C C C X L I V.

Caput XXXVII. Relatum, *ex Decretali laudati Innocentii III. Epiſcopo Londonenſi ſcripta.*

RElatum eſt nobis, quod cum aliqui ſervi propter injectionem manuum in Clericum violentam, in Canonem incidunt ſententiæ promulgatæ, allegantibus dominis eorundem, quod carere mancipiis ſuis nolunt, venire ad Sed. Apoſtol. abſolvendi non curant, per occaſionem hujuſmodi eludentes eccleſiaſticam diſciplinam. Quocirca mandamus, quatenus eos venire compellas ad Sed. Apoſt. abſolvendos: cum plus ſit Deo, quam homini deferendum; niſi fecerint hoc in fraudem, ut ſubtrahant ſe obſequio dominorum, aut

Digitized by Google

aut ipſi domini propter hoc ſine culpa ſua grave damnum incurrant: tunc enim in quilibet caſu poteris eos ex indulgentia noſtræ proviſionis abſolvere, cum nimis ſint ab Apoſt. Sede remoti: ſed in recompenſationem laboris, quem in itinere ſuſtinerent, alia eis ſatisfactio injungatur: dummodo non ſit tam gravis, & enormis exceſſus, ut propter vitandum ſcandalum, & tollendum exemplum, hujuſmodi ſervi ad Servum Servorum Dei venire debeant abſolvendi.

In hac pariter Decretali præcipitur perſonalis acceſſus ad Sedem Apoſtolicam pro obtinenda abſolutione propter violentam manuum injectionem in Clericum, & ob impedimentum ſervitutis percutientium, de quibus in caſu hic propoſito tribuitur Epiſcopo facultas eos abſolvendi.

Verum circa hunc acceſſum hodie attendenda ſunt notata ſupra ad *cap. I. Super eo* p. 770. & circa facultatem abſolvendi tributam Epiſcopo in caſu impedimenti, notata pariter ſupra ad *caput VI. Mulieres* pag. 760.

Inſuper circa ſervitutem attendenda ſunt notata S CXXX. pag. 8a. ubi, & alibi jamdixi hodie inter chriſtianos ſlatum rigoroſæ ſervitutis abolitum eſſe.

SECTIO DCCCCXLV.

Caput XXXVIII. Sacris, *ex Decretali ejuſdem Innocentii Archiepiſcopo Strigonienſi reſcripta.*

Sacris eſt Canonibus inſtitutum (& infra,) Licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicaverat, qui cum omnibus fautoribus, & participibus ſuis excommunicationis ſententia ſunt adſtricti, ad cor rediens, de mandato Eccleſiæ excommunicatos, quos prius foverat, expugnaverit; non tamen priusquam abſolutionis gratiam perceperit, habendus eſt abſolutus, nec ſi occumbat in hujuſmodi bello, ſunt abſolutiones, vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ, niſi cum de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, & juxta cujuſdam Conſtitutionis noſtræ tenorem, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur,

Circa excommunicationem ferendam contra aliquam determinatam perſonam cum participibus ſuis indeterminate, & generaliter ſumptis, attendenda ſunt notata ſupra ad *caput XXX. Quod in dubiis* pag. 772.

Circa vero abſolutionem excommunicati poſt mortem notata ad *cap. XXVIII. A Nobis* pag. 770. de quo hic Pontifex loquitur.

SECTIO DCCCCXLVI.

Caput XXXIX. Sicut nobis, *ex Decretali ejuſdem Innocentii, Vidoni Epiſcopo Aſſiſienſi reſcripta,*

Sicut nobis (& infra,) Fraternitati tuæ reſpondemus, quod niſi excommunicati a te, ſuper abſolutione ſua literas noſtras, vel illius, cui vices noſtras in hac parte commiſimus, reportaverint, aut alio modo legitime de illorum abſolutione tibi conſtiterit, tu ipſos pro excommunicatis, ut prius, habeas, & facias evitari.

De onere vitandi excommunicatum in hac Decretali præſcripto intellige, ſi fuerit nominatim excommunicatus, ut vitandus juxta dicta ſupra ad *caput VIII. Nulli* pag. 761.

SECTIO DCCCCXLVII.

Caput XLIII. Responso, *ex Decretali laudati Innocentii III, Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Ferrarienſi reſcripta,*

Reſponſo noſtro poſtulas edoceri, an cum Ferrarien. cives excommunicationis, & interdicti ſententiis ſint ligati, liceat ſibi viros, & mulieres ſemel in hebdomada, vel

vel in menſe apud aliquam Eccleſiam convocare, quibus prædices verbum Dei, & eoſdem ad correctionem inducas. Super quo reſpondemus, quod ſine ſcrupulo conſcientiæ hoc facere poteris, cum videris expedire, dummodo contra formam interdicti nullum eis divinum officium celebretur. Præterea quæſiviſti, cum Ferrarien. civitas ſit interdicto ſuppoſita, & ideo ſint ibidem (præter baptiſma parvulorum, & pœnitentias morientium (univerſa Sacramenta eccleſiaſtica interdicta, an liceat ſibi baptizatos pueros in frontibus conſignare; ſuper quo reſpondemus, quod ſicut baptizari poſſint pueri, ſic & baptizati ad Confirmationem in frontibus a te poſſuut ſacro chriſmate deliniri.

Hæc Decretalis ſtatueus, ut tempore generalis interdicti nulla divina officia celebrentur, nec adminiſtrentur Sacramenta, exceptis Baptiſmo parvulorum, Confirmatione, & pœnitentia pro morientibus, ampliata eſt a Bonifacio VIII. in *cap. XXIV. Alma mater*, ſupra tranſcripta pag. 717. in qua leges ampliationem.

SECTIO DCCCCXLVIII.

CAPUT XLV. CONTINGIT, *ex Decretali dicti Innocentii III. Epiſcopo Morinenſi ſcripta.*

CONTINGIT interdum (& infra.) Sane, ſicut accepimus, inſinuante comite Flandren. in diœceſi tua quidam exiſtunt, qui nec in modo Tonſuræ, nec in veſtimentorum forma, nec in qualitate negociorum de Clerico quidquam oſtendunt, ad pœnæ ſubterfugium ſe Clericos exhibentes; cum enim ſuper exceſſibus, quos ſeculari luxu committunt, ad publica judicia pertrahantur, circumciſis crinibus, ut poſſint circumvenire vindictam, ſe pro Clericis repræſentant, clericalis fori privilegium labiis allegantes, qui factis paulo ante negaverant Clericatum (& infra.) Verum, quia privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, ac fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in legem; volumus, & mandamus, ut tales, ſi tertio a te commoniti, ſe ipſos contempſerint emendare, illius efficiantur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela, & laicorum violentia coercenda dignoſcitur inſtituta.

Circa trinam monitionem, de qua in hac Decretali, attendenda ſunt notata ex Conc. Trid. ſupra ad *cap. XXV. In audientia* pag. 770.

SECTIO DCCCCXLIX.

CAPUT XLVIII. SACRO, *ex Decretali deſumpta a Can. XLVII. Concilii generalis Lateranenſis IV. celebrati ſub Innoc. III. an. 1215.*

SACRO approbante Concilio, prohibemus ne quis in aliquem excommunicationis ſententiam, niſi competenti admonitione præmiſſa, & perſonis præſentibus idoneis, per quas (ſi neceſſe fuerit) poſſit probari monitio, promulgare præſumat: quod ſi contra præſumpſerit, etiamſi juſta fuerit excommunicationis ſententia, ingreſſum Eccleſiæ per menſem unum ſibi noverit interdictum, alia nihilominus pœna multandus, ſi viſum fuerit expedire. Caveat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cujuſquam abſque manifeſta, & rationabili cauſa procedat, ad quam, ſi taliter forte proceſſerit, & requiſitus humiliter, proceſſum hujuſmodi non curaverit abſque gravamine revocare, gravatus apud Superiorem deponat de injuſta excommunicatione querelam, quis ſi abſque periculo moræ poteſt) ad excommunicatorem illum cum ſuo mandato remittat intra competentem terminum abſolvendum; alioquin ipſe per ſe, vel per alium (prout viderit expedire) ſufficienti cautione recepta, munus ei abſolutionis impendat. Cumque adverſus excommunicatorem de injuſta excommunicatione conſtiterit, excommunicator condemnetur ad intereſſe excommunicato, alias nihilominus (ſi culpæ qualitas poſtulaver it) Superioris arbitrio puniendus, cum non levis ſit culpa, tantam infligere pœnam inſonti, niſi forſitan

erra-

erraverit ex cauſa probabili, maxime ſi laudabilis opinionis exiſtat. Verum ſi contra excommunicationis ſententiam nihil rationabile fuerit a conquerente probatum, idem & ſuper injuſta excommunicationis moleſtia per pœnam ad intereſſe, vel alias ſecundum Superioris arbitrium condemnetur: niſi forſan & ipſum probabilis error excuſet; & ſuper eo, pro quo fuerit juſta excommunicatione ligatus, per cautionem receptam ſatisfacere compellatur, vel in priſtinam reducatur ſententiam uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervandam. Si vero Judex ſuum recognoſcens errorem, paratus ſit talem revocare ſententiam, & is pro quo lata fuerat, ne abſque ſatisfactione revocet illam, appellet, appellationi non deferat in hac parte, niſi talis ſit error, de quo merito debeat dubitari, & tunc, ſufficienti cautione recepta, quod coram eo, ad quem appellatum extiterit, vel delegato ab ipſo jure parebit, excommunicatum abſolvat; ſicque pœnæ præſcriptæ minime ſubjacebit, cavens omnino, ne voluntate perverſa in alterius præjudicium mentiatur errorem, ſi diſtrictionis canonicæ vult effugere ultionem.

Hæc Decretalis ampliata eſt ab Innocentio IV. in Concilio generali Lugdunenſi I. ſub eodem celebrato an. 1245. requirente ad validitatem excommunicationis præter præviam monitionem. I. Ut ſententia primum ſcribatur, & poſtea proferatur. II. Ut in ea exprimatur cauſa, ob quam fertur. III. Ut tradatur exemplum ſcripturæ, ſeu ſententiæ, ſi intra menſem excommunicatus illud petat, prout in ejus Decretali, relata in *cap. I. Cum medicinalis, hoc eod. tit. in VI.*

SECTIO DCCCCXLIX.

Caput XLIX. Noverit, *ex Decretali Honorii III. Henrico Epiſcopo (nunc Archiepiſcopo) Bononienſi ſcripta.*

Noverit Fraternitas tua (& infra.) Excommunicamus omnes hæreticos utriuſque ſexus, quocunque nomine cenſeantur, & fautores, & receptatores, & defenſores eorum, necnon & qui de cætero ſervari fecerint ſtatuta edita, & conſuetudines introductas, contra Eccleſiæ libertatem, niſi ea de capitularibus ſuis infra duos menſes poſt hujuſmodi publicationem ſententiæ fecerint amoveri. Item excommunicamus Statutarios, & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, necnon Poteſtates, Conſules, Rectores, & Conſiliarios locorum, ubi de cætero hujuſmodi ſtatuta, & conſuetudines editæ fuerint, vel ſervatæ: necnon & illos, qui ſecundum ea præſumpſerint judicare, vel in publicam formam ſcribere judicata.

Emanationi hujus Decretalis cauſam dederunt Bononienſes, Narnienſes, Spoletani, & Ferrarienſes, qui, ut refert Anonymus in vita Gregorii XI. aſſumpto vexillo libertatis, varia ſtatuta condiderunt contra Eccleſiam Romanam, libertatemque eccleſiaſticam.

Hic igitur fertur excommunicatio latæ ſententiæ contra facientes ſervari ſtatuta, vel conſuetudines introductas contra eccleſiaſticam libertatem. niſi ea de capitularibus, ſeu libris ſtatutorum intra duos menſes fecerint amoveri. Et licet præfigatur terminus duorum menſium ad ea delenda, hodie tamen id locum non habet, cum hujuſmodi dilatio intelligenda ſit quoad edita ante hanc Decretalem dumtaxat.

Iſta excommunicatio, & alia ſimilis lata contra eoſdem in ſupra tranſcripto *cap. LIII. Gravem*, nemini eſt reſervata, ſed hodie eſt reſervata Papæ ex *cap. XVI. Bulla Cœnæ*, quod leges in calce hujus Operis.

Vide circa hanc materiam *Theſaurum de pœnis eccleſiaſt. cap. II. verb. Leges.*

SECTIO DCCCCL.

Caput LII. Venerabili, *ex Decretali ejuſdem Honorii III. Bituricenſi, & Carnotenſi Decano, ac Subdiacono Aurelianenſi ſcripta.*

Venerabili fratre noſtro Cenomanen. Epiſcopo, & Procuratore Turonen. Archiepiſcopi, in noſtra præſentia conſtitutis, pro quadam ſuſpenſionis ſententia in præfatum Epiſcopum ab eodem Archiepiſcopo promulgata: nos ſententiam ipſam relaxavimus ad cautelam, ipſo Epiſcopo in præſentia dicti Procuratoris præſtante corporaliter jura-

juramentum, quod parebit mandatis, quæ idem Archiepiſcopus ſibi propter hoc fecerit, ſi conſtiterit ipſum in eo, pro quo fuit lata prædicta ſententia, culpabilem extitiſſe.

In hac Decretali agitur de ſuſpenſione lata in Epiſcopum Turonenſem ab Archiepiſcopo, & Epiſcopis ſuæ Provinciæ juxta jus antiquum *Can. I. Si quis Epiſcopus cauſ. VI. quæſt. 4.* vi cujus cauſæ Epiſcoporum in Concilio tantum provinciali diſceptari poterant.

Verum tam hæc Decretalis, quam jus antiquum abrogatum fuit a Conc. Trid. decernente delationem, & cognitionem cauſarum criminalium Epiſcoporum privative ſpectare ad Romanum Pontificem, ut notatum eſt ſupra ad *cap. II. Si quis Epiſcopus, de Accuſationib.* pag. 553.

SECTIO DCCCCLI.

Caput LIII, Gravem, *ex Decretali laudati Honorii III. Benſilio Epiſcopo Senonenſi ſcripta.*

Gravem venerabilis fratris noſtri Piſani Archiepiſcopi recepimus quæſtionem, quod quidam cives Piſani, deputati a Poteſtate, ac populo ad ſtatuta civitatis edenda, in derogationem Apoſtolicæ Sedis, & ſubverſionem eccleſiaſticæ libertatis edere præſumpſerunt, quod ſi quis Clericus, vel laicus contra quemcunque laicum Piſani diſtrictus, ad Judicem eccleſiaſticum literas Apoſtolicas impetraverit, in mille ſolidis (niſi renunciaverit literis) condemnetur; nec redditus poſſeſſionum ſuarum reddantur eidem, vel agri excolantur illius, ſed banno potius ſubjaceant Poteſtatis (& infra.) Statuerunt illi præterea, ut Clerici ſuis ſumptibus caſtrum Ripæ fractæ faciant cuſtodiri; quod ſi renuerint, contra eos Poteſtas procedere teneatur (& infra.) Ideoque Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in conſiliarios, & officiales civitatis ipſius, niſi ſtatuta ipſa de capitularibus ſuis deleri fecerint, & idonee, ſicut exigit res, cavari, quod ſimilia de cætero non debeant attentare, excommunicationis ſententiam promulgare procures. Cæterum cum iidem Statutarii multa de bonis eccleſiaſticis tenere dicantur in feudum, ipſos fore nihilominus privatos feudis hujuſmodi nunciare procures.

In hac Decretali fertur excommunicatio in facientes ſtatuta contra libertatem eccleſiaſticam, quamvis videatur eſſe ſententiæ promulgatoriæ, eam tamen DD. intelligunt eſſe declaratoriam, ſive Canonem latæ ſententiæ circa cujus reſervationem dic, ut notatum eſt ſupra ad *cap. XLIX. Noverit.*

SECTIO DCCCCLII.

Caput LVII, Permittimus, *ex Decretali Gregorii IX.*

Permittimus Eccleſiarum miniſtris ſemel in hebdomada tempore interdicti, non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa, januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, Miſſarum ſolemnia celebrare, cauſa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.

Indulget hic Pontifex tempore generalis interdicti, ſemel tantum in hebdomada celebrari poſſe Miſſam, januis clauſis, & ſine campanarum ſono ad conficiendum Corpus Chriſti pro morientibus.

Verum hodie attendenda eſt ampliatio, facta a Bonifacio VIII. in *cap. XXIV. Alma mater*, ut notatum eſt ſupra ad *cap. XXIV. Ut privilegia* pag. 717.

SE-

SECTIO DCCCCLIII.

CAPUT LVIII. QUAMVIS, *ex Decretali ejuſdem Gregorii*.

QUamvis incidens in Canonem latæ ſententiæ propter violentam manuum injectionem, juxta proprias facultates eis ſatisfaciat, quibus injurias irrogavit, non tamen aliter, quam per Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatum abſolutionis poteſt beneficium obtinere: niſi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili, vel ſenili ætate, fragilitate ſexus, ſeu alia corporis impotentia, ſive quolibet impedimento canonice retrahatur, quominus Romanum Pontificem poſſit adire, vel niſi juris beneficio a labore hujuſmodi excuſetur. Cæterum quibuſdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant (exceptis pueris) ſub debito juramenti (quod ſecundum Eccleſiæ formam præſtare tenentur) conſuevit injungi, ut impedimento ceſſante, ad Apoſtolicam Sedem accedant, mandatum ipſius humiliter ſuſcepturi.

Circa acceſſum perſonalem ad Sedem Apoſtolicam, de quo in hac Decretali, dic. ut notatum eſt ſupra *cap. I. Super eo* pag. 757.
Circa facultatem autem abſolvendi pueros notorios Clerici percuſſores, ampliata eſt ab eodem Gregorio, hanc facultatem Epiſcopo tribuente, etiamſi poſt pubertatem poſtulent ſe abſolvi, ut in ſequenti ejus Decretali, relata *hoc eod. tit. cap. LX.*

Pueris, qui in Canonem inciderunt ſententiæ promulgatæ, ſive ante, ſive poſt pubertatem poſtulent ſe abſolvi, poteſt dioeceſanus Epiſcopus abſolutionis beneficium impertiri; cum propter defectum ætatis, in qua fuit commiſſus exceſſus, rigor ſit manſuetudine temperandus.

Eodem Titulo de Sententia Excommunicationis in VI.

SECTIO DCCCCLIV.

CAPUT I. CUM MEDICINALIS, *ex Decretali Innocentii IV. in Concilio generali Lugdunenſi celebrato an.* 1245.

CUM medicinalis ſit excommunicatio, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, caute provideat Judex eccleſiaſticus, ut in ea ferenda oſtendat, ſe proſequi, quod corrigentis fuerit, & medentis. Quiſquis igitur excommunicat, excommunicationem in ſcriptis proferat, & cauſam excommunicationis expreſſe conſcribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero hujuſmodi ſcripturæ teneatur excommunicato tradere infra menſem, ſi fuerit requiſitus, ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtrumentum, vel literas teſtimoniales confici, ſigillo authentico conſignatas. Si quis autem Judicum hujuſmodi Conſtitutionis temerarius extiterit violator, per menſem unum ab ingreſſu Eccleſiæ, & divinis officiis noverit ſe ſuſpenſum. Superior vero, ad quem recurritur, ſententiam ipſam ſine difficultate relaxans, latorem excommunicato ad expenſas, & omne intereſſe condemnet, & alias puniat animadverſione condigna, ut pœna docente, diſcant Judices, quam grave ſit excommunicationum ſententias ſine maturitate debita fulminare. Et hæc eadem in ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis volumus obſervari. Caveant autem Eccleſiarum Prælati, & Judices univerſi, ne prædictam pœnam ſuſpenſionis incurrant; quoniam ſi contingeret, eos ſic ſuſpenſos divina officia exequi, ſicut prius, irregularitatem non effugient juxta canonicas ſanctiones; ſuper qua, nonniſi per Summum Pontificem poterit diſpenſari.

Huic Decretali, declaranti, ipſo facto interdictos per unum menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & a divinis officiis ſuſpenſos quoſcunque Eccleſiarum Prælatos, & Judices, ferre præſumentes excommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis cenſuras in aliquem ſine ſcriptura, & expreſſione cauſæ earumdem reſpective cenſurarum, & abſque exemplari dictæ ſcripturæ reo tradendo intra menſem, eo re-

quirente, adjecta eſt declaratio ab eodem Pontifice *cap. Quia periculoſum IV. hoc eod. tit.* quoad Epiſcopos, eorumque Superiores, ideſt Archiepiſcopos, Patriarchas, & Primates, hos ſcilicet (licet & ipſi veniant, ſub nomine Prælatorum (non ſervantes hujuſmodi formam, non incurrere ſententiam interdicti, & ſuſpenſionis, niſi de iiſdem in quacunque Conſtitutione, ſententia, vel mandato dictas cenſuras infligentibus expreſſa mentio habeatur, ibi.

Quia periculoſum eſt Epiſcopis, & eorum Superioribus, propter executionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo caſu interdicti, vel ſuſpenſionis incurrant ſententiam ipſo facto: nos deliberatione provida duximus ſtatuendum, ut Epiſcopi, & alii Superiores Prælati nullius Conſtitutionis occaſione, ſententiæ, ſive mandati prædictam incurrant ſententiam ullatenus ipſo jure, nisi in ipſis de Epiſcopis expreſſa mentio habeatur.

An vero Epiſcopi, & alii Superiores Prælati incurrant etiam excommunicationem, ſi non exprimantur, alii affirmant, alii negant propter Gloſſæ contradictionem in *hoc eod. cap. Quia periculoſum,* tam in caſu, quam in verbo *Suſpenſionis.*

SECTIO DCCCCLV.

Caput III. Statuimus, *ex Decretali ejuſdem Innocentii IV. in eodem Concilio Lugdunenſi.*

Statuimus, ut nullus Judicum participantes cum excommunicatis ab eo, in locutione, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante monitionem canonicam excommunicare majori excommunicatione præſumat; ſalvis Conſtitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præſumunt participare damnato. Quod ſi ex locutione, & aliis, quibus participans labitur in minorem; excommunicatus fortiùs indureſcat, poterit Judex poſt monitionem canonicam hujuſmodi participantes conſimili damnare cenſura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.

Hæc Decretalis decernens, participantem cum excommunicatis excommunicatione majori in ea parte, quæ ſolum inducit excommunicationem minorem, ligari non poſſe eadem majori excommunicatione, non præmiſſa monitione canonica, ampliata eſt, ſeu potius declarata a Greg. X. *cap. Conſtitutionem IX. hoc eod. tit in VI.* ſtatuente, ligari non poſſe, etiam hac monitione præmiſſa, niſi in ea nominatim exprimatur participans: textum jam hic habes.

SECTIO DCCCCLVI.

Caput IX. Constitutionem, *ex Decretali Gregorii X.*

Conſtitutionem fel. record. Innocentii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, quæ prohibet participantes excommunicatis ea participatione, quæ ſolam minorem excommunicationem inducit, monitione canonica non præmiſſa, majori excommunicatione ligari, decernens promulgatam aliter excommunicationis ſententiam non tenere: ad tollendum omnem ambiguitatis ſcrupulum, declarantes, decernimus, ita demum eſſe monitionem canonicam in hoc caſu, ſi aliis rite reſervatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim. Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas (ut canonice promulgetur excommunicationis ſententia) ſtatuunt jura præmitti, Judices, ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus obſervent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas aliter ea ſuaſerit moderanda.

Hæc Decretalis decernens, ut in præcedenti Sectione, ampliata eſt a Bonifacio VIII. *cap. Statutum XIII. hoc eod. tit. in VI.* extendente dictam Gregorii declarationem etiam ad ſententias ſuſpenſionis, & interdicti, ſi ſuſpendendi, & interdicendi in ipſis nominatim non exprimantur, ibi.

Sta-

Statutum Gregorii Papæ X. factum ad declarationem Conſtitut. Innocentianæ, quæ prohibet participantes excommunicatis ea participatione, quæ ſolum minorem inducit, majore excommunicatione ligari, monitione canonica non præmiſſa: in ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis (quæ pro hujuſmodi participatione plerunque ab Ordinariis, vel delegatis Judicibus promulgantur) præcipimus inviolabiliter obſervari: decernentes, eaſdem ſententias non tenere aliter promulgatas.

Præterea, cum hæc Decretalis generaliter ſtatuat, excommunicationem ferri debere, præmiſſa trina monitione, vel una pro omnibus cum aliquot dierum intervallis ex manifeſta, & rationabili causa, nulla facta diſtinctione cauſarum, moderata eſt a Conc. Trid. *ſeſſ. XXV. cap. III. de reform.* ut notatum eſt ſupra ad *cap. XLVIII. Sacro pag.* 776.

SECTIO DCCCCLVII.

Caput XI. Quicunque, *ex Decretali Alexandri IV.*

Quicunque pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ballivos, vel quoslibet miniſtros eorum, aut quoſcunque alios excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, aut bonis ſuis, vel ſuorum, gravandi eos, qui tales ſententias protulerunt, ſive quorum ſint occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes (niſi licentiam ipſam, re integra, revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentiæ ſit proceſſum, niſi bona ipſa fuerint infra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa) eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Eadem quoque ſententia ſint innodati omnes, qui auſi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquod præmiſſorum, ad quæ committenda dari licentiam prohibuimus, alias committere ſuo motu. Qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſium ſpatio, ex tunc ab ea non poſſint, niſi per Sedem Apoſtolicam, abſolutionis beneficium obtinere.

Excommunicatio hic inflicta, eſt Papæ reſervata poſt obſordeſcientiam duorum menſium in ea: ante duos menſes, ſatisfacta parte, non eſt reſervata.

Verum hodie reſervata eſt Papæ, in quam incidunt quicunque impedientes Prælatos, ne ſua juriſdictione utantur; vel quatenus ſic cogant partes, vel Judices ad cauſarum revocationem, aut abſolutionem, aut quatenus eos vexant cauſa ſententiarum, ut ex *cap. XIV. & XIV. Bullæ Cœnæ*, quorum textus leges in calce hujus Operis.

Eodem Titulo de Sententia excommunicationis in Extravagantibus communibus.

SECTIO DCCCCLVIII.

Caput I. Excommunicamus, *ex Decretali Bonifacii VIII.*

Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & noſtra, omnes Clericos, Religioſos, & laicos utriuſque ſexus, ſive ſint familiares Curiæ, ſive alii undecunque, qui aliquod pactum fecerint, ſeu aliquid parvum, vel magnum promiſerint, vel promiſſionem receperint, aut ex pacto, ſive promiſſione occulta, vel manifeſta facta ſub generalibus, & plenarie non expreſſis, ſive ſit ſub ſpecialibus, & expreſſis aperte verbis, quidquam dederint, aut receperint magnum, vel parvum, vel promiſſionem de quacunque re, aut utilitate propter hoc conſequenda fecerint, vel receperint, pro aliqua juſtitia, sive gratia pro ſe, aut pro alio in cauſis, vel judiciis, ſeu alias per literas Apoſtolicas, & quibuſcunque modis apud Sedem Apoſtolicam obtinenda. Et hanc ſententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duximus ex-

ten-

tendendam. Illos quoque, qui aliquem ſciverint culpabilem in prædictis, & nobis intra dierum trium ſpatium non retulerint, vel alicui, per quem ad nos verbum fideliter perferatur, ſimili decernimus ſententiæ ſubjacere. Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis ſententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (abſque ſpeciali mandato) noſtræ abſolutionis beneficium valeat obtinere; niſi forſan ad nos habere acceſſum non poſſet, in mortis articulo conſtitutus. Nec etiam ad abſolutionis gratiam admittatur, niſi prius, quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur. Juſtitiam vero, ſive gratiam ſic obtentam nullius prorſus eſſe momenti volumus, omnique ſtatuimus carere effectu, & robore firmitatis. Sed & ſcienter utentes ipſis, ſimili ſententiæ excommunicationis adſtringimus: & reſervantes nobis abſolutionem eorum cum in præmiſſis omnibus ad pœnas ſimiles obligamus.

Hæc Decretalis cum cenſuris, & pœnis omnibus in ea contentis innovata eſt a Gregorio XIII. Conſtit. *Ab ipſo 5. Novembris* 1574. quas extendit, nedum contra audentes comittere aliquam ex tribus actionibus, tam in allata Decretali, quam in dicta Conſtit. expreſſis, ſed etiam contra dantes auxilium, conſilium, vel favorem, quas cauſas ſecundarias Bonifacius non expreſſit, ibi.

Ab ipſo Pontificatus noſtri principio, quammaxime poſſumus, enitimur atque contendimus, ut domus, & Curia noſtra a ſordibus expurgetur.

Cui ſalubri conſilio incumbens fel. rec. Bonifacius Papa VIII. excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos, Religioſos, & laicos utriuſque ſexus, ſive familiares Curiæ, ſive undecunque alios, qui aliquod pactum facerent, ſeu quid parvum, vel magnum promitterent &c.

Sed hoc ſcelus ita hodie in mores inductum eſt, ut plerique cupiditate improbi quæſtus, potentiorum ſuffragationibus adnixi, hujuſmodi negociorum expeditiones hac, illac conquirentes turpiſſime nundinentur. Alii alios, quos gratiam præſtare arbitrantur, donis, pollicitationibus ambiant. Quidam etiam ſe talium operam, atque induſtriam pretio, & muneribus quæſiſſe affingant. Quæ cum peſſima ſint, & Curiæ prædictæ exiſtimationem graviſſime offendant, in eos, qui talia agunt, animadvertendum fore arbitrati, Conſtitutionem prædictam cum ſuis cenſuris, & pœnis omnibus innovamus, eaſdemque omnes extendimus ad audentes qualecunque horum facinorum, quæ adſcripſimus, danteſque illis, & aliis ſupradictis auxilium, conſilium, vel favorem.

Quin etiam eos omnes omni beneficio & officio eccleſiaſtico, & ſeculari, ſive temporali, ſive perpetuo, ipſo jure privamus, ac privatos eſſe declaramus: & præterea infamiæ ſubjectos perpetuo, ac inhabiles ad illa, & alia eſſe volumus. A quibus etiam, prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris ſint exemplo.

Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, compliceſque, fautores, & ſocios retexerint, impunitas concedatur.

Citatæ Conſtitutiones Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. confirmatæ fuerunt ab Alexandro VII. Conſtit. *Inter graviſſimas 8. Maii* 1656. & majore diſtinctione declaratis caſibus in ipſis comprehenſis, ad alios novos extenſæ: cujus Conſtitutionis textum, cum ſit nimis prolixus, omitto, & ſummam dumtaxat, & quidem fideliter expono, prout jam expoſui in Additionibus ad *Theſaurum de pœnis eccleſiaſticis*, *poſt cap XV. verb. Simonia*.

In ea igitur declaratur.

I. Quoad materiam, relatas Conſtitutiones, ſpirituales non tantum materias, verum etiam temporales, & mixtas complecti.

II. Quoad perſonas, gratiam, vel favorem concedentes, eſſe de omnibus intelligendum univerſim, ſive ſit Papa, ſive miniſter aliquis, Judex, officialis, etiam Epiſcopus, & Cardinalis, & quæcunque alia perſona, cujuſcunque dignitatis eccleſiaſticæ, vel ſecularis: item quoad perſonas, gratiam, & favorem impetrantes, neminem excipiendum, licet Papæ conjunctum, & ad ipſum pertinentem, etiam laicum, ſi expeditio Romæ obtinebitur, vel alibi, ubi moretur romana Curia.

III. Mediatores comprehendi mediatos, & immediatos, cujuſcunque gradus, & præeminentiæ, etiam in caſibus, in quibus ad aliquem bonum finem datur, ſive promittitur, ſive accipitur, ceſſatque omnis mali ſuſpicio, aut propter juris acquiſiti defenſionem, aut illud (nondum habitum) acquirendum, aut propter res, quæ arbitrio ſubſtant, & ad quas judices, & miniſtri nec de jure, neque celeriori, faciliorique expeditione tenentur.

IV. Omnia verba, aut ſigna prohiberi, etiam equivoca, quæ apta quocunque modo ſint, ut principalem afficiant, aut mediatorem quacunque obligatione juſtitiæ, aut fidelitatis, etiam ſub remunerationis, vel gratitudinis ſigno.

V. Eos comprehendi, qui dant ad effectum impediendi, aut quocunque modo juſtitiam retardandi, aut gratiam, ex quo, ſive damnum, ſive moleſtia,

leſtia, aut vexatio concurrentibus provenit: omnea comprehendi mediatores mediatos, aut immediatos.

VI. Præfatas prohibitiones locum habere in gubernationum proviſionibus, officiorum, & munerum, etiam minorum; neque a Sedis Apoſtolicæ miniſtris ſupra dicta munera imponi poſſe penſionem, reſponſionem, & præſtationem, aut alicujua generis onus; vel ſibi, vel aliis aliquam commodi; aut emolumenti portionem reſervare.

VII. Non poſſe agentes, aut mediatores exigere pactum, aut promiſſionem a partibus, nec rem aliquam accipere prætextu, quod judicum, miniſtrorum, officialium, aut magnatuum operam, auctoritatem, vel officium pretio, vel muneribus, aut promiſſionibus hujuſmodi comparaverint, ſeu quæſierint: & eos pariter comprehendi, qui accipiunt ſub titulo, quod adhibuerint, & applicaverint in recurrentium beneficium, cum juris proprii, & ſpei præjudicio, favorem, & gratiam, ſuis erga dominoa præſtitis ſervitiis acquiſitam, & ipſis debitam.

VIII. Declaratur, ſcriptas pœnas, atque prohibitiones locum habere, quamvis promiſſiones, pollicitationea, atque oblationea nec ſint acceptatæ, neve ſit traditum id, quod fuit promiſſum, aut oblatum, & etiam incaſu, quo res promiſſa, data, aut oblata mediate, vel immediate movere animum nequeat ad gratiæ, aut petitæ juſtitiæ conceſſionem: ac inſuper prohibitaa intelligi actiones, non tantum, quæ legi naturali, & divinæ, ſed ess etiam, quæ ſoli legi humanæ, præfatiſque Conſtitutionibus adverſantur. Excipitur, quod ſola eſculenta, & poculenta dari, & accipi juxta morem Curiæ poſſint, & Curiales ſuam paciſci convenientem mercedem.

IX. Declaratur tandem, quod dictæ Bullæ, & pœnæ in ipſis contentæ, dici nequeant abrogatæ, nec derogatæ ob ſcientiam, patientiam, aut Principis tolerantiam, nec ob diuturnius quodcunque temporis ſpatium, ipſis innovatis adverſus quemcunque uſum, aut contrarium uſum, ſublato dumtaxat, atque caſſato articulo faciendæ denunciationis delinquentium, a Bonifacio præſcriptæ. Hactenua tenor Conſtit. Alex. A Conſtitutione vero Innoc. XII. *Sacerdotalem* 29. *Jan.* 1699. qua confirmatur, & innovatur cit. Alex. Conſtit. declaratur ulterius, comprehendi etiam omnes agentes, expeditores, procuratores, alioſque Curiales, & quemcunque negociorum geſtorem, laicos, eccleſiaſticoa, & regularea, ſuorum etiam capitulorum, & Ordinum procuratores, ſcribentes, vel ſuis principalibus, aut correſponſalibus notulas tranſmittentes, & ipſis quocunque modo inſinuantes, etiam per interpoſitas perſonas, ſe pro impetranda juſtitia, vel gratia, aut poſt earundem impetrationem, munera dediſſe, aut ea neceſſaria eſſe, ſive animo revera munus dandi, ſive ſimulandi id egerint; etiam ſub prætextu redimendæ injuſtæ, & evidentis vexationis: aut quod ſalarium, ſeu honorarium ipſia datum, ſeu promiſſum, aut conſuetum labori, ac diligentiæ in negocio adbibitæ minus reſpondeat: aut aliis quibuſcunque prætextibus, in relata Alex. Conſtit. jam damnatia, aut forſitan in futurum pro excuſatione allegandis: & etiam in adductis prohibitionibus comprehendi caſua, in quibus dictum, ſcriptum, aut inſinuatum fuerit ante, vel poſt impetrationem gratiæ, vel juſtitiæ, quod pro eiſdem impetrandia a ſpecialibus Sedis Apoſtolicæ extra Curiam delegatis, ſeu ab ordinariis ejus judicibua, aut a Nunciis, Legatis, vel Vicelegatis tradita fuerint munera, vel ea in Curia neceſſaria eſſe pro eorum comparando favore, vel pro literis commendatitiis apud ipſos obtinendis. Et pari modo ſubeſſe dictis pœnis principales, & correſponſales ubique locorum, qui ſolvent, tranſmittent, aut mandabunt, ut ſolvatur, aut pecunia tranſmitatur ad dictum effectum dandi munera, vel eam ſolvendi miniſtris gratiæ, vel juſtitiæ in Curia, aut delegatis extra Curiam: quæ pœnæ incurrentur, licet pecunia non fuerit tranamiſſa, ſed tantum notulis, epiſtolis, aut alias quomodolibet a principalibus in partibua petita, vel ab eiſdem principalibus reſpective oblata.

Nota I. Attento harum Conſtitutionum tenore, hodie corrigendam eſſe plurimorum Auctorum doctrinam, qui olim Bullas Bonif. & Greg. ſunt commentati, ut Navarrus, Diana, Bonacina, cum aliter, atque ſenſu diverſo fuerint opinati.

Nota II. Pro praxi (præſupoſito, quod non ſit caſus de ſimonia, de qua babenda eſt ratio juxta propria ejus principia) præfatas Bullas, cum ſint de gratia, & juſtitia, quæ apud Sedem Apoſtolicam obtinentur, non comprebendere Legatorum Curias, neque Nunciorum, aut aliorum ipſius miniſtrorum; dummodo ejuſdem Sedia delegati extra Curiam non ſint, ut dicitur in noviſſima Innocent. Conſt.

Nota III. Ad pœnas incurrendas ſatis eſſe, quamcunque accipere rem parvam, juxta textum Bonifacianæ ibi = *ſeu aliquod parvum, vel magnum promittant* = & quamvis æqua valde videatur eorum doctrina, qui materiam requirunt ſufficientem, ut ab ea accipientis animus ad petitæ gratiæ, vel juſtitiæ conceſſionem moveatur, cum tamen ab Alex. Bulla id in præſenti prohibitione comprehendi declaretur, hoc eſt dare, aut promittere &c. etiam tunc, cum res ad petiti conceſſionem movere animum nequeat, libentius amplector ſententiam, quæ ad pœnas incurrendas, affirmat, ſatis eſſe eam materiæ quantitatem, quæ in furti materia gravem inferat culpam, Bonac. *tom. III. diſp. II. q. 3. punct.* 31. *num.* 3. licet etiam opinentur aliqui, eam ad furti rigorem non eſſe admetiendam, ſed dantis, & accipientia qualitate inſpecta, latius arbitrium aliquod adhiberi poſſe, vide Dianam *Coord. tom. V. tractat. VII. reſ. LIV.* qui nihilo tamen minus aliquas admittit illationea, juxta laudatæ Bullæ tenorem in præſens rejiciendas;

Nota IV. Donationem, aut meræ liberalitatis munus non prohiberi: verum in praxi id erit ſatis difficile, ut ab omni purgetur vitio: cum hujuſmodi (præcipue in exceſſu) liberalitates non babeantur in uſu, & ſi in uſu ſunt, non levem ſuſpicionem præſeferunt.

Nota V. Non prohiberi aliquid dare, vel accipere poſt gratiæ, vel juſtitię impetrationem, cum in citt. Conſtitutionibus id non exprimatur; ideoque ad caſus haud expreſſos non ſunt extendendæ; dummodo tamen pactum, aut antecedens non intervenerit promiſſio, cujua executio poſt impetrationem differatur.

Nota VI. Circa reſtitutionem rei acceptæ in dd. Conſtitutionibus præceptam, hanc faciendam eſſe pauper-

pauperibus, nec accipientem abſolvi poſſe, niſi ea integre in effectu ſecuta: ſicuti & nec dantem, qui itidem in pauperes datum erogare debet, antequam abſolvatur, quoties ſibi ab accipiente id reſtitutum fuerit, aut obtinere poteſt, ut ſibi reſtituatur, Bonac. *loc. cit.*

Nota VII. Ignorantiam harum legum, aut pœnarum excuſare a peccato, & a cenſuris juxta communem doctrinam, quæ in ignorantiæ materia, præſertim in cenſuris, traditur, vide Lezana *Tomo II. Verb. Jure num.* 41.

SECTIO DCCCCLIX.

Caput IV. Quia nonnulli, *ex Decretali Clementis V.*

QUia nonnulli (prout accepimus) contra doctrinam Apoſtoli ſuæ prudentiæ, quin potius imprudentiæ, innitentes, ac diſceptare ſuper his, de quibus eis non expedit, ſatagentes, aſſerere non verentur, quod Summus Pontifex, ante ſuæ coronationis inſignia, ſe non debet intromittere de proviſionibus, reſervationibus, diſpenſationibus, & aliis gratiis faciendis, nec ſe in literis Epiſcopum ſimpliciter, ſed electum, Epiſcopum ſcribere, nec etiam uti Bulla, in qua nomen exprimatur ipſius. Nos talium temeritates compeſcere cupientes, ſingulos, qui occaſione hujuſmodi aliquas literas noſtras ſuper negociis quibuſcunque confectas, quæ a nobis ante coronationis noſtræ inſignia emanarunt, auſi fuerint impugnare, excommunicationis ſententia innodamus.

Excommunicatio hic lata, nemini eſt reſervata, ſed ſi per impugnationem hic expreſſam quis impediret executionem literarum Papæ, incurreret excommunicationem, eidem reſervatam in *cap. XIII. Bullæ Cœnæ*, cujus textum leges in calce hujus Operis.

Titulus XL. De Verborum ſignificatione.

SECTIO DCCCCLX.

Caput XIV. Quæsivit, *ex Decretali Alexandri III. Epiſcopo Carnotenſi reſcripta, juxta Concium, & Antonium Auguſtinum.*

QUæſivit Fraternitas tua (& infra.) Nos itaque tibi duximus reſpondendum, quod Sacerdos, uno præſente Clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere. Feſtum vero B. Mathiæ juxta conſuetudinem eccleſiaſticam vigilia eatenus præcedat, ut nec pro biſſexto, nec pro quolibet alio modo inter ſe, & ſolemnitatem aliam diem admittat: in qua utique vigilia (niſi venerit in Dominica) jejunium celebretur: ipſum autem feſtum, ſive fiat præcedenti die, ſive in ſequenti (qui duo quaſi pro uno reputantur) nullus error, ſed conſuetudo Eccleſiæ teneatur.

Circa vigiliam Sancti Matthiæ vide notata ſupra ad *caput I. Ex parte, de Obſervat. jejuniorum*, pag. 451.

SECTIO DCCCCLXI.

Caput XVI. Olim, *ex Decretali Innocentii III. Patriarchæ Gradenſi ſcripta.*

OLim tibi ſcripſiſſe recolimus, ut ſi Canonici Paduani Magiſtro G. Canonico Paduano præbendam, quæ tantum reſidentibus de communi confertur, ſicut uni ex aliis de communibus proventibus, & manualia beneficia non conferrent, tu eos ad id, appell. ceſſante, compellere procurares: quia vero quidam mandatum noſtrum interpetrari aliter, quam decet, moliuntur (cum beneficia Principum ſint interpetranda largiſſime) noſtrum aperiendum duximus intellectum, videlicet, quod præbendam, quæ tantum reſi-

dentibus in victu, & veſtitu de communi confertur, ipſi magiſtro G. plene, ſicut uni ex aliis reſidentibus injunximus conferendam.

Declarat, & ſtatuit hic Pontifex, Canonicis habentibus privilegia percipiendi fructus in abſentia deberi ſine diminutione diſtributiones quotidianas, quando redditus omnes præbendarum conſiſtunt in dictis diſtributionibus.

Verum huic ſanctioni derogatum eſt a Concil. Trident. *ſeſſ. XXI. cap. III. de reform.* ſtatuente, ut quando redditus omnes conſiſtunt in diſtributionibus, legitime abſentes percipere debeant duas tertias earundem partes, utpote ſubrogatas in locum fructuum præbendarum, ſi illi aut nulli ſint, aut admodum tenues, omiſſa tertia, intereſſentibus accreſcenda.

Et ita etiam pluries declaravit Congr. Concil. ut refert Fagnanus in *cap. XXII. Licet vobis, de Præbend.* Quod in quibuſcunque indultis abſentiæ ſemper ſervat eadem Congregatio juxta generale decretum Innocentii XII. promulgatum, ut in ejus Bullario parvo ſub numero XC. *ſub die 8. Maii 1693.* ibi.

Indulta cauſa ſtudii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis diſtributionibus quotidianis eſſe concedenda, quam pro Eccleſiis, quarum redditus conſiſtunt vel in ſolis diſtributionibus quotidianis, vel in iiſdem diſtributionibus una cum aliquibus fructibus tenuis præbendæ, dempta tamen tertia parte, quæ intereſſentibus accreſcat; nec pariter concedenda ultra triennium, neque majoribus vigintiquinque annis, quinimo hujuſmodi ætate vigintiquinque annorum expleta, eadem Indulta, licet idem triennium expletum non fuerit, expirare.

SECTIO DCCCCLXII.

Caput III. Exiit, *ex Decretali Nicolai III.*

Hæc Decretalis, cujus prolixum textum tranſcribere omitto, cum in ejus §. *Itaque*, fulminetur excommunicatio, ipſo facto incurrenda, Papæ reſervata, aliæque pœnæ infligantur contra Gloſſantes hanc eandem Decretalem circa explicationem Regulæ Fratrum Minorum, moderata eſt a Joanne XXII. *caput II Quia nonnulli, hoc eodem tit.* dictas pœnas ſuſpendente uſque ad Sedis Apoſt. beneplacitum.

Additur hic declaratio S. Pii V. relata ſub hoc eodem titulo in VII. Decretalium Clementis VIII. Romæ typis impreſ. in Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ 25. Julii 1598. his verbis.

Quia a pleriſque fuit dubitatum, an privilegia, & exemptiones, tum a Conc. Trid. de conferendo pro ſubſtentatione ſeminarii, tum a nobis ſuper ſubſidio, decimis, atque aliis oneribus conceſſæ Fratribus Ordinum Mendicantium, comprehendant eos etiam Mendicantes, qui ex conceſſione, vel diſpenſatione Apoſtolica poſſunt bona ſtabilia retinere, declaramus, Fratres quatuor Mendicantium Ordinum S. Dominici, Sancti Franciſci, Hæremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum, quibus etiam adjungimus Fratres Servorum Beatæ Mariæ, & Fratres Minimorum S. Franciſci de Paula, ac Fratres S. Hieronymi Jeſuatorum, eorumque omnium domos, monaſteria, & loca, etiamſi propria bona mobilia, immobilia, ac alia quæcunque, in commune tamen poſſederint, Mendicantium vocabulo, & omnibus privilegiis quocunque modo Mendicantibus conceſſis, frui poſſe, & tum Concilii Tridentini, tum cætera omnia decreta, ſtatuta, privilegia, & jura de Mendicantibus loquentia, ad omnes dictos ſeptem Ordines, eorumque domos, & loca, ac bona, etiam propria, in communi poſſeſſa, extendimus, & ampliamus, ac de illis intelligenda eſſe declaramus.

Videndæ tamen ſunt Conſtitutiones ejuſdem Pontificis, *Apoſtolicæ Sedis, 9. Novem. 1567. & Romanus Pontifex*, 18. *dicti menſis, & anni*, ex quibus prædicta verba excerpta ſunt: ☞ Nota, quod Congregatio Fratrum S. Hieronymi Jeſuatorum ſuppreſſa fuit a Clem. IX. ut ex ejus Conſtitut. *Romanus Pontifex 6. Decembr. 1668.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.

ELENCHUS I.

Rubricarum, ſeu Titulorum excerptorum,

E QUINQUE LIBRIS DECRETALIUM

Gregorii IX. Bonifacii VIII. Clementinarum, & Extravagantium, tum Joannis XXII. tum Communium, qui in prima hujus Operis parte continentur, alphabetico ordine relati.

Ex Libro I.

1 TITULUS XIV. *De Ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.* pag. 64
2 ☞ Titulus XLII. *De Alienatione Judicii mutandi cauſa facta.* 137
3 Titulus XLIII. *De Arbitris.* 137
4 Titulus VIII. *De Auctoritate, & uſu Pallii.* 44
5 Titulus XXI. *De Bigamis non ordinandis.* 84
6 Titulus XXII. *De Clericis Peregrinis.* 86
7 Titulus II. *De Conſtitutionibus.* 5
8 Titulus IV. *De Conſuetudine.* 18
9 Titulus XX. *De Corpore vitiatis ordinandis, vel non.* 83
10 Titulus VI. *De Electione.* 24
11 Titulus XVII. *De Filiis Presbyterorum, ordinandis, vel non.* 76
12 Titulus XL. *De Iis, quæ vi, metuſve cauſa fiunt.* 136
13 Titulus XXXIII. *De Majoritate, & obedientia.* 124
14 Titulus XIX. *De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.* 83
15 Titulus XXIII. *De Officio Archidiaconi.* 88
16 Titulus XXIV. *De Officio Archipresbyteri.* 91
17 Titulus XXVII. *De Officio Cuſtodis.* 93
18 Titulus XXIX. *De Officio, & Poteſtate Judicis delegati.* 94
19 Titulus XXXI. *De Officio Judicis Ordinarii.* 104
20 Titulus XXXII. *De Officio Judicis.* 122
21 Titulus XXX. *De Officio Legati.* 101
22 Titulus XXV. *De Officio Primicerii.* 92
23 Titulus XXVI. *De Officio Sacriſtæ.* 92
24 Titulus XXVIII. *De Officio Vicarii.* 93
25 Titulus XIII. *De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui.* 63
26 Titulus XXXV. *De Pactis.* 132
27 Titulus XXXVII. *De Poſtulando.* 133
28 Titulus XXXVIII. *De Procuratoribus.* 134
29 Titulus IX. *De Renunciatione.* 45
30 Titulus III. *De Reſcriptis.* 7
31 Titulus XV. *De Sacra Unctione.* 72
32 Titulus XVI. *De Sacramentis non iterandis.* 74
33 Titulus XII. *De Scrutinio in Ordine faciendo.* 62
34 ☞ Titulus XVIII. *De Servis non ordinandis, & eorum manumiſſione.* 82
35 Titulus I. *De Summa Trinitate.* 1
36 Titulus X. *De Supplenda negligentia Prælatorum.* 48
37 Titulus XXXIX. *De Syndico.* 135
38 Titulus XI. *De Temporibus Ordinationum, & qualitate ordinandorum.* 51
39 Titulus VII. *De Translatione Epiſcopi.* 43
40 Titulus XXXIV. *De Treuga, & Pace.* 131

Ex Libro II.

1 Titulus XXVIII. *De Appellationib.* 195
2 Titulus XXIX. *De Clericis Peregrinantibus.* 213
3 Titulus XVIII. *De Confeſſis.* 166
4 Titulus VIII. *De Dilationibus.* 154
5 Titulus XXV. *De Exceptionibus.* 187
6 Titulus IX. *De Feriis.* 156
7 Titulus XXII. *De Fide inſtrumentorum.* 173
8 Titulus II. *De Foro competenti.* 145
9 Titulus I. *De Judiciis.* 139
10 Titulus VII. *De Juramento calumniæ.* 152
11 Titulus XXIV. *De Jure jurando.* 178
12 Titulus III. *De libelli oblatione.* 151
13 Titulus XXVI. *De Præſcriptionibus.* 188
14 Titulus XXIII. *De Præſumptionibus.* 175
15 Titulus XIX. *De Probationibus.* 167
16 Titulus XIII. *De Reſtitutione ſpoliatorum.* 161
17 Titulus XXVII. *De Sententia, & re judicata.* 192

18 Ti-

18 Titulus XVII. *De Sequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum.* 164
19 Titulus XX. *De Teſtibus, & atteſtationibus.* 169
20 Titulus XXI. *De Teſtibus cogendis, vel non.* 172
21 Titulus XVI. *Ut lite pendente, nihil innovetur.* 163

Ex Libro III.

1 Titulus XLII. *De Baptiſmo, & ejus effectu.* 442
2 Titulus XXXVII. *De Capellis Monachorum.* 385
3 Titulus XLI. *De Celebratione Miſſarum, & Sacramento Eucbariſtiæ, & divinis officiis.* 429
4 Titulus XXXIX. *De Cenſibus.* 395
5 Titulus VI. *De Clerico ægrotante, vel debilitato.* 270
6 Titulus III. *De Clericis conjugatis.* 231
7 Titulus IV. *De Clericis non reſidentibus.* 236
8 Titulus II. *De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.* 225
9 Titulus VIII. *De Conceſſione Præbendæ.* 273
10 Titulus XL. *De Conſecratione Eccleſiæ, & Altaris.* 411
11 Titulus XXXII. *De Converſione Conjugatorum.* 354
12 Titulus XXXIII. *De Converſione Infidelium.* 355
13 Titulus XLIV. *De Cuſtodia Eucbariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.* 446
14 Titulus XXX. *De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.* 328
15 Tituulus XXIV. *De Donationibus.* 303
16 Titulus XLVIII. *De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.* 456
17 Titulus XVII. *De Emptione, & Venditione.* 293
18 Titulus XXII. *De Fidejuſſoribus.* 300
19 Titulus X. *De His, quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu Capituli.* 278
20 Titulus XI. *De His, quæ fiunt a majore parte capituli.* 283
21 Titulus XLIX. *De Immunitate Eccleſiarum, Cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium.* 459
22 Titulus VII. *De Inſtitutionibus.* 272
23 Titulus XXXVIII. *De Jure Patronatus.* 386
24 Titulus XVIII. *De Locato, & Conducto.* 297
25 Titulus L. *Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negociis ſe immiſceant.* 472
26 Titulus IX. *Ne Sede vacante, aliquid innovetur.* 277
27 Titulus XLVI. *De Obſervatione jejuniorum.* 451
28 Titulus XXIX. *De Parochiis, & alienis Parochianis.* 326
29 Titulus XXV. *De Peculio Clericorum.* 305
30 Titulus V. *De Præbendis, & Dignit.* 250
31 Titulus XLIII. *De Presbytero non baptizato.* 445
32 Titulus XLVII. *De Purificatione poſt partum.* 453
33 Titulus XIII. *De Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.* 284
34 Titulus XXXI. *De Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem.* 335
35 Titulus XXXVI. *De Religioſis domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.* 378
36 Titulus XLV. *De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.* 448
37 Titulus XIX. *De Rerum permutatione.* 298
38 Titulus XXVIII. *De Sepulturis.* 317
39 Titulus XXIII. *De Solutionibus.* 302
40 Titulus XXXV. *De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.* 363
41 Titulus XXVII. *De Succeſſionibus ab inteſtato.* 315
42 Titulus XXVI. *De Teſtamentis, & ultimis voluntatibus.* 306
43 Titulus I. *De Vita, & Honeſtate Clericorum.* 214
44 Titulus XXXIV. *De Voto, & voti redemptione.* 356
45 Titulus XII. *Ut eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.* 283

Ex Libro IV.

1 Titulus III. *De Clandeſtina deſponſatione.* 502
2 Titulus XI. *De Cognatione ſpirituali.* 520
3 Titulus XII. *De Cognatione Legali.* 526
4 Titulus V. *De Conditionibus appoſitis in Matrimonio, vel aliis contractibus.* 511
5 Titulus VIII. *De Conjugio Leproſorum.* 518
6 Titulus IX. *De Conjugio ſervorum.* 519
7 Titulus XIV. *De Conſanguinitate, & affinitate.* 529

8 Titulus II. *De Deſponſatione Impuberum*. 498
9 Titulus XIX. *De Divortiis*. 540
10 Titulus XX. *De Donationibus inter virum, & Uxorem, & de dote poſt divortium reſtituenda*. 543
11 Titulus VII. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*. 516
12 Titulus XIII. *De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ*. 527
13 Titulus XV. *De Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coheundi*. 532
14 Titulus XVI. *De Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ*. 535
15 Titulus X. *De Natis ex libero ventre*. 520
16 Titulus XVII. *Qui filii ſint legitimi*. 536
17 Titulus XVIII. *Qui matrimonium accuſare poſſunt*. 540
18 Titulus XXI. *De Secundis Nuptiis*. 543
19 Titulus I. *De Sponſalibus, & matrimoniis*. 481
20 Titulus IV. *De Sponſa duorum*. 508

Ex Libro V.

1 Titulus I. *De Accuſationibus, inquiſitionibus, & denunciationibus*. 553
2 Titulus XVI. *De Adulter. & Stupro*. 662
3 Titulus IX. *De Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſmum*. 646
4 Titulus II. *De Calumniatoribus*. 560
5 Titulus XXVII. *De Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante*. 699
6 Titulus XXVIII. *De Clerico non ordinato miniſtrante*. 701
7 Titulus XIV. *De Clericis pugnantibus in duello*. 661
8 Titulus XXIX. *De Clerico per ſaltum promoto*. 704
9 Titulus XXIV. *De Clerico venatore*. 693
10 Titulus XX. *De Crimine falſi*. 682
11 Titulus XXIII. *De Delictis puerorum*. 692
12 Titulus XXX. *De eo, qui furtive Ordinem ſuſcepit*. 706
13 Titulus XXXI. *De Exceſſibus Prælat*. 707
14 Titulus XVIII. *De Furtis*. 669
15 Titulus VII. *De Hæreticis*. 622
16 Titulus X. *De his, qui filios occiderunt*. 649
17 Titulus XII. *De Homicidio voluntario, & caſuali*. 654
18 Titulus XI. *De Infantibus, & languidis expoſitis*. 653
19 Titulus XXXVI. *De Injuriis, & damno dato*. 734
20 Titulus VI. *De Judæis, & Saracenis, eorumque ſervis*. 603
21 Titulus V. *De Magiſtris*. 592
22 Titulus XXVI. *De Maledicis*. 694
23 Titulus IV. *Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant*. 590
24 Titulus XXXVIII. *De Pœnitentiis, & remiſſionibus*. 744
25 Titulus XXXIII. *De Privilegiis*. 714
26 ☞ Titulus XXXIV. *De Purgatione canonica*. 733
27 Titulus XVII. *De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Eccleſiarum*. 666
28 Titulus XV. *De Sagittariis*. 662
29 Titulus VIII. *De Schiſmaticis, & ordinatis ab eis*. 645
30 Titulus XXXIX. *De Sententia excommunicationis*. 757
31 Titulus III. *De Simonia*. 561
32 Titulus XXI. *De Sortilegiis*. 686
33 Titulus XIII. *De Torneamentis*. 658
34 Titulus XL. *De Verborum ſignificatione*. 784
35 Titulus XIX. *De Uſuris*. 672

ELEN-

ELENCHUS II.

Capitulorum ex Decretalibus Gregorii IX. Sexti, Clementinarum, ac Extravagantium, tum Joannis XXII., tum Communium excerptorum, & in Prima hujus Operis parte tranſcriptorum, quibus variationes, ſive per abrogationem, ſive per derogationem, ſive per moderationem, ſive per ampliationem acceſſerunt, una cum nonnullis aliis capitulis, quæ, aut illuſtrata, aut a poſteriori jure confirmata ſunt, hoc ſigno ☞ diſtincta.

EX LIBRO PRIMO.

Ex Titulo XIV. De Ætate, & qualitate, & ordine Præficiendorum.

☞ CAP. XIII. Accepimus. 70
Cap. VII. Ad aures. 66
Cap. IX. A multis. 67
Cap. XI. Cum contingat. 68
Cap. XIV. Cum ſit ars. 70
Cap. IV. Eam te. 65
☞ Cap. II. Ex ratione. 64
Cap. III. Indecorum. 65
Cap. V. Præterea. 66
Cap. I. Ut Abbates. 64

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Permittimus. 71

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. III. Generalem. 71
Cap. II. Ut ii. 71

☞ Ex Titulo XLII. De Alienatione judicii mutandi cauſa. 137

Ex Titulo XLIII. De Arbitris.

Cap. II. Non ſine. 138
Cap. I. Sane. 137

Ex Titulo VIII. De Auctoritate, & uſu Pallii.

Cap. III. Niſi ſpecialis. 44
Cap. VII. Quia nos. 45

Ex Titulo XXI. De Bigamis non ordinandis.

Cap. II. Super eo. 85
Cap. I. Ut Bigami. 84

Ex Titulo XXII. De Clericis Peregrinis.

Cap. II. Inter quatuor. 87
Cap. I. Tua nos. 86
Cap. III. Tuæ Fraternitatis. 87

Ex Titulo II. De Conſtitutionibus.

Cap. VI. Cum omnes. 5
Cap. XII. Ex parte. 7

Ex Titulo IV. De Conſuetudine.

Cap. I. Conſuetudines. 18
Cap. VIII. Cum dilectus. 19
Cap. V. Cum inter. 19
Cap. IV. Quanto. 18

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. IV. Cum in tua. 19

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. I. Super gentes. 20

Ex Titulo XX. De Corpore vitiatis ordinandis, vel non.

Cap. II. Cum de tua. 83
Cap. I. De Presbytero. 83

Ex Titulo VI. De Electione.

☞ Cap. XXVII. Cum cauſam. 27
Cap. XXXII. Cum dilectus. 28
☞ Cap. VII. Cum in cunctis. 25

Cap. XLIX.

Cap. XLIX. Cum in Magiſtrum .	31
Cap. LIV. Dudum .	32
Cap. VI. Licet .	25
Cap. XLI. Ne pro defectu .	28
Cap. XLIV. Nihil eſt .	30
Cap. IX. Noſti .	26
Cap. III. Poſtquam.	24
Cap. XVII. Qualiter .	27
Cap. XLII. Quia propter .	29
Cap. XV. Tranſmiſſam .	26

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. V. Avaritiæ .	33
Cap.XXXII. Ex eo .	38
Cap. XVII. Fundamenta .	36
Cap. XLIII. Indemnitatibus .	39
Cap. XIV. Licet Canon .	34
Cap. XV. Nemo deinceps .	36
Cap. XXVIII. Nullus Religioſus .	37
Cap. VI. Quam ſit .	34
Cap. XL. Quia ſæpe .	38
Cap. XXIV. Quorundam .	37
Cap. III. Ubi periculum.	32
Cap. IV. Ut circa .	32

Ex eodem Titulo in Clementinis .

Cap. VIII. Cum conceſſa .	42
Cap. I. Cum rationi .	41
Cap. V. In pleriſque .	42

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. III. Sancta Romana .	42

Ex Titulo XVII. De Filiis Preſbyterorum ordinandis , vel non .

Cap. XVI. Ad abolendam .	81
Cap. XI. Ad extirpandas .	80
Cap. XII. Ad hæc .	80
Cap. II. Ad præſentiam .	77
Cap. IV. Conquerente .	77
Cap. VIII. Conſtitutus .	79
Cap. XV. Cum decorem .	80
Cap. XVII. Dilectus filius .	81
Cap. VII. Ex tranſmiſſa .	78
Cap. XIII. Michael .	80
Cap. XVIII. Nimis .	81
Cap. III. Præſentium .	77
Cap. V. Veniens .	78
Cap. I. Ut Filii .	76

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. I. Is, qui .	81
Cap. II. Si is .	82

Ex Titulo XL. De iis, quæ vi , metuſve cauſa fiunt ,

Cap. I. Perlatum .	136

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Abſolutionis .	136

Ex Titulo XXXIII. De Majorirate , & Obbedientia .

Cap. X. Cum in Eccleſiis .	125
Cap. XVI. Cum inferior .	126
Cap. XIV. Cum olim .	127
Cap. XIII. Dilecti Filii .	127
Cap. XI. His , quæ .	125
Cap. VII. Per tuas .	124
Cap. IX. Quod ſuper .	124
Cap. VI. Solitæ .	124

Ex eodem Titulo in VI.

Cap.unicum Epiſcopali .	128

Ex Titulo XIX. De Obligatis ad ratiocinia ordinandis , vel non .

Cap. unicum Maguus .	83

Ex Titulo XXIII. De Officio Archidiaconi .

Cap. VII. Ad hæc .	89
Cap. X. Dilecto Filio .	90
Cap. III. Ea , quæ .	89
Cap. VI. Maudamus .	89
Cap. II. Officium	88
Cap. I. Ut Archidiaconus .	88
Cap. IX. Ut noſtrum .	90

Ex Titulo XXIV. De Officio Archibresbyteri .

Cap. II. Miniſterium .	91
Cap. III. Officium .	91
Cap. I. Ut Archipreſbyter .	91

Ex

Ex Titulo XXIX. De Officio, & Poteſtate Judicis Delegati.

Cap. XVIII. Cum te conſulente. 96
Cap. XLI. Cum vigeſimum. 99
Cap. XII. Ex parte. 95
☞ Cap. XXVIII. Paſtoralis. 98
Cap. XXI. Prudentiam. 97
Cap. I. Quia quæſitum. 94
Cap. XIV. Quoniam. 95
☞ Cap. XIX. Relatum. 97
Cap. XI. Sane. 94

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. XV. Hac conſtitutione. 100
Cap. XII. Is, cui. 100
Cap. VII. Si delegatus. 99
Cap. I. Statuimus. 99

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. unicum Judices. 101

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. unicum Sedes Apoſtolica. 101

Ex Titulo XXXI. De Officio Judicis Ordinarii.

Cap. XVI. Conquerente. 108
Cap. III. Cum ab Eccleſiarum. 105
Cap. IV. Cum vos. 105
Cap. XV. Inter cætera. 108
Cap. XIII. Irrefragabili. 107
Cap. I. Pernicioſa. 104
Cap. VII. Quanto. 106
Cap. X. Quod Sedem. 106
Cap. XIV. Quoniam. 107
Cap. II. Si Sacerdos. 104
Cap. XVII. Ut juſta. 109

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. III. Ordinarii. 110
Cap. IX. Præſenti. 111
Cap. II. Si Canonici. 109

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. I. Debent. 114

Ex Titulo XXXII. De Officio Judicis.

Cap. I. Ex literis. 122

Ex Titulo XXX. De Officio Legati.

Cap. I. Cum non ignores. 101
☞ Cap. IV. Quod translationem. 101

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. I. Officii. 102
Cap. III. Præſenti. 103

Ex Titulo XXV. De Officio Primicerii.

Cap. unicum Ut Primicerius. 92

Ex Titulo XXVI. De Officio Sacriſtæ.

Cap. unicum Ut ſciat. 92

Ex Titulo XXVIII. De Officio Vicarii.

Cap. VI. Ex parte tua. 94
Cap. V. Sua nobis. 93

Ex Titulo XIII. De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui.

Cap. I. Requiſivit. 63

Ex Titulo XXXV. De Pactis in VI.

Cap. I. Pactum. 132
Cap. III. Quia ex eo. 133

Ex Titulo XXXVII. De Poſtulando.

Cap. I. Clerici. 133

Ex Titulo XXXVIII. De Procuratoribus.

Cap. XIV. Non injuſte. 134
Cap. IX. Procurator. 135

Ex

Ex Titulo IX. De Renunciatione.

Cap. IV. Admonet. 46
Cap. III. Ex tranſmiſſa. 45

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. II. Si te. 48

Ex Titulo III. De Reſcriptis.

Cap. XL. Abbatem. 15
Cap. XXXI. Ad audientiam. 13
Cap. XXX. Capitulum. 13
Cap. XXIX. Dilectus filius. 11
Cap. VII. Eam te. 8
Cap. XXXVII. Ex inſinuatione. 14
Cap. II. Ex parte. 7
Cap. XII. Ex parte. 7
Cap. XXXII. In noſtra. 14
Cap. XXXIX. Literis Apoſtolicis. 15
Cap. XXXVIII. Mandatum. 15
Cap. XXVIII. Nonnulli. 10
Cap. XLIII. Quia nonnulli. 15
Cap. XV. Sedes Apoſtolica. 10
Cap. XXXVI. Significavit. 14
Cap. XLII. Si proponente. 15

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. XIV. Duobus. 17
Cap. VIII. Quamvis. 16
Cap. IX. Si eo tempore. 16
Cap. XIII. Si pro te. 17
Cap. XI. Statutum. 17
Cap. VI. Suſceptum. 16
Cap. XII. Tibi. 17

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. II. Etſi principales. 17
Cap. IV. Gratiæ. 17
Cap. V. Literas. 18

Ex Titulo XV. De Sacra Unctione.

Cap. I. Cum veniſſet. 72

Ex Titulo XVI. De Sacramentis non iterandis.

Cap. I. Paſtoralis. 74
Cap. III. Presbyter. 75

Ex Titulo XII. De Scrutinio in Ordine faciendo.

Cap. unicum Ex parte. 62

Ex Titulo XVIII. De Servis non ordinandis, & eorum manumiſſione.

Cap. VI. Eo libentius. 82

Ex Titulo I. De Summa Trinitate.

☞ Cap. I. Firmiter credimus. 1

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. unicum Fidei Catholicæ. 4

Ex Titulo X. De Supplenda negligentia Prælatorum.

☞ Cap. III. Licet Magiſter. 50
Cap. II. Sicut nobis. 49
Cap. I. Statuimus. 48

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. III. Si Epiſcopus. 51

Ex Titulo XXXIX. De Syndico.

Cap. unicum Sicut ſtudii. 135

Ex Titulo XI. De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

Cap. XVI. Conſultationi. 59
☞ Cap. XII. Cum in diſtribuendis. 57
Cap. VIII. Cum quidam. 56
Cap. IX. Cum ſecundum. 56
Cap. III. De eo. 53
Cap. XV. Dilectus filius. 59
Cap. IV. Ex tenore. 54
Cap. XIII. Literas. 57
Cap. VII. Nec Epiſcopi. 54
Cap. XVII. Quæſitum. 59
Cap. XI. Quod translationem. 56
Cap. II. Sane. 51
Cap. VI. Si Archiepiſcopus. 54
Cap. XIV. Vel non eſt compos. 58

Ex

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. III. Cum nullus.
Cap. II. Eos, qui. 61
Cap. IV. Nullus Epiſcopus. 61
Cap. I. Sæpe contingit. 62, 60

Ex Titulo VII. De Translatione Epiſcopi.

Cap. I. Cum ex illo, 43
Cap. II. Inter corporalia. 43

Ex Titulo XXXIV. De Treuga, & Pace.

Cap. II. Innovamus. 131
Cap. I. Treugas. 131

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. II. Vices illius. 132

EX LIBRO II. DECRETALIUM.

Ex Titulo XXVIII. De Appellationibus.

Cap. XXXIV. Ad audientiam, 199
Cap. III. Ad noſtram. 195
Cap. XXIII. Conſtitutis, 196
Cap. LXI. Cum ſpeciali. 200
Cap. XI. De appellationibus. 196
Cap. XXXI. De Priore. 198
Cap. LXVI. Dilecti filii. 200
Cap. LXVIII. Intimaſti. 202
Cap. XXVIII. Pervenit. 198
Cap. XXV. Qua fronte. 197
Cap. XXXII. Quia nos. 199
Cap. XXVI. Reprehenſibilis. 197
Cap. XLI. Secundo requiris. 199
Cap. XII. Super eo. 196

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. I. Cordi. 202
Cap. IV. Ut ſuper. 203

Ex Titulo XXIX. De Clericis Peregrinantibus.

Cap. unicum Conquerente. 213

Ex Titulo XVIII. De Confeſſis.

Cap. I. Cum monaſterium. 166
Cap. II. Cum ſuper. 166

Ex Titulo VIII. De Dilationibus.

☞ Cap. I. Dilecti filii. 154
☞ Cap. IV. Expoſuit, 155
☞ Cap. III. Literæ. 155
☞ Cap. II. Præterea. 155

Ex Titulo XXV. De Exceptionibus.

Cap. XII. Exceptionem. 187
Cap. VII. Olim. 187

Ex Titulo IX. De Feriis.

Cap. IV. Capellanus. 159
Cap. V. Conqueſtus. 160
Cap. III. Licet. 158
Cap. I. Omnes. 156
Cap. II. Quoniam. 157

Ex Titulo XXII. De Fide inſtrumentorum.

Cap. XII. G. Perpetuus. 174
Cap. VII. Quod ſuper. 173
Cap. XVI. Si inſtrumenta. 175

Ex Titulo II. De Foro competenti.

Cap. XVI. Conqueſtus. 148
Cap. XV. Ex parte. 148
Cap. II. Nullus. 146
Cap. V. Si Clericus, 147
Cap. I. Si quis. 145

Ex Titulo I. De Judiciis.

Cap. XVI. Cum deputati. 142
Cap. X. Cum non ab homine. 139
Cap. I. De Quodvultdeo. 139
Cap. IV. Etſi. 139
Cap. XIII. Novit ille, 141
Cap. XVII. Qualiter. 142
Cap. XX. Venerabilis. 142

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. II. Mulieres. 143

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. II. Diſpendioſam, 144

Ex Titulo VII. De Juramento calumniæ.

Cap. V. Cæterum, 154
Cap. VII. Cum in cauſa, 154
Cap. I. Inhærentes. 152
Cap. III. In pertractandis. 153
Cap. II. Literas, 153

Ex Titulo XXIV. De Jure jurando.

Cap. XXVIII. Cum contingat. 183
Cap. IV. Ego N. Epiſcopus. 178
Cap. XXXII. Ex literis. 185
Cap. XXXI. Petitio veſtra. 183
Cap. XV. Verum, 182

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. I. Contingit. 186

Ex Titulo III. De Libelli oblatione.

Cap. I. Ignarus. 151

Ex Titulo XXVI. De Præſcriptionibus.

Cap. XIII. Ad audientiam. 189
Cap. XV. Auditis. 190
Cap. XVI. Cum ex officii, 191
Cap. XVIII. Cum olim. 191
Cap. XIV. Cum vobis. 190
☞ Cap. I. Placuit. 188
Cap. XIX. Veniens. 192
☞ Cap. V. Vigilanti, 189

Ex Titulo XIX. De Probationibus.

Cap. VIII. In præſentia. 169
Cap. VI. Juravit. 167
Cap. XI. Quoniam, 169

Ex Titulo XIII. De Reſtitutione ſpoliatorum.

☞ Cap. VIII. Ex tranſmiſſa. 161
☞ Cap. XIII. Literas, 162
☞ XII. Olim, 162
☞ Cap. XVIII. Sæpe contingit, 162

Ex Titulo XXVII. De Sententia, & re judicata.

Cap. XIII. Cum inter, 194
Cap. XI. Conſanguinei, 193
Cap. II. Jurgantium. 192
Cap. III. Non poteſt, 192

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. I. Cum æterni. 194

Ex Titulo XVII. De Sequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum.

Cap. III. Ab eo. 164
Cap. II. Dilectus filius, 164

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. unicum Ad compeſcendas.

Ex Titulo XX. De Teſtibus, & Atteſtationibus.

Cap. XLIII. Albericus. 172
Cap. XXVIII. Cum a nobis, 171
Cap. XVII. Fraternitatis, 170
Cap XXI. Judæi, 170
Cap. I. Placuit. 169

Ex Titulo XXI. De Teſtibus cogendis, vel non.

Cap. VII. Præterea. 172

Ex Titulo XVI. Ut, Lite pendente, nihil innovetur.

Cap. II. Si ii. 163

EX LIBRO III. DECRETALIUM.

Ex Titulo XLII. De Baptiſmo, & ejus effectu.

☞ Cap. II. De quibus. 443
Cap. VI. Licet græcos. 444
Cap. III. Majores. 444
Cap. I. Si quis. 442

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. unicum Præſenti, 444

Ex

Ex Titulo XXXVII. De Capellis Monachorum.

Cap. I. In Eccleſiis. 385

Ex eodem Titulo in VI.

☞ Cap. unicum Preſbyteri. 386

Ex Titulo XLI. De Celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, & Divinis Officiis.

☞ Cap. III. Conſuluiſti. 431
Cap. XI. Cum creatura. 439
Cap. VII. De homine. 433
Cap. IX. Dolentes. 434
☞ Cap. V. Ex parte. 432
☞ Cap. XIV. Literas, 440
☞ Cap. XIII. Pernicioſus. 440
Cap. I. Preſbyter. 429
☞ Cap. X. Sane cum olim. 438
Cap. XII. Te referente. 439

Ex Titulo XXXIX. De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationib.

Cap. XXVII. Auctoritate. 403
Cap. VI. Cum Apoſtolus. 395
Cap. XI. Cum Clerici. 399
Cap. XVII. Cum inſtantia. 400
Cap. XXV. Cum nuper. 403
Cap. XXI. Cum venerabilis. 401
Cap. XII. Ea, quæ. 399
Cap. X. Innovamus. 398
Cap. VIII. Præterea. 397
Cap. XXIII. Procurationes. 402
Cap. XIII. Significavit. 399
Cap. XIV. Sopitæ. 400
☞ Cap. XXII. Super eo. 401
Cap. XXIV. Venerabili. 402

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. I. Romana. 405

Ex Titulo VI. De Clerico ægrotante, vel debilitato.

Cap. I. Cum percuſſio. 270
☞ Cap. III. De Rectoribus. 270
Cap. V. Ex parte. 271
Cap. IV. Tua Nos. 271

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Paſtoralis. 271

Ex Titulo III. De Clericis conjugatis.

Cap. VI. Cum olim. 233
Cap. V. Diverſis, 233
Cap. IX. Ex parte. 234
☞ Cap. VII. Joannes, 234
☞ Cap. III. Quod a te. 232
Cap. IV. Sane. 233
Cap. II. Sane. 232
Cap. I. Si qui Clericorum. 231

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Clerici. 235

Ex Titulo IV. De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda.

Cap. XVII. Clericos. 242
Cap. VI. Conquerente. 238
Cap. XVI. Cum ad hoc. 242
Cap. VII. De cætero. 239
Cap. II. Ex geſtis, 236
Cap. VIII. Ex parte. 239
Cap. XI. Ex tuæ. 240
☞ Cap. V. Fraternitati, 238
Cap. X. Inter quatuor. 240
Cap. IX. Qualiter. 240
Cap. III. Quia nonnulli. 236
Cap. IV. Relatum. 237
Cap. XII. Tuæ fraternitatis. 241

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Conſuetudinem. 243

Ex Titulo II. De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.

Cap. III. Clericos. 226
Cap. I. Inhibendum. 225
Cap. X. Quæſitum. 230
Cap. IV. Sicut. 227
Cap. II. Si quiſquam. 226
Cap. V. Super eo. 227
Cap. VIII. Tua nos. 229
Cap. VII. Veſtra, 229

Ex Titulo VIII. De Conceſſione Præbendæ.

Cap. XIV. Accedens. 275
Cap. IX. Literas. 275
Cap. II. Nulla. 273
Cap. XV. Poſtulaſtis. 276
Cap. I. Qui in vivorum. 273

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. VII. Auctoritate. 277
Cap. IV. Executor. 276
Cap. III. Ne captandæ. 276
Cap. I. Quia cunctis. 276
Cap. V. Si capitulo. 276
Cap. VI. Si ſoli. 276

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. unicum Cum ei. 277

Ex Titulo XL. De Conſecratione, Eccleſiæ, & Altaris.

☞ Cap. IX. Aqua. 426
☞ Cap. VII. Conſuluiſti. 424
☞ Cap. VIII. Cum ſicut. 425
☞ Cap. III. Quod in dubiis. 416
☞ Cap. X. Si Eccleſia. 427
☞ Cap. II. Tua fraternitas. 411

Ex Titulo XXXII. De Converſione conjugatorum.

Cap. VI. Sane. 354
Cap. II. Verum. 354
Cap. VIII. Uxoratus. 354

Ex Titulo XXXIII. De Converſione Infidelium.

Cap. II. Ex literis. 355

Ex Titulo XLIV. De Cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.

☞ Cap. I. Statuimus. 446

Ex Titulo XXX. De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

Cap. XX. Ad Apoſtolicæ. 331
Cap. XVI. De terris. 331
Cap. VIII. Dilecti. 329
Cap. X. Ex parte. 330
Cap. XXI. Ex parte. 332
Cap. XXIII. Ex tranſmiſſa. 332
Cap. XXII. Non eſt. 332
Cap. II. Novum. 328
Cap. VI. Nuncios. 329
Cap. XXVIII. Paſtoralis. 333
Cap. V. Pervenit. 329
Cap. XXVI. Tua nobis. 332

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. I. Diſcretioni. 333

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. I. Religioſi. 334

Ex Titulo XXIV. De Donationibus.

Cap. IX. Apoſtolicæ. 304
Cap. III. Cæterum. 303
Cap. IV. Conſultationibus. 304
Cap. II. Fraternitatem. 303

Ex Titulo XLVIII. De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.

Cap. III. Ad audientiam. 458
Cap. II. Cum dicat. 456
Cap. IV. De his. 459
Cap. I. Quicunque. 456
Cap. VI. Tua nos. 459

Ex Titulo XVII. De Emptione, & Venditione.

☞ Cap. V. Ad noſtram. 293
Cap. I. Placuit. 293
Cap. II. Ut menſuræ. 293

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. I. Regimini. 294

Ex Titulo XXII. De Fidejuſſoribus.

Cap. I. Clericus. 300
Cap. II. Pervenit. 300
Cap. IV. Quod quibuſdam. 301

Ex Titulo X. De His, quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu Capituli.

☞ Cap. II. Continebatur. 279
Cap. VII. Cum Apoſtolica Sedes. 281
☞ Cap. X. Etſi membra. 282
Cap. I. Irrita. 278
Cap. IV. Novit. 280
Cap. IX. Paſtoralis. 281
Cap. V. Quanto. 280
Cap. VIII. Tua nuper. 281

Ex Titulo XI. De His, quæ fiunt a majore parte Capituli.

Cap. I. Cum in cunctis. 283
Cap. IV. Ex parte. 283

Ex Titulo XLIX. De Immunitate Eccleſiarum, Cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

☞ Cap. IX. Eccleſiæ. 471
Cap. VI. Inter alia. 464
Cap. IV. Non minus. 460
Cap. II. Pervenit. 459
Cap. VIII. Quia plerique. 470

Ex Titulo VII. De Inſtitutionibus.

☞ Cap. V. Ad decorem. 272
Cap. I. Non amplius. 272

Ex Titulo XXXVIII. De Jure Patronatus.

Cap. XXII. Eam te. 392
Cap. XIX. Conſultationibus. 390
☞ Cap. X. Cum laici. 389
☞ Cap. XXIV. Cum autem. 392
Cap. XXVIII. Cum dilectus. 395
☞ Cap. VIII. Illud. 389
☞ Cap. XXV. Nobis. 394
Cap. I. Perlatum. 386
☞ Cap. XXVI. Per noſtras. 395
Cap. IV. Præterea. 387
Cap. II. Quæcunque. 387
☞ Cap. VI. Quia Clerici. 388
Cap. XXI. Relatum. 392

Ex Titulo XVIII. De Locato, & Conducto.

Cap. IV. Potuit. 298

☞ Cap. III. Propter. 297
Cap. II. Veſtra. 297

Ex Titulo L. Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negociis ſe immiſceant.

Cap. V. Clericis. 473
Cap. I. Multa. 472
Cap. III. Non magnopere. 472
Cap. VII. Relatum. 474
Cap. II. Sacerdotibus. 472
Cap. VI. Secundum. 473
Cap. IX. Sententiam. 477
Cap. VIII. Sicut te. 476
Cap. X. Super ſpecula. 478

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. II. Ut periculoſa. 479

Ex Titulo IX. Ne, Sede vacante, aliquid innovetur.

Cap. II. Illa. 277

Ex Titulo XLVI. De Obſervatione Jejuniorum.

Cap. II. Conſilium. 451
☞ Cap. I. Ex parte. 451
Cap. III. Explicari. 453

Ex Titulo XXIX. De Parochiis, & alienis Parochianis.

Cap. III. Nullus Epiſcopus. 328
Cap. I. Si Epiſcopus. 326
Cap. II. Ut Dominicis. 327

Ex Titulo XXV. De Peculio Clericorum.

Cap. V. Si quis ſane. 305

Ex Titulo V. De Præbendis, & Dignitatibus.

Cap. XXXVIII. Cum olim. 262
Cap. VI. Cum teneamur. 251
Cap. XII. De monachis. 256
Cap. XIX. Dilectus filius. 257
Cap. XXV. Dilecto filio. 258
Cap. XXVII. Dilectus filius, 258
Cap. XXXIV. Dilectus. 261

Cap. IV. Epiſcopus . 250
Cap. XXXIII. Expoſuiſti . 261
Cap. XXX. Extirpandæ . 259
Cap. XXIX. Grave nimis . 259
Cap. XXXII. Licet vobis . 260
Cap. VIII. Majoribus . 252
Cap. II. Non liceat . 250
Cap. XIV. Præterea . 257
Cap. V. Quæſitum . 252
Cap. VII. Referente . 251
Cap. IX. Relatum . 253
☞ Cap. XI. Significatum . 254
Cap. XXIII. Tuis quæſtionibus . 258
Cap. XXXVII. Venerabilis . 261

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. XXVII. Cui de non ſacerdotali . 267
Cap. V. Cum de Beneficio . 264
Cap. XXV. Cum in Eccleſia . 267
Cap. XVI. Cum in illis . 266
Cap. XIV. Dudum . 266
Cap. XXIX. Ei , cui . 267
Cap. VII. Eum , cui . 264
Cap. XVIII. Eum , qui . 266
Cap. XII. Hi , qui . 266
Cap. II. Licet Eccleſiarum . 262
Cap. X. Mandato . 265
Cap. XLI. Mandatum . 268
Cap. XXXVIII. Quamvis . 268
Cap. IV. Quamvis . 264
Cap. XL. Quodam . 268
Cap. XXII. Si Apoſtolicæ . 267
Cap. XI. Si Clericus . 265
Cap. XXXVI. Si cui . 267
Cap. IX. Si cum . 265
Cap. XXXVII. Si Epiſcopus . 267
Cap. XXXIX. Si is . 268
Cap. XXX. Si pauper . 267
Cap. XXIV. Si pluribus . 267
Cap. XIII. Si poſtquam . 266
Cap. VIII. Si pro Clericis . 265
Cap. III. Statutum . 262
Cap. VI. Super eo . 264

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. II. Per literas . 269
Cap. I. Si dignitatem , 269
Cap. VI. Si juxta . 269

Ex Titulo XLIII. De Presbytero non baptizato .

Cap. I. Si quis . 445
Cap. III. Veniens . 445

Ex Titulo XLVII. De Purificatione poſt partum .

Cap. unicum Volens . 453

Ex Titulo XIII. De Rebus Eccleſiæ alienandis , vel non .

Cap. IX. Ad audientiam . 290
Cap. VII. Ad aures . 289
Cap. III. Conſenſus . 284
Cap. XII. Cum laicis . 290
Cap. IV. Epiſcopi . 285
Cap. I. Non licet . 284
Cap. V. Nulli . 285
Cap. II. Qui res . 284
Cap. VI. Si quis . 288
Cap. VIII. Ut ſuper . 290

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. II. Hoc conſultiſſimo . 291

Ex eodem Titulo in Clementinis .

Cap. I. Monaſteriorum . 291
Cap. II. Si una . 292

Ex Titulo XXXI. De Regularibus , & tranſeuntibus ad Religionem .

Cap. XVI. Ad Apoſtolicam . 344
Cap. VIII. Ad noſtram . 340
☞ Cap. XX. Conſulti . 346
Cap. XIV. Cum ſimus . 343
Cap. XII. Cum virum . 342
Cap. XXII. Ex parte . 346
Cap. V. Joannes . 339
Cap. XVIII. Licet . 345
Cap. XXIV. Ne Religioſi . 348
Cap. VII. Non eſt . 340
Cap. I. Nullus . 335
Cap. XIII. Porrectum . 343
Cap. VI. Quia in Inſulis . 339
Cap. XVII. Sicut . 344
Cap. XV. Sicut tenor . 343
Cap. XI. Significatum . 342
Cap. II. Si quis . 337

Cap. XXIII.

Cap. XXIII. Statuimus. 347
Cap. IX. Super eo. 341
Cap. IV. Vidua. 338

Ex eodem Titulo in VI.

☞ Cap. IV. Beneficium. 351
Cap. III. Conſtitutionem. 350
Cap. I. Is, qui. 349
Cap. II. Non ſolum. 350

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. II. Eos, qui. 352

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. II. Ad noſtram. 353
Cap. I. Viam ambitioſæ. 352

Ex Titulo XXXVI. De Religioſis domibus.

☞ Cap. IV. Ad hæc. 378
☞ Cap. III. De Xenodochiis. 378
Cap. V. Inter quatuor. 379
☞ Cap. IX. Ne nimia. 379

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Religionum. 379

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. II. Quia contingit. 384

Ex Titulo XLV. De Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

☞ Cap. I. Audivimus. 448
Cap. II. Cum ex eo. 448

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. II. Grave nimis. 450

Ex Titulo XIX. De Rerum permutatione.

Cap. IV. Injuſtum. 299
Cap. III. Mancipia. 298
Cap. V. Quæſitum. 299

Cap. I. Si Princeps. 298

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Licet in tua. 300

Ex Titulo XXVIII. De Sepulturis.

Cap. XIII. Abolendæ. 322
Cap. VIII. Cum ſuper. 320
Cap. VII. De Uxore. 319
Cap. V. Ex parte. 319
Cap. III. Fraternitatem. 318
Cap. I. Nos inſtituta. 317
Cap. XIV. Parochiano tuo. 321
Cap. II. Relatum. 318

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. I. Animarum. 322
Cap. II. Cum quis. 323
Cap. III. Is, qui. 324
Cap. V. Religioſi. 324

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. II. Dudum. 325

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. I. Deteſtandæ. 325
Cap. II. Super Cathedram. 326

Ex Titulo XXIII. De Solutionibus.

Cap. III. Odoardus. 302
Cap. II. Si quorundam. 302

Ex Titulo XXXV. De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

Cap. VI. Cum ad monaſterium. 368
Cap. VII. In ſingulis. 370
Cap. II. Monachi. 363
Cap. V. Quod Dei timorem. 366
Cap. III. Recolentes. 365

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Periculoſo. 371

Ex

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. II. Attendentes. 373
Cap. I. Ne in agro. 373

Ex Titulo XXVII. De Succeſſionibus ab inteſtatu.

Cap. II. Sancto. 316
Cap. I. Sed hoc. 315

Ex Titulo XXVI. De Teſtamentis, & ultimis voluntatibus.

Cap. X. Cum eſſes. 310
Cap. VII. Cum in officiis. 308
Cap. III. Nos quidem. 308
Cap. XIV. Officii. 310
Cap. II. Quia ingredientibus. 307
Cap. I. Quorundam. 306
☞ Cap. XI. Relatum. 311

Ex Titulo I. De Vita, & honeſtate Clericorum.

Cap. XIV. A crapula. 221
Cap. V. Clericus. 216
Cap. VI. Clericus. 216
Cap. VII. Clericis. 217
Cap. XV. Clerici. 222
Cap. II. Clerici. 214
Cap. X. Cum ab omni. 218
Cap. XII. Cum decorem. 220
Cap. XI. Deus. 220
Cap. XVI. Ex literis. 223
Cap. VIII. Monaſteria. 217
Cap. IX. Quoniam. 218
Cap. IV. Si quis. 216
Cap. I. Ut laici. 214
Cap. XIII. Ut Clericorum. 221
Cap. III. Ut quiſque. 215

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. I. Diœceſanis. 224
Cap. II. Quoniam. 224

Ex Titulo XXXIV. De Voto, & voti redemptione.

Cap. IX. Ex multa. 358
Cap. XI. Poſtulaſtis. 360
Cap. X. Per tuas. 359
Cap. VIII. Quod ſuper. 357
☞ Cap. IV. Scripturæ. 356

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Quod votum. 361

Ex eodem Titulo in Extravagantibus Joannis XXII.

☞ Cap. unicum Antiquæ. 362

Ex Titulo XII. Ut eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

Cap. unicum Ut noſtrum. 283

EX LIBRO IV. DECRETALIUM.

Ex Titulo III. De Clandeſtina deſponſatione.

Cap. III. Cum Inhibitio. 507
Cap. II. Quod a nobis. 502
Cap. I. Si quis. 502

Ex Titulo XI. De Cognatione ſpirituali.

Cap. V. Contracto. 522
Cap. VIII. Ex literis. 523
Cap. IV. Martinus. 522
Cap. II. Si vir. 521
Cap. III. Super eo. 522
Cap. VII. Tua nos. 523
Cap. VI. Veniens. 523
Cap. I. Utrum. 520

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. I. Nedum. 524
Cap. II. Per chatechiſmum. 524
Cap. III. Quamvis. 525

Ex Titulo XII. De Cognatione legali.

Cap. unicum Siqua. 526

Ex Titulo V. De Conditionibus appoſitis in matrimonio, vel aliis contractibus.

Cap. II. Cum ſit proprium. 511
Cap. III. De illis. 511

Cap. VI.

Cap. VI. Per tuas. 512
☞ Cap. I. Quicunque. 511
Cap. V. Super eo. 512

Ex Titulo VIII. De Conjugio Leproſorum.

☞ Cap. I. Pervenit. 518
☞ Cap. II. Quoniam. 518

Ex Titulo IX. De Conjugio ſervorum.

Cap. IV. Ad noſtram. 519
Cap. II. Propoſuit. 519

Ex Titulo XIV. De Conſanguinitate, & affinitate.

Cap. I. Ex literis. 529
Cap. VIII. Non debet. 531
Cap. VI. Quia circa. 531
Cap. III. Quod dilectio. 530
Cap. V. Quod ſuper. 530

Ex Titulo II. De Deſponſatione impuberum.

Cap. VIII. A nobis. 500
Cap. VI. Continebatur. 499
☞ Cap. IX. De illis. 500
☞ Cap. XII. Duo Pueri. 501
Cap. XI. Ex literis. 500
Cap. I. Tua nos. 498

Ex eodem Titulo in VI.

☞ Cap. unicum Si infantes. 501

Ex Titulo XIX. De Divortiis.

Cap. VIII. Gaudemus. 542
Cap. VII. Quanto. 542
Cap. I. Siqua. 540
Cap. IV. Significaſti. 541

Ex Titulo XX. De Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote poſt divortium reſtituenda.

Cap. I. Mulieres. 543

Ex Titulo VII. De Eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.

Cap. V. Cum haberet. 517
Cap. IV. Ex literarum. 517
Cap. I. Propoſitum. 516
Cap. VI. Significaſti. 518
Cap. II. Significavit. 516

Ex Titulo XIII. De Eo, qui cognovit conſanguineam Uxoris ſuæ, vel Sponſæ.

Cap. VIII. Ex literis. 529
Cap. I. Si quis. 527
Cap. V. Super eo. 529
Cap. IV. Tranſmiſſæ. 528
Cap. II. Veniens. 528

Ex Titulo XV. De Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coheundi.

Cap. IV. Conſultationi. 532
Cap. V. Laudabilem. 534

Ex Titulo XVI. De Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.

Cap. I. Literæ. 535

Ex Titulo X. De Natis ex libero ventre.

Cap. unicum Indecens. 520

Ex Titulo XVII. Qui filii ſint legitimi.

Cap. VIII. Perlatum. 538
Cap. XII. Per tuas. 538
Cap. XIII. Per venerabilem. 539
Cap. VI. Tanta. 536

Ex Titulo XVIII. Qui matrimonium accuſare poſſint, vel contra illum teſtificari.

Cap. IV. Inſuper. 540
Cap. III. Videtur. 540

Ex Titulo XXI. De Secundis Nuptiis.

Cap. I. Capellanum. 543
Cap. V. Cum ſecundum. 545
Cap. II. Dominus. 544
Cap. IV. Super illa. 544

Ex Titulo I. De Sponſalibus, & Matrimoniis.

Cap. IV. Ad audientiam. 481
Cap. XXI. Ad id. 495
Cap. XXXII. Adoleſcens. 497
Cap. XVI. Commiſſum. 489
Cap. XXVIII. Conſultationi. 496
Cap. XXIII. Cum apud Sedem. 496
Cap. XVIII. Cum in Apoſtolica. 490
Cap. XIV. Cum locum. 484
Cap. X. Ex literis. 483
Cap. XXX. Is, qui fidem. 497
Cap. XIX. In preſentia. 491
Cap. XX. Inter opera. 494
Cap. XI. Non eſt. 484
Cap. XXXI. Si inter virum. 497
Cap. VIII. Sponſam. 482
Cap. XXV. Tuæ fraternitati. 496
Cap. XV. Veniens. 489

Ex eodem Titulo in VI.

Cap. unicum Ex ſponſalibus. 498

Ex Titulo IV. De Sponſa duorum.

Cap. II. Accepiſti. 508
Cap. I. Duobus. 508
Cap. III. Licet. 509
Cap. IV. Tua fraternitas. 509
Cap. V. Tuas dudum. 510

EX LIBRO V. DECRETALIUM.

Ex Titulo I. De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciationibus.

Cap. VIII. Accuſaſti. 554
Cap. X. Cum P. Manconella. 554
Cap. XIII. Meminimus. 556
Cap. XXIV. Qualiter. 557
Cap. XII. Si conſtiterit. 555
Cap. XXV. Sicut olim. 558
Cap. II. Si quis Epiſcopus. 553

Ex Titulo XVI. De Adulteriis, & Stupro.

Cap. V. Significaſti. 665
Cap. I. Si ſeduxerit. 662
Cap. III. Si vir. 663
Cap. II. Pervenit. 662

Ex Titulo IX. De Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſmum.

Cap. V. A nobis. 648
Cap. VI. Conſultationi. 648
Cap. II. Ex literarum. 646
Cap. I. Præterea. 646
Cap. IV. Quidam. 647
Cap. III. Tuæ fraternitati. 647

Ex Titulo II. De Calumniatoribus.

Cap. II. Cum dilectus. 561
Cap. I. Cum fortius. 560

Ex Titulo XXVII. De Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.

Cap. VII. Poſtulaſtis. 700
Cap. X. Si celebrat. 701
Cap. I. Si quis. 699

Ex Titulo XXVIII. De Clerico non ordinato miniſtrante.

Cap. II. Ex literis. 702
Cap. I. Si quis. 701

Ex Titulo XIV. De Clericis pugnantibus in Duello.

Cap. II. Henricus. 661
Cap. I. Porro. 661

Ex Titulo XXIX. De Clerico per ſaltum promoto.

Cap. unicum Tuæ literæ. 704

Ex Titulo XXIV. De Clerico, venatore.

Cap. I. Epiſcopum. 693

Ex Titulo XX. De Crimine falſi.

Cap. III. Ad audientiam. 682
Cap. VII. Ad falſariorum. 683
Cap. V. Licet ad regimen. 682

Ex eodem Titulo in Extravagantibus Joannis XXII.

Cap. unicum Prodiens. 685

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. unicum Spondet. 686

Ex XXIII. De Delictis puerorum.

Cap. II. Referente. 692

Ex Titulo XXX. De eo, qui furtive Ordinem ſuſcepit.

Cap. I. Veniens. 706

Ex Titulo XXXI. De Exceſſibus Prælatorum.

Cap. XII. Accedentibus. 709
Cap. IV. Clerici. 708
Cap. VII. Cum ad quorundam. 709
Cap. XIII. Dilectus filius. 710
Cap. X. Ex literis. 709
Cap. XVI. Nimis iniqua. 710
Cap. XVII. Nimis prava. 711
Cap. I. Pervenit. 707

Ex Titulo VII. De Hæreticis. 622

Ex Titulo X. De His, qui Filios occiderunt.

Cap. III. De Infantibus. 652
Cap. II. Intelleximus. 649
Cap. I. Veniens. 649

Ex Titulo XII. De Homicidio voluntario, & caſuali.

Cap. XIV. Ex literis. 656
Cap. II. Interfeciſti. 655
Cap. XXI. Poſtulaſti. 658
Cap. V. Si aliquis. 656
Cap. XX. Sicut. 657
Cap. III. Si perfodiens. 655
Cap. I. Si quis. 654
Cap. XIX. Tua nos. 656

Ex Titulo XI. De Infantibus, & Languidis expoſitis.

Cap. unicum Si a Patre. 653

Ex Titulo XXXVI. De Injuriis, & damno dato.

Cap. V. Si egreſſus. 734
Cap. IV. Si læſerit. 734
Cap. VI. Si quis domum. 735

Ex Titulo VI. De Judeis, Saracenis, eorumque ſervis.

Cap. VIII. Ad hæc. 606
Cap. XVII. Ad liberandam. 613
Cap. VII. Conſuluit. 606
Cap. XVI. Cum ſit nimis. 612
Cap. XIII. Etſi. 611
Cap. XV. In nonnullis. 611
Cap. VI. Itá quorundam. 606
Cap. V. Judæi. 605
Cap. III. Judæi. 604
Cap. II. Multorum. 604
Cap. XIX. Nulli Judæo. 603
Cap. I. Præſenti. 603
Cap. X. Quam ſit. 610
Cap. IV. Quia ſuper his. 605
Cap. XII. Quod olim. 610
Cap. IX. Sicut Judæi. 606

Ex eodem Titulo in Extravagantibus Joannis XXII.

Cap. unicum Copioſus. 613

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. II. Dignum. 615
Cap. I. Multa. 614

Ex Titulo V. De Magiſtris.

Cap. I. Quoniam. 592
Cap. V. Super ſpecula. 600

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. II. Cum ſit. 602
Cap. I. Inter ſolicitudines. 602

Ex Titulo XXVI. De Maledicis,

Cap. I. Innotuit. 694

Ex Titulo IV. Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.

Cap. I. Præterea. 590
Cap. IV. Querelam. 591
Cap. II. Quoniam. 591
Cap. III. Quoniam enormis. 591

Ex Titulo XXXVIII. De Pœnitentiis, & Remiſſionibus in VI.

Cap. I. Romana. 755
Cap. II. Si Epiſcopus. 755

Ex eodem Titulo in Clementinis,

Cap. II. Abuſionibus. 755

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. I. Antiquorum. 756

Ex Titulo XXXVII. De Pœnis,

Cap. IV. Calumniam. 736
Cap. XII. In quibuſdam. 737
Cap. III. Licet. 736
Cap. II. Presbyteri. 735
Cap. VI. Tuæ diſcretionis, 736

Ex eodem Titulo de Pœnis in VI.

Cap. II. Degradatio. 737
Cap. V. Felicis. 738

Ex eodem Titulo in Clementinis,

Cap. III. Cupientes, 743
Cap. II. Multorum. 743
Cap. I. Si quis. 741

Ex Titulo XXXIII. De Privilegiis.

Cap. XXIII. Antiqua. 716
Cap. III. Cum & plantare, 714
Cap. XVI. Cum capella. 716
Cap. XIV. Cum olim, 715
Cap. XXX. In his. 720
Cap. XXXII. Quidam. 721
Cap. XXV. Quod nonnullis. 718
Cap. VI. Si de terra. 715
Cap. XI. Tuarum. 715
Cap. XXIV. Ut privilegia. 717

Ex eodem Titulo de Privilegiis in VI.

Cap. III. Abbates, 722
Cap. II. Cum de diverſis. 722
Cap. VIII. Epiſcoporum. 725
Cap. XI. Licet vobis. 727
Cap. XII. Quoniam. 727
Cap. I. Volentes. 721

Ex eodem Titulo in Clementinis,

Cap. I. Religioſi. 728

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. III. Divina 730
Cap. I. Inter cunctas. 730

Ex Titulo XXXIV. De Purgatione Canonica. 733

Ex Titulo XVII. De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Eccleſiarum.

Cap. VII. Accedens. 668
Cap. I. De illis. 666
Cap. III. Excommunicationis. 667

Ex Titulo XV. De Sagittariis.

Cap. unicum Artem illam. 662

Ex Titulo VIII. De Schiſmaticis, & Ordinatis ab eis.

Cap. I. Quod a Prædeceſſore. 645

Ex

Ex Titulo XXXIX. De Sententia Excommunicationis.

Cap. XXVIII. A nobis. 770
Cap. XXII. Conqueſti. 769
Cap. XLV. Contingit. 776
Cap. XV. Cum deſideres. 768
Cap. XXXII. Cum illorum. 773
Cap. XIV. Cum non ab homine. 767
Cap. XI. De cætero. 767
Cap. XIII. Ea noſcitur. 767
Cap. X. Ex tenore. 766
Cap. LIII. Gravem. 778
Cap. XXV. In audientia. 770
Cap. II. Monachi. 758
Cap. VI. Mulieres. 760
Cap. V. Non dubium. 759
Cap. XLIX. Noverit. 777
Cap. VIII. Nulli. 761
Cap. XXIX. Nuper. 771
Cap. IX. Parochianos. 766
Cap. LVII. Permittimus. 778
Cap. XXIII. Perpendimus. 769
Cap. VII. Porro. 760
Cap. LVIII. Quamvis. 779
Cap. XXVI. Quod de his. 770
Cap. XXX. Quod in dubiis. 772
Cap. XXXVII. Relatum. 774
Cap. XLIII. Reſponſo. 775
Cap. XXXVIII. Sacris. 775
Cap. XLVIII. Sacro. 776
Cap. XVIII. Significavit. 768
Cap. XXXIX. Sicut nobis. 775
Cap. III. Si vero. 759
Cap. IV. Si vero aliquis. 759
Cap. I. Super eo. 757
Cap. XIX. Tua nos. 769
Cap. LII. Venerabili. 777
Cap. XXIV. Univerſitatis. 769

Ex eodem Titulo de Sententia Excommunicationis in VI.

Cap. IX. Conſtitutionem. 780
Cap. I. Cum medicinalis. 779
Cap. III. Statuimus. 780
Cap. XI. Quicunque. 781

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. I. Excommunicamus. 781
Cap. IV. Quia nonnulli. 784

Ex Titulo III. De Simonia

Cap. IV. Accuſatum. 562
Cap. XLII. Ad Apoſtolicam. 583
Cap. XXIV. Ad aures. 578
Cap. XXI. Ad noſtram. 577
Cap. XXXVIII. Conſulere. 582
Cap. IX. Cum in Eccleſiæ. 563
Cap. XI. De hoc autem. 566
Cap. XXV. De Regularibus. 579
Cap. XXII. De ſimoniace. 578
Cap. XIII. Inſinuatum. 567
Cap. XXVIII. Dilectus filius. 579
Cap. XXX. Dilectus filius. 581
Cap. XVIII. Etſi quæſtiones. 575
Cap. XX. Ex tuæ. 577
Cap. XLIV. Jacobus. 584
Cap. I. In ordinando. 561
Cap. XXXVI. In tantum. 581
Cap. XLIII. Ne Dei Eccleſiam. 583
Cap. XIV. Nemo. 574
Cap. XXVII. Nobis fuit. 579
Cap. VIII. Non ſatis. 563
Cap. XXXVII. Per tuas. 582
Cap. XL. Quoniam. 583
Cap. V. Quoties. 562
Cap. XXXIX. Sicut. 582
Cap. III. Si Dominus. 561
Cap. XLV. Si quis ordinaverit. 584
Cap. XXIX. Suam nobis. 580
Cap. XIX. Veniens. 576

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. II. Cum deteſtabile. 589
Cap. I. Sane. 586

Ex Titulo XXI. De Sortilegiis.

Cap. II. Ex tuarum. 688
Cap. I. In tabulis. 688

Ex Titulo XIII. De Torneamentis.

Cap. II. Ad audientiam. 658
Cap. I. Felicis. 658

Ex Titulo XL. De Verborum ſignificatione.

Cap. III. Exiit. 785
Cap. XVI. Olim. 784
Cap. XIV. Quæſivit. 784

Ex Titulo XIX. De Uſuris.

Cap. X. Conſuluit. 674
Cap. VI. In civitate. 674
Cap. XIX. Naviganti. 680
Cap. I. Plures. 672
Cap. XVIII. Quanto. 680
Cap. IV. Super eo. 673

Ex Titulo XVIII. De Furtis.

Cap. I. Qui furatur. 669
Cap. II. Fures. 669
Cap. III. Si quis. 671

E X P O S I T I O
JURIS PONTIFICII

JUXTA RECENTIOREM ECCLESIÆ DISCIPLINAM

IN DUAS PARTES DISTRIBUTA,

A U C T O R E

UBALDO GIRALDI
A SANCTO CAJETANO

Clericorum Regularium Scholarum Piarum,

APOSTOLICO ROMANI CLERI EXAMINATORE,

ET COLLEGII ECCLESIASTICI RECTORE.

PARS SECUNDA

TOMUS TERTIUS.



ROMÆ, MDCCLXIX.

EX TYPOGRAPHIA CAROLI BARBIELLINI

In Via Cursus

SUPERIORUM FACULTATE.

CONSTITUTIO BENEDICTI XIV.

= Paſtor bonus = 13. *Aprilis* 1744.

☞ *Cum ſæpe in hoc Opere mentio fiat de facultatibus Cardinalis Majoris Pœnitentiarii, quarum aliquæ ei reſtrictæ prius erant, ut ſciatur, quæ hodie eidem competant, operæ pretium duxi hic tranſcribere dictam Conſtitutionem circa eaſdem facultates tam ipſius, quam Officii S. Pœnitentiariæ, pro regula ad hoc Sacrum Tribunal preces dirigendi, juxta rerum opportunitatem.*

PASTOR bonus . . . *Omittuntur primi quatuor paragraphi, in quibus recenſentur Conſtitutiones Prædeceſſorum Pontificum, Pii V.* In omnibus, *Innocent. XII.* Romanus Pontifex, *& Clementis XII.* Apoſtolatus Officium, *ad prædictas facultates ſpectantes.*

§. 5. Quocirca, re diu, & mature diſcuſſa, multiſque deſuper conſultationibus habitis, & omnes Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones, ſeu Litteras quaslibet, atque omnia vivæ vocis oracula, ipſius Pœnitentiariæ officium quomodocunque concernentes, ſeu concernentia, præ oculis habentes; ſalva ſemper Majoris Pœnitentiarii facultate Romanum Pontificem conſulendi in quibuſvis particularibus caſibus, etiam per præſentes Noſtras Litteras non conceſſis, imo prohibitis, ſeu reſervatis, & exceptis; itaut ipſi Majori Pœnitentiario de Romani Pontificis ſpeciali mandato, vivæ vocis oraculo deſuper ſibi facto, procedere aſſerenti, indubia fides debeat adhiberi; motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, infraſcriptas facultates eidem Pœnitentiariæ, & Majori Pœnitentiario de cætero competere, ac in illa, & ab illo in hunc, qui ſequitur, modum exerceri poſſe, hac Noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuimus, atque decernimus.

§. 6. Concedimus itaque Noſtro, & pro tempore exiſtenti Majori Pœnitentiario, ut omnes, & ſingulos, cujuſcunque qualitatis, dignitatis, & gradus, eccleſiaſticos ſeculares, & cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti regulares, necnon laicos quoſcunque utriuſque ſexus, tam præſentes, quam abſentes ab omnibus, & quibuſcunque culpis, criminibus, & exceſſibus, quantumcunque gravibus, & atrocibus, tam publicis, quam occultis, quandocunque, & quomodocunque commiſſis, & perpetratis, necnon ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, præmiſſorum criminum occaſione latis, & per illos incurſis, etiam in caſibus, nedum Ordinariis, & regularibus Superioribus, ſed etiam Nobis, & Sanctæ Sedi ſpecialiter, ac etiam per Litteras, quæ die Cœnæ Domini quotannis promulgantur, reſervatis; injuncta ſemper iiſdem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ de jure injungenda fuerint, abſolvere, & abſolvi mandare poſſit, & valeat Regulares nimirum a culpis, & cenſuris præmiſſis in utroque foro; eccleſiaſticos vero ſæculares, necnon laicos, a prædictis culpis, & cenſuris in foro conſcientiæ tantum: eoſdem vero eccleſiaſticos ſæculares, necnon laicos, tunc in utroque foro abſolvere, & abſolvi mandare poſſit, quando agitur de cenſuris publicis, latis a jure, præſertim Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam nominatim declaratis: vel ſi agatur de latis nominatim ab homine, tunc quando delegati, vel alterius judicis, a quo latæ fuerunt, juriſdictio expiraverit; ſeu quando abſolutio per eoſdem judices, aut alios ad Romanum Pontificem, & ad dictam S. Sedem remiſſa fuerit; ſeu quando ſic cenſura ligati legitime impediuntur, quominus præſentiam judicum, vel illorum, qui eos ſic ligarunt, aut alium, ſeu alios, quos de jure deberent, adire poſſint.

§. 7. Ita tamen, ut ab ejuſmodi cenſuris, ab homine latis, vel declaratis in utroque foro, ut præfertur, abſoluti, vel qui abſolvendi remittentur judici, coram quo cenſurarum cauſa pendet, in ſuis congruis caſibus reſpective judicato paruerint, & parti ſatisfecerint, vel quamprimum potuerint, pareant, & ſatisfaciant, alioquin in eaſdem cenſuras reincidant. Renuente vero altera parte ſatisfactionem a reo oblatam, & in ſententiis, ſeu decretis minime expreſſam, accipere; poſſit Major Pœnitentiarius pro ſua prudentia convenientem ſatisfactionem arbitrari, & reſpective ſupra dicti judicis conſcientiæ remittere, ut ejuſmodi pariter arbitretur; illaque per reum oblata, ac per aliam partem irrationabiliter recuſata; valeat, adhuc firma remanente hujuſmodi oblatione, ad abſolutionem procedere, & ab alio procedi mandare.

§. 8. Romam quoque advenientes, ibique ſacra loca viſitaturos, ab omnibus per quemcunque judicem, vel alias quomodocunque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, vel, ſi alibi promulgatæ fuerint, in eadem Curia notoriis, cenſuris, ad effectum dumtaxat, ut Indulgentias, ſacra eadem Urbis loca pie, ac religioſe inviſentibus conceſſas, libere, & licite conſequi valeant, abſolvere, & abſolvi mandare poſſit; itaut elapſo congruo tempore, ab ipſa Pœnitentiaria ad effectum prædictæ viſitationis præfiniendo, iiſdem, quibus antea, cenſuris teneantur. Eos vero, qui cenſuris ab homine nominatim ligati, pro abſolutione Romam advenerint, ſed pro illa obtinenda fuerint ad proprios judices remiſſi, & probabile mortis periculum in itinere pertimeſcant, poterit Major Pœnitentiarius ad congruum tempus, ab ipſo pro hujuſmodi itineris confectione arbitrandum, in foro conſcientiæ tantum abſolvere, & abſolvi mandare, cum reincidentia, ſtatim ac itineris terminum attigerint.

§. 9. Hæreticos occultos, qui nemini, & cum nemine ſuas hæreſes communicaverint, poſſit idem Major Pœnitentiarius in foro conſcientiæ tantum, abſque alia abjuratione coram Ordinario, vel Inquiſitore facienda, abſolvere, vel abſolvi mandare: quod pariter ipſi liceat, quando prædicti hæretici occulti aliquos actus extrinſecos fecerint, ex quibus dignoſci potuiſſent pro hæreticis; dummodo eoſdem actus, quamvis de ſua natura noſcibiles, ſeu ad notitiam deducibiles, nullus, quem ipſi ſciant, aut credant, notaverit, vel adverterit.

§. 10.

§. 10 Publicos vero hæreticos, ſeu apoſtatas a fide catholica, in foro conſcientiæ tantum, abſolvere, ſeu abſolvi mandare poſſit, in iis dumtaxat caſibus, in quibus neceſſe non eſt complices denunciare; quando nimirum hujuſmodi complices aut mortui ſunt, aut in regionibus palam infectis exiſtunt, & in illis degunt; non tamen quando complices in illis regionibus viverent, in quibus Inquiſitionis S. Officii auctoritas viget.

§. 11. Principes porro, & alios jus imperii, etiam vicario nomine, habentes, ac dominia, & reſpublicas, ſeu perſonas illorum, & illarum adminiſtrationem habentes, vel habere ſolitas, necnon Epiſcopos, & alios ſuperiores Prælatos, in caſibus publicis, qui in præfatis Litteris die Cœnæ Domini legi conſuetis, continentur, etiamſi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam cauſam ita fuiſſet impeditus, ut celeriter conſuli non poſſet, abſolvere, & abſolvi mandare nullatenus valeat.

§. 12. Minuſque poſſit, etiam in occultis, etiam in foro conſcientiæ tantum, abſolvere, vel abſolvi mandare S. R. E. Cardinales, aut alios cujuſcunque qualitatis, ſtatus, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui, vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum poſt ipſius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, ſuffragia inierint, ambituſve, aut pactiones fecerint; vel Sede Apoſtolica vacante, in cenſuras, ſeu pœnas in Litteris fel. rec. Greg. Papæ XV. & Urbani VIII. Prædeceſſorum Noſtrorum ſuper electione Romani Pontificis pro tempore facienda. XVII. Kal. Septembris anno Incarnationis Dominicæ MDCXXI. & V. Kal. Februarii anno ejuſdem Incarnationis MDCXXV. reſpective emanatis, contentas, quomodolibet inciderint; præterquam, ſi abſolvi peterent, Sede Apoſtolica adhuc vacante; tunc enim abſolvi poterunt modo inferius præſcribendo pro tempore vacantis ejuſdem Sedis.

§. 13. Nec pariter poſſit, etiam in occultis, etiam in foro conſcientiæ tantum, eos cujuſcunque qualitatis, ſtatus, dignitatis præeminentiæ, & conditionis fuerint, abſolvere, & abſolvi mandare, qui aſtrologia judiciaria, vel per ſe, vel per alios, de ſtatu reipublicæ chriſtianæ, ſive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis inquirentes, ejuſdem Urbani VIII. Pont. Max. Litteris, pridie Kal. Apr. anno ejuſdem Incarnationis MDCXXXI. contra prædicta perpetrantes editis, contravenerint.

§. 14. Nec ſimiliter valeat in caſibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ immunitatis, ſeu libertatis eccleſiaſticæ, ullatenus abſolvere, ſeu abſolvi mandare.

§. 15. Super quacunque irregularitate, & inhabilitate ex quocunque delicto, etiam homicidio voluntario, & ex quocunque defectu proveniente, poſſit idem Major Pœnitentiarius, in caſibus tamen occultis, & in foro conſcientiæ tantum, & prævia in gravioribus caſibus matura diſcuſſione in Signatura Pœnitentiariæ agenda, diſpenſare, vel diſpenſari mandare, tam cum laicis, quam cum eccleſiaſticis ſæcularibus, & Regularibus, cum quibus expediens videbitur, ad hoc, ut Ordinibus initiari, vel reſpective in ſuſceptis, etiam in ſacris, & Presbyteratus Ordinibus miniſtrare, & ad ſuperiores aſcendere, ac dignitates, etiam cathedrales, & metropolitanas, & quæcunque beneficia eccleſiaſtica, quandocunque ante diſpenſationem, alioquin canonice obtentas, vel obtenta, retinere, necnon ut hujuſmodi beneficia, & dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio graviſſimo exceſſu, Eccleſiis cathedralibus, & metropolitanis) etiam poſt delictum aſſequi valeant.

§. 16. Item cum hæreticis, & apoſtatis a fide catholica, quando hæreſis, & apoſtaſia hujuſmodi, ſi de ſæcularibus agitur, nullatenus eſt propalata, & quando caſus gravitas non ſuadet, pœnitentes ad Sac. Inquiſitionem remittendos eſſe, ſuper quacunque irregularitate, inhabilitate, & infamia exinde contracta, tam ad Ordines, ſive ſuſceptos, ſive ſuſcipiendos, quam ad beneficia, diſpenſare, & diſpenſari mandare poſſit, & valeat.

§. 17. Cum homicidis, bannitis, aliiſque criminoſis, ut in Religionem recipi, & in ea profeſſionem emittere licite poſſint, atque ut etiam qui homicidia voluntaria commiſerint, aliquam ex approbatis Religionibus, tanquam clerici ingredi, in eaque profiteri valeant, in utroque foro diſpenſare, ſeu diſpenſari mandare poſſit; ea tamen lege, quando ſic oportere videbitur, ut fiſcum, & partem prius concordaverint: & inſuper cavendo, ne tempore novitiatus ſacros Ordines ſuſcipiant, aut ad ſuperiores aſcendant; ſed id eis minime liceat, niſi poſt profeſſionem emiſſam: ut autem in iis Ordinibus, quos antea ſuſcepiſſent, etiam tempore novitiatus miniſtrare poſſint, quoties aliqua rationabilis cauſa id poſtulaverit, diſpenſare, & diſpenſari mandare poſſit; adjecta tunc clauſula, ut ſi forte in Religione non perſeveraverint, ſeu ad ſeculum redierint, ipſo facto ſuſpenſi, etiam ab hujuſmodi Ordinum antea ſuſceptorum exercitio remaneant.

§. 18. Cum male promotis quibuſcunque ad Ordines, in caſibus tamen occultis, diſpenſare, vel diſpenſari mandare valeat; & ſignanter accedente legitima cauſa, diſpenſet, vel diſpenſari mandet cum promotis per ſaltum, in caſibus ſimiliter occultis, ad effectum ſcilicet, ut omiſſos Ordines ſecrete recipiant a quolibet catholico Antiſtite, gratiam, & communionem cum Sede Apoſtolica habente, extra tempora, & non ſervatis interſtitiis, & abſque dimiſſoriis; non tamen ut plures Ordines ſacros eodem die recipiant.

§. 19. Cum promotis ad ſacros Ordines, qui ſimoniam cum Epiſcopis promoventibus commiſerint, diſpenſare, & diſpenſari mandare poſſit, in occultis dumtaxat, & in foro conſcientiæ tantum, cum clauſula, monitis monendis, & injuncta gravi pœnitentia, ac re præſertim in Signatura diſcuſſa.

§. 20. Titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel alio occulto vitio, etiam in concurſu, male obtentorum, convalidare, vel convalidari mandare valeat.

§. 21. Verum a convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abſtineat quoad illos, qui de Eccleſiis cathedralibus proviſi, munus conſecrationis intra præfinitum tempus non ſuſceperint.

§. 22. Cum vero agitur de ſimonia reali, ſcienter contracta, & de beneficiis ſuper quibus eadem contracta fuit, abſtineat a diſpenſationibus, ſeu convalidationibus titulorum, etiam in foro conſcientiæ tantum, etiam in caſibus occultis; niſi forte prædicta ſimonia contracta fuerit ignoranter, ignorantia facti, vel juris, & orator de illa certior factus, quam primum commode potuerit, diſpenſationem petierit. Idemque intelligatur de penſionibus, ſuper quibus ſimonia realis ſcienter contracta, & commiſſa fuerit.

§. 23. Abſtineat a condonatione pretii ſimoniaci, quando in Eccleſiam læſam, vel pauperes erogari debet; præterquam ſi delinquentium paupertas, & qualitas ſuadeant, aliquam ejus partem ipſis remitti, aut condonari poſſe; reſiduo ſemper in Eccleſiam, vel alios pauperes erogando.

§. 24. A compoſitione pariter, & condonatione fructuum beneficialium, & epiſcopalium Eccleſiarum, ac etiam diſtributionum quarumcunque, quoviſmodo male perceptorum, in caſibus non occultis, abſtineat. In occultis vero, poſſit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus componere, vel etiam condonare, injuncta eiſdem pœnitentibus erogatione eleemoſynæ, ipſius Majoris Pœnitentiarii,

vel

vel confeſſarii ab ipſo deputandi, arbitrio limitandæ. Cum reliquis autem, videlicet Italis, Hiſpanis, Luſitanis, & adjacentium Inſularum perſonis, diſcretè compoſitionem concedere, & ea mediante, fructus condonare valeat; pecuniis exinde redactis arbitrio Noſtro, & Succeſſorum Noſtrorum pro tempore erogandis: pauperibus autem, quorum inopia compoſitionem non admittit, poſſit condonare, injuncta pro eorum viribus eleemoſyna, modo ſupradicto. Porro quæ hic ordinantur, ſine præjudicio illorum, quibus diſtributiones accreſcere, vel non decreſcere debent, ſint, & cenſeantur ordinata.

§. 25. Quoad male ablata, vel retenta, quando domini incerti ſint, & caſus occulti partem aliquam delinquentibus pauperibus, ſi, eorum qualitate, & neceſſitate penſatis, ita videbitur, remittere, ſeu condonare, vel remitti, ſeu condonari mandare poſſit; reſiduum vero pauperibus diſtribui, vel in pia opera erogari: & quidem, ſi fieri poteſt, in locis, ubi illa ablata, extorta, vel uſurpata ſunt, mandare debet.

§. 26. Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, ſeu devotionis muneribus, ultra valorem decem ſcutorum monetæ, contra præſcriptum a Prædeceſſoribus Noſtris Clemente VIII. & Urbano pariter VIII. in ſuis Conſtitutionibus, XIII. Kal. Julii anni MDXCIV. & XVI. Kal. Nov. anni MDCXL. reſpective editis, non abſolvat, niſi facta reſtitutione; vel ſi eam de præſenti nequeant adimplere, cum obligatione eamdem, quamprimum potuerint, faciendi. Qui vero infra prædictum valorem ejuſmodi munera acceperint, eos, injuncta arbitrio ipſius Majoris Pœnitentiarii, ſeu confeſſarii, per eum eligendi, eleemoſyna, quæ in beneficium Religionis, ſeu conventus, cui de iure facienda eſſet reſtitutio, ſi caute fieri poſſit, erogetur, abſolvere, ſeu abſolvi mandare poſſit.

§. 27. Cum puellis, quæ virgines non ſunt, & ſubſidia dotalia petunt, ſeu jam obtinuerunt a confraternitatibus, aut aliis locis, vel diſpenſatoribus piis, quibus injunctum eſt, ut illas virginibus tantum dent, ſeu diſtribuant, in occultis, & in foro conſcientiæ tantum, quatenus illæ in poſterum honeſte vivant, facultatem habeat diſpenſandi: necnon diſpenſare poſſit, in occultis pariter, & in foro conſcientiæ tantum, cum virginibus, quæ petunt, vel obtinuerunt ingredi, vel jam ingreſſæ ſunt in conventus, ſeu monaſteria deſtinata pro mulieribus ad bonam frugem traductis, ad effectum ea licite ingrediendi, ſeu in eis remanendi, ac profitendi, & officia quæcunque ſuſcipiendi, & exercendi.

§. 28. Juramenta quæcunque, in quibus exploratum ſit, nullum cujuſquam agi præjudicium, facultatem habeat in foro conſcientiæ dumtaxat relaxandi.

§. 29. Vota ſimplicia quæcunque, quomodolibet emiſſa, tametſi privato juramento confirmata, etiam Religionis, caſtitatis, viſitationis Sepulchri Dominici, aut SS. Liminum beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, aut ſepulchri S. Jacobi de Compoſtella, poſſit idem Major Pœnitentiarius, in alia pietatis opera diſpenſando, commutare: etiam ad effectum contrahendi matrimonium, cum agitur de voto caſtitatis, aliiſve ex ſe matrimonium illicitum reddentibus: item votorum implementum differre, & ab illorum tranſgreſſionibus abſolvere: & reſpective diſpenſando commutari, differri, & abſolvi mandare; conſideratis cauſis talium commutationum, dilationum, aut abſolutionum, & adjectis clauſulis, quas apponere, iiſque injunctis, quæ injungere hactenus in hujuſmodi caſibus Pœnitentiaria laudabiliter conſuevit.

§. 30 Super recitatione divini officii, ſeu horarum canonicarum, propter aliquam impoſſibilitatem, ſeu moralem difficultatem, diſpenſandi, cum commutatione in alias preces, vel orationes, vel alia pia opera, earumque, ſeu eorum injunctione, habeat facultatem.

§. 31. Cum Regularibus autem ſuper irregularitate, tam ex defectu, quam ex quocunque delicto quandocunque perpetrato, quomodolibet contracta, ut eadem irregularitate, aut quavis inhabilitate, aliiſve defectibus quibuſcunque, non obſtantibus ſuſceptis Ordinibus, & eorum privilegiis, uti, ac in illis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, & Ordines non ſuſceptos ſuſcipere, ac in iiſdem pariter miniſtrare, necnon quæcunque, quotcunque, & qualiacunque ſuorum Ordinum, & Congregationum, alioquin canonice obtenta, officia, beneficia regularia, munia, præeminentias, dignitates, & prælaturas, etiam majores, & principales, retinere, & exercere; necnon eadem, ſeu eaſdem, ad quæ, ſeu quas in futurum canonice, & juxta eorumdem Ordinum, & Congregationum regularia Inſtituta, eligentur, vel aliter aſſumentur, recipere, aſſequi, gerere, ac libere, & licite exercere valeant, diſpenſare, eoſque in priſtinum, & ad eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet erant, ſtatum, & ad vocem activam, & paſſivam reſtituere, reponere, & plenarie reintegrare, & pœnas illis gratioſe remittere, & condonare; (non tamen habilitare ad Generalatum, quando agitur de publico natalium defectu) necnon pro majori abſolutionum, & diſpenſationum prædictarum firmitate, quibuſvis Conſtitutionibus, ordinationibus, ſtatutis, & privilegiis quomodolibet obſtantibus ſufficienter derogare, præfatus Major Pœnitentiarius poſſit, & valeat.

§. 32. Volumus tamen, ut in hujuſmodi caſibus, qui occulti fuerint, in foro conſcientiæ tantum, in publicis vero caſibus in utroque foro, auditis tamen Superioribus, & matura circumſpectione ſemper adhibita, cum iiſdem Regularibus, ut præfertur, diſpenſet, vel diſpenſari mandet.

§. 33. Quoad apoſtatas, vel fugitivos Regulares, ad Apoſtolicam Pœnitentiariam recurrentes, ſervetur laudabilis ejuſdem praxis, ut ſcilicet Major Pœnitentiarius, audito prius, ſi in Urbe adſit, Ordinis Superiore, ſeu Procuratore generali, injungat apoſtatæ, ſeu fugitivo, intra tempus, arbitrio ipſius Majoris Pœnitentiarii taxandum, reditum ad proprium Ordinem: interim vero, ſi expediat, a cenſuris eumdem abſolvere, vel abſolvi mandare poſſit, cum reincidentia, ſi intra dictum tempus minime redierit, dilata tamen uſque ad actualem reditum diſpenſatione ſuper irregularitate, ſi forte eam inſuper contraxiſſet; & alias prætereà pœnas, ſive de jure communi, ſive ex ſtatutis Ordinum, propter apoſtaſiam, ſeu fugam inflictas, diſcrete moderari, commutare, vel etiam, juxta peculiares circumſtantias, condonare poſſit. Si vero caſus ejuſmodi ſit, ut, re præſertim in Signatura diſcuſſa, cenſeatur expedire, quod abſque reditu ad proprium, tranſitus eidem ad alium Ordinem concedatur; poſſit Major Pœnitentiarius iſtum etiam concedere, adhibitis tamen iis cautionibus, quas ad refrænandam vagandi licentiam neceſſarias, ſeu opportunas judicaverit; necnon illa præ oculis habendo, quæ infra circa tranſitum diſponentur. Nemini autem Regulari quacunque de cauſa permittere valeat, ut in habitu ſeculari, ſeu clerici ſecularis in perpetuum extra clauſtra vivere poſſit.

§. 34. Quoad tranſitum vero de una ad aliam Religionem, non ſolum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem, juxta cap. *Licet de Regul.*, verum etiam ad æqualem, & ab arctiori ad laxiorem, ob juſtas tamen, & graves reſpective cauſas, ab eodem Majori Pœnitentiario probandas; audito prius Superiore Ordinis, a quo, & cum conſenſu Superioris Ordinis, ad quem faciendus eſt tranſitus. Pro majori autem tranſitus firmitate, in his omnibus caſibus poſſit idem Major Pœnitentiarius ſtatutis, & Privilegiis Apoſtoli-

cis, quomodolibet obſtantibus, opportune derogare.

§. 35. Verum abſtineat ab hujuſmodi tranſitu concedendo ad alias Religiones, ſeu Ordines, præterquam ad illas, ſeu illos, in quibus clauſtralis, & regularis obſervantia vigere dignoſcatur; quod ſi de tali clauſtrali, & regulari obſervantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica Ordinarii atteſtatio. Abſtineat pariter a tranſitu prædicto concedendo ad Ordines hoſpitalares, & militares, quamvis in iis clauſtralis, & regularis obſervantia vigeret, niſi forte ad Ordinem S. Joannis de Deo. Neque item eumdem tranſitum concedat ad Ordinem S. Benedicti antiquioris obſervantiæ, aut ad alias conſimiles Congregationes, cujuſcunque Ordinis fuerint.

§. 36. Concedere itidem poſſit tranſitum ab uno monaſterio ad aliud, monialibus, tantum ultra montes exiſtentibus, legitima concurrente cauſa, in Signatura diſcutienda, & approbanda; committendo tamen facultatem hujuſmodi tranſitus admittendi, & exequendi, arbitrio Ordinarii, cum clauſulis opportunis pro caſuum varietate.

§. 37. Quo vero ad cenſuras, ſeu pœnas, in quas moniales incurrere, & peccata reſervata, quæ ab eiſdem committi contigerit, etiam in caſibus violatæ clauſuræ, qui tamen caſus occulti fuerint, vel ubi agatur de aliquo occulto defectu diſpenſando poſſit idem Major Pœnitentiarius præfatis monialibus confeſſarium cum opportunis facultatibus concedere.

§. 38. In caſibus vero publicis clauſuræ, a monialibus prædictis, vel ab aliis quibuſcunque perſonis, ad malum finem violatæ, delinquentes non abſolvat, nec abſolvi mandet, niſi pro ipſis Epiſcopi, ſeu Ordinarii ſupplicaverint, & caſus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam deducti non fuerint.

§. 39. In matrimoniis contrahendis poſſit idem Major Pœnitentiarius, in foro conſcientiæ tantum, ſuper impedimentis occultis, quæ matrimonium non dirimunt, diſpenſare, vel diſpenſari mandare: itemque ſuper omiſſione denunciationum, etiam ad effectum contrahendi ſecreto; in quo ſerventur, quando agitur de matrimoniis conſcientiæ nuncupatis Litteræ a Nobis datæ ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſub die 17. Nov. anni 1741. per ea verba incipientes: *Satis vobis compertum*. At a diſpenſationibus concedendis ſuper quocunque impedimento ex quovis gradu, ſive conſanguinitatis, ſive affinitatis ex copula licita, ſeu ex cognatione ſpirituali proveniente, etiam in foro conſcientiæ tantum, tametſi impedimentum ſit occultum, & periculum ſcandalorum immineat, in iiſdem matrimoniis contrahendis abſtineat.

§. 40. In contractis vero matrimoniis, a diſpenſatione, ſeu matrimonii revalidatione in gradibus primo, & ſecundo, ſeu ſecundo tantum, conſanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abſtineat; præterquam ſi in ſecundo tantum gradu prædicto impedimentum ſaltem per decennium duraverit occultum, & oratores ſimul publice contraxerint, & convixerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem, & quarto gradibus occultis, in contractis poſſit diſpenſare; atque etiam in iiſdem tertio, & quarto gradibus publicis poſſit revalidare matrimonia, ex cauſa ſubreptionis, & obreptionis occultæ Litterarum Apoſtolicarum nulliter contracta; præterquam, ſi falſitas conſiſtat in narratione præcedentis copulæ, quæ antea revera non interceſſerat.

§. 41. Quod ſi aliqui oratores obtinuerint a noſtra Dataria diſpenſationem ſuper gradu prohibito in primo, & ſecundo, vel in ſecundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto, cum reticentia copulæ inter eos ſecutæ, quam ſine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujuſmodi reticentiæ petant diſpenſationem pro matrimonio contrahendo, ſeu revalidationem matrimonii contracti; poſſit idem Major Pœnitentiarius, ſi copula ſit adhuc ſecreta, hujuſmodi diſpenſationem, ſeu reſpective revalidationem in foro conſcientiæ tantum concedere; facta, quando agitur de primo, & ſecundo, vel ſecundum tantum gradu, compoſitione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam tranſmittendorum, ad effectum (ut inconcuſſi moris eſt) erogandi in eleemoſynas; niſi prior gratia expedita fuiſſet in forma pauperum; quo caſu etiam hæc gratia ſimiliter abſque ulla compoſitione expediatur.

§. 42. Si qui vero oratores, obtenta diſpenſatione a Dataria ſuper impedimento primi, & ſecundi, ſive ſecundi dumtaxat gradus conſanguinitatis, ſeu affinitatis, cum expreſſione quidem carnalis copulæ, ſed tacita occulta, & malitioſa intentione in ipſa copula habita ad facilius obtinendam diſpenſationem, pro revalidatione hujuſmodi diſpenſationis ad dictam Pœnitentiariam recurrant, poſſit idem Major Pœnitentiarius deſuper abſolute diſpenſare cum miſerabilibus perſonis, explicite affirmantibus ſe, uti tales, & ſub illa expreſſa qualitate, & forma miſerabilium diſpenſationes a Dataria obtinuiſſe: cum iis vero, qui non tanquam pauperes, ſed uti ex honeſtis familiis, ſive uti nobiles, ſive uti illuſtres, ab eadem Dataria ſimiliter diſpenſati fuerint, non diſpenſet, niſi ſoluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemoſynas, taxa, definienda arbitrio ejuſdem Majoris Pœnitentiarii, penſatis circumſtantiis cujuſcunque caſus, & reſpectu habito ad præjudicium componendæ, & ad vires ſupplicantium. Si tamen iſti pauperes eſſent, itaut vere, & realiter integram ſummam taxatam, vel aliquam ejus partem ſolvere non poſſent, præfatus Major Pœnitentiarius opportune in hoc caſu provideat, facto verbo, ſi peculiaris difficultas id poſtulet, cum Sanctiſſimo.

§. 43. Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, ſeu ex actu fornicario proveniente, quotieſcunque adſit rationabilis cauſa, licet periculum revelationis, ſeu ſcandalorum non immineret, vel non adeſſet in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, in foro conſcientiæ diſpenſare, & diſpenſari mandare poſſit, & valeat.

§. 44. Super occulto impedimento criminis adulterii, ſi fuerint cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commiſſum, poſſit tam in contrahendis, quam in contractis matrimoniis diſpenſare. Si vero crimen hujuſmodi fuiſſet, utroque, vel altero machinante, patratum, poſſit in occultis pariter diſpenſationem concedere; raro tamen, & quando neceſſitas poſtulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Pœnitentiarii, re præſertim diſcuſſa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

§. 45. Declaramus præterea, quod facultates præfatæ a Nobis Majori Pœnitentiario, & ejuſdem Pœnitentiariæ officio conceſſæ circa diſpenſationes matrimoniales, locum habeant, etiamſi gradus, & impedimenta hujuſmodi multiplicia ſint, quacunque, & quantacunque multiplicitate; volentes, in Litteris hujuſmodi diſpenſationum matrimonialium, poſſe prolem, ubi opus erit, ſive ſuſcipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conſcientiæ tantum legitimam decernere, necnon apponi clauſulam Nullis &c. prout in hujuſmodi materiis hactenus ipſa Pœnitentiaria ſervare conſuevit.

§. 46. Ulterius ſuper caſibus quibuſvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum diſpenſare, aut diſpenſari mandare poſſit, & valeat.

§. 47. Facultates Pœnitentiariis minoribus ordinariis

Digitized by Google

ſtis, quorum deputatio pertinet ad prædictum Majorem Pęnitentiarium, poſſit idem ad libitum concedere, & reſtringere. Fratres vero minores Cappuccinos in confeſſarios nullatenus deputet in illis Regionibus, in quibus iidem confeſſionibus audiendis operam dare non ſolent.

§. 48. Dubia omnia in materia peccatorum, ſeu forum pœnitentiale, alias quomodolibet concernentia, cum conſilio Doctorum, & Theologorum ſuorum, valeat declarare.

§. 49. Commiſſiones vero Majoris Pęnitentiarii non expirent, etiamſi committens, illis non dum præſentatis, & re integra, deſinat quomodocunque Pęnitentiarius exiſtere. Idemque intelligi volumus de illis commiſſionibus, quas Majori Pęnitentiario abſente, vel ex aliqua juſta cauſa impedito, alterius Pro-Pœnitentiarii ad tempus ſubrogati nomine expeditas, elapſo hujuſmodi ſubrogationis termino, præſentari contigerit.

§. 50. Omnibus denique chriſtifidelibus, qui ex veteri, & laudabili inſtituto Pœnitentiarium Majorem, munere ſuo, ſtatutis diebus hebdomadæ majoris, in tribus Urbis Baſilicis ſolemni ritu fungentem, pie, reverenterque adierint, ſeſeque pœnitentiali virga tangendos ſubmiſerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in formam Eccleſiæ conſueta relaxandi, perpetuam facultatem eidem Majori Pœnitentiario confirmamus, &, quatenus opus ſit, de novo concedimus.

§. 51. Sede Apoſtolica vacante, quoniam animarum ſaluti, quæ omni tempore periclitatur, numquam non eſt ſubveniendum, unde merito Prædeceſſores noſtri officium Pœnitentiariæ, etiam poſt obitum Pontificis continuare juſſerunt; volumus, & decernimus, ut Major Pœnitentiarius (cujus facultas dicto tempore non expirat, ſed tantummodo non habet exercitium extra Conclave), ſeu ejus officiales, facere, & expedire valeant quæcumque ad forum conſcientiæ pertinent: ideo abſolvere, ſeu abſolvi mandare in dicto conſcientiæ foro valeant ab iis quoque cenſuris, a quibus alias, vivente Pontifice, adempta etiam Majori Pęnitentiario, & Pœnitentiariæ officio, abſolvendi facultas reperitur: hac tamen lege (quemadmodum fel. recor. Prædeceſſor noſter Clem. Papa XII. lata Conſtit. quæ incipit *Apoſtolatus Officium*, ad conſulendum ſimul animarum fidelium ſaluti, & diſciplinæ eccleſiaſticæ conſervationi provide cavit, quod nempe in hujuſmodi cenſuris ad tempus dumtaxat, & cum reincidentia in eaſdem, ſervati alias ſervandis, abſolutio concedatur itaut qui fuerint abſoluti, ad novum Pontificem, intra terminum, pro locorum diſtantia definiendum, recurrere pro eadem cauſa teneantur; neque liceat Pœnitentiario Majori, ejuſque officialibus præfixum terminum poſt Pontificis electionem ampliare, vel prorogare.

§. 52. Præterea concedimus, ut ſi quando aliquod gravius animæ periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, & Majori quoque Pęnitentiario, ſi in Conclavi degat, pro materiæ gravitate conſulto, & approbante, diſpenſare, aut diſpenſari mandare pro eodem foro conſcientiæ valeant, ſuper illis etiam, ſuper quibus alias, vivente Pontifice, inhibita ſit Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ diſpenſandi facultas; ita tamen, ut oratores, ſicuti ſuperius dictum eſt, ad novum Pontificem poſt ejus electionem ſimiliter debeant recurrere, aliiſque appoſitis clauſulis, pro caſus natura neceſſariis, & opportunis.

§. 53. Pro foro vero externo, eadem Sede Apoſtolica vacante, eorum officium penitus conquieſcat; ita ut a quibuſcunque matrimonialibus, & aliis diſpenſationibus, & abſolutionibus, ac declarationibus, necnon quibuſvis aliis expeditionibus forum fori mixtum, vel ſeparatim quomodolibet reſpicientibus, omnino abſtineant.

§. 54. Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante, pro foro externo facere, & expedire valeant, quæ ad Regularium, & præſertim apoſtatarum, & fugitivorum remedium, in ſuperioribus facultatibus conceſſa ſunt: necnon, ut monialibus confeſſarios extra Ordinem valeant deputare, ſi eos ex aliqua rationabili cauſa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas monialium confeſſiones eligendos.

§. 55. Et demum, ut illos, qui in aliquam cenſuram, Sedi Apoſtolicæ reſervatam etiam ob violatam eccleſiaſticam libertatem, vel immunitatem publice incurrerint, vel incurriſſe declarati fuerint, & vere, ac ſincere pœnitentes, & novi Pontificis, ad quem poſt electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium abſolutionis ſibi ulterius non differri enixe deprecentur, abſolvere, cum reincidentia, quemadmodum in ſuperioribus dictum eſt, vel abſolvi mandare poſſint . . . . . .

PARS SECUNDA
IN QUA CONTINENTUR
Conſtitutionum Apoſtolicarum Summæ ad Concilii Tridentini Decreta ſpectantium, ſervato ordine Seſſionum, & Capitulorum ejuſdem Concilii.

SECTIO I.

Seſſio IV. Decretum de editione, & uſu Sacrorum librorum.

PRæterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis a jure ſtatutis puniantur.

Tridentinum hic prohibet, ne quiſquam audeat prædicare, & explicare ſacram Scripturam in rebus Fidei, & morum ad chriſtianam doctrinam pertinentium contra ſenſum ab Eccleſia receptum, & approbatum, jubetque contravenientes per Ordinarios declarari, & puniri pœnis a jure ſtatutis. Hæc eadem prohibitio. quoad primam partem facta jam fuerat in *Can. Relatum* 14. *diſt.*37. necnon a Concilio Milevitano cap.v. & quoad utramque legitur in Conſtitutione Leonis X. *Supernæ majeſtatis*, emanata in Conc. generali Lateran. V. *ſub die* 19. *Dec.* 1516. §. IV. ibi.

Mandantes omnibus, qui hoc ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt, ut evangelicam veritatem, & Sanctam Scripturam juxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Eccleſia, vel uſus diuturnus approbavit, legendoſque hactenus recepit, & in poſterum recipiet, prædicent, & explanent, nec quidquam ejus proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adjiciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius S. Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus rite, & ſane intellectis non diſcordant.

Et §. VIII. Contra delinquentes tam in hac re, quam in aliis a ſe prohibitis, præter pœnas a jure ſtatutas, infligit excommunicationem Papæ reſervatam, & perpetuam officii prædicationis inhibitionem, ibi.

Si qui autem contra præmiſſorum aliquod committere quidquam auſi fuerint, ultra pœnas contra tales a jure ſtatutas, excommunicationis etiam ſententiam, a qua nonniſi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, eos incurrere volumus. Et ut eorum exemplo alii attentare ſimilia minime audeant, eis prædicationis etiam officium interdictum eſſe perpetuo decernimus.

Verum Navarrus in ſuo *Manuali cap. XXVII. num.* 110. *&* 111. refert Cajetanum, alioſque DD. ibi citatos, ſentire, hanc excommunicationem non fuiſſe uſu receptam. Quam quidem puto non eſſe amplius ſaltem latæ ſententiæ, ea motus ratione, quia Tridentinum, mentionem hic faciens de pœnis delinquentium, utitur *verbo Puniantur*, quod ex vulgatis, eſt nota dumtaxat ferendæ ſententiæ.

Neque dici poteſt, Concilium præcipiendo, ut contravenientes per Ordinarios declarentur, ſe retuliſſe ad dictam Leonis Conſtitutionem, perinde ac intenderit, hos declarari debere incidi ſe in excommunicationem ibi inflictam: quandoquidem, ſi ei hæc mens fuiſſet, expreſſe feciſſet ejuſdem Conſtitutionis, aut Concil. Lateranenſis mentionem, quemadmodum fecit in ſubſequenti §. III. circa pœnas in imprimentes libros de rebus ſacris ſine examine, & approbatione Ordinarii.

Quæ autem pœnæ contra aliter Scripturam interpretantes ſint in jure ſtatutæ, quibus tam Conſtitutio Leonina, quam hoc Concilii decretum puniri præcipit contravenientes poſt declarationem factam per Ordinarios de hujuſmodi delicto (quod ideo fieri Concilium mandaſſe credo ad terrorem cæteris incutiendum, ut a ſimili interpretatione magis retrahantur) recurrendum cenſeo ad *Can. XXVII. Hæreſis*, deſumptum a D. Hyeronymo, *& Can. XXXIX. Quidam*, deſumptum a D. Iſidoro, & relatos a Gratiano *cauſ. XXIV. quæſt.* 3. in quibus hi habentur tanquam Hæretici; ita enim legitur in utroque Canone iiſdem fere verbis, ibi = *Sed & quicunque aliter Scripturam Sanctam intelligit, quam ſenſus Spiritus Sancti flagitat, a quo conſcripta eſt, licet de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt* = Ideoque & excommunicari poterunt, ac excludi ab asylo loci ſacri; & ſi Prædicatores fuerint, privari officii prædicationis, juxta cit. Leonis Conſtitutionem. Si vero explicationem, vel prædicationem S. Scripturæ contrariam ſenſui, quem tenet, & tenuit Eccleſia, deprehendatur continere errorem contra Fidem, poſt declarationem, itidem per Ordinarios factam, penæ eædem erunt, ac illæ, quibus formales hæretici puniuntur; quæ videri poterunt toto titulo de Hæreticis, *& in Theſauro de pœnis*, a me noviſſime in lucem edito cum Additionibus, *verbo Hæreſis a cap. I. ad VII.*

S E C T I O I I.

Eadem Seſſio IV. Proſequitur idem Decretum de editione, & uſu Sacrorum librorum.

Sed & impreſſoribus modum in hac parte, ut par eſt, imponere volens, qui jam ſine modo, hoceſt, putantes ſibi licere quidquid libet ſine licentia Superiorum eccleſiaſticorum ipſos S. Scripturæ libros, & ſuper illis annotationes, & expoſitiones quorumlibet indifferenter, ſæpe tacito, ſæpe etiam ementito prælo, & quod gravius eſt, ſine nomine Auctoris imprimunt, alibi etiam impreſſos libros hujuſmodi temere venales habent; decernit, & ſtatuit, ut poſthac S. Scriptura, potiſſimum vero hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quam emendatiſſime imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quoſvis libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilii noviſſimi Lateranenſis appoſita. Et, ſi Regulares fuerint, ultra examinationem, & probationem hujuſmodi, licentiam quoque a ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta formam ſuarum ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant, vel evulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubjaceant, quibus Impreſſores. Et qui eos habuerint, vel legerint, niſi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur. Ipſa vero hujuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi authentice appareat; idque totum, hoceſt, & probatio, & examen gratis fiat, ut probanda probentur, & reprobentur improbanda.

Decretum hoc circa impreſſionem S. Scripturæ ampliatum eſt a Pio IV. Conſtit. *Dominici gregis*, 24. *Martii* 1564. approbante Indicem librorum prohibitorum, a Trident. præſcriptum, poſtea a Sixto V. auctum, demum Clementis VIII. ac noviſſime Benedicti XIV. juſſu recognitum, atque iterum editum an-

an. 1758. cum additione Regularum, ac ratione exequendæ prohibitionis; ut ex dictorum Clementis Conſtit. *Sacroſanctam Concilium* 17. *Octobr.* 1595. ac Benedicti Conſt. *Quæ ad catholicæ* 23. *Decembris* 1757. in cujus Indicis Regula IV. prohibetur, editio S. Scripturæ lingua vulgari, ut ſequitur,

Cum experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi, vel Confeſſarii, Bibliorum a catholicis auctoribus verſorum lectione non damnum, ſed fidei, atque pietatis augmentum capere poſſe: quam facultatem in ſcriptis habeant.

Qui autem abſque tali facultate ea legere, ſeu habere præſumpſerit, niſi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit.

Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habent, ſi Biblia idiomate vulgari conſcripta vendiderint, vel alio quovis modo conceſſerint, librorum pretium in uſus pios ab Epiſcopo convertendum amittant, aliiſque pœnis pro delicti qualitate ejuſdem Epiſcopi arbitrio ſubjaceant.

Regulares vero, nonniſi facultate a Prælatis ſuis habita, ea legere, aut emere poſſint.

= Quia vero inſequentibus annis (eſt animadverſio Benedicti XIV. *lib. VI. cap. X. de Synodo diœceſ. num* 5. *edit. Rom. anno* 1755.) experientia docuit, Epiſcopos, & Inquiſitores, quorum judicio vernacula ſacrorum librorum lectio concedi poterat, vel denegari, indulgentiores hac in re ſe præbuiſſe; immo vero ipſos etiam Regularium Preſides eamdem, quæ Epiſcopis, & Inquiſitoribus conceſſa fuerat, auctoritatem ſibi arrogaſſe; hinc quartæ Indicis regulæ hæc, quæ ſequuntur, juſſu Clementis VIII. fuere ſuperaddita =.

Animadvertendum eſt circa ſupradictam quartam regulam Indicis fel. record. Pii Papæ IV. nullam per hanc impreſſionem, & editionem de novo tribui facultatem Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, aut Regularium Superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, & uſu Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis ſublata eis fuerit facultas concedendi hujuſmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ tam novi, quam veteris Teſtamenti partes, quavis vulgari lingua edita, ac inſuper ſummaria, & compendia etiam hiſtorica eorundem Bibliorum, ſeu librorum S. Scripturæ, quocunque vulgari idiomate conſcripta; quod quidem inviolate ſervandum eſt.

Hanc eandem prohibitionem factam legimus a Clemente XI. in Conſtit. *Unigenitus*, *ſub die* 8. *Septembr.* 1713. in qua damnavit ſequentes Propoſitiones Paſchaſii Queſnelii, aſſerentis male prohiberi ab Eccleſia fideli homini tam laico, quam fœminæ lectionem S. Scripturæ, ac præſertim novi Teſtamenti vulgari lingua, ſcilicet.

La LXXIX. in ordine.

Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria S. Scripturæ.

La LXXX.

Lectio S. Scripturæ eſt pro omnibus.

La LXXXI.

Obſcuritas ſancta Verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.

La LXXXII.

Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum: damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

La LXXXIII.

Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

La LXXXIV.

Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

La LXXXV.

Interdicere Chriſtianis lectionem S. Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.

La LXXXVI. Eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi apoſtolicæ, & intentioni Dei.

Propterea jure, ac merito P. Antonius de Panormo in *Scrutinio Doctrinar. cap.* 7. *art.* 2. *pag* 426. *et ſeq. carpit* I. *ſub num.* 15. Andræam Vander Schuren, inter alia dicentem in libello inſcripto: *Sanctum apertum ſimplicibus pag.* 50. *Abuſus Sacræ Scripturæ inter fideles, in paullis Fidei ab Eccleſia inſtructos, perparum deinceps timendus eſt; adeoque præceptum memoratæ Congregationis (Indicis) non habet amplius locum noſtris temporibus*. Ac in alio inſcripto: *Ulterior informatio pro ſimplicibus circa lect. Sac. Scripturæ in lingua vulgari pag.* 13. *Iſtud igitur famoſum præceptum, quo divinorum li-*

Ex eodem Titulo in Clementinis.

Cap. II. Cum ſit. 602
Cap. I. Inter ſolicitudines. 602

Ex Titulo XXVI. De Maledicis,

Cap. I. Innotuit, 694

Ex Titulo IV. Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.

Cap. I. Præterea. 590
Cap. IV. Querelam. 591
Cap. II. Quoniam. 591
Cap. III. Quoniam enormis. 591

Ex Titulo XXXVIII. De Pœnitentiis, & Remiſſionibus in VI.

Cap. I. Romana. 755
Cap. II. Si Epiſcopus. 755

Ex eodem Titulo in Clementinis,

Cap. II. Abuſionibus. 755

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. I. Antiquorum. 756

Ex Titulo XXXVII. De Pœnis,

Cap. IV. Calumniam. 736
Cap. XII. In quibuſdam. 737
Cap. III. Licet. 736
Cap. II. Presbyteri. 735
Cap. VI. Tuæ diſcretionis, 736

Ex eodem Titulo de Pœnis in VI.

Cap. II. Degradatio. 737
Cap. V. Felicis. 738

Ex eodem Titulo in Clementinis,

Cap. III. Cupientes, 743
Cap. II. Multorum. 743
Cap. I. Si quis. 741

Ex Titulo XXXIII. De Privilegiis.

Cap. XXIII. Antiqua. 716
Cap. III. Cum & plantare, 714
Cap. XVI. Cum capella. 716
Cap. XIV. Cum olim, 715
Cap. XXX. In his. 720
Cap. XXXII. Quidam. 721
Cap. XXV. Quod nonnullis. 718
Cap. VI. Si de terra, 715
Cap. XI. Tuarum. 715
Cap. XXIV. Ut privilegia. 717

Ex eodem Titulo de Privilegiis in VI.

Cap. III. Abbates, 722
Cap. II. Cum de diverſis, 722
Cap. VIII. Epiſcoporum. 725
Cap. XI. Licet vobis. 727
Cap. XII. Quoniam, 727
Cap. I. Volentes. 721

Ex eodem Titulo in Clementinis,

Cap. I. Religioſi. 728

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. III. Divina 730
Cap. I. Inter cunctas. 730

Ex Titulo XXXIV. De Purgatione Canonica. 733

Ex Titulo XVII. De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Eccleſiarum.

Cap. VII. Accedens. 668
Cap. I. De illis. 666
Cap. III. Excommunicationis. 667

Ex Titulo XV. De Sagittariis.

Cap. unicum Artem illam. 662

Ex Titulo VIII. De Schiſmaticis, & Ordinatis ab eis.

Cap. I. Quod a Prædeceſſore. 645

Ex

Ex Titulo XXXIX. De Sententia Excommunicationis.

Cap. XXVIII. A nobis. 770
Cap. XXII. Conqueſti. 769
Cap. XLV. Contingit. 776
Cap. XV. Cum deſideres. 768
Cap. XXXII. Cum illorum. 773
Cap. XIV. Cum non ab homine. 767
Cap. XI. De cætero. 767
Cap. XIII. Ea noſcitur. 767
Cap. X. Ex tenore. 766
Cap. LIII. Gravem. 778
Cap. XXV. In audientia. 770
Cap. II. Monachi. 758
Cap. VI. Mulieres. 760
Cap. V. Non dubium. 759
Cap. XLIX. Noverit. 777
Cap. VIII. Nulli. 761
☞ Cap. XXIX. Nuper. 771
Cap. IX. Parochianos. 766
Cap. LVII. Permittimus. 778
Cap. XXIII. Perpendimus. 769
Cap. VII. Porro. 760
Cap. LVIII. Quamvis. 779
Cap. XXVI. Quod de his. 770
Cap. XXX. Quod in dubiis. 772
Cap. XXXVII. Relatum. 774
Cap. XLIII. Reſponſo. 775
Cap. XXXVIII. Sacris. 775
Cap. XLVIII. Sacro. 776
Cap. XVIII. Significavit. 768
Cap. XXXIX. Sicut nobis. 775
Cap. III. Si vero. 759
Cap. IV. Si vero aliquis. 759
Cap. I. Super eo. 757
Cap. XIX. Tua nos. 769
Cap. LII. Venerabili. 777
Cap. XXIV. Univerſitatis. 769

Ex eodem Titulo de Sententia Excommunicationis in VI.

Cap. IX. Conſtitutionem. 780
Cap. I. Cum medicinalis. 779
Cap. III. Statuimus. 780
Cap. XI. Quicunque. 781

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. I. Excommunicamus. 781
Cap. IV. Quia nonnulli. 784

Ex Titulo III. De Simonia

Cap. IV. Accuſatum. 562
Cap. XLII. Ad Apoſtolicam. 583
Cap. XXIV. Ad aures. 578
Cap. XXI. Ad noſtram. 577
Cap. XXXVIII. Conſulere. 582
Cap. IX. Cum in Eccleſiæ. 563
Cap. XI. De hoc autem. 566
Cap. XXV. De Regularibus. 579
☞ Cap. XXII. De ſimoniace. 578
Cap. XIII. Inſinuatum. 567
Cap. XXVIII. Dilectus filius. 579
Cap. XXX. Dilectus filius. 581
☞ Cap. XVIII. Etsi quæſtiones. 575
Cap. XX. Ex tuæ. 577
Cap. XLIV. Jacobus. 584
Cap. I. In ordinando. 561
Cap. XXXVI. In tantum. 581
Cap. XLIII. Ne Dei Eccleſiam. 583
Cap. XIV. Nemo. 574
Cap. XXVII. Nobis fuit. 579
Cap. VIII. Non ſatis. 563
Cap. XXXVII. Per tuas. 582
Cap. XL. Quoniam. 583
Cap. V. Quoties. 562
Cap. XXXIX. Sicut. 582
Cap. III. Si Dominus. 561
Cap. XLV. Si quis ordinaverit. 584
Cap. XXIX. Suam nobis. 580
Cap. XIX. Veniens. 576

Ex eodem Titulo in Extravagantibus communibus.

Cap. II. Cum deteſtabile. 589
Cap. I. Sane. 586

Ex Titulo XXI. De Sortilegiis.

Cap. II. Ex tuarum. 688
Cap. I. In tabulis. 688

Ex Titulo XIII. De Torneamentis.

Cap. II. Ad audientiam. 658
Cap. I. Felicis. 658

Ex Titulo XL. De Verborum ſignificatione.

Cap. III. Exiit. 785
Cap. XVI. Olim. 784
Cap. XIV. Quæsivit. 784

Ex Titulo XIX. De Uſu ris.

Cap. X. Conſuluit. 674
Cap. VI. In civitate. 674
☞ Cap. XIX. Naviganti. 680
Cap. I. Plures. 672
Cap. XVIII. Quanto. 680
Cap. IV. Super eo. 673

Ex Titulo XVIII. De Furtis.

Cap. I. Qui furatur. 669
Cap. II. Fures. 669
Cap. III. Si quis. 671

Digitized by Google

EXPOSITIO
JURIS PONTIFICII
JUXTA RECENTIOREM ECCLESIÆ DISCIPLINAM

IN DUAS PARTES DISTRIBUTA,

AUCTORE

UBALDO GIRALDI
A SANCTO CAJETANO

Clericorum Regularium Scholarum Piarum,

APOSTOLICO ROMANI CLERI EXAMINATORE,

ET COLLEGII ECCLESIASTICI RECTORE.

PARS SECUNDA

TOMUS TERTIUS.



ROMÆ, MDCCLXIX.

EX TYPOGRAPHIA CAROLI BARBIELLINI

IN VIA CURSUS

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTITUTIO BENEDICTI XIV.

= Paſtor bonus = 13. *Aprilis* 1744.

☞ *Cum ſæpe in hoc Opere mentio fiat de facultatibus Cardinalis Majoris Pœnitentiarii, quarum aliquæ ei reſtrictæ prius erant, ut ſciatur, quæ hodie eidem competant, operæ pretium duxi hic tranſcribere dictam Conſtitutionem circa eaſdem facultates tam ipſius, quam Officii S. Pœnitentiariæ, pro regula ad hoc Sacrum Tribunal preces dirigendi, juxta rerum opportunitatem.*

PASTOR bonus ... *Omittuntur primi quatuor paragraphi, in quibus recenſentur Conſtitutiones Prædeceſſorum Pontificum, Pii V.* In omnibus, *Innocent. XII.* Romanus Pontifex, *& Clementis XII.* Apoſtolatus Officium, *ad prædictas facultates ſpectantes.*

§. 5. Quocirca, re diu, & mature diſcuſſa, multiſque deſuper conſultationibus habitis, & omnes Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones, ſeu Litteras quaslibet, atque omnia vivæ vocis oracula, ipſius Pœnitentiariæ officium quomodocunque concernentes, ſeu concernentia, præ oculis habentes; ſalva ſemper Majoris Pœnitentiarii facultate Romanum Pontificem conſulendi in quibuſvis particularibus caſibus, etiam per præſentes Noſtras Litteras non conceſſis, imo prohibitis, ſeu reſervatis, & exceptis; itaut ipſi Majori Pœnitentiario de Romani Pontificis ſpeciali mandato, vivæ vocis oraculo deſuper ſibi facto, procedere aſſerenti, indubia fides debeat adhiberi; motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, infraſcriptas facultates eidem Pœnitentiariæ, & Majori Pœnitentiario de cætero competere, ac in illa, & ab illo in hunc, qui ſequitur, modum exerceri poſſe, hac Noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuimus, atque decernimus.

§. 6. Concedimus itaque Noſtro, & pro tempore exiſtenti Majori Pœnitentiario, ut omnes, & ſingulos, cujuſcunque qualitatis, dignitatis, & gradus, eccleſiaſticos ſeculares, & cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti regulares, necnon laicos quoſcunque utriuſque ſexus, tam præſentes, quam abſentes ab omnibus, & quibuſcunque culpis, criminibus, & exceſſibus, quantumcunque gravibus, & atrocibus, tam publicis, quam occultis, quandocunque, & quomodocunque commiſſis, & perpetratis, necnon ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, præmiſſorum criminum occaſione latis, & per illos incurſis, etiam in caſibus, nedum Ordinariis, & regularibus Superioribus, ſed etiam Nobis, & Sanctæ Sedi ſpecialiter, ac etiam per Litteras, quæ die Cœnæ Domini quotannis promulgantur, reſervatis; injuncta ſemper iiſdem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ de jure injungenda fuerint, abſolvere, & abſolvi mandare poſſit, & valeat Regulares nimirum a culpis, & cenſuris præmiſſis in utroque foro; eccleſiaſticos vero ſæculares, necnon laicos a prædictis culpis, & cenſuris in foro conſcientiæ tantum: eoſdem vero eccleſiaſticos ſæculares, necnon laicos, tunc in utroque foro abſolvere, & abſolvi mandare poſſit, quando agitur de cenſuris publicis, latis a jure, præſertim Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam nominatim declaratis: vel ſi agatur de latis nominatim ab homine, tunc quando delegati, vel alterius judicis, a quo latæ fuerunt, juriſdictio expiraverit; ſeu quando abſolutio per eoſdem judices, aut alios ad Romanum Pontificem, & ad dictam S. Sedem remiſſa fuerit; ſeu quando ſic cenſura ligati legitime impediuntur, quominus præſentiam judicum, vel illorum, qui eos ſic ligarunt, aut alium, ſeu alios, quos de jure deberent, adire poſſint.

§. 7. Ita tamen, ut ab ejuſmodi cenſuris, ab homine latis, vel declaratis in utroque foro, ut præfertur, abſoluti, vel qui abſolvendi remittentur judici, coram quo cenſurarum cauſa pendet, in ſuis congruis caſibus reſpective judicato paruerint, & parti ſatisfecerint, vel quamprimum potuerint, pareant, & ſatisfaciant, alioquin in eaſdem cenſuras reincidant. Renuente vero altera parte ſatisfactionem a reo oblatam, & in ſententiis, ſeu decretis minime expreſſam, accipere poſſit Major Pœnitentiarius pro ſua prudentia convenientem ſatisfactionem arbitrari, & reſpective ſupra dicti judicis conſcientiæ remittere, ut ejuſmodi pariter arbitretur; illaque per reum oblata, ac per aliam partem irrationabiliter recuſata, valeat, adhuc firma remanente hujuſmodi oblatione, ad abſolutionem procedere, & ab alio procedi mandare.

§. 8. Romam quoque advenientes, ibique ſacra loca viſitaturos, ab omnibus per quemcunque judicem, vel alias quomodocunque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, vel, ſi alibi promulgatæ fuerint, in eadem Curia notoriis, cenſuris, ad effectum dumtaxat, ut Indulgentias, ſacra eadem Urbis loca pie, ac religioſe inviſentibus conceſſas, libere, & licite conſequi valeant, abſolvere, & abſolvi mandare poſſit; itaut elapſo congruo tempore, ab ipſa Pœnitentiaria ad effectum prædictæ viſitationis præfiniendo, iiſdem, quibus antea, cenſuris teneantur. Eos vero, qui cenſuris ab homine nominatim ligati, pro abſolutione Romam advenerint, ſed pro illa obtinenda fuerint ad proprios judices remiſſi, & probabile mortis periculum in itinere pertimeſcant, poterit Major Pœnitentiarius ad congruum tempus, ab ipſo pro hujuſmodi itineris confectione arbitrandum, in foro conſcientiæ tantum abſolvere, & abſolvi mandare, cum reincidentia, ſtatim ac itineris terminum attigerint.

§. 9. Hæreticos occultos, qui nemini, & cum nemine ſuas hæreſes communicaverint, poſſit idem Major Pœnitentiarius in foro conſcientiæ tantum, abſque alia abjuratione coram Ordinario, vel Inquiſitore facienda, abſolvere, vel abſolvi mandare: quod pariter ipſi liceat, quando prædicti hæretici occulti aliquos actus extrinſecos fecerint, ex quibus dignoſci potuiſſent pro hæreticis; dummodo eoſdem actus, quamvis de ſua natura noſcibiles, ſeu ad notitiam deducibiles, nullus, quem ipſi ſciant, aut credant, notaverit, vel adverterit.

§. 10.

§. 10 Publicos vero hæreticos, ſeu apoſtatas a fide catholica, in foro conſcientiæ tantum, abſolvere, ſeu abſolvi mandare poſſit, in iis dumtaxat caſibus, in quibus neceſſe non eſt complices denunciare; quando nimirum hujuſmodi complices aut mortui ſunt, aut in regionibus palam infectis exiſtunt, & in illis degunt; non tamen quando complices in illis regionibus viverent, in quibus Inquiſitionis S. Officii auctoritas viget.

§. 11. Principes porro, & alios jus imperii, etiam vicario nomine, habentes, ac dominia, & reſpublicas, ſeu perſonas illorum, & illarum adminiſtrationem habentes, vel habere ſolitas, necnon Epiſcopos, & alios ſuperiores Prælatos, in caſibus publicis, qui in præfatis Litteris die Cœnæ Domini legi conſuetis, continentur, etiamſi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam cauſam ita fuiſſet impeditus, ut celeriter conſuli non poſſet, abſolvere, & abſolvi mandare nullatenus valeat.

§. 12. Minuſque poſſit, etiam in occultis, etiam in foro conſcientiæ tantum, abſolvere, vel abſolvi mandare S. R. E. Cardinales, aut alios cujuſcunque qualitatis, ſtatus, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui, vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum poſt ipſius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, ſuffragia inierint, ambituſve, aut pactiones fecerint; vel Sede Apoſtolica vacante, in cenſuras, ſeu pœnas in Litteris fel. rec. Greg. Papæ XV. & Urbani VIII. Prædeceſſorum Noſtrorum ſuper electione Romani Pontificis pro tempore facienda. XVII. Kal. Septembris anno Incarnationis Dominicæ MDCXXI. & V. Kal. Februarii anno ejuſdem Incarnationis MDCXXV. reſpective emanatis, contentas, quomodolibet inciderint; præterquam, ſi abſolvi peterent, Sede Apoſtolica adhuc vacante; tunc enim abſolvi poterunt modo inferius præſcribendo pro tempore vacantis ejuſdem Sedis.

§. 13. Nec pariter poſſit, etiam in occultis, etiam in foro conſcientiæ tantum, eos cujuſcunque qualitatis, ſtatus, dignitatis præeminentiæ, & conditionis fuerint, abſolvere, & abſolvi mandare, qui aſtrologia judiciaria, vel per ſe, vel per alios, de ſtatu reipublicæ chriſtianæ, ſive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis inquirentes, ejuſdem Urbani VIII. Pont. Max. Literis, pridie Kal. Apr. anno ejuſdem Incarnationis MDCXXXI. contra prædicta perpetrantes editis, contravenerint.

§. 14. Nec ſimiliter valeat in caſibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ immunitatis, ſeu libertatis eccleſiaſticæ, ullatenus abſolvere, ſeu abſolvi mandare.

§. 15. Super quacunque irregularitate, & inhabilitate ex quocunque delicto, etiam homicidio voluntario, & ex quocunque defectu proveniente, poſſit idem Major Pœnitentiarius, in caſibus tamen occultis, & in foro conſcientiæ tantum, & prævia in gravioribus caſibus matura diſcuſſione in Signatura Pœnitentiariæ agenda, diſpenſare, vel diſpenſari mandare, tam cum laicis, quam cum eccleſiaſticis ſæcularibus, & Regularibus, cum quibus expediens videbitur, ad hoc, ut Ordinibus initiari, vel reſpective in ſuſceptis, etiam in ſacris, & Presbyteratus Ordinibus miniſtrare, & ad ſuperiores aſcendere, ac dignitates, etiam cathedrales, & metropolitanas, & quæcunque beneficia eccleſiaſtica, quandocunque ante diſpenſationem, alioquin canonice obtentas, vel obtenta, retinere, necnon ut hujuſmodi beneficia, & dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio graviſſimo exceſſu, Eccleſiis cathedralibus, & metropolitanis) etiam poſt delictum aſſequi valeant.

§. 16. Item cum hæreticis, & apoſtatis a fide catholica, quando hæreſis, & apoſtaſia hujuſmodi, ſi de ſæcularibus agitur, nullatenus eſt propalata, & quando caſus gravitas non ſuadet, pœnitentes ad Sac. Inquiſitionem remittendos eſſe, ſuper quacunque irregularitate, inhabilitate, & infamia exinde contracta, tam ad Ordines, ſive ſuſceptos, ſive ſuſcipiendos, quam ad beneficia, diſpenſare, & diſpenſari mandare poſſit, & valeat.

§. 17. Cum homicidis, bannitis, aliiſque crimino ſis, ut in Religionem recipi, & in ea profeſſionem emittere licite poſſint, atque ut etiam qui homicidia voluntaria commiſerint, aliquam ex approbatis Religionibus, tanquam clerici ingredi, in eaque profiteri valeant, in utroque foro diſpenſare, ſeu diſpenſari mandare poſſit; ea tamen lege, quando ſic oportere videbitur, ut fiſcum, & partem prius concordaverint: & inſuper cavendo, ne tempore novitiatus ſacros Ordines ſuſcipiant, aut ad ſuperiores aſcendant; ſed id eis minime liceat, niſi poſt profeſſionem emiſſam: ut autem in iis Ordinibus, quos antea ſuſcepiſſent, etiam tempore novitiatus miniſtrare poſſint, quoties aliqua rationabilia cauſa id poſtulaverit, diſpenſare, & diſpenſari mandare poſſit; adjecta tunc clauſula, ut ſi forte in Religione non perſeveraverint, ſeu ad ſeculum redierint, ipſo facto ſuſpenſi, etiam ab hujuſmodi Ordinum antea ſuſceptorum exercitio remaneant.

§. 18. Cum male promotis quibuſcunque ad Ordines, in caſibus tamen occultis, diſpenſare, vel diſpenſari mandare valeat; & ſignanter accedente legitima cauſa, diſpenſet, vel diſpenſari mandet cum promotis per ſaltum, in caſibus ſimiliter occultis, ad effectum ſcilicet, ut omiſſos Ordines ſecrete recipiant a quolibet catholico Antiſtite, gratiam, & communionem cum Sede Apoſtolica habente, extra tempora, & non ſervatis interſtitiis, & abſque dimiſſoriis; non tamen ut plures Ordines ſacros eodem die recipiant.

§. 19. Cum promotis ad ſacros Ordines, qui ſimoniam cum Epiſcopis promoventibus commiſerint, diſpenſare, & diſpenſari mandare poſſit, in occultis dumtaxat, & in foro conſcientiæ tantum, cum clauſula, monitis monendis, & injuncta gravi pœnitentia, ac re prætertim in Signatura diſcuſſa.

§. 20. Titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel alio occulto vitio, etiam in concurſu, male obtentorum, convalidare, vel convalidari mandare valeat.

§. 21. Verum a convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abſtineat quoad illos, qui de Eccleſiis cathedralibus proviſi, munus conſecrationis intra præfinitum tempus non ſuſceperint.

§. 22. Cum vero agitur de ſimonia reali, ſcienter contracta, & de beneficiis ſuper quibus eadem contracta fuit, abſtineat a diſpenſationibus, ſeu convalidationibus titulorum, etiam in foro conſcientiæ tantum, etiam in caſibus occultis; niſi forte prædicta ſimonia contracta fuerit ignoranter, ignorantia facti, vel juris, & orator de illa certior factus, quam primum commode potuerit, diſpenſationem petierit. Idemque intelligatur de penſionibus, ſuper quibus ſimonia realis ſcienter contracta, & commiſſa fuerit.

§. 23. Abſtineat a condonatione pretii ſimoniaci, quando in Eccleſiam læſam, vel pauperes erogari debet; præterquam ſi delinquentium paupertas, & qualitas ſuadeant, aliquam ejus partem ipſis remitti, aut condonari poſſe; reſiduo ſemper in Eccleſiam, vel alios pauperes erogando.

§. 24. A compoſitione pariter, & condonatione fructuum beneficialium, & epiſcopalium Eccleſiarum, ac etiam diſtributionum quarumcunque, quoviſmodo male perceptorum, in caſibus non occultis, abſtineat. In occultis vero, poſſit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus componere, vel etiam condonare, injuncta eiſdem pœnitentibus erogatione eleemoſynæ, ipſius Majoris Pœnitentiarii, vel

Digitized by Google

vel confeſſarij ab ipſo deputandi, arbitrio limitandæ. Cum reliquis autem, videlicet Italis, Hiſpanis, Luſitanis, & adjacentium Inſularum perſonis, diſcrete compoſitionem concedere, & ea mediante, fructus condonare valeat; pecuniis exinde redactis arbitrio Noſtro, & Succeſſorum Noſtrorum pro tempore erogandis: pauperibus autem, quorum inopia compoſitionem non admittit, poſſit condonare, injuncta pro eorum viribus eleemoſyna, modo ſupradicto. Porro quæ hic ordinantur, ſine præjudicio illorum, quibus diſtributiones accreſcere, vel non decreſcere debent, ſint, & cenſeantur ordinata.

§. 25. Quoad male ablata, vel retenta, quando domini incerti ſunt, & caſus occulti partem aliquam delinquentibus pauperibus, ſi, eorum qualitate, & neceſſitate penſatis, ita videbitur, remittere, ſeu condonare, vel remitti, ſeu condonari mandare poſſit; reſiduum vero pauperibus diſtribui, vel in pia opera erogari: & quidem, ſi fieri poteſt, in locis, ubi illa ablata, extorta, vel uſurpata ſunt, mandare debet.

§. 26. Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, ſeu devotionis muneribus, ultra valorem decem ſcutorum monetæ, contra præſcriptum a Prædeceſſoribus Noſtris Clemente VIII. & Urbano pariter VIII. in ſuis Conſtitutionibus, XIII. Kal. Julii anni MDXCIV. & XVI. Kal. Nov. anni MDCXL. reſpective editis, non abſolvat, niſi facta reſtitutione; vel ſi eam de præſenti nequeant adimplere, cum obligatione eamdem, quamprimum poterunt, faciendi. Qui vero infra prædictum valorem ejuſmodi munera acceperint, eos, injuncta arbitrio ipſius Majoris Pœnitentiarii, ſeu confeſſarii, per eum eligendi, eleemoſyna, quæ in beneficium Religionis, ſeu conventus, cui de jure facienda eſſet reſtitutio, ſi caute fieri poſſit, erogetur, abſolvere, ſeu abſolvi mandare poſſit.

§. 27. Cum puellis, quæ virgines non ſunt, & ſubſidia dotalia petunt, ſeu jam obtinuerunt a confraternitatibus, aut aliis locis, vel diſpenſatoribus piis, quibus injunctum eſt, ut illas virginibus tantum dent, ſeu diſtribuant, in occultis, & in foro conſcientiæ tantum, quatenus illæ in poſterum honeſte vivant, facultatem habeat diſpenſandi: necnon diſpenſare poſſit, in occultis pariter, & in foro conſcientiæ tantum, cum virginibus, quæ petunt, vel obtinuerunt ingredi, vel jam ingreſſæ ſunt in conventus, ſeu monaſteria deſtinata pro mulieribus ad bonam frugem traductis, ad effectum ea licite ingrediendi, ſeu in eis remanendi, ac profitendi, & officia quæcunque ſuſcipiendi, & exercendi.

§. 28. Juramenta quæcunque, in quibus exploratum ſit, nullum cujuſquam agi præjudicium, facultatem habeat in foro conſcientiæ dumtaxat relaxandi.

§. 29. Vota ſimplicia quæcunque, quomodolibet emiſſa, tametſi privato juramento confirmata, etiam Religionis, caſtitatis, viſitationis Sepulchri Dominici, aut SS. Liminum beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, aut ſepulchri S. Jacobi de Compoſtella, poſſit idem Major Pœnitentiarius, in alia pietatis opera diſpenſando, commutare: etiam ad effectum contrahendi matrimonium, cum agitur de voto caſtitatis, aliiſve ex ſe matrimonium illicitum reddentibus: item votorum implementum differre, & ab illorum tranſgreſſionibus abſolvere: & reſpective diſpenſando commutari, differri, & abſolvi mandare; conſideratis cauſis talium commutationum, dilationum, aut abſolutionum, & adjectis clauſulis, quas apponere, iiſque injunctis, quæ injungere hactenus in hujuſmodi caſibus Pœnitentiaria laudabiliter conſuevit.

§. 30 Super recitatione divini officii, ſeu horarum canonicarum, propter aliquam impoſſibilitatem, ſeu moralem difficultatem, diſpenſandi, cum commutatione in alias preces, vel orationes, vel alia pia opera, earumque, ſeu eorum injunctione, habeat facultatem.

§. 31. Cum Regularibus autem ſuper irregularitate, tam ex defectu, quam ex quocunque delictu quandocunque perpetrato, quomodolibet contracta, ut eadem irregularitate, aut quavis inhabilitate, aliiſve defectibus quibuſcunque, non obſtantibus ſuſceptis Ordinibus, & eorum privilegiis, uti, ac in illis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, & Ordines non ſuſceptos ſuſcipere, ac in iiſdem pariter miniſtrare, necnon quæcunque, quotcunque, & qualiacunque ſuorum Ordinum, & Congregationum, alioquin canonice obtenta, officia, beneficia regularia, munia, præeminentias, dignitates, & prælaturas, etiam majores, & principales, retinere, & exercere; necnon eadem, ſeu eaſdem, ad quæ, ſeu quas in futurum canonice, & juxta eorumdem Ordinum, & Congregationum regularia inſtituta, eligentur, vel aliter aſſumentur, recipere, aſſequi, gerere, ac libere, & licite exercere valeant, diſpenſare, eoſque in priſtinum, & ad eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet erant, ſtatum, & ad vocem activam, & paſſivam reſtituere, reponere, & plenarie reintegrare, & pœnas illis gratioſe remittere, & condonare; (non tamen habilitare ad Generalatum, quando agitur de publico natalium defectu) necnon pro majori abſolutionum, & diſpenſationum prædictarum firmitate, quibuſvis Conſtitutionibus, ordinationibus, ſtatutis, & privilegiis quomodolibet obſtantibus ſufficienter derogare, præfatus Major Pœnitentiarius poſſit, & valeat.

§. 32. Volumus tamen, ut in hujuſmodi caſibus, qui occulti fuerint, in foro conſcientiæ tantum, in publicis vero caſibus in utroque foro, auditis tamen Superioribus, & matura circumſpectione ſemper adhibita, cum iiſdem Regularibus, ut præfertur, diſpenſet, vel diſpenſari mandet.

§. 33. Quoad apoſtatas, vel fugitivos Regulares, ad Apoſtolicam Pœnitentiariam recurrentes, ſervetur laudabilis ejuſdem praxis, ut ſcilicet Major Pœnitentiarius, audito prius, ſi in Urbe adſit, Ordinis Superiore, ſeu Procuratore generali, injungat apoſtatæ, ſeu fugitivo, intra tempus, arbitrio ipſius Majoris Pœnitentiarii taxandum, reditum ad proprium Ordinem: interim vero, ſi expediat, a cenſuris eumdem abſolvere, vel abſolvi mandare poſſit, cum reincidentia, ſi intra dictum tempus minime redierit, dilata tamen uſque ad actualem reditum diſpenſatione ſuper irregularitate, ſi forte eam inſuper contraxiſſet; & alias prætere a pœnas, ſive de jure communi, ſive ex ſtatutis Ordinum, propter apoſtaſiam, ſeu fugam inflictas, diſcrete moderari, commutare, vel etiam, juxta peculiares circumſtantias, condonare poſſit. Si vero caſus ejuſmodi ſit, ut, re præſertim in Signatura diſcuſſa, cenſeatur expedire, quod abſque reditu ad proprium, tranſitus eidem ad alium Ordinem concedatur; poſſit Major Pœnitentiarius illum etiam concedere, adhibitis tamen iis cautionibus, quas ad refrænandam vagandi licentiam neceſſarias, ſeu opportunas judicaverit; necnon illa præ oculis habendo, quæ infra circa tranſitum diſponentur. Nemini autem Regulari quacunque de cauſa permittere valeat, ut in habitu ſæculari, ſeu clerici ſæcularis in perpetuum extra clauſtra vivere poſſit.

§. 34. Quoad tranſitum vero de una ad aliam Religionem, non ſolum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem, juxta cap. *Licet de Regul.*, verum etiam ad æqualem, & ab arctiori ad laxiorem, ob juſtas tamen, & graves reſpective cauſas, ab eodem Majori Pœnitentiario probandas; audito prius Superiore Ordinis, a quo, & cum conſenſu Superioris Ordinis, ad quem faciendus eſt tranſitus. Pro majori autem tranſitus firmitate, in his omnibus caſibus poſſit idem Major Pœnitentiarius ſtatutis, & Privilegiis Apoſtoli-

cis, quomodolibet obſtantibus, opportune derogare.

§. 35. Verum abſtineat ab hujuſmodi tranſitu concedendo ad alias Religiones, ſeu Ordines, præterquam ad illas, ſeu illos, in quibus clauſtralis, & regularis obſervantia vigere dignoſcatur; quod ſi de tali clauſtrali, & regulari obſervantia ulteriùs dubitetur, exquirenda erit authentica Ordinarii atteſtatio. Abſtineat pariter a tranſitu prædicto concedendo ad Ordines hoſpitalares, & militares, quamvis in iis clauſtralis, & regularis obſervantia vigeret, niſi forte ad Ordinem S. Joannis de Deo. Neque item eumdem tranſitum concedat ad Ordinem S. Benedicti antiquioris obſervantiæ, aut ad alias conſimiles Congregationes, cujuſcunque Ordinis fuerint.

§. 36. Concedere itidem poſſit tranſitum ab uno monaſterio ad aliud, monialibus, tantum ultra montes exiſtentibus, legitima concurrente cauſa, in Signatura diſcutienda, & approbanda; committendo tamen facultatem hujuſmodi tranſitus admittendi, & exequendi, arbitrio Ordinarii, cum clauſulis opportunis pro caſuum varietate.

§. 37. Quo vero ad cenſuras, ſeu pœnas, in quas moniales incurrere, & peccata reſervata, quæ ab eiſdem committi contigerit, etiam in caſibus violatæ clauſuræ, qui tamen caſus occulti fuerint, vel ubi agatur de aliquo occulto defectu diſpenſando poſſit idem Major Pœnitentiarius præfatis monialibus confeſſarium cum opportunis facultatibus concedere.

§. 38. In caſibus vero publicis clauſuræ, a monialibus prædictis, vel ab aliis quibuſcunque perſonis, ad malum finem violatæ, delinquentes non abſolvat, nec abſolvi mandet, niſi pro ipſis Epiſcopi, ſeu Ordinarii ſupplicaverint, & caſus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam deducti non fuerint.

§. 39. In matrimoniis contrahendis poſſit idem Major Pœnitentiarius, in foro conſcientiæ tantum, ſuper impedimentis occultis, quæ matrimonium non dirimunt, diſpenſare, vel diſpenſari mandare: itemque ſuper omiſſione denunciationum, etiam ad effectum contrahendi ſecreto; in quo ſerventur, quando agitur de matrimoniis conſcientiæ nuncupatis Litteræ a Nobis datæ ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſub die 17. Nov. anni 1741. per ea verba incipientes: *Satis vobis compertum*. At a diſpenſationibus concedendis ſuper quocunque impedimento ex quovis gradu, ſive conſanguinitatis, ſive affinitatis ex copula licita, ſeu ex cognatione ſpirituali proveniente, etiam in foro conſcientiæ tantum, tametſi impedimentum ſit occultum, & periculum ſcandalorum immineat, in iiſdem matrimoniis contrahendis abſtineat.

§. 40. In contractis vero matrimoniis, a diſpenſatione, ſeu matrimonii revalidatione in gradibus primo, & ſecundo, ſeu ſecundo tantum, conſanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abſtineat; præterquam ſi in ſecundo tantum gradu prædicto impedimentum ſaltem per decennium duraverit occultum, & oratores ſimul publice contraxerint, & convixerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem, & quarto gradibus occultis, in contractis poſſit diſpenſare; atque etiam in iiſdem tertio, & quarto gradibus publicis poſſit revalidare matrimonia, ex cauſa ſubreptionis, & obreptionis occultæ Litterarum Apoſtolicarum nulliter contracta, præterquam, ſi falſitas conſiſtat in narratione præcedentis copulæ, quæ antea revera non interceſſerat.

§. 41. Quod ſi aliqui oratores obtinuerint a noſtra Dataria diſpenſationem ſuper gradu prohibito in primo, & ſecundo, vel in ſecundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto, cum reticentia copulæ inter eos ſecutæ, quam ſine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujuſmodi reticentiæ petant diſpenſationem pro matrimonio contrahendo, ſeu revalidationem matrimonii contracti; poſſit idem Major Pœnitentiarius, ſi copula ſit adhuc ſecreta, hujuſmodi diſpenſationem; ſeu reſpective revalidationem in foro conſcientiæ tantum concedere; facta, quando agitur de primo, & ſecundo, vel ſecundum tantum gradu, compoſitione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam tranſmittendorum, ad effectum (ut inconcuſſi moris eſt) erogandi in eleemoſynas; niſi prior gratia expedita fuiſſet in forma pauperum; quo caſu etiam hæc gratia ſimiliter abſque ulla compoſitione expediatur.

§. 42. Si qui vero oratores, obtenta diſpenſatione a Dataria ſuper impedimento primi, & ſecundi, ſive ſecundi dumtaxat gradus conſanguinitatis, ſeu affinitatis, cum expreſſione quidem carnalis copulæ, ſed tacita occulta, & malitioſa intentione in ipſa copula habita ad facilius obtinendam diſpenſationem, pro revalidatione hujuſmodi diſpenſationis ad dictam Pœnitentiariam recurrant, poſſit idem Major Pœnitentiarius deſuper abſolute diſpenſare cum miſerabilibus perſonis, explicite affirmantibus ſe, uti tales, & ſub illa expreſſa qualitate, & forma miſerabilium diſpenſationes a Dataria obtinuiſſe: cum iis vero, qui non tanquam pauperes, ſed uti ex honeſtis familiis, ſive uti nobiles, ſive uti illuſtres, ab eadem Dataria ſimiliter diſpenſati fuerint, non diſpenſet, niſi ſoluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemoſynas, taxa, definienda arbitrio ejuſdem Majoris Pœnitentiarii, penſatis circumſtantiis cujuſcunque caſus, & reſpectu habito ad præjudicium componendæ, & ad vires ſupplicantium. Si tamen iſti pauperes eſſent, itaut vere, & realiter integram ſummam taxatam, vel aliquam ejus partem ſolvere non poſſent, præfatus Major Pœnitentiarius opportune in hoc caſu provideat, facto verbo, ſi peculiaris difficultas id poſtulet, cum Sanctiſſimo.

§. 43. Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, ſeu ex actu fornicario proveniente, quotieſcunque adſit rationabilis cauſa, licet periculum revelationis, ſeu ſcandalorum non immineret, vel non adeſſet in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, in foro conſcientiæ diſpenſare, & diſpenſari mandare poſſit, & valeat.

§. 44. Super occulto impedimento criminis adulterii, ſi fuerint cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commiſſum, poſſit tam in contrahendis, quam in contractis matrimoniis diſpenſare. Si vero crimen hujuſmodi fuiſſet, utroque, vel altero machinante, patratum, poſſit in occultis pariter diſpenſationem concedere; raro tamen, & quando neceſſitas poſtulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Pœnitentiarii, re præſertim diſcuſſa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

§. 45. Declaramus præterea, quod facultates præfatæ a Nobis Majori Pœnitentiario, & ejuſdem Pœnitentiariæ officio conceſſæ circa diſpenſationes matrimoniales, locum habeant, etiamſi gradus, & impedimenta hujuſmodi multiplicia ſint, quacunque, & quantacunque multiplicitate; volentes, in Litteris hujuſmodi diſpenſationum matrimonialium, poſſe prolem, ubi opus erit, ſive ſuſcipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conſcientiæ tantum legitimam decernere, necnon apponi clauſulam Nullis &c. prout in hujuſmodi materiis hactenus ipſa Pœnitentiaria ſervare conſuevit.

§. 46. Ulterius ſuper caſibus quibuſvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum diſpenſare, aut diſpenſari mandare poſſit, & valeat.

§. 47. Facultates Pœnitentiariis minoribus ordinariis,

Digitized by Google

ſtis, quorum deputatio pertinet ad prædictum Majorem Pœnitentiarium, poſſit idem ad libitum concedere, & reſtringere. Fratres vero minores Cappuccinos in confeſſarios nullatenus deputet in illis Regionibus, in quibus iidem confeſſionibus audiendis operam dare non ſolent.

§. 48. Dubia omnia in materia peccatorum, ſeu forum pœnitentiale, alias quomodolibet concernentia, cum conſilio Doctorum, & Theologorum ſuorum, valeat declarare.

§. 49. Commiſſiones vero Majoris Pœnitentiarii non expirent, etiamſi committens, illis nondum præſentatis, & re integra, deſinat quomodocunque Pœnitentiarius exiſtere. Idemque intelligi volumus de illis commiſſionibus, quas Majori Pœnitentiario abſente, vel ex aliqua juſta cauſa impedito, alterius Pro-Pœnitentiarii ad tempus ſubrogati nomine expeditas, elapſo hujuſmodi ſubrogationis termino, præſentari contigerit.

§. 50. Omnibus denique chriſtifidelibus, qui ex veteri, & laudabili inſtituto Pœnitentiarium Majorem, munere ſuo, ſtatutis diebus hebdomadæ majoris, in tribus Urbis Baſilicis ſolemni ritu fungentem, pie, reverenterque adierint, ſeſeque pœnitentiali virga tangendos ſubmiſerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxandi, perpetuam facultatem eidem Majori Pœnitentiario confirmamus, &, quatenus opus ſit, de novo concedimus.

§. 51. Sede Apoſtolica vacante, quoniam animarum ſaluti, quæ omni tempore periclitatur, numquam non eſt ſubveniendum, unde merito Prædeceſſores noſtri officium Pœnitentiariæ, etiam poſt obitum Pontificis continuare juſſerunt; volumus, & decernimus, ut Major Pœnitentiarius (cujus facultas dicto tempore non expirat, ſed tantummodo non habet exercitium extra Conclave), ſeu ejus officiales, facere, & expedire valeant quæcunque ad forum conſcientiæ pertinent: ideo abſolvere, ſeu abſolvi mandare in dicto conſcientiæ foro valeant ab iis quoque cenſuris, a quibus alias, vivente Pontifice, adempta etiam Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ officio, abſolvendi facultas reperitur: hac tamen lege (quemadmodum fel. recor. Prædeceſſor noſter Clem. Papa XII. lata Conſtit. quæ incipit *Apoſtolatus Officium*, ad conſulendum ſimul animarum fidelium ſaluti, & diſciplinæ eccleſiaſticæ conſervationi provide cavit, quod nempe in hujuſmodi cenſuris ad tempus dumtaxat, & cum reincidentia in eaſdem, ſervati alias ſervandis, abſolutio concedatur itaut qui fuerint abſoluti, ad novum Pontificem, intra terminum, pro locorum diſtantia definiendum, recurrere pro eadem cauſa teneantur; neque liceat Pœnitentiario Majori, ejuſque officialibus præfixum terminum poſt Pontificis electionem ampliare, vel prorogare.

§. 52. Præterea concedimus, ut ſi quando aliquod gravius animæ periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, & Majori quoque Pœnitentiario, ſi in Conclavi degat, pro materiæ gravitate conſulto, & approbante, diſpenſare, aut diſpenſari mandare pro eodem foro conſcientiæ valeant, ſuper illis etiam, ſuper quibus alias, vivente Pontifice, inhibita ſit Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ diſpenſandi facultas; ita tamen, ut oratores, ſicuti ſuperius dictum eſt, ad novum Pontificem poſt ejus electionem ſimiliter debeant recurrere, aliiſque appoſitis clauſulis, pro caſus natura neceſſariis, & opportunis.

§. 53. Pro foro vero externo, eadem Sede Apoſtolica vacante, eorum officium penitus conquieſcat; ita ut a quibuſcunque matrimonialibus, & aliis diſpenſationibus, & abſolutionibus, ac declarationibus, necnon quibuſvis aliis expeditionibus forum fori mixtum, vel ſeparatim quomodolibet reſpicientibus, omnino abſtineant.

§. 54. Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante, pro foro externo facere, & expedire valeant, quæ ad Regularium, & præſertim apoſtatarum, & fugitivorum remedium, in ſuperioribus facultatibus conceſſa ſunt: necnon, ut monialibus confeſſarios extra Ordinem valeant deputare, ſi eos ex aliqua rationabili cauſa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas monialium confeſſiones eligendos.

§. 55. Et demum, ut illos, qui in aliquam cenſuram, Sedi Apoſtolicæ reſervatam etiam ob violatam eccleſiaſticam libertatem, vel immunitatem publice incurrerint, vel incurriſſe declarati fuerint, & vere, ac ſincere pœnitentes, & novi Pontificis, ad quem poſt electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium abſolutionis ſibi ulterius non differri enixe deprecentur, abſolvere, cum reincidentia, quemadmodum in ſuperioribus dictum eſt, vel abſolvi mandare poſſint . . . . . .

PARS SECUNDA

IN QUA CONTINENTUR

Conſtitutionum Apoſtolicarum Summæ ad Concilii Tridentini Decreta ſpectantium, ſervato ordine Seſſionum, & Capitulorum ejuſdem Concilii.

SECTIO I.

Seſſio IV. Decretum de editione, & uſu Sacrorum librorum.

PRÆTEREA ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis a jure ſtatutis puniantur.

Tridentinum hic prohibet, ne quiſquam audeat prædicare, & explicare ſacram Scripturam in rebus Fidei, & morum ad chriſtianam doctrinam pertinentium contra ſenſum ab Eccleſia receptum, & approbatum, jubetque contravenientes per Ordinarios declarari, & puniri pœnis a jure ſtatutis. Hæc eadem prohibitio, quoad primam partem facta jam fuerat in *Can. Relatum* 14. *diſt.*37. necnon a Concilio Milevitano cap.v. & quoad utramque legitur in Conſtitutione Leonis X. *Supernæ majeſtatis*, emanata in Conc. generali Lateran. V. *ſub die* 19. *Dec.* 1516. §. IV. ibi.

Mandantes omnibus, qui hoc ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt, ut evangelicam veritatem, & Sanctam Scripturam juxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Eccleſia, vel uſus diuturnus approbavit, legendoſque hactenus recepit, & in poſterum recipiet, prædicent, & explanent, nec quidquam ejus proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adjiciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius S. Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus rite, & ſane intellectis non diſcordant.

Et §. VIII. Contra delinquentes tam in hac re, quam in aliis a ſe prohibitis, præter pœnas a jure ſtatutas, infligit excommunicationem Papæ reſervatam, & perpetuam officii prædicationis inhibitionem, ibi.

Si qui autem contra præmiſſorum aliquod committere quidquam auſi fuerint, ultra pœnas contra tales a jure ſtatutas, excommunicationis etiam ſententiam, a qua nonniſi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, eos incurrere volumus. Et ut eorum exemplo alii attentare ſimilia minime audeant, eis prædicationis etiam officium interdictum eſſe perpetuo decernimus.

Verum Navarrus in ſuo *Manuali cap. XXVII. num.*110. *&* 111. refert Cajetanum, alioſque DD. ibi citatos, ſentire, hanc excommunicationem non fuiſſe uſu receptam. Quam quidem puto non eſſe amplius ſaltem latæ ſententiæ, ea motus ratione, quia Tridentinum, mentionem hic faciens de pœnis delinquentium, utitur *verbo Puniantur*, quod ex vulgatis, eſt nota dumtaxat ferendæ ſententiæ.

Neque dici poteſt, Concilium præcipiendo, ut contravenientes per Ordinarios declarentur, ſe retuliſſe ad dictam Leonis Conſtitutionem, perinde ac intenderit, hos declarari debere incidi ſe in excommunicationem ibi inflictam: quandoquidem, ſi ei hæc mens fuiſſet, expreſſe feciſſet ejuſdem Conſtitutionis, aut Concil. Lateranenſis mentionem, quemadmodum fecit in ſubſequenti §. III. circa pœnas in imprimentes libros de rebus ſacris ſine examine, & approbatione Ordinarii.

Quæ autem pœnæ contra aliter Scripturam interpretantes ſint in jure ſtatutæ, quibus tam Conſtitutio Leonina, quam hoc Concilii decretum puniri præcipit contravenientes poſt declarationem factam per Ordinarios de hujuſmodi delicto (quod ideo fieri Concilium mandaſſe credo ad terrorem cæteris incutiendum, ut a ſimili interpretatione magis retrahantur) recurrendum cenſeo ad *Can. XXVII. Hæreſis*, deſumptum a D. Hyeronymo, *& Can. XXXIX. Quidam*, deſumptum a D. Iſidoro, & relatos a Gratiano *cauſ. XXIV. quæſt.* 3. in quibus hi habentur tanquam Hæretici; ita enim legitur in utroque Canone iiſdem fere verbis, ibi = *Sed & quicumque aliter Scripturam Sanctam intelligit, quam ſenſus Spiritus Sancti flagitat, a quo conſcripta eſt, licet de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt* = Ideoque & excommunicari poterunt, ac excludi ab asylo loci ſacri; & ſi Prædicatores fuerint, privari officii prædicationis, juxta cit. Leonis Conſtitutionem. Si vero explicationem, vel prædicationem S. Scripturæ contrariam ſenſui, quem tenet, & tenuit Eccleſia, deprehendatur continere errorem contra Fidem, poſt declarationem, itidem per Ordinarios factam, pœnæ eædem erunt, ac illæ, quibus formales hæretici puniuntur; quæ videri poterunt toto titulo de Hæreticis, *& in Theſauro de pœnis*, a me noviſſime in lucem edito cum Additionibus, *verbo Hæreſis a cap. I. ad VII.*

SECTIO II.

Eadem Seſſio IV. Proſequitur idem Decretum de editione, & uſu Sacrorum librorum.

SEd & impreſſoribus modum in hac parte, ut par eſt, imponere volens, qui jam ſine modo, hoceſt, putantes ſibi licere quidquid libet ſine licentia Superiorum eccleſiaſticorum ipſos S. Scripturæ libros, & ſuper illis annotationes, & expoſitiones quorumlibet indifferenter, ſæpe tacito, ſæpe etiam ementito prælo, & quod gravius eſt, ſine nomine Auctoris imprimunt, alibi etiam impreſſos libros hujuſmodi temere venales habent; decernit, & ſtatuit, ut poſthac S. Scriptura, potiſſimum vero hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quam emendatiſſime imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quoſvis libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilii noviſſimi Lateranenſis appoſita. Et, ſi Regulares fuerint, ultra examinationem, & probationem hujuſmodi, licentiam quoque a ſuis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta formam ſuarum ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant, vel evulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubjaceant, quibus Impreſſores. Et qui eos habuerint, vel legerint, niſi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur. Ipſa vero hujuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi authentice appareat; idque totum, hoceſt, & probatio, & examen gratis fiat, ut probanda probentur, & reprobentur improbanda.

Decretum hoc circa impreſſionem S. Scripturæ ampliatum eſt a Pio IV. Conſtit. *Dominici gregis*, 24. *Martii* 1564. approbante Indicem librorum prohibitorum, a Trident. præſcriptum, poſtea a Sixto V. auctum, demum Clementis VIII. ac noviſſime Benedicti XIV. juſſu recognitum, atque iterum editum an-

Digitized by Google

an. 1758. cum additione Regularum, ac ratione exequendæ prohibitionis; ut ex dictorum Clementis Conſtit. *Sacroſanctam Concilium* 17. *Octobr.* 1595. ac Benedicti Conſt. *Quæ ad catholicæ* 23. *Decembris* 1757. in cujus Indicis Regula IV. prohibetur, editio S. Scripturæ lingua vulgari, ut ſequitur.

Cum experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi, vel Confeſſarii, Bibliorum a catholicis auctoribus verſorum lectione non damnum, ſed fidei, atque pietatis augmentum capere poſſe: quam facultatem in ſcriptis habeant.

Qui autem abſque tali facultate ea legere, ſeu habere præſumpſerit, niſi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit.

Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habent, ſi Biblia idiomate vulgari conſcripta vendiderint, vel alio quovis modo conceſſerint, librorum pretium in uſus pios ab Epiſcopo convertendum amittant, aliiſque pœnis pro delicti qualitate ejuſdem Epiſcopi arbitrio ſubjaceant.

Regulares vero, nonniſi facultate a Prælatis ſuis habita, ea legere, aut emere poſſint.

= Quia vero inſequentibus annis (eſt animadverſio Benedicti XIV. *lib. VI. cap. X. de Synodo diæceſ. num* 5. *edit. Rom. anno* 1755.) experientia docuit, Epiſcopos, & Inquiſitores, quorum judicio vernacula ſacrorum librorum lectio concedi poterat, vel denegari, indulgentiores hac in re ſe prebuiſſe; immo vero ipſos etiam Regularium Preſides eamdem, quæ Epiſcopis, & Inquiſitoribus conceſſa fuerat, auctoritatem ſibi arrogaſſe; hinc quartæ Indicis regulæ hæc, quæ ſequuntur, juſſu Clementis VIII. fuere ſuperaddita =.

Animadvertendum eſt circa ſupradictam quartam regulam Indicis fel. record. Pii Papæ IV. nullam per hanc impreſſionem, & editionem de novo tribui facultatem Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, aut Regularium Superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, & uſu Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis ſublata eis fuerit facultas concedendi hujuſmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ tam novi, quam veteris Teſtamenti partes, quavis vulgari lingua edita, ac inſuper ſummaria, & compendia etiam hiſtorica eorundem Bibliorum, ſeu librorum S. Scripturæ, quocunque vulgari idiomate conſcripta; quod quidem inviolate ſervandum eſt.

Hanc eandem prohibitionem factam legimus a Clemente XI. in Conſtit. *Unigenitus*, *ſub die* 8. *Septembr.* 1713. in qua damnavit ſequentes Propoſitiones Paſchaſii Queſnelli, aſſerentis male prohiberi ab Eccleſia fideli homini tam laico, quam fœminæ lectionem S. Scripturæ, ac præſertim novi Teſtamenti vulgari lingua, ſcilicet.

La LXXIX. in ordine.

Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria S. Scripturæ.

La LXXX.

Lectio S. Scripturæ eſt pro omnibus.

La LXXXI.

Obſcuritas ſancta Verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.

La LXXXII.

Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum: damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

La XXXIII.

Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

La LXXXIV.

Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

La LXXXV.

Interdicere Chriſtianis lectionem S. Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.

La LXXXVI. Eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi apoſtolicæ, & intentioni Dei.

Propterea jure, ac merito P. Antonius de Panormo in *Scrutinio Doctrinar. cap.* 7. *art.* 2. *pag* 426. *ac ſeq. carpit* I. *ſub num.* 15. Andræam Vander Schuren, inter alia dicentem in libello inſcripto: *Sanctum apertum ſimplicibus pag.* 50. *Abuſus Sacræ Scripturæ inter fideles, in punctis Fidei ab Eccleſia inſtructos, perparum deinceps timendus eſt; adeoque præceptum memoratæ Congregationis* (*Indicis*) *non habet amplius locum noſtris temporibus*. Ac in alio inſcripto: *Ulterior informatio pro ſimplicibus circa lect. Sac. Scripturæ in lingua vulgari pag.* 13. *Iſtud igitur famoſum præceptum, quo divinorum li-*

brorum lectio in lingua vulgari non pro ſemper, ſed pro aliquo tempore, non prohibetur, ſed ſolum eum facultate permittitur, non eſt ſtatutum juſſu, nec approbatum auctoritate Concilii Tridentini; ſed ſolum mandato, & auctoritate Pontificis Pii IV. ob rationes, quæ alias occurrebant, nunc autem amplius locum non habent. Et coherenter ad hæc pag. 50. *Nunquid res abſona, & deploranda non eſt, quod unanimes omnium Ecleſiæ Patrum monitiones rejiciantur, prætextu legum, quæ locum amplius non habent?* Et in altero inſcripto: *Defenſa libertas ſimplicium Catholicorum in legenda Sacra Scriptura contra P. Harmers Dominicanum habet in Epiſt.* 10. hunc ſcopum; *Variæ concluſiones invicte demonſtrantes, quod mandatum Indicis librorum non amplius locum habeat hoc tempore*; & *pag.* 52. *Omnes defenſores verbi Dei in hoc conveniunt, & uno ore ſuſtinent, præceptum illud locum amplius non habere. Hoc dicunt aperte, & unanimi voce* = II. *ſub num.* 16. jure quoque, ac merito carpit Arnaldum, dicentem *In difficultat. contra D. Steyaert par. 4. pag. 141. Vidimus jam, quod Sancti Patres nos moneant eſſe Diabolum, qui avertit Chriſtianos a lectione Scripturæ Sacræ, & quod nemo præter illum poſſit hanc ipſis cogitationem injicere: non eſſe ſecularium illam legere*, & *par. 8. pag* 13. *Alia veritas probata eſt in hac 57. difficultate; nempe quod in præſenti rerum ſtatu hæc regula (quarta Indicis) non modo deſierit eſſe utilis, ſed etiam, quod ſit perniciosa; & quod illius executio urgeri non poſſit abſque ingenti Religionis, & Eccleſiæ injuria* = III. *Ibidem pariter carpit Auctorem libelli ſub titulo, Brevis, & neceſſaria instructio omnibus Belgii Catholicis circa lectionem Sacræ Scripturæ*, dicentem pag. 18 *Nunquam Eccleſia Sacræ Scripturæ lectionem in vulgaribus linguis plebi prohibuit*. Et pag. 22. *Epiſcopus, qui plebi prohibet lectionem Sacræ Scripturæ in lingua vulgari, non eſt Pater, nec Paſtor, ſed potius Tyrannus, adimens populo libertatem a Deo conceſſam*. Et pag. 26. *Virtutis eſt non obedire talibus Superioribus; iſta qualis enim foret obedientia? Non abſimili Neſtorius, Julianus, Sergius, & plures alii hæretici Epiſcopi, plurimos ſimplices homines ſuis hæreſibus implicuerunt, & ad inferos pertraxerunt*. Et pag. 28. *Hæreſis dicenda eſt docere, non eſſe laudabile, & utile omnibus Chriſtianis promiſcue Sacram Scripturam legere etiam in lingua vulgari* = IV. Denique etiam Gaſparem Iveninum carpit ſub num. 17: ob tres propoſitiones, quas hic habet *tom. 1. Inſtit. Theolog. Prolegom. differt.* 4. *§. 5. fol.* 120. *edit. Venet. de anno* 1724. quarum 1. *Omnibus nec juſſum, nec prohibitum eſt catholicas Bibliorum vernaculas lectiones legere*; & quia firmare convincitur, Regulam quartam Indicis, natura ſua univerſalem, nec pro occidentali Eccleſia eſſe; attento maxime, quod in concluſionis probationem ſubnectit hæc verba: *Præterea ad hoc uſque ſeculum Eccleſia non aliarum, quam factarum ab Hæreticis verſionum, Waldenſibus ſcilicet, Wiclephiſtis, Lutheranis, & Calviniſtis, generatim prohibuit* = 2. quam in eodem carpit, propoſitio eſt, quia quando inquit, quod *Eccleſia poteſt ratione circumſtantiarum loci, temporis, perſonarum, nonnullis, vernacularum etiam catholicarum verſionum lectionem interdicere*; hoc ita aſſerit, ut dicere videatur, quod Eccleſia nequeat de hoc condere legem omnes Catholicos obligantem, ſive ad eam moveatur ob ſacrarum literarum majeſtatem tuendam, ſive ob iniquorum infringendam temeritatem, ſive ob puſillos arcendos ab errorum vorticibus; quamvis enim non neget hic Auctor dirigendam quandoque prohibitionem *teneris, imbellibus, & puſillis*; negat tamen & ratione ipſorum ad alios legem extendi poſſe, ac ſi legis motivum æque univerſale omnes, & ſingulos afficere debeat, ac ipſa lex; nec valeat hæc univerſalis concipi ad plurimorum vitanda pericula. Negat inſuper poſſe condi, ſive ad retundendam petulantem ingeniorum vafritiem, ſive ad majeſtatis ſacris voluminibus, reverentiæque erga illa debitæ conſervandæ munimen = 3. denique propoſitio, quam in Ivenino carpit, hæc eſt: *Quibuſdam in locis ſub fine elapſi proxime ſeculi Biblia vernacule converſa cuique paſſim, & ſine diſcrimine legere non licebat*: quæ autem eſſent loca mox explicat: *En vero loca erant, in quibus promulgatum fuerat Tridentinum, & in quibus vim obtinebat, nec abierat in deſuetudinem Regula quarta Indicis*. Ex quibus verbis infert de Panormo: jam ergo, juxta Iveninum, omnibus, & ſingulis licebit promiſcue eam legere; & quidem cunctis in locis, dum particulæ præteriti temporis: *non licebat, obtinebat, abierat*, non obſcure inſinuant exceptionem amplius non vigere. Proſequitur ibi clarus hic Romanæ Inquiſitionis Qualificator ea ſolvere, quæ in oppoſitum obiici poſſent. Ea tamen penes ipſum vide; inſtituti namque mei in præſens non eſt diutius hiſce incumbere,

Moneo quidem circa hanc IV. Regulam, quod inter obſervationes, appoſitas in noviſſima præfati Indicis editione an. 1758. hæc legitur additio.

= Quod ſi hujuſmodi Bibliorum verſiones vulgari lingua fuerint ab Apoſtolica Sede approbatæ, aut editæ cum annotationibus deſumptis ex SS. Eccleſiæ Patribus, vel ex doctis, catholicisque viris, conceduntur: Decr. Sac. Cong. Ind. 13. Jun. 1757. =

Decretum de prohibitione editionis librorum de rebus ſacris tractantium ſine nomine Auctoris, & ſine examine, ac approbatione Ordinarii, contenta in relato §. *Tridentini* = *ſed & Impreſſoribus* = ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, non tamen reſervatæ, amiſſionis eorundem librorum publice comburendorum, & centum ducatorum Fabricæ S. Petri applicandorum juxta ſtatutum cit. Concil. Lateranen. ſeſs. X. ad quod Tridentinum ſe refert, ampliatum eſt pariter a laudato Pio IV. cit. Conſt. *Dominici gregis* in ſequenti Regula X. Indicis.

In librorum, aliarumve ſcripturarum impreſſione ſervetur, quod in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. X. ſtatutum eſt.

Quare, ſi in alma Urbe Roma liber aliquis ſit imprimendus, per Vicarium Summi Pontificis, & ſacri Palatii Magiſtrum, vel perſonas a Sanctiſſimo Domino Noſtro deputandas, prius examinetur.

In

In aliis vero locis ad Epiſcopum, vel alium habentem ſcientiam libri, vel ſcripturæ imprimendæ, ab eodem Epiſcopo deputandum, ac Inquiſitorem hæreticæ pravitatis ejus civitatis, vel diœceſis, in qua impreſſio fiet, ejus approbatio, & examen pertineat, & per eorum manum, propria ſubſcriptione, gratis, & ſine dilatione imponendum ſub pœnis, & cenſuris in eodem decreto contentis, approbetur, hac lege, & conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, & manu Auctoris ſubſcriptum apud Examinatorem remaneat.

Eos vero, qui libellos manuſcriptos vulgant, niſi ante examinati, probatique fuerint, iiſdem pœnis ſubjici debere judicaverunt Patres deputati, quibus Impreſſores; & qui eos habuerint, & legerint, niſi Auctores prodiderint, pro Auctoribus habeantur.

Ipſa vero hujuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, & in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi, authentice appareat; probatioque, & examen, ac cætera gratis fiant.

Præterea in ſingulis civitatibus, ac diœceſibus, domus, vel loci, ubi ars impreſſoria exercetur, & bibliothecæ librorum venalium ſæpius viſitentur a perſonis ad id deputandis ab Epiſcopo, ſive ejus Vicario, atque etiam ab Inquiſitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum, quæ prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

Omnes vero librarii, & quicunque librorum venditores habeant in ſuis bibliothecis Indicem librorum venalium, quos habent, cum ſubſcriptione dictarum perſonarum; nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacunque ratione tradant ſine licentia eorundem deputatorum, ſub pœna amiſſionis librorum, & aliis arbitrio Epiſcoporum, vel Inquiſitorum imponendis: emptores vero, lectores, vel impreſſores eorundem arbitrio puniantur.

Quod ſi aliqui libros quoſcunque in aliquam civitatem introducant, teneantur iiſdem perſonis deputandis renunciare, vel ſi locus publicus mercibus ejuſmodi conſtitutus ſit, miniſtri publici ejus loci prædictis perſonis ſignificent, libros eſſe adductos.

Nemo vero audeat librum, quem ipſe, vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, niſi oſtenſo prius libro, & habita licentia a perſouis deputandis, aut niſi notorie conſtet, librum jam eſſe omnibus permiſſum.

Idem quoque ſervetur ab hæredibus, & executoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defuncto relictos, ſive eorum indicem, illis perſonis deputaudis afferant, & ab iis licentiam obtineant, priuſquam eis utantur, aut in alias perſouas quacunque ratione eos transferant.

In his autem omnibus, & ſingulis pœna ſtatuatur, vel amiſſionis librorum, vel alia, arbitrio eorundem Epiſcoporum, vel Inquiſitorum, pro qualitate contumaciæ, vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati, aut examinarunt, aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rurſus excuderentur, conceſſerunt, quidquid illos ſtatuiſſe conſtiterit, tam bibliopolæ, quam cæteri obſervent.

Liberum tamen ſit Epiſcopis, aut Inquiſitoribus generalibus, ſecundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, ſi hoc in ſuis regnis, aut provinciis, vel diœceſibus expedire judicaverint.

Cæterum nomina cum librorum, qui a Patribus deputatis purgati ſunt, tum eorum, quibus illi hanc provinciam dederunt, eorundem Deputatorum Secretarius Notario Sacræ Univerſalis Inquiſitionis Romanæ deſcripta, Sanctiſſimi Domi noſtri juſſu tradat.

Ad extremum vero omnibus Fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum Regularum præſcriptum, aut hujus Indicis prohibitionem libros aliquos legere, aut habere.

Quod ſi quis libros hæreticorum, vel cujuſvis Auctoris ſcripta, ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, ſive habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat.

Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Epiſcoporum ſevere puniatur.

Præterea relata prohibitio editionis librorum de rebus ſacris ſine conditionibus præſcriptis tam a Tridentino, quam ab hac Regula X. ampliata eſt a *Bulla in die Cœnæ Domini* legi ſolita §. I. quam habes in fine hujus Operis, ubi infligitur excommunicatio Papæ reſervata, ſi liber eſt auctoris hæretici, & con-

& continet hæreſim, vel de Religione tractat.

Circa libros prohibitos eſt etiam decretum Congreg. Sacræ Inquiſitionis, juſſu Urbani VIII. editum *Sanctiſſimus* 18. *Septembr.* 1625. prohibentis, ne degens in ſtatu Sedi Apoſtol. mediate, vel immediate ſubjecto, libros de quavis materia tractantes a ſe conſcriptos audeat alio deferre, vel mittere imprimendos ſine approbatione in ſcriptis Urbis Vicarii, & Magiſtri Sac. Palatii, ſi Romæ, ſi extra, ſine Ordinarii, & Inquiſitoris loci illius: decernentis inſuper, hos aliter impreſſus ipſo facto prohibitos eſſe abſque alia declaratione: nullam tamen infligit cenſuram, ſi alias libri impreſſi eſſent cum licentia Superioris loci, ubi imprimuntur.

Eadem hæc prohibitio, ſed ſine ulla pœna, legitur facta ab Alexandro VII. in Obſervationibus ejuſdem juſſu additis ad cit. Regulam X. appoſitis in laudata noviſſima Indicis editione an. 1758.

Item decretum, ejuſdem Urbani juſſu editum in eadem Congr. 22. *Maii* 1625. *&* 1. *Aug.* contra imprimentes ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtol. retinentes, & legentes libros, & tractatus, incidenter tractantes de divinis auxiliis: ac alterum *ſub* 5. *Maii* 1639. circa libros, & laminas granatenſes, vel libros de his tractantes, retinentes, imprimentes, vulgantes, aut eos in concionibus, vel reſponſis allegantes.

Circa Indicem librorum prohibitorum inſtituta fuit a Sixto V. Congregatio S. R. Eccleſiæ Cardinalium, quæ eſt VII. ex quindecim Congregationibus ab eodem inſtitutis, ut ex ejus Conſtit. *Immenſa æterni* 1. *Febr.* 1587. cui acceſſit ſupra citata Conſtit. Clementis VIII. *Sacroſanctum* 17. *Octob.* 1595. cum innovatione aliorum Indultorum decidendi dubia deſuper emergenda eidem Congregat. competentium,

Circa Regulas obſervandas tam ab Epiſcopis, & Inquiſitoribus, quam a delegatis Examinatoribus pro libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum imprimendis, adeantur Obſervationes Alexan. VII. juſſu additæ ad Regulam X. Indicis, & Inſtructio Regulis dicti Indicis Clementis VIII. auctoritate adjecta; quæ habentur impreſſæ in cit. noviſſima Indicis librorum prohibitorum editione an. 1758. necnon Conſtitutio Benedicti XIV. *Solicita, ac provida* 7. *Idus Julii* 1753.

SECTIO III.

Eadem Seſſio IV. Proſequitur idem Decretum de editione, & uſu Sacrorum librorum.

POſt hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur, & torquentur verba, & ſententiæ S. Scripturæ, ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias, & diabolicas incantationes, divinationes, ſortes, libellos etiam famoſos; mandat, & præcipit, ad tollendam hujuſmodi irreverentiam, & contemptum, ne de cætero quiſquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc, & ſimilia audeat uſurpare; ut omnes hujus generis homines temeratores, violatores Verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Epiſcopos coerceantur.

Circa hoc Decretum de pœnis contra temeratores, & violatores Verbi Dei, de quibus in ſupra relato §. ſicut puniri poſſunt tanquam blaſphemi, ut probat Ludovicus de Ameno *de Delict. & Pœnis tom. III. tit. V. §. II. ad XVII.* vide allegata *parte I. ad cap. II. Statuimus, de Maledicis pag.* 697.

SECTIO IV.

Seſſio V. Decretum de Peccato Originali.

SI quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema ſit.

Definit hic Concilium per Baptiſmum gratiam conferri, reatum originalis peccati remitti, & tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, cui definitioni cum apertè opponeretur, hæc Propoſitio; *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali*: merito damnata fuit ab Alexandro VIII. 7. Decembris 1690. quæ eſt 1a XIX. in ordine inter alias ab eodem proſcriptas.

Quoad reliqua vide dicta ad *cap. Fidei Catholicæ pag.* 4. & alibi par. 1. non enim vacat hic ea repetere.

SE-

SECTIO V.

Eadem Seſſio V. Proſequitur Decretum de peccato originali.

DEclarat tamen hæc ipſa S. Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem, ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones fel. rec. Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat.

Quæ Summorum Pontificum Conſtitutiones huic declarationi acceſſerint, jam notatum eſt ſupra ad *caput II. Grave nimis, tit. de Reliquiis, & venerat. Sanctor. in Extravag. commun. par. I. pag.* 450.

SECTIO VI.

Seſſio V. cap. I. de Reform.

Hujus capituli Textum habes parte I. in notis ad *caput I. Quoniam, tit. de Magiſtris, pag.* 594.

In hoc capitulo tria ſtatuit Concilium. I. Ut inſtituatur lectio Sacræ Scripturæ. II. Ut deputetur Magiſter grammatices pro Clericis, aliiſque ſcholaribus pauperibus. III. Ut publice docentes, & addiſcentes S. Scripturam gaudeant privilegio percipiendi fructus ſuarum præbendarum, & beneficiorum in abſentia. Quod privilegium præſervatum eſt etiam in *cap. II. ſeſſ. VI. & cap. I. ſeſſ. XXIII. de reform.* Quia vero de acceſſionibus huic primo, & ſecundo Decreto egi par. I. in notis ad *cit. cap. I. Quoniam, de Magiſtris*, & de acceſſionibus tertio decreto ad *cap. V. Super ſpecula, eod. tit. pag.* 600. ideo vide ibi expoſita.

SECTIO VII.

Eadem Seſſio V. cap. II. juncto cap. IV. ſeſſ. XXIV. de Reform.

QUia vero chriſtianæ reipublicæ non minus neceſſaria eſt prædicatio Evangelii, quam lectio, & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus; ſtatuit, & decrevit eadem S. Synodus omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum S. Jeſu Chriſti Evangelium. Si vero contigerit, Epiſcopos, & alios prædictos, legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilii viros idoneos aſſumere teneantur ad hujuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubjaceat ultioni.

In hoc Decreto ſtatuit Concilium, Epiſcopos teneri per ſe ipſos ad prædicandum Jeſu Chriſti Evangelium, ſi legitime impediti non fuerint; ſi verò impediti, per alios. Id ipſum repetitum legitur in *cap. IV. ſeſſ. XXIV. de reform.* Quæ autem circa hoc onus, & ſubſtituti deputationem animadvertenda occurrant, jam dixi parte I. in notis ad *cap. XV. Inter cætera, de Offic. Jud. Ordinarii, pag.* 108.

Hic dumtaxat monitos velim eoſdem Epiſcopos cum Benedicto XIV. ne, quoties eos contigerit ad populum, ſive per ſe, ſive per alios verba facere, cumque ſacris doctrinis inſtruere, aut Synodos celebrare, proferant quidquam alienum ab iis ſententiis, quæ circa uſuras, alioſque turpes quæſtus, recenſitos in ejuſdem Conſtitutione *Vix pervenit*, 1. *Novembris* 1745.

SECTIO VIII.

Eadem Seſſio V. Proſequitur idem cap. II.

ARchipresbyteri quoque, Plebani, & quicunque parochiales, vel alias curam animarum habentes, Eccleſias quocunque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis; docendo ea, quæ ſcire omni-

omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Id vero ſi quis eorum præſtare negligat, etiamſi ab Epiſcopi juriſdictionem, quavis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet; etiam ſi Eccleſiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monaſterio, etiam extra diœceſim exiſtenti, forſan annexæ, vel unitæ, modo re ipſa in diœceſi ſint, provida paſtoralis Epiſcoporum ſolicitudo non deſit, ne illud impleatur: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*. Itaque, ubi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras eccleſiaſticas, ſeu alias ad ipſius Epiſcopi arbitrium, cogantur ita, ut etiam, ſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens officium ſuum impleat. Siquæ vero parochiales Eccleſiæ reperiantur ſubjectæ monaſteriis in nulla diœceſi exiſtentibus; ſi Abbates, & Regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint, a Metropolitanis, in quorum provinciis diœceſes ipſæ ſitæ ſunt, tanquam quoad hoc Sedis Apoſtolicæ delegatis, compellantur. Neque hujus decreti executionem conſuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, ſive recurſus impedire valeat, quouſque deſuper à competenti Judice, qui ſummarie, & ſola facti veritate inſpecta, procedat, cognitum, & deciſum fuerit.

In hoc Decreto, ac altero *cit. cap. IV. ſeſſione XXIV.* idem onus injungitur omnibus animarum curam habentibus, ſub pœnis ibidem expreſſis. Quod ſpectat ad concionem ab his peragendam, ſequentes declarationes acceſſerunt.

I. Quod hæc ex reſponſo S. Congr. Concil. ad Epiſcopum Melitenſem non opus eſt, ut ſit perpolita, & elaborata ad formam, qua communiter utuntur Concionatores, ſed *ſatis eſt*, ſunt verba reſponſi, ut habetur *lib. VI. Decretor. S. Congr. pag. 109. & ſeq.* = *Ut Parochi, etſi formoliter non prædicent ſaltem Dominicis, & feſtis diebus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis* = Hanc eandem normam adhiberi præcepit Innocentius XIII. in Conſtit. *Apoſtolici Miniſterii*, 13. *Maii* 1723. ſuper eccleſiaſtica diſciplina retinenda in Regnis Hiſpaniarum, ut infra patebit; quam Benedictus XIII. ut cæteris Epiſcopis velut exemplar proponeretur, confirmavit 13. *Septembr.* 1724. *Conſtit. In ſupremo majeſtatis*.

Hæc autem Concio potiſſimum habenda eſt ab animarum Paſtoribus inter Miſſarum ſolemnia, aliquid exponendo ex iis, quæ leguntur in Miſſa, atque inter cætera aliquod myſterium hujus Sanctiſſimi Sacrificii juxta præſcriptum Trident. *cap. VIII. ſeſſ. XXII. de reform.* qui mos, ut notat Cardin. Bona *Rerum Liturgicarum lib. II. cap. VII. num. 6. Nunquam interrupta ſerie ab initio Eccleſiæ uſque ad noſtra tempora ſervatus eſt, ut proxime poſt Evangelium ſermo, ſive homilia, vel tractatus ad populum haberetur*.

II. Quod ab hujus oneris implemento ſe eximere, aut excuſare non poſſint, vel quod nullo unquam tempore id præſtandi conſuetudo extiterit, vel quod ſatis, ſuperque proviſum ſit per publicos annuales Concionatores; vel tandem, quod exiguus ſit ſuarum plebium numerus. Quantum enim ad contrariam conſuetudinem ſpectat, hæc jam reprobata legitur a Concilio in ſupra relato §. II. Quoad alias vero excuſationes, hæ reprobantur in mox cit. Conſtit. Innocen. XIII. §. IX. ibi.

Non ſine gravi animi noſtri dolore etiam accepimus, quod, quamquam Tridentina Synodus decreverit, omnes, qui parochiales, vel alias curam animarum annexam habentes, Eccleſias quocunque modo obtinent, debere diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas, pro ſua, & earum capacitate paſcere ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ Chriſtifideles ad ſalutem ſcire oportet, ac explicando divinæ legis præcepta, Fideique dogmata, puerosque ejuſdem Fidei rudimentis imbuendo, & brevi, facilique ſermone vitia denuntiando, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat: nihilominus nonnulli parochialium Eccleſiarum Rectores hæc, quæ ſuarum partium adeo ſunt, prætermittunt, culpam hujuſmodi a ſe emoliri nitentes, vel prætextu immemorabilis, ſed quidem pravæ, conſuetudinis, vel quia hæc ab ipſis præſtari neceſſe non videatur, ſuppetente nimirum copia aliorum habentium ſacras Conciones in aliis Eccleſiis, itemque imbuentium pueros myſteriis Fidei, vel in ſcholis, vel in compitis. Ne itaque ſub inani iſtarum, aliarumque ſimilium excuſationum prætextu tanta chriſtianæ reipublicæ pernicies ſtruatur, diſtricte præcipimus ſingulis Hiſpaniarum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ut omnino efficiant, quod omnes ii, qui animarum curam gerunt, munia prædicta per ſe ipſos, vel, ſi legitime impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exequantur. Si vero aliqui non ſatis habiles ad illa obeunda reperiantur, iidem Archiepiſcopi, & Epi-

ſcopi

Digitized by Google

ſcopi per alios a ſe deputandos, ſumptibus Parochorum minus idoneorum opportune ſuppleri curent: & in poſterum beneficia; quibus animarum cura imminet, nonniſi vere idoneis ad memorata officia, per ſe ipſos adimplenda, conferantur.

Quod ad pœnas attinet in hoc eodem Decreto contra id munus præſtare negligentes ſtatutas, notatu dignum eſt, quod quamvis præter cenſuras, infligi poſſint etiam aliæ arbitrio Epiſcoporum, ſi tamen agatur de pœna pecuniaria, hujuſmodi arbitrium indecens eſſe reſpondit S. Cong. Conc. die 17. Junii 1658. Epiſcopo Novarienſi, qui in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus putavit ſibi licuiſſe pecunia multare Parochos huic decreto contravenientes, ut refert Benedictus XIV. *de Synod. diæc. edit. Roman.* 1755. *lib. X. cap. IX. num.8.*

Circa pueros a Parochis inſtruendos Fidei rudimentis, edocendoſque obedientiam erga Deum, & parentes, ac circa Concionem ab iiſdem peragendam, dictum Concilii Decretum ampliatum eſt a Benedicto XIV. Conſtit. *Et ſi minime* 7. *Febr.* 1742. mandante §. XIV. Quod Epiſcopus in Eccleſiis ruralibus, etiam non parochialibus, longe a parochiali ſepoſitis decernat, gravibus etiam ſtatutis pœnis, chriſtianæ doctrinæ ſummam per Sacerdotes ibi operantes populum edoceri.

Prohibente inſuper, ne in dictis Eccleſiis parochiali proximis quis Miſſæ ſacrificium celebret antequam Parochus celebraverit, ut ſic confluens populus illum ſermocinantem facilius audire poſſit (ut etiam ſupra notavi *tit. de Parochiis pag.* 328.) ibi.

Sitæ quandoque ſunt in agro parvæ, humileſque Eccleſiæ, aliæ parochiali proximæ, aliæ vero longo intervallo disjunctæ, ad quas diebus feſtis patresfamilias una cum liberis accedunt, Sacerdotem ſacris operantem audituri; ex quo fit, ut ſuæ parochiæ nunquam fere interſint, nec ullum de myſteriis Fidei, de præceptis, & de Sacramentis verbum accipiant. Epiſcopus huic malo occurret, ſuamque objiciet auctoritatem. Et primo quidem, quoad parvas Eccleſias parochiali proximas, expreſſa lege caveatur, ne quis antea ſacrificium faciat, quam Parochus Miſſam celebraverit, ſermonem habuerit, cæteraſque ſui muneris partes abſolverit. Hoc enim pacto Eccleſia parochialis confluentium parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad parvas Eccleſias a parochiali longe ſepoſitas, cum difficile admodum ſit, parochianos ob locorum diſtantiam, longum iter, atque aſperum, hyemali præſertim tempore, cum pluviæ inundant, parochialem adire, ibique divinis officiis intereſſe, relicta Eccleſia proximiore: decernat Epiſcopus, gravibus etiam ſtatutis pœnis, quod Sacerdotes ibi operantes chriſtianæ doctrinæ ſummam populo tradant, divinamque legem annuncient. Monendus tamen eſt Parochus, ne alienæ operæ nimium tribuat, ſed videat ipſe, quo loco res ſint, cum pueri Sacramentum Euchariſtiæ, & Confirmationis, alii vero matrimonii, ſibi adminiſtrari expoſcant.

Ulterius §. XVIII. circa actus fidei, ſpei, & charitatis eliciendos a Chriſtifidelibus, hæc addit.

Et quia chriſtianam Religionem profitenti maxime neceſſaria eſt conſuetudo, & exercitatio ſæpius eliciendi dictos actus: idcirco ne illorum uſus circumſcribatur anguſtis finibus, & exiguo numero, a quibuſdam ſingulis annis præfinito, Epiſcopus ſuæ non minus, quam alienæ ſalutis ſtudioſus provide ſtatuat, ut in parochiis, tum Urbis, tum diœceſis Rectores animarum poſt Miſſam feſto die celebratam, ſtatim ante aram provoluti clara, & intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, & præire ſatagant populo verba ab ipſis prolata devote reddituro.

Ne autem Parochi impediantur in hujuſmodi inſtructione peragenda, ulterius hæc ſtatuit §. XV. ibi.

Præterea ſua etiam Urbes habent impedimenta. Sæpè enim contingit, in aliis Eccleſiis, ac præſertim Regularium, ſolemni ritu, magnaque populi frequentia, feſtum aliquem diem celebrari; ideoque, ſi in Eccleſia parochiali ſummo mane, aut ſtatim a prandio Catechiſmus habeatur, aut nemo, aut pauci admodum ſunt, qui eidem Catechiſmo interſint, quique præſcriptas horas non cauſentur. Sin vero captentur horæ civitatis commodo magis appoſitæ, uſu compertum eſt, populum ad Eccleſiam confluere, in qua feſtus dies agitur, & celebritate pompæ illectum, doctrinam chriſtianam non ſine gravi animæ detrimento deſerere. In hoc articulo, quia certa, & communis regula præſcribi non poteſt, id totum relictum eſſe volumus prudentiæ vigilis Eccleſiæ Antiſtitis, qui attenta loci, temporis, perſonarum qualitate, expenſiſque rerum omnium momentis, ita ſtudeat ſolemnis diei celebritatem cum doctrina chriſt. componere, ne alteri altera ſit impedimento. Quod ſi Regulares, & exempti contradixerint, & ſanctum hoc doctrinæ opus,

licet ab Epiſcopis prius admoniti, ſuis functionibus perturbare præſumpſerint; noſtram locorum Ordinariis auctoritatem, qua potimur in exemptos, pollicemur; nec alia pontificiæ vigilantiæ deerunt remedia, ne parochiales Eccleſiæ debitis fraudentur obſequiis.

Ex decreto Congr. ſuper diſciplina Regulari Procuratoribus generalibus Ordinum Regularium intra Italiam, & Inſulas adjacentes tranſmiſſo 13. Novembr. 1709. ac poſtremo 15. Martii 1758. edocendi ſunt ſingulis diebus Dominicis per aliquem Regularem virum idoneum, a Provincialibus in unoquoque conventu deputatum laici profeſſi, præſertim quæſtores, eodem modo, quo parochiani a ſuis Paſtoribus.

S. Pius V. Conſtit. *Ex debito 6. Octobr.* 1571. tribuit Epiſcopis facultatem erigendi tot Societates, ſeu Confraternitates ad Doctrinæ chriſtianæ opus exercendum, quot eis opportunæ videbuntur; Indulgentiam tam pro Confratribus, quam pro inſtruendis ab ipſis elargiendo.

S E C T I O I X.

Eadem Seſſio V. Proſequitur idem cap. II. de Reform.

Regulares vero cujuſcunque Ordinis, niſi a ſuis Superioribus de vita, moribus, ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint; ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant. Si vero, quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminaverit in populum, etiamſi in monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet: Epiſcopus ei prædicationem interdicat, quod ſi hæreſes prædicaverit, contra eum ſecundum juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat, etiamſi Prædicator ipſe generali, vel ſpeciali privilegio exemptum ſe eſſe prætenderet: quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolica, & tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat. Curent autem Epiſcopi, ne quis Prædicator vel ex falſis informationibus, vel alias calumnioſe vexetur, juſtamve de eis conquerendi occaſionem habeat. Caveant præterea Epiſcopi, ne aliquem, vel eorum, qui cum ſint nomine Regulares, extra clauſtra tamen, & obedientiam Religionum ſuarum vivunt, vel Presbyterorum ſecularium, niſi ipſis noti ſint, & moribus, atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum prætextu, in ſua civitate, vel diœceſi prædicare permittant, donec ab ipſis Epiſcopis ſuper ea re S. Sedes Apoſtolica conſulatur, a qua privilegia hujuſmodi, niſi tacita veritate, & expreſſo mendacio, ab indignis extorqueri veriſimile non eſt.

Decretum hoc, juncto *cap. IV. ſeſſ. XXIV. de ref.* §. *Nullus autem*, circa Regulares prædicationis munus obeuntes ampliatum eſt a Gregorio XV. Conſtit. *Inſcrutabili 5. Feb.* 1622. decernente contrafacientes puniendos eſſe ab Epiſcopis cenſuris, aliiſque pœnis tanquam a delegatis Sedis Apoſtolicæ etiam extra viſitationem, ſicuti & ſi prædicaverint in alienis Eccleſiis ſine eorundem licentia, ibi.

§. VI. Ac demum habeat Epiſcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcunque exemptos tam ſeculares, quam Regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut, ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint. Ita, ut Epiſcopi in ſupraſcriptis caſibus, in prænominatas perſonas, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, uti ejuſdem Sedis delegati, procedere, omnemque juriſdictionem exercere libere, & licite valeant.

Hæc Conc., & Gregorii diſpoſitio declarata eſt a Clemente X. Conſtitut. *Superna*, 21. *Junii* 1670. ut infra.

§. I. Sa-

§. I. Sane, cum Sacri Concilii Tridentini decreto provide ſtatutum fuerit, ut Regulares cujuſcunque Ordinis, niſi a ſuis Superioribus, de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint, cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum Ordinum non ſunt; ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam, gratis ab eo dandam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint. Atque, ut nullus ſecularis, ſive Regularis etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat.

§. II. Nos attendentes, quod alias diverſis temporibus prædictæ dubitationes, & controverſiæ nonnullis Prædeceſſorum noſtror. Summorum Pontificum Conſtitutionibus, earundem declarationibus definitæ fuerint; ejuſmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magiſque diſſenſionum tollantur ſemina, & in poſterum firmior in agro dominico pax Chriſti floreat, pro ſummo, quo fungimur Apoſtolatus officio, novis Apoſtolicis literis muniendas duximus, & roborandas. Itaque de conſilio ..... hac generali, & perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, & declaramus.

§. III. Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Epiſcopo diœceſano benedictionem petere; prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint. Quod ſi Epiſcopus benedictionem nedum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare, eoſque contravenientes ab illo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, cenſuris, aliiſque pœnis eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis fel. record. Gregorii XV. Prædeceſſor. noſtri, incipientis, *Inſcrutabili Dei providentia* coerceri, & puniri poſſe; Epiſcopum tamen abſque juſta, & rationabili cauſa contradicere non debere; & hujuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcunque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in Eccleſiis, aut ad crates monaſteriorum Sanctimonialium eorum juriſdictioni ſubjectarum, licet clauſis januis, & nullus ſecularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Univerſitatibus, aut a Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare, ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit, & licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, ſuſpendere. Non poſſe tamen Epiſcoqum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicent.

Nota I. Regulares poſſe prædicare nedum in Eccleſiis tam ſuis, quam non ſuis, ſed etiam, ut probat doctiſſimus Gaudentius de Janua *de Viſit. Prælat. eccleſiaſt. tom.* 1. *dub.* 10. *ſect.* 3. *n.* 40. ibi „ Poſſunt item Regulares in plateis, viis, & locis publicis prædicare, quia non legitur hoc iis prohibitum, imo conceditur per Clementem V. Prædicatoribus, & Minoribus, Bonifacium IX. item Prædicatoribus, Sixtum IV. Carmelitis, & Paulum III. Jeſuitis; nec revocatum invenitur per noviſſimas Conſtitutiones Gregorii XV. *Inſcrutabili*, & Clementis X. *Superna*, in quibus tantummodo licentia, ſive benedictio Epiſcoporum demandatur, quoties Religioſi prædicent in non ſuis Eccleſiis, & etiam in ſuis, vel ad crates monialium; quin etiam in aliquibus civitatibus, ut Romæ, & Neapoli eadem publice prædicatio a Regularibus quibuſdam exercetur in praxi, Jeſuitis ſignanter. Nihilominus, ſi Epiſcopus contradicat, aut præter ſcurrilitates, & Verbi Dei contemptum ſecutum, vel ſecuturum, prohibeat, non eſt dubium, quod ab uſu dicti privilegii debeant Regulares abſtinere: quia, cum prædicare populo ſit principaliter Epiſcopi munus, eo poſitive contradicente, nullus poteſt abſolute id uſurpare, P. Rodriquez *tom.* 3. *quæſt. Regular. qu.* 32. *art.* 5. deduciturque clare ex Trid. *ſeſſ. XXIV. cap. IV.* “

Nota II. Cum eodem Gaudentio *loc. cit.* poſſe dictos Regulares ex ſola tacita, ſeu interpretativa licentia Epiſcopi, ita ferente conſuetudine ex ſilentio Ordinariorum invecta, in Sanctorum ſolemnitatibus ſermonem agere in propriis Eccleſiis, & in parochialibus de licentia Parochorum in peculiaribus caſibus, ſi ab iis vice ſui deputentur.

Nota III. Prædicatores in Eccleſiis ſuorum Ordinum non teneri accipere ex Cancellaria Epiſcopi literas patentes obtentæ benedictionis, licet gratis concedantur, ex Decreto S. Cong. Conc. *in Florentina* 12. *Jan. & 30. Maii* 1726. relata *in Theanen.* 19. *Junii* 1728. *ut tom.* 4. *Theſaur. Reſolut. ejuſd. Congr. pag.* 188. Teneri e converſo eas recipere, licet deputati fuerint ab Univerſitate pro concionibus habendis in propriis Eccleſiis, ſi aliquas ex his habe-

Digitized by Google

re debeant in Eccleſiis ſecularibus, ut deciſum fuit *in Thanen. 19. Junii 1729. ad 3. cit. tom. 4. Theſauro reſol.*

Nota IV. Poſſe eis ab Epiſcopo prohiberi, ne conciones habeant, etiam in propriis Eccleſiis, ea hora, qua idem Epiſcopus, vel per ſe ipſum prædicat, vel coram ſe prædicare faciat ex cauſa publica, convocatis Clero, Magiſtratu, & populo, ut ex *cap. Super cathedram*, de *Sepult. & cap. Inter cunctas, de Privil. inter Extravag. commun. ac Clementina Dudum, de Sepult.* pluries reſolvit C. Conc. *in Pacen. 26. April.* 1607. *ad 4. dub. lib. 39. Poſitionum pag.* 170. *in Bituntina* 17. *Feb.* 1629. *lib.* 14. *Decretar. pag.* 32. *in Brunduſina* 10. *Martii* 1645. *lib. 17. pag.* 445. Eadem prohibitio iiſdem fieri poteſt etiam extra relatos caſus, ſi Epiſcopus judicaret in aliquo loco propter bonum publicum expedire, ne prædicarent eadem hora, qua in alia Eccleſia habetur concio, ut in *Olomucen. juris concionandi* 14. *Martii* 1733. *ut tom. 6. Theſaur. Reſolut. Cong. Concil. p.* 55. Idipſum ſtatutum fuit a Benedicto XIV. in ſupra cit. Conſtit. *Etſi minime*, *§. Præterea*, ne occaſione Feſtivitatum in Eccleſiis Regularium impediatur Parochis exercitium doctrinæ chriſtianæ.

Nota V. Deputationem, & electionem Concionatorum in propriis Eccleſiis, etiam parochialibus, ſi ſint ejuſdem Ordinis, ſpectare ad eorum reſpective Superiores, non ad Epiſcopum, ex declarationibus generalibus, ac ſpecialibus decretis Cong. Conc. relatis a laudato Gaudentio *loc. cit. num.* 42.

Nota VI. Ex conceſſione Gregorii XIII. Conſt. *Vigore privilegiorum* 20. *Novembris* 1584. Religioſos Societatis Jeſu, etiam ſacris Ordinibus non initiatos, poſſe prædicare verbum Dei.

Decretum contentum in tranſcripto §. III. Trid. circa punitionem delinquentium Prædicatorum, generali, vel ſpeciali privilegio exemptorum ab Epiſcopi juriſdictione, Congr. Conc. ut refert Galemart ad hoc idem *caput verb. Procedat* = Cenſuit per confirmationem privilegiorum Regularium a S. Sede Apoſtolica non derogatum huic decreto Conc. niſi in ipſis privilegiis appareat expreſſa diſpoſitio, quæ contraria ſit dictæ diſpoſitioni Concilii =.

SECTIO X.

Eadem Seſſio V. Proſequitur idem cap. II. de Reform.

QUæſtores vero eleemoſynarii, qui etiam Quæſtuarii vulgo dicuntur, cujuſcunque conditionis exiſtant, nullo modo nec per ſe, nec per alios prædicare præſumant, & contrafacientes ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum, privilegiis quibuſcunque non obſtantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Circa hoc Decretum vide dicenda infra, cum de *cap. IX. ſeſſ. XXI. de reform.*

SECTIO XI.

Seſſio VI. cap. II. & III. de Juſtificatione.

QUo factum eſt .... Hunc (Chriſtum Jeſum filium ſuum) propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.

Verum, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur.

In his duobus capitulis declaratur, Chriſtum pro totius mundi redemptione mortuum eſſe, cui ſacratiſſimo Fidei dogmati integerrime firmando acceſſit damnatio ſequentis Propoſitionis la IV. in ordine inter alias proſcriptas ab Alexandro VIII. 7. *Decembris* 1690.

= Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus =.

Acceſſit pariter damnatio Propoſitionis Janſenii, intellectæ eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute tantum prædeſtinatorum mortuus ſit, la V. in ordine ex damnatis prius ab Innocentio X. Conſtit. *Cum occaſione*, *pridie Kal. Junii* 1653. & poſtremo a Clemente XI. Conſtit. *Vineam Domini*, 16. *Julii* 1705.

= Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe =.

SECTIO XII.

Eadem Seſſio VI. cap. V. de Juſtificatione.

DEclarat præterea, ipſius juſtificationis exordium in adultis a Dei per Chriſtum Jeſum, præveniente gratia, ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; ut, qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando, diſponantur: ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit: unde in ſacris literis cum dicitur, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, libertatis noſtræ admonemur: cum reſpondemus: *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, Dei nos gratia præveniri confitemur.

Ad firmandam neceſſitatem præparatinnis in adultis, ac libertatem in operando pro obtinenda juſtificatione, de quibus hic ſermo eſt, acceſſit damnatio contrariæ doctrinæ in II. & III. Janſenii Propoſitionibus, damnatis a Clemente XI. cit. Cnnſtit. *Vineam Domini*; ac Propoſitione Queſnelli la XIII. in ordine ex damnatis ab eodem Clemente Conſtitut. *Unigenitus* 8. *Septembris* 1713. = Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur = Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactinne = Quando Deus vult animam ſalvam facere, & cum tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit =.

SECTIO XIII.

Eadem Seſſio VI. cap. XII. juncto Can. XVIII. de Juſtificatione.

NEmo quoque, quamdiù in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeò præſumere debet, ut certo ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quod juſtificatus, aut amplius peccare non poſſit, aut, ſi peccaverit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat; nam niſi ex ſpeciali revelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.

Can. XIII. Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.

Veritati hujus fidei dngmatis, quo hic declaratur, Dei præcepta homini etiam juſtificato ad obſervandum non eſſe impoſſibilia, acceſſit daunatio contrariæ aſſertionis cnntentæ in I. hac Janſenii Propoſitione inter alias, ut ſupra proſcriptas a Clemente XI. in cit. Conſtitut. = Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, Deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant =.

SECTIO XIV.

Eadem Seſſio VI. cap. XV. de Juſtificatione.

ADverſus etiam hominum quorundam callida ingenia.... aſſerendum eſt, non modo infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti.

Hic declaratur alterum fidei dogma; quolibet ſcilicet mortali peccato amitti gratiam, ſed non fidem: cui acceſſit damnatin hujus Propoſitinnis la XII. in Ordine inter alias proſcriptas ab Alex. VIII. 7. *Decembris* 1690. = Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides divina, ſed humana =.

SE-

SECTIO XV.

Eadem Seſſio VI. Can. IV. de Juſtificatione.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocenti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet: neque poſſe diſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.

Huic pariter veritati acceſſit damnatio Propoſitionis Janſenii la III. in ordine ex proſcriptis ab Innocentio X. & Clemente XI. in Conſtitut. ſupra citt. = Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.

SECTIO XVI.

Eadem Seſſio VI. Can. VII. de Juſtificatione.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema ſit.

Huic anathematizationi acceſſit damnatio Propoſitionis la VIII. in ordine inter proſcriptas ab Alexandro VIII. *7. Decembris 1690.* = Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare =.

SECTIO XVII.

Eadem Seſſio VI. Can. XXXI. de Juſtificatione.

Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema ſit.

Huic alteri anathematizationi acceſſit damnatio ſequentium Propoſitionum la X. & XIII. inter proſcriptas ab eodem Alexandro VIII. *dicta die 7. Decembris 1690.* = Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere, ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens. = Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu, licet beatitudinis, operatur =.

SECTIO XVIII.

Seſſio VI. cap. I. de reform.

In hoc capitulo agit Concilium de reſidentia Epiſcoporum; ſed cum de hac rurſus, ac majori extenſione habendus ſit ſermo infra cum de *cap. I. ſeſſ. XXIII. de reform.* complectente nedum Epiſcopus, ſed etiam quoſcunque alios animarum curam habentes, reſidentiæ lege obſtrictos, ideo hujus cap. textum tranſcribere omitto, quem tamen unitim tranſcriptum ibidem leges una cum pœnalibus ſtatutis, quæ utrique capitulo contra non reſidentes acceſſerunt.

SECTIO XIX.

Eadem Seſſio VI. caput II. de reform.

Epiſcopis inferiores, quævis beneficia eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de jure, ſive conſuetudine exigentia, in titulum, ſive commendam obtinentes, ab eorum Ordi-

Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Eccleſiarum regimine, & divini cultus augmento, locorum, & perſonarum qualitate penſata, expediens videbitur, opportunis juris remediis reſidere cogantur: nullique privilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis, ſuffragentur. Indulgentiis vero, & diſpenſationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus cauſis tantum conceſſis, & coram Ordinario legitime probandis, in ſuo robore permanſuris: quibus caſibus nihilominus officium ſit Epiſcoporum, tamquam in hac parte a Sede Apoſtolica delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini, quoad hoc, privilegio, ſeu exemptione quacunque ſuffragante.

Cum itidem de declaratione, & acceſſione pœnarum, quibus beneficiati, aliique quicunque, etiam animarum curam non habentes, de jure, ſive conſuetudine reſidentiæ lege obſtricti ad eam, prout hic Concilium præcepit, cogi debeant, inſtituendus ſit ſermo loco ſupra cit. ad eum lectorem remitto.

Circa deputationem vero idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum aſſignationem hic præceptam, in Conſt. Innocentii XIII. *Apoſtolici miniſterii* 13. *Maii* 1723. ſuper eccleſiaſtica diſciplina in Regnis Hiſpaniarum, confirmata, & extenſa ad quoſcunque locorum Ordinarius a Bened. XIII. Conſt. *In ſupremo militantis* 23. *Sep.* 1724. ut alias innui, præſcribitur §. XI. modus, quo utrique præcepti parti Ordinarii ſatisfacere poſſint, ne animarum cura negligatur, ibi.

Quoties itaque in aliis parochialibus Eccleſiis, quæ, ut præfertur, unitæ non ſint, oportuerit ex aliqua juſta cauſa provideri per Coadjutores Parochorum, aut per Vicarios temporarios; curæ erit Epiſcopis, pro data ſibi a Trident. Synodo poteſtate partem fructuum, prædictis Coadjutoribus, aut Vicariis aſſignandam, determinare in ea quantitate, quæ pro ſuo prudenti arbitrio, & conſcientia conveniens videbitur, ratione videlicet habita redditum, & emolumentorum Eccleſiæ parochialis, in qua deputati fuerint, necnon inſpectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris, & quantitate impenſarum, quas commiſſi officii neceſſitas poſtulaverit. Quod ſi Parochi ab Epiſcopis moniti, congruo iiſdem termino præfixo, Coadjutores, ſive Vicarios temporarios, quoties opus fuerit, aſſumere neglexerint, poterunt ipſi Epiſcopi eos, quos huic muneri idoneos cenſuerint, auctoritate propria deputare cum aſſignatione antedictæ portionis fructuum. Et nihilominus, ubi etiam prædicti Coadjutores, aut Vicarii temporarii a Parochis nominati, vel aſſumpti fuerint, eorum de idoneitate Epiſcopis conſtare per examen debeat, antequam ad exercitium admittantur; nec ſatis ſit, quod ad confeſſiones audiendas antea fuerint approbati, niſi aliis etiam qualitatibus, ad curam animarum recte exercendam opportunis præditi noſcantur. Quibus ſi careant, nec Parochi deinde intra alium ſimilem terminum, ab Epiſcopis præfigendum, alios vere idoneos nominaverint; tunc pariter ad ipſos Epiſcopos libere ſpectet deputatio cum dicta congruæ aſſignatione; nec ulla Parochorum contradictio, aut exemptio, aut appellatio, aut cujuſcunque Judicis inhibitio executionem deputationis, & aſſignationis certæ partis fructuum in caſibus præmiſſis ſuſpendere poſſit; itemque non obſtante qualibet contraria conſuetudine, etiam immemorabili.

SECTIO XX.

Eadem Seſſio VI. cap. III.

Eccleſiarum Prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus prudenter, ac diligenter intendant: & nemo ſecularis Clericus, cujuſvis perſonalis, vel Regularis extra monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu, tutus cenſeatur, quominus, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam ſuper hoc a Sede Apoſtolica delegato, ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat, &c.

De juriſdictione Ordinariorum, tamquam a Sede Apoſtolica delegatorum, in Clericos exemptos inſtituetur ſermo infra cum de *cap. IV. ſeſſ. XIV. de refor.* In Regulares vero delinquentes extra clauſtra cum de *cap. XIV. ſeſſ. XXV. de reform. Regular.*

SE-

S E C T I O   X X I.

Eadem Seſſio VI. caput IV. juncto cap. IV. ſeſſ. XIV. & cap. X. ſeſſ. XXIV. de reform.

Capitula cathedralium, & aliarum majorum Eccleſiarum, illorumque perſonæ, nullis exemptionibus, conſuetudinibus, ſententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum ſuos obligent auctores, non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint, quominus a ſuis Epiſcopis, & aliis majoribus Prælatis, per ſe ipſos ſolos, vel illis, quibus ſibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas ſanctiones, toties, quoties opus fuerit, viſitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apoſtolica, poſſint, & valeant.

Non ſemel huic Decreto acceſſit declaratio *Sacr.* Congreg. Concil. cum enim munitum ſit clauſula præſeferente neceſſitatem adjungendi Epiſcopo, viſitare volenti Capitulum exemptum, aliquot Canonicos ad præſcriptum juris communis, expreſſum in *cap. XVII. Ut juſta, de Offic. Jud. Ordin.* ad quod videtur Concilium hic ſe retuliſſe, propter illa verba: *Vel illis, quibus ſibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas ſanctiones*: quaſi per poſteriora hæc verba *juxta canonicas ſanctiones*, quæ etiam repetita leguntur in *cap. IX. ſeſſ. XIV. & cap. X. ſeſſ. XXIV. de reform.* declarentur antecedentia, ſæpius ortum eſt dubium, an hujuſmodi viſitationem Epiſcopus per ſe ſolum inſtituere poſſit. Et quamvis Rota Romana, ut refert Fagnanus in *cit. cap. Ut juſta num.* 38. olim ſenſerit, teneri adjungere ſibi aliquos ex ſuis Canonicis juxta hanc eandem Decretalem; contrarium tamen ex ſententia Sac. Congr. Conc. probaſſe dicit idem Fagnan. n. 39. Gregorium XIII.

Reſolutiones autem dictæ Congregationis referuntur a Benedicto XIV. una cum animadverſione, quam menti ejuſdem Congr. adnectit *lib. XIII. cap. IX. n 6. 7. & 8. de Synodo diœc. edit. Rom.* 1755. *pag.* 505. *& ſeq.* ibi.

= In cauſa *Zamoren. lib.* 131. *Poſitionum pag.* 806. Præſuppoſito, quod Capitulum Zamorenſe eſt exemptum de conſuetudine immemorabili, quæritur, an poſſit Epiſcopus viſitare Eccleſiam, illiuſque Canonicos, beneficiatos, & alias Eccleſiæ perſonas per ſe ipſum, vel an debeant intervenire adjuncti, aut aliæ perſonæ de Eccleſia, vel extra eam, quia nunc procedit ſolus Epiſcopus cum Secretario, & Notario: Congregat. Concil. reſpondit, poſſe per ſe ipſum ſolum abſque adjunctis = Animadvertenda in hac reſolutione ſunt ea verba: *per ſe ipſum*, quæ plane reſpondent aliis a Trident. Conc. *in cit. cap. IV.* adhibitis: *per ſe ipſos*: ex quibus evidenter infertur, Epiſcopum, quoties Capituli exempti viſitationem ſeorſim inſtituere velit, id quidem poſſe, ſed eam per ſe ipſum explere debere, nec operam hanc alteri committere poſſe, ſicuti egregie advertit Fagnanus in *cap. Procurationes, num.* 11. *de Cenſibus*. Contra vero, id licitum eſſe Epiſcopo, dum univerſæ diœceſis, vel partis illius viſitationem peragit, juxta decreta in *cap. III. ſeſſ. XXIV.* & ſicuti Congreg. Concil. perpendit in cauſa *Hiſpalen. die* 12. *Martii anni* 1593. *lib. VII. Decretor. pag.* 98. = Sacra &c. cenſuit, Ordinarium, volentem viſitare in vim cap. IV. *ſeſſ. VI.* teneri per ſe ipſum; volentem autem viſitare *ex cap. III. ſeſſ. XXIV.* poſſe per ſuum generalem Vicarium, aut Viſitatorem, ſi tamen legitime impeditus fuerit =.

Nec confundenda eſt hæc tridentina diſpoſitio cum altera contenta in *cap. VI. ſeſſ. XXV. de reform.* (de quo ſpeciatim ſermo inſtituetur infra) ubi poſt confirmationem præſentis cap. IV. ſtatuit, viſitationem Capituli exempti ab Epiſcopo fieri non poſſe ſine conſilio, & conſenſu duorum Capitularium ab eodem Capitulo deſignandorum quolibet ineunte anno, ut poſſint ſemper adeſſe eidem Epiſcopo, procedere volenti in aliquem ex Canonicis; ibi enim agitur de correctione Capituli exempti intra viſitationem, hic autem extra, qui diverſus quidem caſus eſt, cujus cap. diſpoſitionem animadvertens idem Benedictus *loc. cit. num.* 8. cur ita a Concilio ſtatum fuerit, hæc habet. = Quia vero, cum Epiſcopus ſolus ſit, Canonici autem duo, facile evenire poſſet, ut hi inter ſe conſpirarent, unitiſque ſententiis contrariam Epiſcopi opinionem eluderent; ideo Concilium provide ſtatuit, ut duorum Canonicorum ſententiæ ſimul junctæ unius tantummodo ſuffragii vim habeant, & ut Epiſcopi quidem ſententia prævaleat, ſi alter ex Canonicis ſuum illi judicium adjungat: ſi autem Canonici ambo in contraria ſententia juncti perſeverent, nec Epiſcopus a ſua dimoveatur, tunc intra ſex dierum ſpatium ad tertii electionem procedendum fore decernit, præſcripta etiam hujuſmodi electionis forma: ſicuti fuſius legitur in dicto *cap. VI. ſeſſ. XXV.* ubi etiam prudenter ſtatuitur, quid faciendum ſit, ſi timeatur, ne certorum criminum reus fugam arripiat, nimirum, poſſe tunc Epiſcopum ſolum, etiam extra viſitationis actum, ad neceſſariam perſonæ detentionem procedere, firma tamen remanente obligatione adhibendi adjunctos in cauſæ proſecutione =.

Cæterum in Italia fere nunquam excitantur controverſiæ ſuper hujus IV. capituli praxi, cum, ut notat Cardinalis de Luca ad idem *cap. diſcurſ. V. n.* 14. rarus ſit uſus Capitulorum exemptorum; qui dumtaxat frequens eſt in Hiſpania aliiſque partibus ultramontes.

SE-

S E C T I O X X I.

Eadem Seſſio VI. caput V. juncto cap. II. ſeſſ. XIV. de reform.

NUlli Epiſcopo liceat, cujuſvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantum: ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi.

Cum ſub exercitio Pontificalium comprehendantur in hoc Decreto non tantum Ordinum collatio (quamvis ad hanc præcipue ipſius verba reſpiciant) ſed & alia, pontificalem aliquam auctoritatem præſeferentia; cumque de Ordinum collatione ſpecialior inſtituendus ſit ſermo infra, cum de *cap. VIII. ſeſ. XXIII.* hic dumtaxat agemus de acceſſionibus pertinentibus ad alia Pontificalia, quæ in aliena diœceſi abſque expreſſa Ordinarii loci licentia hic exerceri prohibentur; quæ quidem ſub ſuſpenſionis pœna cuivis alii Epiſcopo interdicta ſunt etiam a Synodo Antiochena, celebrata an. 341. Can. XXII.

Antequam autem referantur quæ huic ſtatuto acceſſerunt, duo prænotanda ſunt.

I. Sub Pontificalium nomine, præter Ordinum collationem, venire Primam Tonſuram, Conſecrationes vaſorum, Eccleſiarum, Virginum, Chriſmatis, & Confirmationem; necnon benedictionem veſtium, & Corporalium. Item omnes actus ſacerdotales exercendos cum apparatu pontificali, mitra videlicet, & baculo paſtorali, puta Miſſam, aliaque divina officia; DD. communiter relati a *Theſauro de panis, verb. Epiſcopus cap. IV.*

I. Nomine Ordinarii, cujus licentia ad hæc exercenda hic exigitur a Concilio, venire quemcunque etiam non Epiſcopum, juriſdictionem, & auctoritatem epiſcopalem, ſive ex jure communi, ſive ex privilegio, aut inveterata conſuetudine in loco exempto obtinentem; quandoquidem quod dixit Concilium de exercitio Pontificalium in alterius diœceſi, inteligi etiam poteſt de loco exempto, ut probat Fagnanus in *cap. Nullus, de Parochiis num.* 52.

Locus autem exemptus ab Epiſcopi juriſdictione in triplici claſſe (juxta communem) conſiderari poteſt.

I. Prout eſt locus exemptus improprie, & per accidens ratione tantum perſonarum, ut fere omnia monaſteria Regularium, quorum Prælatus habet juriſdictionem in perſonas, ſed ſine territorio; cum hæc loca ſint in, & de diœceſi Epiſcopi.

II. Prout eſt locus exemptus proprie, in quo, Prælatus, Epiſcopo inferior, habet plenam juriſdictionem epiſcopalem, ut plurimum cum temporali conjunctam; ſitus eſt autem intra fines alicujus diœceſis.

III. Prout eſt locus exemptus omnino, & dicitur *Nullius diœceſis*, ſeu territorium ſeparatum extra fines cujuſcunque diœceſis, vel in extremo, puta ad litus maris, ubi Prælatus habet epiſcopalem juriſdictionem in ſubditos, tam Clericos, quam laicos.

His itaque poſitis, in eo, quod ſpectat ad primum locum, ſi aliquod ex enumeratis Pontificalibus ab alieno Epiſcopo ſine expreſſa licentia Ordinarii loci exerceatur animo ſibi uſurpandi, ſeu acquirendi juriſdictionem, præter pœnam ſuſpenſionis in hoc Decreto inflictam, incurret etiam excommunicationem Papæ reſervatam, latam a Trident. *cap.* XI. *ſeſſ.* XXII. *de reform.* & a *Bulla Cœnæ* §. XVII. quem habes in fine hujus Operis.

In loco vero, ſecundo modo accepto, licet Epiſcopus non poſſit exercere juriſdictionem, ſeu tribunal erigere, *cap. Epiſcopus, de Offic. Ordinarii in VI. Rota diverſ. decis.* 145. *num.* 1. *par.* 5. *tom.* 1. cum tamen dicatur eſſe ut in propria, & reſidens in ſua diœceſi, ſicuti & in loco primo modo accepto, & quidem cum ampliori juriſdictione, poteſt in utroque dicta Pontificalia exercere, & cathedram habere, juxta diſpoſita *in Clementina* II. *Archiepiſcopo, de Privileg.* qua derogatum eſt Canoni *Abbatem*, deſumpto ab Epiſtola XLIII. S. Gregorii ad Caſtorium Epiſcopum Ariminenſem *lib.* IV. *cap.* LXXXVII. *&* *relato cauſ.* XVIII. *quæſt.* 2. ubi prohibebatur Epiſcopis celebrare Miſſas publicas, ſeu ſolemnes in Eccleſia Monachorum. Quam Clementinam amplexa eſt etiam Rota *par.* 5. *Recent. decis.* 238.

Quod tandem ſpectat ad locum tertio modo acceptum, Epiſcopus in eo exercere nequit ſine diœceſani licentia Pontificalia: neque ullam ibi habet juriſdictionem, tribus exceptis caſibus, ſcilicet. I. Quoad viſitationem juxta præſcriptum Trident. *cap.* IX. *ſeſſ.* XXIV. *de reform.* II. Quoad licentiam, & cognitionem extractionis reorum e loco ſacro, juxta Conſtit. Gregorii XIV. *Cum alias* 24. *Maii* 1591. §. IV. & Conſtit. Benedicti XIV. *Officii noſtri* 15. *Martii* 1750. §. XII. III. In caſu præſcriptæ juriſdictionis, vel privilegii; ita tamen, ut præſcriptio non ſit quadragenaria una cum titulo colorato, ſed immemorabilis cum ſuis omnibus requiſitis rite probata, per quam Apoſtolicum privilegium de jure præſumi valeat: privilegium vero ſit clarum, & undequaque ſubſiſtens, ut declaravit peculiaris Congregatio deputata a Clemente XI. habita 3. *Januarii* cum approbatione, & confirmatione ejuſdem Pontificis die 14. dicti menſis an. 1721. ut ex illius Decreto relato a Benedicto XIV. in Conſtitut. *Inter multa*, §. *His ſans* 24. *Aprilis* 1747.

Ne autem in dubium revocetur, poſſe Epiſcopum diœceſanum exercere Pontificalia in loco potiſſimum primo modo accepto, ſeu in Eccleſiis Regularium exemptorum intra fines diœceſis exiſtentium, traſcribimus hic Decretum S. Congr. Epiſcoporum, & Regularium, confirmatum a Clemente VIII. & relatum a Fagnano *lib.* I. *Decretal. cap. VII. Quia nos, de Auctorit. & uſu Pallii num.* 19. quo Epiſcopis diœceſanis nedum conceditur hujuſmodi facultas, ſed etiam procedendi per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas contra eoſdem Regulares ſe opponentes: quod,

quod, ut notat idem Fagnan. *cit. num.* 19. jure communi inſpecto, facere non poterant Epiſcopi, ſed opportebat eos agere coram Superiore exemptorum, ut eos renuentes cogeret id ipſis Epiſcopis permittere, quidquid, non obſtante hoc Decreto, in contrarium aſſerat Matthæuccius *Offic. Curiæ cap.* 19. *num.* 35. & 36. contendens, non licere eiſdem Epiſcopis in Eccleſiis Regularium non parochialibus, his invitis, ſi dicta Pontificalia nedum honorem, ſed etiam immixtam juriſdictionem præſeferant, ut Ordinea conferre, Confirmationem adminiſtrare, Indulgentias concedere &c. quem refellit Gaudentius a Janua *de Viſit. Prælat. eccleſiaſt. tom. I. cap. IV. dub. X. ſect. V. num.* 68. potiſſimum cum de Sacramento Confirmationis acceſſerit Conſtitutio Benedicti XIV. *Firmandis 6. Novembr.* 1744. in qua §. VI. tributa eſt Epiſcopis diœceſanis abſoluta facultaa tam in viſitatione, quam extra, dictum Sacramentum conferendi io omoibua Regularium Eccleſiis, etiam non parochialibus, ibi.

Sed & in ipſo viſitationis curſu, atque etiam extra illam, aliqui Regulares de ſuorum privilegiorum, & exemptionum indemnitate plus nimio ſoliciti, hanc Epiſcopis controverſiam moverunt, utrum iis liceret in ipſorum Regularium Eccleſiis, ſive parochialibus, ſive non parochialibus, Sacramentum Confirmationis adminiſtrare: quæ quidem controverſia in Congreg. Conc. partibus pleniſſime auditis, pro Epiſcopis deciſa fuit, quemadmodum & Nos generaliter, & ſine exceptione eamdem definimus.

Tenor autem ſupra citati Decreti Sacr. Congr. Epiſcoporum, & Regularium, relati a Fagnano *loco citato*, eſt.

Decet Epiſcopis pro eo, quo in Eccleſia Dei excellunt, dignitatis gradu, in quocunque ſuarum diœceſium loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut Pontificalibus adeſſe, & aſſiſtere contingit, eam, qua par eſt, reverentiam, & honorem decoro cultu, & ornatu exhiberi. Quare non ſine gravi animi dolore auditum eſt, nonnullos Regulares, vano quarundam immunitatum, & privilegiorum prætextu, Epiſcopis in eorum Eccleſiis Pontificalibus intereſſentibus, non modo renuiſſe in eis ſupra locum epiſcopalis ſolii baldachinum erigere, verum id etiam juſſu ipſorum Epiſcoporum curantes prohibere, ac arcere auſos fuiſſe. Atque ideo S. Congregatio S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, facto verbo cum Sanctiſſimo D. N. Clemente VIII. ac de Sanctitatis ſuæ ſpeciali, & expreſſo mandato, hoc præſenti Decreto perpetuis futuris temporibus valituro declarat, ſtatuit, decernit, & mandat, ut de cætero Epiſcopi, ubi tam ex conſuetudine, & privilegio, quam ex ſacrorum Canonum, Conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio jure Pontificalia exercere, aut pontificalibus paramentis cum Mitra, vel extra, ſola Cappa induti in quibuſvis Regularium tam Mendicantium, quam Monachorum, etiam Caſſinenſium, Clericorum, Presbyterorum, & cujuſvis alterius Ordinis, Religionis, Militiæ, Societatis, aut Congregationis Eccleſiis intereſſe poſſunt, ipſi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eiſdem Epiſcopis illud apportari, & in quacunque eorum Regularium, aut alia, quantumvis exempta, Eccleſia, ſupra epiſcopale ſolium, ſeu pontificale faldiſtorium erigi facere, atque ſub eo ſedere, & ſtare, quemadmodum in propriis cathedralibus eorum Eccleſiis ſtare, & ſedere ſolent; eo tamen dumtaxat tempore, quo pontificales ejuſmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipſe, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Siqui vero Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato inobedientes, & contumaces fuerint, ſciant, ſe ab iiſdem Epiſcopis ad id per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas hujus decreti virtute cogi, & compelli poſſe, aliiſque pœnis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus arbitrio Summi Romani Pontificis ſubjacere, & obnoxios fore. Non obſtantibus &c. Romæ die 10. Junii 1603.

Nota I. Quod Epiſcopus exercena Pontificalia in ſua diœceſi in perſonaa ſubjectas alii Epiſcopo, puta conferendo Sacramentum Confirmationis, licet juxta communiorem ſententiam peccet, non tamen incurrit ſuſpenſionem, a Conc. hic inflictam; cum ſub hac pœna Ordines in aliena diœceſi conferre ab eodem ipſi prohibeatur. Vide *Theſaur. de pœn. verb. Epiſcopus cap. IV. §. Nota ſecundo, quod Epiſcopus.*

Nota II. Quod neque dictam ſuſpenſionem, aut aliam pœnam incurret, ſi in aliena diœceſi Primam Tonſuram proprio ſubdito privatim conferat, quia ut notat Van-Eſpen. *par. I. tit. XVII. num.* 12. cum Cardinali de Luca hæc dari poteſt ſine Pontificalibus, & quia non eſt proprie Ordo, ſed introductio ad illum.

Nota III.

Nota III. Cum eodem Van-Eſpen dicto n. 14. quod in aliena diœceſi poſſunt ab Epiſcopo exerceri omnes actiones voluntariæ juriſdictionis, Pontificalium uſum non exigentes, ut ſunt beneficiorum provisiones, deputationes officialium, vel delegationes cauſarum, & ſimilia.

Pro coronide hujus capituli ſubnectimus Decreta S. Congr. Conc. ſpectantia ad exercitium Pontificalium in aliena diœceſi, relata in hoc eodem cap. a Bellarmino in Conc. Trident. = Commendatarius Abbatiæ, habens jura epiſcopalia, poteſt quemlibet Epiſcopum vocare, ut ſuos ſubditos confirmet Sacramento; ſecus ſi eſt infra fines alterius diœceſis, licet Abbatia ſit exempta, & habeat jura quaſi epiſcopalia, niſi de licentia Epiſcopi =.

= Cardinales in aliena diœceſi non poſſunt conſecrare Eccleſias prophanatas, niſi de indulgentia Papæ =.

= Epiſcopus non habens Epiſcopatum, ſi habeat Eccleſiam juriſdictionalem ſuam, non poteſt in ea confirmare, vel exercere Pontificalia ſine licentia Epiſcopi, intra cujus diœceſim eſt Eccleſia, nec in loco exempto, etiam vocatus a Superiore loci, ſi locus eſt intra fines diœceſis alicujus: ſed ſi locus eſt in nulla diœceſi, poteſt confirmare de licentia Superioris =.

Quibus ſubnecto ſequentia, a me reperta in Regeſtis ejuſdem Congr. videlicet.

= Metropolitanus, etiam Legatus de latere, non poteſt exercere Pontificalia in diœceſibus ſuæ legationis, niſi in facultatibus ejuſdem legationis hoc habeat, in *Tullen.* 1595. *ut lib.* 8. *Decretorum pagina* 168.

= Neque Epiſcopus exterus in Eccleſia monialium ab Ordinarii juriſdictione exemptarum, ſibique ſpecialiter a Sede Apoſtolica per literas in forma Brevis ſubjectarum abſque licentia Epiſcopi diœceſani, *Torcellen.* 24. *Jan.* 1760. *ad II. dub. lib. Decretor,* 22 *pag.* 20. =.

= Neque Epiſcopus vicinior in Abbatia Nullius diœc. ſine licentia Abbatis, niſi hoc aliunde ei competat, *Nullius* 2. *Auguſti* 1596. *Decretor. lib.* 8. *pag.* 183 =.

Hic quæri poſſet, an Epiſcopus exercens Pontificalia in aliena diœceſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, poſſit etiam Ordines conferre ſuis propriis diœceſanis, non obſtante *cap. V. Trident. ſeſſ. VI. de reform.* Gallemart ad *cap. II. Trident. ſeſſ. XIV. de reform.* refert Cong. Conc. ſub die 6. Jul. 1595. & 2. Jul. 1597. cenſuiſſe poſſe.

SECTIO XXII.

Seſſio VII. caput II. de reform.

NEmo, quacunque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures metropolitanas, ſeu cathedrales Eccleſias in titulum, ſive commendam, aut alio quovis nomine, contra ſacrorum Canonum inſtituta recipere, & ſimul retinere præſumat: cum valde felix ſit ille cenſendus, cui unam Eccleſiam bene, ac fructuoſe, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias contra præſentis decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra ſex menſes, ſi ad liberam Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur: alioquin Eccleſiæ ipſæ, ultima obtenta dumtaxat excepta, eo ipſo vacare cenſeantur.

Quæ huic Decreto acceſſerint ex diſpoſitione, & indulgentia Sedis Apoſtolicæ quoad retentionem plurium Epiſcopatuum reſpectu S.R.E. Cardinalium, & aliquorum Epiſcoporum Germaniæ, legi poſſunt cumulatiſſime allata a Benedicto XIV. *de Synodo diœc. lib.* XIII. *cap.* VIII. *edit. Roman. an.* 1755. *a pag.* 493. *ad* 498 quæ cum ad ſolius Summi Pontificis providam diſpoſitionem pertineant, illuc lectorem remitto.

SECTIO XXIII.

Eadem Seſſio VII. caput VII. juncto cap. XVI. ſeſſ. XXV. de reform.

BEneficia eccleſiaſtica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel monaſteriis, beneficiis, ſeu collegiis, aut piis locis quibuſcunque perpetuo unita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur: qui ſolicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, niſi ipſis Ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipſorum Ordinariorum, portione, etiam ſuper certa re-

aſſignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuſcunque in præmiſſis minime ſuffragantibus.

Primæ hujus decreti parti reſpicenti viſitationem Eccleſiarum parochialium, quibuſcunque locis piis, etiam exemptis, perpetuo unitarum acceſſit Conſtitutio S.Pii V. *Expoſcit* 22. *Septem.* 1571. extendentis §. III. & IV. hanc juriſdictionem viſitationis gratis faciendæ a locorum Ordinariis, tamquam a delegatis Sedis Apoſtolicæ etiam ad parochiales militiæ Sancti Joannis Hieroſolymitani, in iis, quæ ad animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, ibi.

§. III. Et ne in futurum aliqua amplius controverſia oriri poſſit, decernimus, declaramus, ſtatuimus, omnes, & ſingulos locorum Epiſcopos, & alios Superiores, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatos, omnes, & quaſcunque parochiales Eccleſias, cæteraque beneficia eccleſiaſtica ſuarum civitatum, & diœc, quibus animarum cura imminet, ad dictam Religionem, ejuſque Milites, Capellanos, Miniſtros, Rectores quomodolibet pertinen. etiam quod in eis epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem Religio, & Milites prædicti haberent, eorumque Eccleſias, Rectores, Vicarios, & Miniſtros quoſcunque (in his tamen dumtaxat, quæ animarum curam, illiuſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt) viſitare, omneſque actus viſitationem concernentes exercere poſſe, & debere, ac Rectores, cæteroſque hujuſmodi Miniſtros curam animarum exercentes minus idoneos repertos, ſi quidem ad nutum amovibiles ſint, ſtatim amovere, ſin vero titulares ſint, illico ſuſpendere, ac Superiores eorum monere, ut intra aliquem brevem terminum in locum amotorum ſubrogent alios idoneos; prius tamen per ipſos Epiſcopos, & alios Superiores examinatos, & approbatos. Titularibus vero ſuſpenſis deputent alios idoneos pariter examinatos, & approbatos, ut ſupra, in Coadjutores, ſeu Vicarios juxta decretum Concilii, ſeſſ. XXI. cap. VI. Interea vero, dum hæc ſubrogatio, ſeu deputatio fiat, ipſi Epiſcopi, & alii Superiores pro neceſſitate curæ animarum provideant arbitrio ſuo. Quod ſi Superiores dictorum Rectorum, & Miniſtrorum intra tempus præfixum non ſubrogaverint, aut deputaverint, ut ſupra, tunc, dicto termino elapſo, ipſi Epiſcopi, & alii Superiores alios, prævio examine, juxta ejuſdem Concilii formam idoneos repertos in locum amotorum ſubrogent. Titularibus vero ſuſpenſis, Coadjutores deputent juxta dictum cap. VI. ſeſſ. XXI. Qui tamen in dictis parochialibus perinde inſerviant, acſi ſubrogati, aut deputati ab ipſis Superioribus Religionis, & Militum prædictorum fuiſſent.

§. IV. Volumus autem, quod Epiſcopi, & alii Superiores prædicti viſitationem hujuſmodi, & prædicta omnia ſolum, tanquam delegati Apoſtolicæ Sedis, & gratis, & abſque ulla dictæ Religionis, Rectorum, & Miniſtrorum impenſa, & onere faciant.

Secundæ vero relati Decreti parti, ſtatuenti in prædictis parochialibus Eccleſiis deputandos eſſe ab Ordinariis Vicarios idoneos, etiam perpetuos, acceſſit altera dicti Pii Conſtitutio *Ad exequendum*, 1. *Novembr.* 1567. qua indulſit omnibus Regularibus nominationem faciendam ab eorum Superiore, ſi Vicarius ſit perpetuus, ad excluſionem Ordinarii, cum hujus tamen approbatione.

Si vero deputandus ſit in parochialibus unitis Monaſteriis Mendicantium, nominari poſſit unus ex ipſis, approbandus pariter ab Ordinario, amovibilis tamen ad nutum ſuorum Superiorum.

Et quamvis hæc Conſtitutio quoad hoc redacta fuerit ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini a Greg. XIII. Conſtit. *In tanta*, 1. *Martii* 1573. id tamen Gregor. 2. *Decembr.* 1575. ad relationem Congr. Conc. in ſimilis controverſiæ ſpecie viſus eſt ſentire, Concilium in hoc *cap. VII.* (ſunt verba Fagnani, dictam controverſiam referentis *lib. III. de Statu Monachor. cap. VII. Quod Dei timorem numer.* 15. = Non ita clare dare arbitrium Ordinario ponendi quos velit Vicarios perpetuos, etiam ad excluſionem Regularium, qui alias idonei eſſent =.

Quidquid autem ſit de intellectu hujus capituli, certum eſt ex hodierna praxi, juxta aſſertum Benedicti XIV. *de Synodo diœc. edit. Roman. anno* 1755. *lib.* XII. *cap.* I. *num.* 2. quod = a Capitulis, & Monaſteriis deputari ſolent Vicarii temporanei, ad nutum amovibiles, qui animarum curam exerceant in parochiis iiſdem Capitulis, ſeu Monaſteriis unitis: a quibus tamen de jure communi poſſunt etiam ſine cauſa divelli, & amoveri, modo remotio fiat abſque dolo, & non ex odio =.

Tertiæ tandem ejuſdem Decreti parti, qua præcipitur aſſignandam eſſe dictis Vicariis perpetuis tertiam fructuum partem, aut majorem, vel minorem Ordinariorum arbitrio, derogatum eſt ab eodem Pio V. auferente hoc arbitrium, ac ſtatuente, ut portio dictis Vicariis aſſignanda omnino ſit = non major centum, nec minor quinquaginta ſcutorum annuo-

nuorum ſumma, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi ſolitis. . . . . niſi ſolitum fuiſſet plus aſſignari = ut legitur in cit. Conſtit. *Ad exequendum* §. I. & II° ibi.

§. I. Hinc eſt, quod nos, ad quorum aures (quod non ſine animi noſtri moleſtia referimus) pervenit, nonnullos ex Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in deputandis Vicariis, ac in aſſignatione portionum Vicariis perpetuis, parochialium dictis Eccleſiis, monaſteriis, beneficiis, Collegiis, vel locis piis perpetuo unitarum ex Conc. Trident. facienda, ita modum exceſſiſſe, ut parum, aut nihil, ex fructibus, redditibus, & proventibus parochialium Eccleſiarum ſic unitarum Eccleſiis, Monaſteriis, beneficiis, Collegiis, aliis locis piis remanſerint, ob idque multæ ortæ ſint ſuper hoc controverſiæ circa interpretationes decreti dicti Concilii.

§. II. Nos ad eas tollendas animum intendentes, conſiderantesque uniones ipſas ideo a Prædeceſſoribus noſtris factas eſſe, ut ex redditibus, & emolumentis beneficiorum unitorum Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, beneficiis, & locis piis, quibus illa uniuntur, facilius onera eiſdem incumbentia ſupportentur, & promptius a miniſtris eccleſiaſticis, in eiſdem divina officia celebrentur, hoſpitalitas ſervetur, aliaque charitatis opera exerceantur, ac etiam ut nihilominus cura animarum dictarum parochialium laudabiliter exerceretur, motu proprio, hac noſtra perpetuo valitura Conſt. ſtatuimus, & ordinamus, & declaramus, quemadmodum etiam de ipſius Concilii mente fuiſſe colligimus, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos præfatos in aſſignatione portionis ipſis Vicariis perpetuis ex prædicto Concilio ipſorum Prælatorum arbitrio facienda, ita ſe continere, & arbitrari debere, ut non major centum, nec minus quinquaginta ſcutorum annuorum ſumma, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi ſolitis, eis omnino aſſignetur, niſi Vicariis ſolitum fuiſſet plus aſſignari, ſive in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaque numerata, fundo, ſive alia re ſtabili portio hujuſmodi conſtituatur, cujuſcunque valoris parochialis Eccleſia unita fuerit, et habita etiam ratione redditum, et onerum loci, cui parochialis ipſa unita fuerit; ita quod portiones, ultra, vel infra dictas ſummas ſcutorum centum, et ſcutorum quinquaginta hactenus aſſignatæ, vel in poſterum forſan aſſignandæ, quoad exceſſum, et defectum hujuſmodi, nullius roboris, et momenti exiſtant, et ad ſummas prædictas reductæ, et auctæ reſpective cenſeantur: niſi tamen valor annuus ipſius parochialis unitæ, habita ratione, ut præfertur, minor ſit quinquaginta ſcutis; quo caſu portio aſſignata, vel aſſignanda Vicario perpetuo non debeat excedere ſummam annui valoris dictæ prrochialis, ſed ſufficiat, quod omnes fructus ejus dumtaxat attribuantur ipſi Vicario perpetuo.

Quæ ſcuta, licet *Rota deciſ.* 18. *num.* 14. *parte* 19 *Recentior.* & juxta eam Pitonius *part.* 2 *diſcept.* 46. *num* 4. ſenſerit, intelligenda eſſe de moneta loci, in quo Eccleſia exiſtit, ex poſteriori tamen declaratione Innocent. XIII. Conſt. *Apoſtolici miniſterii* 23. *Maii* 1723. intelligenda ſunt de argenteis juliorum decem monetæ Romanæ, ut §. XII. ibi.

Præterea, ne Conſtitutionis S. Pii V. Prædeceſſoris noſtri, in qua taxatur congrua fructuum portio Vicariis perpetuis, animarum curam exercentibus aſſignanda, interpretationem ab ejus ſententia alienam fieri contingat, declaramus Conſtitutionem illam pertinere dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum Eccleſiarum parochialium, quæ aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, beneficiis, & locis piis unitæ ſunt: necnon portionem annuam ſcutorum, quæ ibidem ſtatuitur eſſignanda ipſis Vicariis in ſumma non majori, quam centum, nec minore, quam quinquaginta ſcutorum, intelligi debere de ſcutis argenteis juliorum decem monetæ Romanæ pro quolibet ſcuto.

Licet vero in hac Innocentii Conſtit. declaretur laudatam Pii Conſt. pertinere dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum Eccleſiarum parochialium, quæ aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, beneficiis, & locis piis unitæ ſunt, attendenda eſt tamen noviſſima Conſt. Benedicti XIV. ad omnes locorum Ordinarios, per Italiam conſtitutos, *Cum ſemper* 19. *Auguſti* 1744. in qua § X. comprehenſi ſunt etiam temporanei; & quoad congruam, tam his, quam illis aſſignandam dicta Piana Conſtitutio redacta eſt ad terminos Conc. Trid. ibi.

At demum, quoad illos, qui tanquam Vicarii, ſive perpetui, ſive ad tempus conſtituti, animarum curam adminiſtrant, quæ apud alios habitu reſidet, ratione alicujus Eccleſiæ parochialis, ipſorum Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, Collegiis, aut locis piis olim unitæ; quamvis a recor. mem. Prædeceſſore noſtro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujuſmodi Vicariis aſſignanda, prout in ipſius Conſtitutione, quæ incipit: *Ad exequendum, data Kalendis Novembris anni* 1567. diſtincte ſtatuitur; nihilominus ubi præſcripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis aſſignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Conſtitutionis eiſdem fuerit attributa, minime ſufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumſtantias, & ſignanter pro implendo onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro populo diebus feſtis de præcepto; utendum vobis erit poteſtate, quam fecit Epiſcopis Synodus Trident. ſeſſ. VII. cap. VII. dum illorum arbitrio permiſit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem aſſignare; quam ob cauſam Nos etiam Fraternitatibus veſtris, quatenus opus ſit, neceſſarias omnes, & opportunas facultates impertimur, quibuſcunque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio ſancitur, adverſus ea, quæ ſalubriter a vobis conſtituta fuerint, minime ſuffragantibus.

Quia vero ſæpe laudata Piana Conſtit. ſtatuit in dicta reſpective ſumma ſcutorum centum, vel quinquaginta computanda eſſe omnia etiam incerta emolumenta, & alias obventiones communiter percipi ſolitas, ortum eſt dubium, an nomine incertorum veniant emolumenta ratione ſtolæ. Cui dubio ſatisfecit Pitonius *part. 2. diſcept. 46. num. 4.* = Inter incerta (ait) alia eſſe, quæ ſunt mere eventualia, & voluntaria, quæ pendent a ſola populi devotione, quorum non eſſe habendam rationem pro congrua firmat de Luca *de Parocho diſcurſ.* 18. *num.* 12. & alia incerta ſolvenda occaſione Sacramentorum, vel ſepulturæ, quæ ſunt aliqualiter certa, quorum ratio haberi debet, cum proinde populus non poſſit non mori, non naſci, non baptizari, & non contrahere matrimonium, ut ſubjungit idem Cardinalis: ubi etiam notat, quod in pleriſque parochiis, nullum alium redditum habentibus, illa ſola emolumenta ob populi numeroſitatem adeo magnum redditum conſtituunt, quod ſufficiat etiam ad ſubſtentationem Collegii, cujus beneficia adeo pinguia reputantur, ut etiam penſionibus graventur =.

Quoad undecim perpetuas Vicarias Urbis. idem S. Pius Conſt. *Etſi omnibus* 5. *Novembr.* 1571. unicuique ſuam reſpectivam taxam præſcripſit: quibus præficiendi ſunt tantum ex approbatis a Cardinali Urbis Vicario, prævio examine per concurſum coram Examinatoribus ejuſdem Urbis, ad nominationem tamen Capituli Baſilicarum, & Eccleſiarum, in quibus dictæ Vicariæ conſtitutæ ſunt.

Aliam etiam Vicariam perpetuam erexit in Eccleſia parochiali S. Mariæ in Aquiro Orphanorum Urbis, ut ex ipſius Conſtit. *In præclara B. Petri* 19. *Febr.* 1571. regiſtrata *Tom.* LXXX. Bullarum ejuſdem Pontificis in Archivio ſecretiore Apoſtolico Vaticano; quæ etiam aſſervatur in Archivio Ven. Hoſpitalis S. Mariæ Pietatis pauperum dementium Urbis.

SECTIO XXIV.

Eadem Seſſio VII. caput VIII. de Reform.

In hoc capitulo ſtatuitur, ut Ordinarii, tamquam delegati Sedis Apoſtol. ſingulis annis teneantur viſitare quaſcunque Eccleſias, quomodolibet exemptas, & juris remediis providere, & quæ reparatione indigent, reparentur, animarumque cura, ſiqua illis imminet, ſolicite, & exacte exerceatur. Cum vero de his ſermo inſtituendus ſit infra, cum de *cap. 7. & cum de cap. VIII. ſeſſ. XXI. de refor.* ad eam lectorem remitto, ubi traſcribetur hujus cap. textus.

SECTIO XXV.

Eadem Seſſio VII. caput IX. de reform.

In hoc Capitulo præcipit Concilium, ne conſecratio epiſcopalis differatur ultra tres menſes, nec ultra ſex concedatur prorogatio ad eam recipiendam. De hoc pariter inſtituetur ſermo infra, cum de *cap. II. ſeſſ. XXIII.* ubi textum leges.

SECTIO XXVI.

Eadem Seſſio VII. caput X. de reform.

NOn liceat Capitulis Eccleſiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias, ſeu Reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis diſpoſitione, quam etiam cujuſvis privilegii, aut conſuetudinis vigore, alicui, qui beneficii eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere: ſi ſecus fiat, Capitulum contraveniens eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: & ſic ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant: in majoribus vero, ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati ſint ipſo jure ſuſpenſi.

Cum de literis dimiſſoriis concedendis tam a Vicario capitulari, Sede vacante, quam ab Abbatibus, ſeu Prælatis, Epiſcopo inferioribus, ſpecialis inſtituendus ſit ſermo infra, cum de *cap. 10. ſeſſ. 23. de reform.* agetur, ideo lectorem ad illud remitto.

SECTIO XXVII.

Eadem Seſſio VII. cap. XIII. de Reform.

PRæſentati, ſeu electi, vel nominati quibuſvis eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nunciis, ad quævis eccleſiaſtica beneficia, non inſtituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujuſvis privilegii, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit, quominus examen ſubire teneatur. Præſentatis tamen, electis, ſeu nominatis ab Univerſitatibus, ſeu Collegiis generalium ſtudiorum exceptis.

Cum de hoc pariter decreto inſtituendus ſit ſermo infra, cum de *cap. 18. ſeſſ. 26. de reform.* ne de acceſſionibus ad hanc eandem rem pertinentibus ſparſim agatur, illuc lectorem remitto,

Notandum tamen eſt hic obiter, quod cum in primis editionibus Conc. Trid. Romæ proditis duplici paginarum forma, altera in folio, altera in octava folii parte, & typis Pauli Manutii, Aldi filii, anno 1564. legatur in principio cit. cap. 13. Trident. Præſentati, ſeu electi, vel nominati A. quibuſvis, illa præpoſitio A. mendoſe eſt impreſſa, ut conſtat ex uno exemplari earundem editionum in folio, emendato ab Angelo Maſſarello, Epiſcopo Theleſino, Secretario ejuſdem Conc. qui ad calcem dicti exemplaris teſtatur, ſe illud cum authentico originali contuliſſe, adhibitis etiam duobus Conc. Notar. Marco Antonio Peregrino Clerico Comenſi, & Cynthio Pamphilo de S. Severino Camerinen. diœceſis: quod ſic authentice ipſiuſmet Maſſarelli manu correctum, aſſervatum vidi in inſigni Bibliotheca Corſina: alterum authenticum exemplar ita, & eodem charactere correctum legi in Bibliotheca Ghiſia: juxta quam correctionem idem Manutius eodem an. & eadem duplici paginarum forma Concilium Romæ iterum impreſſit, additis in fronte utriuſque poſterioris editionis verbis *Index dogmatum, & reformationis, in ædibus Populi Romani*. Hunc eundem errorem animadverterat prius Fagnanus in *cap. Accepimus, De ætat. & qualit. Præficien. num. 31.* & clariſſimus vir Cardinalis Lanfredinus: in editione enim, ejus' opera prodita Romæ e typis Hieronymi Mainardi an. 1732. facta collatione cum authenticis actis ipſius Conc. in Archivio S. Angeli aſſervatis, non legitur dicta præpoſitio A. ut mendoſe legitur addita in aliis fere omnibus editionibus, quæ in variis locis tam ante, quam poſt hanc prodiere. Et quidem recte, perpenſo vero ipſiuſmet textus ſpiritu, ſtatim apparet mendoſa impreſſio A. Conc. enim hic loquitur in caſu, quo præſentatio, electio, vel nominatio fiat aliis, quam Epiſcopo; ac proinde ad præſervandam ipſius juriſdictionem, jubet præſentatum, electum, vel nominatum non aliter confirmandum, vel inſtituendum, quam prævio Epiſcopi examine; prout etiam declaratur alio ejuſdem Conc. textu *cap. IX. ſeſſ. XXV. de reform.* non autem loquitur in caſu, quo ipſimet Epiſcopo fieret præſentatio, vel nominatio: tunc enim extra controverſiam illæſa remaneret illius juriſdictio, ut conſideranti patet.

SECTIO XXVIII.

Eadem Seſſio VII. cap. XIV. de Reform.

IN exemptorum cauſis Conſtitutio Innocentii IV. quæ incipit : *Volentes* , in generali Concilio Lugdunenſi edita , ſervetur , quam eandem ſacroſancta Synodus innovandam cenſuit , & innovat : addendo inſuper , quod in civilibus cauſis mercedum , & miſerabilium perſonarum , Clerici ſeculares , aut Regulares extra monaſterium degentes , quomodolibet exempti , etiam ſi certum judicem a Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant , in aliis vero , ſi ipſum judicem non habuerint , coram locorum Ordinariis , tanquam in hoc ab ipſa Sede delegatis , conveniri , & jure medio ad ſolvendum debitum cogi , & compelli poſſint : privilegiis , & exemptionibus , Conſervatorum deputationibus , & eorum inhibitionibus adverſus præmiſſa nequaquam valituris .

Huic Decreto ; decernenti cauſas civiles mercedum , & miſerabilium perſonarun a locorum Ordinariis cognoſci poſſe etiam adverſus Regulares extra clauſtra degentes, non obſtantibus Conſervatorum deputationibus , acceſſit Decretum Congreg. Conc. confirmatum a Paulo V. Conſtit. *Religioſorum* , 24. *Auguſti* 1607. quo declaratur , hunc Conc. locum non pertinere ad eoſdem Religioſos intra clauſtra degentes ; ideoque conveniendos eſſe juxta eorum privilegia coram ſuis Superioribus , vel Conſervatoribus. Textum leges infra cum de *cap. V. ſeſſ. XIV. de reform.* poſt §. Nota VIII.

SECTIO XXIX.

Eadem Seſſio VII. cap. XV. de Reform.

CUrent Ordinarii , ut hoſpitalia quæcunque a ſuis adminiſtratoribus , quocunque illi nomine cenſeantur , etiam quomodolibet exemptis , fideliter , & diligenter gubernentur, Conſt. Conc. Viennenſis, quæ incipit, *Quia contingit*, forma ſervata; quam quidem Conſtit. eadem Synodus innovandam duxit , & innovat cum derogationibus in ea contentis.

De hoc Decreto ſermo inſtituetur infra , cum de *cap. VIII. ſeſſ. XXII. de reform.*

SECTIO XXX.

Seſſio XIII. cap. V. de Euchariſtia .

DEclarat præterea S. Synodus, pie , & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem , ut ſingulis annis peculiari quodam , & feſto die præcelſum hoc, & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione , ac ſolemnitate celebraretur , utque in Proceſſionibus reverenter , & honorifice illud per vias , & loca publica circumferretur .

Huic Capitulo , in quo mentio fit de laudabili more in Eccleſia inducto celebrandi ſingulis annis ſolemnitatem Corporis Chriſti , illudque in Proceſſionibus reverenter circumferendi , acceſſit Conſtitutio Gregorii XIII. *Cum interdum* 11. *Martii* 1573. in qua ſtatuitur, omnibus licere in quocunque die infra octavam ejuſdem ſolemnitatis Proceſſionem ſolemniter facere , cum derogatione Conſtitutionis S. Pii V. qua indulſerat Fratribus Prædicatorum , ut iis ſolummodo liceret hanc ſolemnem Proceſſionem facere in die Dominica infra octavam , ibi .

Nos univerſis , & ſingulis , Clero , & Clericis , ac perſonis eccleſiaſticis , tam ſecularibus , quam quorumvis Ordinum Religionum , & Militiarum Regularibus , ut literis Pii Prædeceſſoris hujuſmodi non obſtantibus , liceat ipſis , tam die ipſa Dominica infra octavam Corporis Chriſti , quam aliis totius octavæ prædictæ diebus Proceſſiones ſuas celebrare , nec ſuper eo , tam ab Ordinis Prædicatorum hujuſmodi , quam aliis quibuſcunque perſo-

perſonis, etiam prædictarum, aut quarumvis aliarum literarum, privilegiorum, vel conceſſionum prætextu, ſeu alias quomodolibet moleſtari, inquietari, vel perturbari, nec etiam aliquibus cenſuris, vel pœnis, etiam eccleſiaſticis innodari, ſeu illas incurrere poſſint, tenore præſentium concedimus, & permittimus.

Et nihilominus, pro potiori præmiſſorum cautela, literas Pii Prædeceſſoris hujuſmodi harum ſerie penitus, & omnino, quoad effectum prohibitionis celebrandi Proceſſiones hujuſmodi caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu evacuamus, & tanquam tales minime attendi, vel eiſdem Fratribus Prædicatoribus ſuffragari poſſe, volumus.

SECTIO XXXI.

Eadem Seſſio XIII. cap. VII. de Euchariſtia.

SI non decet . . . Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum: *Probet autem ſe ipſum homo*. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod a chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit; modo non deſit illis copia confeſſoris. Quod ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.

Hoc præceptum de emittenda confeſſione *quamprimum* a Sacerdote peccati mortalis conſcio, qui neceſſitate urgente abſque prævia confeſſione celebravit, declaratum eſt ab Alexandro VII. qui proſcribendo 18. *Martii 1666.* Propoſitionem la XXXVIII. in ordine = Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum = & alteram la XXXIX. in ordine = Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur = definivit, hoc Trident. mandatum eſſe præceptum, non conſilium, & ly *quamprimum* non eſſe intelligendum, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

Quamvis autem aliqui ſentiant ly *quamprimum* habere moralem latitudinem, ac proinde extendi poſſe ad unum, vel alterum diem, crederem tamen hoc onus reſtringendum eſſe ad tempus immediatum poſt Miſſam, ſi ceſſante motivo infamiæ, aut ſcandali, ei ſuppetat copia Confeſſarii.

Si autem quæras, quæ dicatur urgens neceſſitas, ob quam tam Sacerdos, ſine prævia confeſſione, ſolo contritionis actu elicito, celebrare poſſet, quam laicus Euchariſtiam ſuſcipere, communi ſaniorum DD. calculo ea eſt, quando ex omiſſione celebrationis, aut euchariſticæ Communionis ſibi infamia, aut cæteris probabiliter ſcandalum oriretur.

Hoc idem præceptum de emittenda quamprimum confeſſione Navarrus *in Manuali cap. II. n.* 10. extendit etiam ad laicum, qui conſcius peccati mortalis, neceſſitate urgente Euchariſtiam ſumeret. Et quamvis Azorius *Inſtit. moral. part. I. lib X. cap. XXXI. quæſt. IX.* dicat, quod aliis Doctoribus probabilius videatur oppoſitum, cum Concilium loquatur de ſolo Sacerdote celebrante, ſibi tamen magis placere concludit ſententiam Navarri, *Nam eadem videtur ratio de laico, quæ eſt de Sacerdote, licet Concilium meminerit ſolum Sacerdotis.*

SECTIO XXXII.

Eadem Seſſio XIII. cap. I. de Reform. junctis Decreto de Obſervan. & vitandis in celebratione Miſſæ, ac cap. VIII. ſeſſ. XXII. de Reform. & cap. I. & XVIII. ſeſſ. XXIII. cap. X. XVIII. & XX. ſeſſ. XXIV. de Reformatione cap. XIII. ſeſſ. XXV. de Regul. & cap. XIV. ſeſſ. XXV. de Reform.

EAdem ſacroſancta Tridentina Synodus . . . . ita ſtatuit, & decrevit. In cauſis viſitationis, & correctionis, ſive habilitatis, & inhabilitatis, necnon criminalibus, ab Epiſcopo, ſeu illius in ſpiritualibus Vicario generali, ante definitivam ſententiam, ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine non appelletur; neque Epiſcopus, ſeu Vica-

Vicar ius appellationi hujuſmodi, tamquam frivolæ, deferre teneatur; ſed ea, ac quacunque inhibitione ab appellationis judice emanata, necnon omni ſtylo, & conſuetudine, etiam immemorabili, contraria non obſtante, ad ulteriora valeat procedere, niſi gravamen hujuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit: quibus caſibus, ſacrorum, & antiquorum Canonum ſtatuta illibata perſiſtant.

Decreta contenta in hoc cap. I. & cæteris ſupra citatis prohibentia appellationem in caſibus ibidem expreſſis, confirmata, & fuſius explicata ſunt a Benedicto XIV. Conſtit. *Ad militantis*, 30. *Martii* 1742. una cum declaratione qualitatis gravaminis, de quo in ſupra tranſcripto Trident. decreto: Cujus Conſtitutionis ſummam habes *part. I. poſt tit. de Appellationibus pag.* 210. *col.* 2.

SECTIO XXXIII.

Seſſio XIV. caput II. de Sacramento Pœnitentiæ.

Cæterum hoc Sacramentum multis rationibus a Baptiſmo differre dignoſcitur; nam præterquam quod materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſime diſſidet, conſtat certe, Baptiſmi miniſtrum judicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus. *Quid enim mihi*, inquit Apoſtolus, *de iis, qui foris ſunt, judicare? Secus eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lavacro Baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit*: nam hos, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal, tamquam reos, ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari.

Hoc Decretum, quo docet Concilium ex inſtitutione Chriſti, lapſos poſt Baptiſmum in peccatum (intellige mortale) debere perſonaliter ſe ſiſtere ante tribunal Pœnitentiæ, ideſt coram Sacerdote judice ad obtinendam abſolutionem, declaratum eſt prius a Catechiſmo Romano *ad Parochos de Sacrament. Pœnit.* §. *Sed quoniam* circa finem juxta nuperrimam editionem Roman. an. 1761. pag. 249. ibi.

Illud vero tum confitenti, tum Sacerdoti maxime laborandum eſt, ut eorum ſermo, in confeſſione ſecreto habeatur, quare fit, ut nemini omnino neque per nuncium, neque per literas, quoniam ea ratione nihil jam occulte agi poteſt, peccata confiteri liceat.

Poſtea declaratum eſt a Clemente VIII. ſequenti Decreto, relato *in Bullario Cherubini tom. III. edit. Romæ* 1618. *num.* 87. *pag.* 135. *in quo inſuper prohibetur*, confeſſionem fieri per literas, ſeu internuncium, abſolutionemque in abſentem dari, ibi.

Sanctiſſimus D. N. D. Clemens Papa VIII. &c. auditis votis PP. Theologorum, & re cum Illuſtriſs. & Reverend. DD. Card. contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, mature, ac diligenter conſiderata. Hanc Propoſitionem, ſcilicet, licere per literas, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, ac prohibuit, præcepitque, ne deinceps iſta Propoſitio publicis, privatiſve lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, neve unquam tamquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod ſiquis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea, etiam diſputative, tractaverit (niſi forſan impugnando) vel ad praxim directe, ſeu indirecte deduxerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrant, & a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, etiam S.R.E. Majori Pœnitentiario, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi, aliiſque etiam pœnis arbitrio infligendis, ſubjaceat. In generali Congr. S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtol. in Monte Quirinali, die 20. menſis Junii 1602.

Nota

Nota, prout jam animadverti in Additionibus *ad Theſaurum de pœnis eccleſiaſt. cap. I. verbo Sacramentum*, quod hoc decretum nedum accipiendum ſit *collective*, ut loquitur Suarez *diſput. XXI. de Pœnit. Sect. IV.* & alii apud Dianam *3. par. tractat. 3. reſol. 7.* quando ſcilicet tam confeſsio, quam abſolutio facta, & data fuerit in abſentia, ſed etiam *diviſive*, quando nempe confeſſio fiat in abſentia, abſolutio autem detur a præſente Sacerdote, & e converſo, prout declaravit Paulus V. *ſub die 14 Julii 1605. in Congreg. S. Officii*, ſimulque decrevit, ut eadem interpretatio expungeretur a P. Suario. Verum circa hoc, & Pauli decretum Dominicus Viva *in Theſi confixa de Confeſ. & Abſolut. §. ultim. pagina 587. col. 2. edit. Patavii 1737.* hæc habet = Quod attinet ad Suarium, hoc ſolum docuit, in eo decreto Clementis non comprehendi caſum moribundi, quando ſcilicet adſtantes teſtantur, quod ille, antequam ſenſibus deſtitueretur, abſolutionem petierit, & ipſe Clemens VIII. declaravit, hunc caſum non comprehendi: oſtendimus enim in hoc caſu, non haberi in rigore confeſſionem in abſentia per literas aut per internuncium. Cæterum, ne interim interpretatio illa Suarii aliis præberet anſam ad dicendum, quod univerſim liceat confeſſio in abſentia, dummodo abſolutio non detur abſenti, aut viceverſa, idcirco, ut notat Moya *tract. 3. diſp. 6. quæſt. 2. numero 13.* Pontifex decrevit, ut ea interpretatio a P. Suario expungeretur: ubi tamen Pontifici innotuit, quod ea interpretatio ſolum deſerviebat ad explicandum, quo pacto caſus moribundi eo decreto non comprehenderetur, & quod diſertis verbis id ſolum doceretur a Suario, permiſit, ut ad communem utilitatem ea operibus Suarii reſtitueretur, prout legitur loco laudato =.

S E C T I O X X X I V.

Eadem Seſſio XIV. caput IV. de Sacramento Pœnitentæ, junctis Can. V. VII. & VIII.

Contritio ... Docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.

Cum contra hæc firmiſſima Fidei dogmata elapſo ſeculo ſequentes Propoſitiones typis vulgatæ fuerint = Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam = Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali ſine ullo reſpectu ad Deum = Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis = Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus metus, ac ſupernaturalis = Prima damnata fuit ab Innocentio XI. quæ eſt la LVII. in ordine inter alias ab eo proſcriptas *2. Martii 1679.* Secunda, tertia, & quarta proſcriptæ fuerunt ab Alexandro VIII. *7. Decembris 1690.* quæ ſunt la XI. XIV. & XV. in ordine.

An autem attritio, de qua hic Tridentinum, includere debeat aliqualem Dei amorem, ut ſit ſufficens ad jam Sacr. pœnitentiam, quamvis ego ei ſententiæ adhærerem, quæ initialem ſaltem charitatem comitem attritioni adjungit, lectorem tamen remitto ad expoſita a Benedicto XIV. *lib. VII. cap. XIII. num. 9. & 10. de Synod. diæc. edit. Roman. an. 1755. pag. 223. & ſeq.* ibi.

= IX. Cum itaque verſemur in quæſtione ab Eccleſia hactenus non definita, jure, ac merito Alexander VII. die *5. Maii 1667.* ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, præcepit = cunctis, & ſingulis Fidelibus ... ut, ſi deinceps de materia attritionis ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut ſcholares, cæteroſve erudient, non audeant alicujus theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota, taxare alteram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter ſcholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec ab hac ſancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum = Caveant proinde Epiſcopi, ne in ſuis Synodis, aut in inſtructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de attritionis mere ſervilis ad Sacramentum pœnitentiæ ſufficientia, aut de amoris ſaltem initialis neceſſitate. Adhuc quippe ſub judice alis eſt adhuc impune pro una, & altera ſententia dimicatur. Paucis antea annis Cardinalis Gottus *Theolog. tom. III. in III. parte D. Thomæ, quæſt. 4. de Contritione dub. 4. §. 1.* ſententiam propugnavit, non requirentem in pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem, ad juſtificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ aſſequendam. Hac ipſa in Urbe, opera, & cura P. Caroli

Jacobi Romilli, Ordinis Minorum Conventualium Generalis Miniſtri, typis recuſum eſt Opus Claudii Fraſſen, inſcriptum *Scotus Accademicus*; cujus Auctor *tom. X. pag.* 563. ſtrenue defendit, attritionem ex ſolo metu pœnarum, & gehennæ, atque ex amore concupiſcientiæ, ſeu affectu ſpei conceptam, modo ſupernaturalis ſit, omnemque excludat voluntatem peccandi, eſſe ſufficentem diſpoſitionem ad Sacramenti pœnitentiæ fructum in ſe derivandum. Contra vero Cardinalis Denhoff, Epiſcopus Cæſenatenſis *in ſua Inſtructione Paſtorali de Pœnit. Sacramenti pag.* 33. aliqualem amorem in attritione requirit, ut ſit ſufficiens Sacramenti pœnitentiæ materia. Franciſcus Maria Campioni anno 1698. doctam elucubravit Diſſertationem Theologico Scholaſticam, in qua totis viribus conatus eſt demonſtrare neceſſitatem aliqualis amoris Dei, ſaltem imperfecti, & initialis, ad impetrandam gratiam in Sacramentis, quæ dicuntur *Mortuorum*. Et laudatus Petrus Lambertus le Drou, Epiſcopus Porphyrienſis, Apoſtolici Sacrarii Præfectus, cum per Urbem evulgatam vidiſſet Diſſertationem a Bartholomæo Rivio ejuſdem ſui Auguſtiniani Inſtituti Theologo exaratam, in qua Auctor decertat pro ſufficientia attritionis, omnis charitatis expertis, ad valide, & cum fructu recipienda Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, eidem ſtatim contradictorem ſe præbuit, aliiſque editis Diſſertationibus, ſan. mem. Clementi XI. nuncupatis, nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit ad prædictam opinionem refellendam, contendens, attritionem mere ſervilem, non a Sacramento quidem vires ſortiri, quibus valeat hominem proxime diſponere ad Dei gratiam, vel primo obtinendam, vel amiſſam recuperandam. Hinc recte intulit Berti *Theol. tom. VII. lib. XXXIV. cap. III.* nihil hactenus a Sede Apoſtolica de hac quæſtione deciſum, ſed libertatem cuique datam, ex præfatis opinionibus eam eligendi, & docendi, quam maluerit.

X. Sed non ideo prohibentur Epiſcopi Confeſſarios monere, ut pœnitentes ad veram, & perfectam contritionem hortentur, & excitent: id ſiquidem faciendum ſuadent etiam præcipui Auctores, qui pro ſufficientia doloris ex ſolo metu gehennæ, ſteterunt, uti Suarez, Gamachæus, Comitolus, quorum teſtimonia ſupra retulimus. Et, quod magis eſt, ita fieri præcipit Rituale Romanum, juſſu Pauli V. editum = *tit.* 18. Confeſſario injungens, ut, audita pœnitentis ſacramentali confeſſione, ejuſque peccatis diligenter expenſis = opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibeat, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conetur = cui conſonat Rituale Argentinenſe, editum a Cardinali de Rohan *tit. de Pœnit.* §. 1. ubi hæc habentur = Cæterum pœnitentes ſuos admonere non ceſſent Confeſſarii, ne ſe putent ſecuros in Sacramenti pœnitentiæ perceptione, ſi præter fidei, & ſpei actus, non incipiant diligere Deum, tamquam omnis juſtitiæ fontem, ut loquitur ſacroſancta Synodus Tridentina =.

SECTIO XXXV.

Eadem Seſſio XIV. caput V. juncto Can. VII. de Sacramento Pœnitentiæ.

§. I. EX inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus e terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles ceciderint; quo pro poteſtate clavium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient: conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, nec æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia quorum, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima illa ſint, & tantum adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnunquam animum gravius ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur; nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demoſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt. Verum, cum univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confeſſione a Deo quærere.

§. II. Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant; quod ſine illis peccata ipſa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cen-

cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere: unde alienum a ratione eſt, docere circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe; aut unam tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem.

§. III. Sed & impium eſt, confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare: conſtat enim, nihil aliud in Eccleſia a pœnitentibus exigi, quam ut, poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.

Contra hoc alterum Fidei dogma declaratum hic a Tridentino §. I. & *Can. VII.* de integra peccatorum mortalium confeſſione facienda, non defuit qui auſus fuerit aſſerere hanc Propoſitionem la LIX. in ordine inter proſcriptas ab Innocentio XI. 2. *Martii* 1679. = Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſum ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ = Quæ quidem ſimilis eſt alteri proſcriptæ ab Alexandro VII. 24. *Septembr.* 1665. la XI. in ordine = Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere = quæ ambæ ſunt aperte contrariæ definitioni Trident. infligentis *cit. Can. VII.* excommunicationem latæ ſententiæ in aſſerentes, non eſſe neceſſariam integram omnium peccatorum mortalium confeſſionem, ibi.

Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant . . . . anathema ſit.

Circa onus explicandi in confeſſione etiam circumſtantias peccati ſpeciem mutantes impoſitum a Tridentino in ſupra relatis §. II. & *Can. VII.* acceſſit ampliatio Catechiſmi Romani ad Parochos, jam juſſu S. Pii V. editi, quem noviſſime Clemens XIII. ut parabilior fieret, & ex maculis, quas Operarum vitio contraxerat, emendatior, ad ejus exemplum, quem idem S. Pius ex Tridentinæ Synodi Decreto vulgavit, iterum omni adhibita diligentia excudendum curavit Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ 1761. *ubi de Sacramento Pœnitentiæ*, §. *Neque vero* poſtquam expoſuit præceptum Trident. de explicandis circumſtantiis, peccati ſpeciem mutantibus, addidit neceſſitatem explicandi etiam valde aggravantes intra eandem ſpeciem, utrarumque exempla afferendo, ibi.

Neque vero ſolum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & pravitatem valde augent, vel minuunt. Quædam enim circumſtantiæ adeo graves ſunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum conſtet: quare hæc omnia ſemper confiteri oportet. Si quis enim hominem interemerit, explicandum eſt, utrum ille ſacris initiatus, an profanus fuerit. Itemque, ſi cum muliere concubuit, matrimonii ne lege libera, aut alterius uxore, aut propinqua, aut alicujus voti ſponſione Deo conſecrata, aperiat neceſſe eſt, hæc enim diverſa peccatorum genera conſtituunt, ita, ut primum quidem ſimplex fornicatio, alterum adulterium, tertium inceſtus, quartum ſacrilegium a divinarum rerum Doctoribus appelletur. Furtum etiam in peccatis numerandum eſt. Verum ſi quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam is, qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præſertim vero qui ſacram pecuniam abſtulit.

Huc ſpectat, ſi non omnimode ad integritatem confeſſionis, ad rectius certe regulandum judicium confeſſarii pro neganda, vel differenda abſolutione, remediiſque adhibendis, declaratio Innocent. XI. circa ſenſum contrarium Propoſitioni, la LVIII. in ordine inter alias ab eodem proſcriptas 2. *Martii* 1979. nempe = Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem = Quæ quidem Propoſitio repugnat ipſimet rationi, quæ dictat, medico ſpirituali, non ſecus ac corporali jus eſſe interrogandi, an morbus, qui ſibi curandus proponitur, inveteratus ſit, necne.

Circa tandem peccata oblita poſt diligens examen, quæ Concilium §. III. docet, *in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur*, acceſſit declaratio laudati Catechiſmi Romani, docentis *loc. cit.* §. *At vero*, opus eſſe ea, quando in memoriam redeunt, Sacerdoti alio tempore confiteri, ibi.

At ve-

Digitized by Google

At vero, ſi alia de cauſa confeſſioni aliquid defuiſſe videatur, vel quia pœnitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conſcientiæ ſuæ latebras non ita accurate perquiſiverit, cum tamen illud in animo haberet, ut integre peccata omnia confiteretur, nihil ei opus erit confeſſionem iterare; ſatis autem habebit, ſi quando peccata, quæ oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea Sacerdoti alio tempore confiteri. In quo tamen animadvertendum eſt, ne forte nimis diſſolute, & remiſſe conſcientiam noſtram ſcrutati ſimus, adeoque negligenter peccata admiſſa memoria repetere ſtuduerimus, ut ea ne recordari quidem voluiſſe merito videre poſſimus, id enim ſi factum fuerit, confeſſionem iterare omnino oportebit.

Quamobrem proſcripta fuit ab Alexandro VII. Propoſitio la XI. in ordine ſupra relata §. *Contra* hoc, excludens neceſſitatem eadem peccata oblita, aut quomodocunque omiſſa in ſequenti confeſſione explicandi.

SECTIO XXXVI.

Eadem Seſſio XIV. de Sacrament. Pœnitentiæ cap. VI.

Circa miniſtrum autem hujus Sacramenti, declarat S. Synodus, falſas eſſe, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes, clavium miniſterium pernicioſe extendunt.

Hic definit Trident., ſolos Epiſcopos, & Sacerdotes eſſe miniſtros hujus Sacramenti. Quæ autem pœnæ ſtatutæ ſint contra illud miniſtrantes ad Presbyteratus Ordinem non promotos, notatum eſt parte I. pag. 702.

SECTIO XXXVII.

Eadem Seſſio XIV. cap. VII. juncto Can. XI. de eodem Sacramento.

Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.

Circa hoc decretum, quo declaratur, nullius momenti eſſe abſolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, vel delegatam non habet juriſdictionem, inſtituetur ſermo infra *cap. XV. ſeſſ. XXIII. de reform.*

SECTIO XXXVIII.

Eadem Seſſio XIV. de dicto Sacramento proſequitur, idem cap. VII.

Magnopere vero ad chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur: unde merito Pontifices Max. pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem liceat, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt.

De-

Decretum hoc tribuens Epiſcopis facultatem ſibi reſervandi peccata ſine ulla limitatione (quod juxta declarationem Cong. Conc. hic relatam a Galemart, quæ declaratio emanavit etiam *in Salernitana anno* 1585. *ac in Marſicana an.* 1587. *ut reperitur libro IV. Decretor. ejuſdem Congreg. pag.*36. *&* 250. *a tergo*, competit etiam inferioribus Epiſcopo, *habentibus* juriſdictionem quaſi epiſcopalem in loco, & nec ipſi, nec eorum ſubditi ulli diœceſi ſubſunt) moderatum eſt a Clemente VIII. ſequentibus decretis, ipſius juſſu editis a Cong. Epiſc. & Regularium 9. *Jan.*1601. & 26. *Novembr.*1602.

Ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reſervandorum caſuum competit, pluribus quam opus ſit, reſervationibus, ſubditis, aut Confeſſariis in animarum ſalute procuranda cooperantibus ſint oneroſi, monentur omnes, ut paucos, eoſque tantum, quos ad chriſtianam diſciplinam retinendam, animarumque ſibi creditarum ſalutem, pro cujuſvis diœceſis ſtatu, & qualitate neceſſario reſervandos eſſe judicaverint, reſervent, 9. Januar. 1601.

Sed, ne locorum Ordinarii, ad quos caſuum reſervatio ſpectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congreg. illos rurſum magnopere admonendos cenſet, ut non paſſim, ſed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent, quorum reſervatio ad chriſtianam diſciplinam retinendam conferat, & in ædificationem cedat; ne alioquin, Sacramenti Pœnitentiæ miniſtrorum coarctata poteſtate, ſanctæ matris Eccleſiæ piæ menti contrarius effectus ſubſequatur. Prohibet etiam, ne ſibi ſuperflue reſervent caſus in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta contentos, neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatos, 26. Novembris 1602.

Encyclicam ſequentem quoque literam dicta die 26. Novembr. eadem Sac. Congr. ad eoſdem Ordinarios miſit, relatam a Bened. XIV. in *tractat. de Synod. diœceſ. lib. V. cap. V. num.* 4.

Præcipue vero hæc monenda cenſet Sacr. Congreg. ut videant ipſi Ordinarii, ne illos caſus promiſcue reſervent, quibus annexa eſt excommunicatio major, a jure impoſita, cujus abſolutio nemini reſervata ſit, niſi forte propter frequens ſcandalum, aut aliam neceſſariam cauſam, aliqui hujuſmodi caſus nominatim reſervandi viderentur; neque caſus, in quibus abſolutio, niſi cum reſtitutione, vel executione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur; neque illos, qui etſi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti verſantur, & frequenter inter idiotas evenire ſolent, uti damni dati, & ſimilium. In peccatis etiam carnalibus reſervandis multa utantur circumſpectione, propter periculum ſcandalorum, in iis maxime perſonis, in quas ob acceſſum ad Confeſſarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, ſuſpicionis aliquid cadere poteſt. Poſtremo eam potiſſimum ineant, & ſequantur rationem, quæ, conſideratis diligenter cujuſque provinciæ, ac populorum moribus, natura, ac propenſione, magis in Domino expedire videbitur.

Et hic monitos vult Epiſcopos Benedictus XIV. *lor. mox rit. cap. IV. num* 3. per hæc verba = Quamvis prædicta facultate reſervandi caſus poſſit Epiſcopus ſemper, & quandocunque voluerit, uti; multis tamen nominibus decet, ut illam potius in Synodo, quam extra Synodum exerceat. Primo, quia, ut in hoc negocio cautius ſe gerat, uti opportune monent Homobonus *tract. XV. cap. VI. quæſtione* 12. & Lælius Zecchius *De munere Epiſcopi, cap. VII.* expedit, ut prius probos, atque longa experientia edoctos Sacerdotes in conſilium adhibeat, quos profecto nuſquam melius, & commodius, quam in Synodo habere poteſt: attamen curandum eſt, ut hoc ipſum conſilium maxima circumſpectione, & cautela petatur, atque præſtetur, ne arctiſſimum ſacramentalis confeſſionis ſigillum ulla ex parte videatur violari. Qua de cauſa, cum olim Vicarius Generalis Tridentinus rogaverit Regulares oppidi Bulganenſis, ut ſibi, adjecta cæteroquin ſevera lege ſecreti, quod ſe religioſe ſervaturum promittebat, manifeſtarent, quænam in genere eſſent graviora peccata, quæ eo in loco magis communiter committerentur, & Regulares Vicario morem gerere abnuerint, quos tamen Vicarius urgere non deſinebat, re delata ad ſacram Congregat. Conc. hæc die 19. *Auguſti* 1673. dixit, Regulares ad id cogi non poſſe, & monendum Vicarium, ut ab ejuſmodi interrogationibus abſtineret, *lib.*28. *Decretor. pagina* 150. Secundo, congruum eſt, ut reſervatio fiat in Synodo, ne ſecus Parochi conquerantur, ſuam ordinariam poteſtatem, ipſis prorſus inſciis, nimis admodum coarctari: ut enim notat Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp.*20. *ſect.* 3. *numer.* 37. Quamvis Epiſcopus poſſit juriſdictionem abſolvendi, quam aliis Sacerdotibus delegat, omnino pro libito limitare, & ad pauciſſimas cauſas reſtringere, tanta tamen poteſtate non potitur quoad Parochos, quorum juriſdictio, etſi ab Epiſcopo pendeat, eique ſubja-

ſubjaceat, non eſt tamen delegata, ſed ordinaria, nec poteſt ſine legitima cauſa, aut prorſus auferri, aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat. Omnis autem querelarum occaſio præciditur, cum reſervatio fit in Synodo, ubi ſi ea plus æquo aucta, & extenſa videatur, ſtatim poſſunt Parochi reclamare, & cauſas Epiſcopo exponere, cur exoptent, hoc, aut illud peccatum e reſervatorum albo expungi: quibus auditis, aut Epiſcopus ſententiam mutabit, aut alias urgentiores rationes adducet, propter quas peccata illa reſervanda exiſtimat, quibus Parochi acquieſcent. Tertio denique convenit, reſervationem fieri in Synodo, quia in Synodo facta, induit naturam legis, quæ, nullo contradicente, perpetua eſt, &, quamdiu non revocatur, perſeverat; facta autem extra Synodum, non ab omnibus reputatur perpetua, opinantibus pleriſque Theologis, quos ſequuntur Gavantus *in Manuali Epiſcoporum, verb. Caſus reſervati, num.* 16. & Roncaglia *in Theologia moral. tom.* 2. *tract.* 19. *quæſt.* 7. *quæſit.* 2. illam, decedente Epiſcopo, a quo eſt facta, illico expirare: aliis ex adverſo cum Capeavil. *de Caſibus reſervat. part.* 1. *cap.* 5. *in fin.* contendentibus, etiam tum perpetuam eſſe, & durare, donec a Succeſſore, vel expreſſe, vel tacite revocetur, ex quo fiet, ut mortuo Epiſcopo, aliqui prima ſententia imbuti, a reſervatis abſolvent; alii vero ſecundam ſectantes, talem abſolutionem invalidam pronunciabunt, atque exinde multa ſcandala exorientur, quæ præcaventur ſi reſervatio in Synodo fiat. Quocirca communi uſu receptum eſt, ut Epiſcopus in Synodo ſtatuat, quænam peccata velit eſſe ſibi reſervata: nec ſolum in diœceſanis, ſed in pluribus provincialibus Synodis caſuum reſervationes factas legimus, ut in *Eboracenſi an.* 1195. *cap. XI. Lambethenſi an.* 1281. *cap. VI. Avenionenſi, a tribus provinciarum Epiſcopis anno* 1326. *celebrato, cap. XXII. Collectionis Harduini tom.* 6. *par.* 2. *col.* 1932. *& tom.* 7. *col.* 864. *&* 1503. aliiſque adductis a Thomaſſino *De vet. & nov. Eccl. diſcipl. par. I. lib. II. cap. XIV. n.* 4. *&* 5. Non idcirco tamen, quod caſuum reſervatio a provinciali Concilio facta eſſet, poteſtas adempta erat Epiſcopis ab illis abſolvendi, ſicuti contingit in legibus, a Superioribus latis, quæ a nullo inferiorum relaxari poſſunt: etenim eadem Concilia, non ſibi, aut Metropolitanis, ſed ipſiſmet Epiſcopis illorum abſolutionem reſervabant, quod præfatos Canones legenti patebit =.

Idem Trident. decretum moderatum eſt quoad Superiores regulares (Generales nempe, Provinciales, & Abbates, quaſi epiſcopalem juriſdictionem habentes, non Superiores locales) altero ejuſdem Clement. decreto *Sanctiſſimus* 26. *Maii* 1593 reſtringentis hujuſmodi facultatem ad undecim tantum caſus, qui tamen non ſunt eo ipſo reſervati, ſed reſervari poſſunt. Citati decreti tenor, quod refertur poſt Conſtitutionem Urbani VIII. incip. *Sacra Congr. ſub die* 21. *Septemb.* 1624. eſt.

Sanctiſſimus Dominus noſter, qui jampridem accurate perpendit, ac re ipſa comperit, quod reſervatio facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes a peccatis quibuſdam gravioribus, niſi Superiores admodum prudenter, ac moderate illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedii deſperationem.

§. I. Ideo, ut huic malo Sanctitas Sua opportune proſpiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet, exceptis iis, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout ſubditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.

I. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

II. Apoſtaſia a Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eo pervenerit ut extra ſepta monaſterii, ſeu conventus fiat egreſſio. Nocturna, ac furtiva e monaſterio, ſeu conventu egreſſio, etiam non animo apoſtandi facta.

III. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Juramentum falſum in judicio regulari ſeu legitimo.

IV. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

V. Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium monaſterii, aut conventus. Furtum de rebus monaſterii, ſeu conventus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

VI. Lapſus carnis voluntarius, opere conſumatus.

VII. Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſque perſonæ.

VIII. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

IX. Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis Capituli, in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura diſcuſſione, & conſenſu.

§. II. Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, ac proprio motu id ab iis petierint.

§. III. Su-

§. III. Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios, pro ſubditorum numero majori, vel minori, iique ſint docti, prudentes, ac charitate prædìti, qui a non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius judicaverit.

§. IV. Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

§. V. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibuſdam peccatis, etiam non reſervatis, a Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab hujuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

= Hoc Decretum confirmatum fuit a Congregat. Conc. juſſu Urbani VIII. ut in citata ipſius Conſtitut. hac addita declaratione, quæ habetur in calce allati Decreti ibi.

Sanctitas Sua deinceps declaravit, & declarat, ut ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicujus reſervati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice penitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, abſolvere.

Ubi particula *illa vice* intelligenda eſt toties, quoties caſus occurrerit, cum non appoſita ſit particula taxativa, *tantum*. unde locum habet, quoties Confeſſarius facultatem petit. & Superior denegat, ut recte animadvertit Felix Poteſt. *tom.* 3. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 282.

A prædictis caſibus abſolvere non poſſunt Superiores locales, ex declaratione Congreg. Prælatorum Viſitationis Apoſtolicæ 13. *Martii* 1601. relata a Matthæuccio, *Offic. Cur. cap.* 38. *num.* 40. ſed Generales. & Provinciales, ac ab his reſpective deputati dumtaxat.

Ne autem eluderetur mens Pontificis circa limitationem caſuum, quos ſibi Superiores regulares (Generales nempe, Provinciales, & Abbates, quaſi epiſcopalem juriſdictionem habentes, non Superiores locales) reſervare poſſunt, Congr. Epiſcopor. & Regul. 7. Jul. 1617. declaravit, eos non poſſe alicui gravi peccato, in Clementis decreto non expreſſo, cenſuram adnectere, quam ſibi reſervent. Tenor autem cit. Decreti, quod refert Bened. XIV. *de Synod. diœc. edit. an.* 1755. *lib. V. cap. V. num.* 5. hic eſt.

= Cum a nonnullis Regularibus dubitaretur, an decreto felic. record. Clement. Papæ VIII. an. 1593. 26. *Maii*, ſuper qualitate caſuum, ab eorundem Regularium Superioribus reſervandorum, edito, cenſuræ etiam comprehenderentur, ita ut iiſdem Superioribus, abſque Capituli generalis, aut provincialis conſenſu, aliquibus peccatis, in decreto hujuſmodi non contentis excommunicationem annectere, ejuſdemque abſolutionem ſibi reſervare liceat; Sacra Congreg. Cardinal. negociis Regularium præpoſitorum, Illuſtriſſimo Bandino referente, cenſuras in ſupradicto decreto comprehendi cenſuit =.

S E C T I O X X X I X.

Eadem Seſſio XIV. de Sacram. Pœnitentiæ, Proſequitur idem cap. VII.

Veruntamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet penitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt; extra quem articulum Sacerdotes cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum penitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant.

Circa hoc decretum, in quo declaratur, nullam eſſe peccatorum reſervationem in articulo mortis, ac proinde tunc omnes Sacerdotes a quibuſvia peccatis, & cenſuria abſolvere poſſe, non multo poſt Tridentini publicationem cum Epiſcopus Valentinenſis petierit, declarari a S. Cong. ejuſdem Concilii = Utrum pœnitentes in articulo mortis conſtitutos poſſit in caſibus reſervatis abſolvere quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, & denunciatus = maxima orta fuit controverſia, an valide abſolvere poſſet, necne? S. Cong. cenſuit, non poſſe juxta communem Theologorum, & Canoniſtarum opinionem, ut refert Fagnanus in *cap. XI. Non eſt vobis, de Sponſal. num.* 1. cui declarationi ſe potiſſimum adhærere

adhærere teſtatur num. 4. quod in eadem Congr. aderat inter alios Cardinales, etiam Cardinalis Moronus, qui una cum Gregorio XIII. tunc Epiſcopo Veſtano interfuerat Tridentinæ Synodo, & probe noverat quæ ibidem circa recenſitum decretum diſcuſſa fuerant.

Verum huic controverſiæ, tempore Alexandri VII. iterum excitatæ, & poſtremo tempore Innocent. XI. ab hoc finis impoſitus fuit per ea, quæ narrat Cardinalis Albitius, *de Inconſtantia in Fide cap. XVIII. num. 39.* ibi = An poſſit Sacerdos nominatim excommunicatus, & denunciatus abſolvere in articulo mortis conſtitutum? Dum hæc tranſcriberem, magna inſurrexit controverſia in examine cujuſdam Epiſcopi coram ſan. mem. Alexandro VII. nam cum fuiſſet interrogatus a P. Diana, ſive ab alio Examinatore, an Sacerdos nominatim excommunicatus poſſit abſolvere exiſtentem in articulo mortis, & Epiſcopus reſpondiſſet affirmative, Dominus Cardinalis Pallavicinus dixit, bon. memor. Fagnanum in *ſuis Relectionibus* atteſtari, in Sac. Congreg. Conc. fuiſſe determinatum contrarium: & propterea magnus rumor inſurrexit, quia videbatur opinio contraria omnibus Doctoribus, qui poſt Concilium ſcripſerunt. Et revera Fagnanus in repetit. *cap. Quoniam, de Conſtitutionib.* refert, Congregationem generalem Moroni, Alciati, Senonenſis, Montalti, Albani, S. Sixti cenſuiſſe, non poſſe per doctrinam a Magiſtro Sententiarum, Sancti Thomæ, Durandi, Turræcrematæ, S. Antonini, Bacconi, & aliorum Theologorum ab eo citatt. ſed quia, ut dixi, magnum murmur factum fuit, & P. Diana, & forſan aliquis alius ſcripſit pro opinione affirmativa, idem R. P. Fagnanus latius reaſſumpſit articulum in *cap. Non eſt vobis, de Sponſalibus*, & conatur reſpondere omnibus argumentis in contrarium allegatis. Sed licet maxima cum diligentia fuerint requiſiti libri, & regeſta Decretorum S. Congregationis Conc. Trident. dicta declaratio reperiri non potuit. Dicendum eſt ergo, quod declaratio prædicta facta non fuerit, vel ſi facta fuerit, a prædictis libris expuncta, tamquam contraria communi opinioni dictorum Theologorum, qui poſt Concilium ſcripſerunt. Et novi etiam, quod de anno 1682. tempore Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Innocen. XI. fuerit in Sac. Congregat. S. Officii ſuper illa opinione diſceptatum, & cum aliqui ex Cardinalibus opinionem S. Thomæ ſequerentur, fuit ad trutinam revocata. Relata re ad Sanctiſſimum, Sanctitas ſua pro ſua prudentia juſſit, ne ſuper dicta opinione diſceptaretur, neque in dubium amplius revocaretur, prout mihi aſſeruit R. P. M. Piazza Aſſeſſor S. Officii &c. =

Et merito quidem, cum Eccleſia, tamquam pia mater, neminem perire velit: ſicut enim ipſum excommunicatum, etiam hæreticum, ſi reſipiſcat, in articulo mortis beneficio ſacramentalis abſolutionis privare noluit, licet ab illius ſinu per contumaciam, & apoſtaſiam avulſus fuerit, ſtatuendo, ut a quolibet Sacerdote, etiam non approbato, hæc dari ei poſſit, ita potiori ratione præſumendum eſt, velle, ne eadem abſolutione privetur fidelis anima, quæ per obedientiam, & pium obſequium, ſinceramque Fidem ei ſemper unita permanſit. Quod autem hæc conſtans fuerit mens ſummorum Chriſti in terris Vicariorum, comprobatur etiam ex noviſsima Conſt. Benedicti XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ 1. Jun. 1741.* in qua §. IV. licet clare declaraverit, ſublatam eſſe ipſo jure cuicunque Confeſſario, etiam tempore Jubilæi, aut in vim Bullæ Cruciatæ, ſive alterius indulti confeſsiones audienti, juriſdictionem abſolvendi complicem in peccato contra ſextum Decalogi præceptum, ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ, ipſo facto incurrendæ, ſi auſus fuerit eum abſolvere, etiam in mortis articulo conſtitutum; in altera tamen Conſtitutione *Apoſtolici muneris*, 3. *Febr.* 1745. §. II. & III. declaravit, id ei non interdici, ſi tunc quicunque alius Sacerdos deficiat, etiam ad confeſſiones audiendas non approbatus, vel ſi adſit, illius tamen opera adhiberi nequeat propter rationabile periculum infamiæ, vel ſcandali, aut dicti Confeſſarii, aut pœnitentis complicum; ſicuti etiam ſi nullum adſit bujuſmodi periculum, & nihilominus ipſe Confeſſarius præfatum complicem abſolvat; redditque rationem §. IV. piæ matri Eccleſiæ omnino conformem, bis verbis expreſſam = Non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat =.

Contra Doctores opinantes, Sacerdotem hæreticum, & excommunicatum vitandum nullatenus abſolvere poſſe in articulo mortis, adeatur Melchior Canus *parte V. De neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ, §. Ad ſecundum argumentum, & ſeqq.*

Huic eidem Decreto acceſſit declaratio laudati Catechiſmi Romani, qua cete reprobatur nonnullorum DD. opinio, aſſerentium, & inconſulto quidem, poſſe quemlibet Sacerdotem ad confeſſiones non approbatum abſolutionem impertiri conſtituto in mortis articulo ex juriſdictione illi tunc ab Eccleſia conceſſa, licet adſit confeſſarius approbatus, & non inceptum ſit judicium, ſeu confeſſio: ibi enim *de Sacramento Pœnitentiæ, §. Quamquam,* circa medium, ubi ſermo eſt de illius miniſtro, hac limitatione ſimplici Sacerdoti hæc eadem juriſdictio tributa intelligitur.

Quamquam, ſi mortis periculum imminet, & proprii Sacerdotis facultas non datur; ne hac occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum fuiſſe Concilium Tridentinum docet, ut unicuique Sacerdoti liceret, non ſolum omni peccatorum generi, cujuſcunque poteſtatis ſit, illa condonare, ſed etiam ab excommunicationis vinculo ſolvere.

Idem clarius explicatum legitur in Rituali Romano, juſſu Pauli V. edito, *in Rubricis de Sacramento Pœnitent. §. Si vero*, ibi.

Sed

Sed ſi periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcunque cenſuris, & peccatis abſolvere.

Et ita etiam declaraſſe refert Galemart ad hoc idem caput S. Congregationem Concilii per hæc verba.

Congregatio cenſuit, Sacerdotem alioquin idoneum, ſi tamen ad audiendas confeſſiones approbatus non ſit, juxta *cap. XV. ſeſſ. XXIII.* non poſſe valide a peccatis mortalibus abſolvere penitentem in articulo mortis conſtitutum, ubi Parochus præſens jam perhibeatur, *ſeſſ. XIV. de Sacram. Penitentiæ, & de reſervatione*, paratuſque ſit infirmi audire confeſſionem, illumque abſolvere, neque ulla ſubſit cauſa Parochum ipſum recuſandi.

Neque huic clariſſimæ limitationi ratio deeſt; cum enim Eccleſia providera velit proxime decedentium ſaluti in caſu extremæ neceſſitatis, ſi adeſſet Sacerdos approbatus, ceſſaret omnino neceſſitas, & ideo extra hanc nequit intelligi, velle ſimplici Sacerdoti juriſdictionem tribuere. Quæ ratio in cauſa fuit, cur Concilium Carthaginenſe III. celebratum an. 397. ſequentem ediderit *Canonem n. XXXII.* relatum a Gratiano *cauſ. XXVI. quæſt. 6. numer. 13.* = Presbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi, abſente Epiſcopo, ultima neceſſitas cogat =.
Si vero inceptum ſit judicium, ſeu confeſſio, hoc certum eſt ab eodem terminari debere, etiamſi ſuperveniat Sacerdos approbatus.

Quoad abſolutionem autem a cenſuris in eo articulo datam, item acceſſit declaratio mox laudati Ritualis *loc. cit.* ubi præcipit imponendum eſſe onus quacunque cenſura ligato ſe ſiſtendi coram Superiore, a quo alias eſſet abſolvendus, ſi convaluerit, ibi.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus peccatis, & cenſuris, quantumvis reſervatis (ceſſat enim tunc omnis reſervatio) ſed prius ſi poteſt, cui debet ſatisfaciat; ac ſi periculum evaſerit, & aliqua ratione Superiori, a quo alias eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primum poterit, coram eo ſe ſiſtat, quidquid debet præſtiturus.

Quod quidem onus, ſi agatur de cenſuris, & potiſſimum Papæ reſervatis, imponendum eſt, præſtita cautione, ſeu promiſſione de ſtando mandatis Eccleſiæ, & ſatisfaciendo parti læſæ; quæ debet eſſe jurata juxta Decretalem Alexandri III. reſcriptam Epiſcopo Januenſi, & relatam in *cap. X. Ex tenore, de Senten. Excommunicat.* ac binas alias Clementis III. relatas in *cap. XV. Cum deſideres, & cap. XXVI. Quod de his, eod. tit.* in quarum tamen utraque aſſerit Clemens, hujuſmodi juratam cautionem = Quam hodie præſtant qui excommunicati ſunt, potius ex conſuetudine Eccleſiæ, quam rigore Canonum fuiſſe inductam. Nec tale juramentum eſt de ſubſtantia abſolutionis, ita ut, ſi omitteretur, hæc nulla eſſet; ſed exigi ſolet, ut ſic abſolutus magis ſolicitus ſit promiſſionem adimplere, & ne in poſterum talia delicta patrare præſumat, prout expreſſe notat Gloſſa *ad cit. cap. Cum deſidres, verb. Et ne. forma Eccleſiæ lit. F.* Cæterum allata jura loquuntur dumtaxat de cenſura excommunicationis: quibus tamen non obſtantibus in allato textu Ritualis Romani, quod Sedis Apoſtolicæ auctoritate pro regula Parochorum digeſtum, & propoſitum eſt, nulla mentio fit de juramenti vinculo huic cautioni, ſeu promiſſioni adjungendo, qualeſcunque ſint cenſuræ, & quantumvis reſervatæ.

Hic monitos velim Sacerdotes, id onus non eſſe imponendum, ſi ægrotus in extremo conſtitutus abſolutus fuerit a peccatis reſervatis dumtaxat ſine cenſura: tunc enim ceſſat omnis reſervatio, quæ utpote reſtringens juriſdictionem in Confeſſario tantum, non afficit pœnitentem, ut cenſura, ob cujus incurſum cum idem pœnitens ſe contumacem, & inobedientem Superiori conſtituerit, opus eſt, ut a ſua contumacia recedat, ſi convaluerit, per præſtationem obedientiæ eidem Superiori; quæ aliter haberi nequit, niſi ſe coram ipſo ſiſtendo. Quod ſi non faciat, reincidit in eandem cenſuram *cap. XXII. Eos, qui de Sentent. excommunic.* de qua reincidentia potiſſimum monendus eſt a Confeſſario.

Item monitos velim eoſdem Sacerdotes in articulo mortis abſolvere præſumentes ligatum cenſuris contentis in Bulla Cœnæ, ſine prævia promiſſione de ſtando mandatis Eccleſiæ &c. quod & nulliter abſolverent (quod intellige, ſi ex malitia pœnitentis non præmitteretur, & excommunicationem incurrerent (non tamen reſervatam) ut ſtatuitur in §. *Quod ſi forte* dictæ Bullæ, quem leges in calce hujus Operis, ita Sayrus *de Cenſuris lib. 3. cap. 25. n. 7.*

Si autem quæras, an excommunicationem incurrerent abſolvere præſumentes in articulo mortis ſine dicta prævia promiſſione ligatum quibuſvis aliis cenſuris extra Bullam Cœnæ reſervatis tam Papæ, quam locorum Ordinariis, non audeo aſſerere, cum ab ulla lege id cautum nondum invenerim.

Vigebat olim opinio, ſimplicem Sacerdotem non approbatum ad audiendas confeſſiones poſſe abſolvere etiam extra articulum, & periculum mortis a peccatis venialibus, & mortalibus alias abſolutis: verum hodie ex Decreto Congr. Conc. de *Communione quotidiana*, juſſu Innocent. XI. edito ſub die 12. Febr. 1679. id ei vetitum eſt. Unde corrigendi ſunt DD. qui contrarium hucuſque cenſuerunt.

Pro coronide hujus ſectionis notandum eſt, quod cum in hoc tranſcripto cap. VII. ſuprema illa poteſtas qua Summus Pontifex pollet in Eccleſia univerſa , merito damnata eſt contraria opinio, contenta in ſequenti Propoſitione, la XXIX. in ordine inter proſcriptas ab Alex. VIII. 7. Decem. 1690. = Futilis, & toties convulſa eſt aſſeritio de Pontificis Romani ſupra Conc. Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate =.

S E C T I O X L.

Eadem Seſſio XIV. caput VIII. junctis cap. IX. ac Can. XII. & XIII. de Sacramen. Pœnitentiæ.

DEmum quoad ſatisfactionem, quæ ex omnibus pęnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus noſtris chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime noſtra ætate ſummo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt; S. Synodus declarat, falſum omnino eſſe, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino numquam remitti, quin univerſa etiam pęna condonetur. Perſpicua enim, & illuſtria in ſacris literis exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quammanifeſſime revincitur. Sane & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui ſemel a peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint: & divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes; velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ: procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pęnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt,

Circa ſatisfactionem a pœnitente faciendam hic præſcriptam, ne contraria Conc. menti falſa quorundam interpretatio ſerperet, acceſsit declaratio Alexandri VII. ex contrario ſenſu Propoſitionis, la XV. in ordine inter alias ab eodem proſcriptas 24. Sept. 1665. videlicet = Pęnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat = Contra quam Propoſitionem audiatur S. Thomas 3. *part. quæſt. 90. art. 2. Requiritur ex parte pænitentis, quod recompenſet ſecundum arbitrium miniſtri Dei, quod fit in ſatisfactione*. Sane ex Conc. Trid. *ſeſſ. XIV. cap. VIII. pœnæ ſatisfactoriæ magnopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam pænitentes coercent ... medentur peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, male vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt* = Qui quidem effectus magna ſaltem ex parte haberi non poſſent, ſi ſatis eſſet per alium implere: quanta inde exoriretur peccandi facilitas, & nunquam ſatisfaciendi, iis præſertim, qui divites ſunt?

Nota I. Pro uberiori lectoris notitia, nullatenus imponendum eſſe a Confeſſario pro ſatisfactione, ut pœnitens Extremæ Unctionis oleo inungatur, prout olim abuſus irrepſerat apud Græcos a Romana Eccleſia ſemper reprobatus, & potiſsimum ab Innocentio IV. in Epiſtola ad Tuſculanum Epiſcopum, in qua §. VI. legitur = Nulli per Sacerdotes, vel Confeſſarios pro ſatisfactione pœnitentiæ unctio aliqua ſolummodo injungatur = ac noviſsime a Bened. XIV. Conſtit. *Etſi paſtoralis*, *6. Martii* 1742. §. V. & iterum Conſtit. *Ex quo primum*, *1. Martii 1746*. §. XLVIII.

Nota II. Satisfactionem eſſe omnino imponendam in confeſsione ſacramentali: abſolvere autem a culpa, & pœna (quod fieri contingeret per conceſsionem Indulgentiæ plenariæ) nemini datum eſt, niſi ſoli Pontifici Romano ob plenitudinem poteſtatis *cap. XIV. Cum ex eo in fine, de Pænit. & remiſs. ac cap. II. Unigenitus, inter Extravag. commun. eod. tit.* quemadmodum olim falſo dictitabant, ſe concedere poſſe Regulares ex privilegiis Sedis Apoſtol. contra quos Clemens V. in Concilio Viennenſi hanc inflixit pœnam = ſi a pœna (ſunt verba ejuſdem Pontificis in *Clementina I. Religioſi, de Privileg.*) & culpa abſolvere quemquam præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto per Sedem Apoſtol. dumtaxat abſolvendi: quos etiam locorum Ordinarii (poſtquam de hoc eis conſtiterit) excommunicatos faciant publice nunciari, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides, nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis, vel alio privilegio ſuffragante =.

SE-

S E C T I O X L I.

Eadem Seſſio XIV. caput I. de Sacramento Extremæ Unctionis.

INſtituta eſt autem ſacra hæc Unctio infirmorum, tamquam vere, & propriè Sacramentum novi Teſtamenti a Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; &, ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quibus verbis, ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris Sacramenti: intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum; nam Unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat; formam deinde eſſe illa verba, *Per iſtam Unctionem &c.*

Quomodo intelligendus ſit Jacobus Apoſtolus, cum dixit, *inducat Presbyteros*, pro collatione Sacramenti Extremæ Unctionis, an ſilicet præceperit per plures Sacerdotes eſſe conferendum, vel ſatis ſit, ſi per unum tantum conferatur, jam declaravit Alexander III. reſcribens Epiſcopo Carnotenſi, conferri ſcilicet poſſe per unum tantum, ut ex ejus Decretali relata in *cap. XIV. Quæſivit, de Verb. ſignif.* & a me tranſcripta Par. I. pag. 784.

Circa Unctionem infirmi hic præceptam, cum non indicetur in qua corporis parte facienda ſit, acceſſit declaratio Catechiſmi Romani *de Extrem. Unction. Sacram.* §. *Non ſunt autem*, ubi præſcribitur, faciendam eſſe in ſeptem corporis ſenſibus, ſi tempus adſit, qui enunciantur etiam in Decr. Eugen. IV. pro Inſtructione Armenorum, videlicet.

In oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.

Circa materiam hujus Sacramenti, quam hic Concilium definit, eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, declaratum eſt a Clemente VIII. valide conferri poſſe a Sacerdotibus Italo-Græcis oleo tum a ſemeptiſis benedicto: quod idem confirmatum eſt a Bened. XIV. Conſt. *Etſi paſtoralis*, *26. Maii 1742. §. IV. numero 1.*

Non ſunt cogendi Presbyteri græci Olea ſancta, præter Chriſma, ab Epiſcopis latinis diœceſanis accipere, cum hujuſmodi Olea ab eis in ipſa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur; niſi tamen contraria conſuetudo introducta ſit, qnam ſervari volumus, ac mandamus.

Hanc eandem facultatem illis adſtruit in altera Conſtitut. *Ex quo primum 1. Martii 1756. §. XLVI.*

Reliqua circa unctiones, modum, & tempus hoc Sacramentum miniſtrandi omitto, cum ſatis clare expoſita ſint in Rubricis Ritualis Romani.

S E C T I O X L I I.

Eadem Seſſio XIV. cap. III. de dicto Sacramento Extremæ Unctionis juncto Canone IV.

JAm verò, quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere, & miniſtrare hoc Sacramentum debent, haud obſcure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum: nam & oſtenditur illic, proprios hujus Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros: quo nomine eo loco, non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes, ab ipſis rite ordinati per impoſitionem manuum presbyterii.

Can. IV. Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed

ætate

ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem; anathema ſit.

Huic Decreto, definienti proprios hujus Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros, Epiſcopos, aut Sacerdotes, ab his rite ordinatos, acceſſit declaratio Catechiſmi Romani de hoc Sacramento, *§. Jam vero* circa finem, videlicet non omnibus Sacerdotibus, ſed propriis dumtaxat infirmorum Parochis ex decreto Eccleſiæ illud adminiſtrare licitum eſſe, ibi.

Neque tamen ex S. Eccleſiæ decreto cuivis Sacerdoti, ſed proprio Paſtori, qui juriſdictionem habeat, ſive alteri, cui ille ejus muneris fungendi poteſtatem fecerit, hoc Sacramentum adminiſtrare licet.

Huic autem Catechiſmi declarationi acceſſit communis, & inconcuſſe recepta DD. opinio, ab Epiſcopis etiam, & animarum Paſtoribus pluſquam tacite approbata, quod nempe cuicunque Sacerdoti non intelligatur interdicta hujus Sacramenti adminiſtratio in caſu neceſſitatis, ut optime ratiocinatur Benedictus XIV. in ſæpiſſime laudato tractatu *de Synodo diœc. lib. VIII. cap. IV. num. 7.* ibi „ Enim vero,
„ etſi quilibet Sacerdos poſſit illam valide conferre,
„ ſolus tamen Parochus eſt ordinarius ejuſdem mi-
„ niſter, nec ulli fas eſt extra neceſſitatis even-
„ tum, ſine ejuſdem Parochi licentia ſacro Oleo
„ ægrotantes inungere; uti diſerte ſtatuitur in Ca-
„ techiſmo Romano *par. 2. de Sacram. extrem. Un-*
„ *ction.* §. XXI. Quinimo Religioſi, qui, nulla pe-
„ tita a Parocho venia, Sacramentum Extremæ
„ Unctionis adminiſtrare præſumunt, præter gra-
„ vis culpæ reatum, in excommunicationem inci-
„ dunt, Sedi Apoſt. reſervatam, uti habetur in
„ *Clementina I. de Privilegiis*: quam quidem Cle-
„ mentinam cum tanta ſeveritate poſt Archidiaco-
„ num accipit Navarrus *Manual. cap. XXVII. nu-*
„ *mer. 102.* ut aſſerat, eadem cenſura irretiri Re-
„ gulares Extremam Unctionem miniſtrantes ægro-
„ to, etiam conſtituto in mortis articulo, cumque
„ Parochus abeſt. Sed jure, ac merito Navarri
„ opinionem refellunt Sotus *in 4. diſt. 23. quæſt. 2.*
„ *artic. 1.* Saintebeuve *de Sacr. Extrem. Unct. diſp. 6.*
„ *artic. 2.* Natalis Alexander *eod. tract. lib. 2. cap. 5.*
„ *regul. 10.* Tournely *cit. quæſt. 2. art. 4.* Juenin *cit.*
„ *diſſert. 7. quæſt. 6. cap. 2.* aliique paſſim. Etenim,
„ cum Eccleſia, urgente mortis periculo, cuilibet
„ Sacerdoti poteſtatem fecerit abſolvendi a quibus-
„ libet cenſuris, & peccatis, veroſimile certe non
„ eſt, quod cuipiam Sacerdoti interdixerit, ne in
„ eodem ſtatu, ac vitæ diſcrimine conſtituto, cum
„ Parochus abeſt, adminiſtret Extremam Unctionem,
„ quæ eſt perfectio, & complementum pœnitentiæ.
„ Neque ad ſui validitatem requirit in Miniſtro pote-
„ ſtatem juriſdictionis, ſicuti Sacramentum Pœni-
„ tentiæ. Quare S. Carolus Borromæus, etſi Pa-
„ rochorum jura ſtudioſe ſemper tutatus fuerit, ni-
„ hilominus in *Conc. Mediolanenſi V. part. 1. Actor.*
„ *Eccl. Mediolan. par. 1. pag. 223.* deficiente Paro-
„ cho, cuilibet Sacerdoti integrum eſſe voluit, ſacro
„ oleo inungere infirmum in mortis periculo conſti-
„ tutum, inquiens = ne alius Sacerdos, niſi Paro-
„ chus hoc Sacramentum miniſtret: ſi porro is im-
„ peditus, aut alias in mora eſt, mortiſque peri-
„ culum inſtat, tunc Sacerdos alius miniſtret, li-
„ cet =.

Imo Regulares non incurrerent cenſuram dictæ Clementinæ in foro conſcientiæ, ſi illud adminiſtrarent etiam extra caſum neceſſitatis bona fide, vel ignorantia craſſa, non autem affectata; cum inflicta ſit tantum in præſumentes illud adminiſtrare ſine licentia Parochi. Sicuti nec Sacerdos ſecularis incurreret pœnas inflictas a Trident. *cap. XI. ſeſſ. XXII. de reformat.* & a Bulla Cœnæ *cap. XII.* ſi non præſumeret uſurpare parochi juriſdictionem. Poſſunt tamen Regulares illud adminiſtrare ſine licentia Parochi ſibi inſervientibus, cum limitatione vero, ut dixi par. I. pag. 728. & ſeq.

Quæ dicta ſunt de hoc Sacramento in caſu neceſſitatis, & extra illum abſque præſumptione collata, extendit *Theſaurus de Pœnis cap. 1. verb. Parochialia jura*, etiam ad Baptiſmum, & Viaticum: quamvis afferat de hoc nonnullos contrarium ſentire; qui, ajunt, non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. Sed quanti facienda ſit iſta ratio, ex eo deſumitur, quod ſi poſſet per ipſos DD. in dictis caſibus adminiſtrari Extrema Unctio, poſſet & Viaticum, cum neutrum ſimpliciter neceſſarium ſit ad ſalutem.

SECTIO XLIII.

Seſſio XIV. cap. I. de Reform.

CUm honeſtius, ac tutius ſit ſubjecto, debitam Præpoſitis obedientlam impendendo, in inferiori miniſterio deſervire, quam cum Præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem, & cui aſcenſus ad ſacros Ordines a ſuo Prælato ex quacunque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus; nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe pro

move-

moveri faciendo ; aut ad priores Ordines , gradus , & dignitates , ſive honores , reſtitutio ſuffragetur .

Circa intellectum hujus Decreti , & dubia deſuper exorta, tranſcribo allata a Benedicto XIV. *de Synod. diæc. lib. XII. cap. VIII. edit. an.* 1755. *a numer.3. ad totum 6.* ibi ,, Ex quibus verbis (Trident. videlicet ſupra relatis) colligitur , poſſe Epiſcopum ob occultum crimen , etiam extrajudicialiter cognitum , non ſolum Clericis prohibere aſcenſum ad Superiores Ordines , ſed etiam a ſuſcepti jam Ordinis miniſterio eoſdem interdicere: quamvis enim in ſecunda Decreti parte , ubi de ſuſpenſione eſt ſermo , non iterentur illa verba : *etiam ob occultum crimen* , *quomodolibet* , *etiam extrajudicialiter* : conſtans nihilominus , & perpetua ſacræ Congregat. Conc. ſententia fuit , ob continuationem ſermonis cenſeri reperita , eaque utrumque caſum complecti. Ab Epiſcopo ſiquidem Alerienſi interrogata : an verba illa , *ob occultum crimen* , *quomodolibet* , *etiam extrajudicialiter* , expreſſa dumtaxat in prima parte periodi cenſeantur repetita in ſecunda parte ; adeo , ut inde colligi valeat , Prælatum nedum poſſe ob occultum crimen extrajudicialiter interdicere ſuo ſubdito aſcenſum ad Ordines , ſed itidem ob occultum crimen poſſe etiam extrajudicialiter illum ſuſpendere ab Ordinibus jam ſuſceptis = Sacra Congreg. die 24. Novembr. 1657. re ſedulo examinata , cenſuit , non recedendum ab antiquis declarationibus , ſuper hoc eodem dubio pluries datis ; ac proinde affirmative reſpondit , *lib. XXI. Decretor. pag.* 134. Et cohærenter ad hanc reſponſionem eadem ſacra Congregat. die 16. Decembr. 1730. ſuſtineri dixit = Suſpenſionem a divinis , ab Epiſcopo Capritano ex informata tantum conſcientia duobus Sacerdotibus inflictam = uti videre eſt in *Theſaur. Reſolut, tom. V. pag.* 81. idemque reſponſum dedit in cauſa *Oritana* , ſeu *Tarentina* , 20. *Auguſti* 1735. *ejuſdem Theſaur. tom. VII. pagina* 115.

,, Adeo porro verum eſt , poſſe Epiſcopum , virtute prædicti Decreti , ex cauſa ſibi nota Clericum interdicere tam ſacrorum exercitio , quam aſcenſu ad altioris Ordinis gradum , ut neque teneatur = cauſam ſuſpenſionis , ſeu delictum manifeſtare ipſi reo , ſed tantum Sedi Apoſtolicæ, ſi ſuſpenſus ad eam recurſum habuerit = quod totidem verbis a ſacra Congregat. reſponſum legimus Epiſcopo Vercellenſi *die* 21. *Martii* 1643. *lib.XVII. Decretor. pag.*170. *& ſeq.* Atque , univerſim loquendo , Epiſcopum renuentem alicui Ordines conferre , nullo jure obſtringi ad manifeſtandam cauſam , cur eum repellat , neque ei, qui repulſus eſt , ullam competere appellationem , ſed tantum permitti adire Sedem Apoſtolicam, eique ſuas querelas exponere , eadem ſacra Congregat. diſerte declaravit , cum ad Cardinalem Antonium Barberinum , Archiepiſcopum Remenſem , Apoſtolica Limina viſitantem , atque hac ipſa de re S. Congr. ſententiam ſciſcitantem , die 21. April. 1668. in hunc modum reſpondit =. Cum nullus ordinari debeat , quem Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ utilem , aut neceſſarium non judicaverit, Congregatio non ſemel declaravit , ab hujuſmodi judicio nullam dari appellationem , ſed recurſum dumtaxat ad Sedem Apoſtol. , quæ juxta ipſius Congregat. ſententiam , per Gregor. XIII. fel. recordat. appprobatam , quotieſcunque Ordinarius recuſaverit quemcunque ordinare , Metropolitano , aut viciniori Epiſcopo committit , ut ab eodem Ordinario prius requirat cauſam recuſationis , quo legitimam non allegante , liceat illi eundem recuſatum ordinare . Itaque , ſi qui ex diœceſanis Epiſcoporum Eminentiæ Veſtræ provincialium Sedem Apoſtol. adiuerint , juxta prænarratam formulam , eorum querimoniis conſuletur : cui formulæ ut unum in præſens addatur, cenſuerunt expedire EE. PP. videlicet, ut Metropolitanus , aut vicinior Epiſcopus , antequam commiſſas ſibi partes exequi aggrediantur, paterne curent , ut illi denuo apud ſuos Epiſcopos per tres vices ſuppliciter petant , *libro XVI. Literar. viſitationis ſacrorum Liminum pag.* 401.

,, Ex hoc vero , quod ſuſpenſus ab Epiſcopo ob occultam cauſam , quam tamen Epiſcopus ſibi notam aſſerit , appellare nequeat ad Superiorem, neceſſario conſequitur , quod , ſi nihilominus appellationem interponere , ejuſque obtentu in Altari miniſtrare , ſeu quovis modo ſuum Ordinem ſolemniter exercere præſumat , ſtatim incidat in irregularitatem . Quidquid enim in contrarium ſenſerint nonnulli DD. ita expreſſe definivit Sacra Congregatio Conc. , *in Sagonen.* 21 *Junii* 1725. *lib. XXIV. Poſitionum pag.* 1. ubi hæc adnotantur. = Epiſcopus Sagonenſis ex facultate ſibi attributa Decreto Conc. *cap. I. ſeſſ. XIV.* ex cauſis ſibi notis ſuſpendit Parochum ab exercitio Curæ: ſed ille appellavit , & præcepto Epiſcopi contempto , celebravit , & Curam exercuit . Quæritur , an a dicta ſuſpenſione detur appellatio , ita ut Parochus , non obſtante appellatione interpoſita , per exercitium Curæ effectus fuerit irregularis . Sacra Congr. Conc. cenſuit , ab hujuſmodi ſuſpenſione non dari appellationem , & Parochum , qui Sacramenta , ut ſupra miniſtravit , irregularitatem contraxiſſe = .

,, Sed , quamquam hæc veriſſima ſint , attamen reprehenſibilis foret Epiſcopus , ſi in ſua Synodo declararet , ſe deinceps ex privata tantum ſcientia , pœna ſuſpenſionis a Divinis animadverſurum in Clericos , quos graviter deliquiſſe compererit , quamvis eorum delictum non poſſit in foro externo concludenter probari , aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere : ejuſmodi ſiquidem Conſtitutio quandam redoleret ambitionem , atque poteſtatis oſtentationem ; ipſeque Epiſcopus traduceretur veluti in ſuperbiam elatus , quaſi vellet tantum in ſuum Clerum ſibi dominatum adſtruere , qui in exoſam degeneret tyrannidem ".

Poteſt etiam Epiſcopus ex informata conſcientia ſuſpendere ab audiendis confeſſionibus Regulares, licet a ſe cum nulla temporis limitatione approbatos ex nova ſuperveniente cauſa, confeſſiones concernen-

Digitized by Google

nente, abſque eo quod teneatur eam ipſis Regularibus ſignificare, ut declaravit Clemens X. Conſtitut. *Superna*, 21. *Junii* 1670. §. *Et eos*, quam leges infra. Item ex Conſt. Ben. XIV. *Apoſt. miniſterium* 30. *Maii* 1753. poteſt Vicarius Apoſtolicus pro Miſſionibus Anglicanis deputatus amovere, inconſultis Superioribus, Regulares Miſſionarios ſive ineptos, ſive delinquentes in Sacramentorum adminiſtratione; ſicuti & Superiores Regulares, inconſulto dicto Vicario.

Subnectimus etiam quæ circa hanc eandem materiam propoſita, & diſcuſſa fuerunt in dicta Sacra Congr. ſub die 22. Junii 1682 prout legitur *lib. XXII. Memorialium ad ſeſſ. XIV. cap. I. de reform. pag.* 24. ibi = Congreg. Columna S. Onufrii, Senonen, Montalti, Albano, S. Siati, & Caraſa cenſuit Decreto Conc. *ſeſſ. XIV, cap. I.* correctum eſſe *cap. IV. Ex tenore, de foro compet. & cap. V. Ad aures, eod. tit.* & ampliatum, ita, ut comprehendat quoque Clericos ſeculares, etiam dignitates, vel beneficia, quibus annexus ſit Ordo, obtinentes, tam quoad facultatem prohibendi aſcenſum ad Ordines, quam etiam ſuſpendendi, ipſiſque facultatem appellandi ademptam eſſe =.

Fuit etiam dictum, arctatum ad Ordines ſuſcipiendos, ſi ſic prohibitus fuit, non incidere in pœnas *cap. XIV. Licet Canon. de Election. in VI. juxta cap. XXXV. Comiſſa, eod. tit.*

Fuit pariter dictum, quod ſi adimitur poteſtas appellandi, non denegatur recurſus, *cap. V. Tum ex literis, de In integrum reſtit.* tamen, quia Epiſcopi hujuſmodi poteſtate abuti poſſunt, Illuſtriſſimi DD. dixerunt, referendum Sanctiſſimo, ſi moderamen aliquod hac de re adhiberi poſſet, quo juri, & periculo occurretur, die 27. Jan. 1583. facta relatione Congr. Conc. ad Sanctiſſimum coram Illuſtriſſimo Columna, ſua Sanctitas reſpondit, videndum, num prohibitio Conc., & ſuſpenſio ſit perpetua, vel temporaria; quod ſi temporaria, non laxandum Decretum, audiendas tamen rationes Illuſtriſſimi Senonenſis, aſſerentis, non comprehendi arctatos: ſin autem prohibitio, & ſuſpenſio Conc. perpetua intelligatur, adhuc ſtudendum, & maturius rem eſſe perpendendam.

Die 14. Julii 1583. Cong. Conc. S. Onufrii, Senon. Mont. Alb. S. Sixti, & Caraſa cenſuit, habere locum tam in ſuſpenſionibus, & prohibitionibus temporariis, quam perpetuis. Temporalis enim prohibitio, & ſuſpenſio dicetur, ubi ex delicto occulto extrajudicialiter procedit Epiſcopus, ad ſuum beneplacitum prohibendo, vel ſuſpendendo, quæ demum tempus ſuæ adminiſtrationis non excedunt =.

Nota I. Quod cum ex relatis Congr. Decretis adempta ſit facultas appellandi a ſententia Ordinarii, extrajudicialiter procedentis ob occultum crimen ex informata conſcientia, adempta eſt etiam Auditori Cameræ Apoſtolicæ facultas admittendi dictam appellationem, & inhibitionem interponendi, ut declaravit eadem Congr. 3. *Aprilis* 1621. in famigerata cauſa Verulana, prout ex *lib. Memorialium ad ſeſſ. XIV. cap. I. de refor.*

Nota II. Quod hæc eadem facultas extrajudicialiter procedendi ex informata conſcientia ob occultum crimen, competit etiam Prælatis Regularibus, ut dicta Cong. declaravit 11. *Decembris* 1621. & in *Sagonnen.* 21. *Junii* 1625. *lib. XII. Decretor. pag.* 87. An autem competat etiam Vicario generali Epiſcopi, merito dubitari poſſet, cum ex cit. cap. Tridentini videatur attributa eſſe ſolis Epiſcopis, & Prælatis.

Nota III. Ex ejuſdem Congr. declaratione in *Calaguritana* 10. *Maji* 1625. quod = ſi Epiſcopus .., in vim *cap III. ſeſſ. XIV.* ejuſdem Conc. contra Clericos proceſſerit tamquam illiteratos, a Decreto ſuſpenſionis hujuſmodi dari appellationem ad effectum devolutivum tantum, non autem ſuſpenſivum. Cæterum ſi proceſſerit contra eos tanquam delinquentes facultate ſibi tributa a cap. I. ejuſdem ſeſs., a ſuſpenſione lata ab eo dari nullam appellationem.

Circa uſum tamen hujus facultatis meminerint Epiſcopi, aliique Prælati ſalutaris illius moniti, ipſis paterno charitatis affectu a Tridentini Patribus pro ſuorum ſubditorum ædificatione, & ſalute commendati, quod antequam procedant ad eorundem ſubditorum correctionem ex informata conſcientia, omnino legere debent diſpoſita in *cap. I. ſeſſ. XIII. de reform.*

SECTIO XLIV.

Eadem Seſſio XIV. cap. II. de Reform.

NEmo Epiſcoporum, qui Titulares vocantur, etiamſi in loco Nullius diœceſis, etiam exempto, aut aliquo monaſterio cujuſvis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujuſvis privilegii ſibi de promovendo quoſcunque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprii Prælati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſoriis, ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel Primam Tonſuram promovere, ſeu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum; taliter vero promoti ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.

Pœnæ a Trident. hic inflictæ contra Epiſcopum Titularem ordinantem, & ab eo ordinatum ſine dimiſſoriis proprii Epiſcopi extenduntur ab Urb. VIII. ad Epiſcopos Italiæ, ſic ordinantes Clericos ultramontanos, quibus ſic promotis pœna injungitur ſuſpenſionis eo ipſo, abſque ſpe diſpenſationis, cæteroquin a San-

a Sancta Sede dumtaxat obtinendæ. Italis vero taliter ordinatis additur pœna, quod, ſequuta prius deſuper Judicis eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio minime gaudeant, ſed ſeculari jurisdictioni, ut antea, in omnibus plene ſubjaceant, ut ex ſequenti ejus Conſtit. *Secretis* 11. *Decembr.* 1624.

Secretis.... Alias ſiquidem felic. rec. Clemens PP. IV. Prædeceſſor noſter, volens periculis animarum eorum odviare, qui vinculo excommunicationis adſtricti, aut apoſtatæ, ſeu irregulares, vel alias Ordinum ſacrorum ſuſceptione indigni, ſuam patriam, in qua de his haberetur notitia, fugientes, ſe in remotis partibus faciebant ad hujuſmodi Ordines promoveri; ſtatuit, ut nullus Epiſcoporum Italiæ de cætero aliquem ultramontanum Clericum ordinare præſumeret, niſi ab eodem Clemente Prædeceſſore, vel ab Epiſcopo, de cujus diœceſi traxerat originem ordinandus, vel in cujus diœceſi beneficiatus exiſtebat, per ejus patentes literas, cauſam rationabilem continentes, quare ipſum nolebat, aut nequibat ordinare, ſpecialem licentiam haberet; eos vero, quos contra præmiſſa contigiſſet ordinari, manere voluit abſque ſpe diſpenſationis, ſuper hoc a Sede Apoſtolica obtinenda, ſuſpenſos, ac ordinantes condigna pœna puniri.

Cum autem non ſine gravi animi noſtri moleſtia Nobis innotuerit, quamplures ultramontanos ſuæ ſalutis immemores, Deique timore poſtpoſito, ad Ordines prædictos, dimiſſorialibus literis, ſeu etiam cum titulo patrimonii ficto, vel fiduciario, ſeu etiam falſo, cum maximo bonorum omnium ſcandalo, ſe promoveri feciſſe: nos innumeris, quæ ex minus canonica Clericorum ordinatione hujuſmodi proveniunt malis, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, prædictam Clementis Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, cum omnibus, & ſingulis in ea contentis approbantes, & innovantes, motu proprio, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in Italia exiſtentibus, tenore præſentium prohibemus, ne quovis prætextu, & ex quacunque cauſa Hiſpanos, Luſitanos, Gallos, vel Germanos, alioſque quoſcunque ultramontanos, & ex quibuſvis locis extra Italiam oriundis, non ſolum ad ſacros, ſed neque etiam ad minores Ordines, vel clericalem characterem promovere audeant, ſeu præſumant, niſi dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum literas a noſtris, & hujus Sanctæ Sedis Nunciis, ſeu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & ſubſcriptas habeant, eorundemve Nunciorum, ſeu Collectorum ſubſcriptiones a dilecto filio noſtro in alma Urbe Vicario in ſpiritualibus Generali ſimiliter examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint; alias promoventes ad annum ab exercitio Pontificalium, promoti vero perpetuæ ſuſpenſionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis, a Sede Apoſtolica obtinendæ, incurrant eo ipſo. Inſuper promotis hujuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis, vel fictis, aut etiam fiduciariis patrimonii titulis, ſcienter ſe ad Ordines hujuſmodi promoveri fecerint, non ſolum prædictis, verum etiam majoribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis infligendis pœnis.

Italos vero, ſi quos in poſterum clericali charactere inſigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Epiſcopo cum falſis dimiſſoriis contigerit, etiamſi qualitatibus per Concilii Tridentini Decretum cap. XVI. ſeſſ. XXIII. requiſitis præditi ſint; nihilominus, ſecuta tamen prius deſuper Judicis eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio, minime gaudere, ſed ſeculari juriſdictioni, ut antea plene in omnibus ſubjacere, & ſubjectos eſſe reſpective volumus.

Hanc Urbani Conſtit. ſervandam eſſe etiam in Inſula Melitenſi, quoad Promotos cum falſis dimiſſoriis, non obſtantibus privilegiis Hoſpitali Sancti Joannis Hieroſolymitani competentibus, declaravit Congr. Conc., ut patet ex Conſtitutionibus deſuper editis la 142. 1. Jul. 1684. & la 159. 30. Jan. 1686. de impreſſis Innoc. XI. incipientibus *Cum dudum*, & *Alias*.

Dictæ Urbanæ Conſt. *Secretis*, diſpoſitio confirmatur in Conſt. Innoc. XII. *Speculatores*.

Quomodo vero Epiſcopi Titulares, quæ de cauſa, & quibus Epiſcopis aſſignandi ſint, dicetur infra, cum de *cap. VII. ſeſſ. XXV. de reform.* ubi ſermo erit de Epiſcoporum Coadjutoribus.

S E C T I O X L V.

Eadem Seſſio XIV. caput III. de reform.

EPiſcopus quoſcunque ſuos Clericos, præſertim in ſacris conſtitutos, abſque ſuo præcedenti examine, & commendatiis literis, quacunque auctoritate promotos, licet tamquam habiles ab eo, a quo ordinati ſunt, probatos, quos tamen ad divina officia celebranda, ſeu eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda minus idoneos, & capaces repererit, a ſuſceptorum Ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, ſuſpendere, & illis, ne in Altari, aut aliquo Ordine miniſtrent, interdicere poſſit,

Huic Decreto acceſſit declaratio Congr. Conc, quæ in *Corduben.* 22. *Martii* 1597. *&* 10. *Februarii* 1624. cenſuit, hoc idem Decretum non comprehendere examinatos, & promotos a prædeceſſoribus Epiſcopis, niſi poſt promotionem nova cauſa ſupervenerit; qua cognita, Epiſcopus demo examinare poterit; & interim illos ſuſpendere, maxime in Presbyteratus Ordine conſtitutos, ab exercitio Ordinum ſuſceptorum. Abſolvendi ſunt tamen, ſi poſtea ſe habiles reddiderint. Allata Conc. declaratio fundatur etiam in Decretali Innoc. III. reſcripta Archiepiſcopo Braebarenſi, relata in *cap. XIII. Accepimus, de Ætat. & qualit. & ordine Præficendor.* ubi ſic legitur = Licet igitur in ordinationibus Clericorum illam tu, ac Prædeceſſores tui diligentiam debueritis adhibere, ut minus idonei non ordinarentur a vobis, ac ideo poſt promotionem eorum exceptionem non poſſis prætendere contra illos, niſi forte, poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos =.

Et notandum circa hanc ſuſpenſionem ſequens ejuſdem Congr. Decretum *in Calagaritana* 27. *Novembris* 1624. = Sacra &c. cenſuit, ſi Epiſcopus Calaguritanus in vim cap. III. ſeſſ. XIV. ejuſdem Conc. contra Clericos uti illiteratos proceſſerit, a Decreto ſuſpenſionis hujuſmodi dari appellationem ad effectum devolutivum tantum, non autem ſuſpenſivum. Cæterum ſi proceſſerit contra eos tamquam delinquentes facultate ſibi attributa Decreto cap. I. ejuſdem ſeſſ. a ſuſpenſione lata ab Epiſcopo, nullam dari appellationem =.

S E C T I O X L V I.

Eadem Seſſio XIV. caput IV. de reform.

OMnes Eccleſiarum Prælati, qui ad corrigendos ſubditorum exceſſus diligenter intendere debent, & a quibus nullus Clericus per hujus S. Synodi ſtatuta, cujuſvis privilegii prætextu, tutus cenſetur, quominus juxta canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi poſſit, ſi in Eccleſiis ſuis reſederint, quoſcunque ſeculares Clericos, qualitercunque exemptos, qui alias ſuæ jurisdictioni ſubeſſent, de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, tamquam ad hoc Apoſtol. Sedis delegati, corrigendi, & caſtigandi facultatem habeant.

Huic Decreto acceſſit ſequens declaratio Congregr. Conc. *in Nullius, ſeu Theatina die* 27. *Junii* 1596. = Congr. cenſuit, Epiſcopum non poſſe ex decreto *cap. IV. ſeſſ. XIV.* etiam extra viſitationem, corrigere, & punire Clericos ſeculares exemptos ab Epiſcopo, & alteri inferiori Ordinario intra diœceſim exiſtenti ſubjectos, quam ſententiam Sanctiſſimus (Clem. VIII.) ad ſe relatam die 27. *Auguſti* approbavit =.

Ex ejuſdem declaratione non eſt exemptus a jurisdictione Epiſcopi exercens curam animarum in Eccleſia annexa Commendæ Hieroſolymitanæ Religionis in concernentibus curam prædictam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem, atque in delictis, ſcandaloſam turpitudinem habentibus, etiamſi habitet in domo ejuſdem parochialis, necnon etiam in aliis delictis, ſi non profiteatur obedientiam dictæ Religioni; ſecus vero ſi obedientiam profiteatur, in *Faventina jurisdictionis* 17. *Sept.* 1667. *lib. Decretor.* XXI, *pag.* 442.

Neque ſunt exempti a jurisdictione Epiſcopi, Capellani, Sacriſtæ, aliique deputati ad ſimilia munia exercenda in Eccleſiis commendatis ſupradictæ S. Religioni Hieroſolymitanæ, ſi non reſideant in domibus prædictarum Eccleſiarum in *Matheranen. jurisdictionis*, 8. *Feb.* 1659. *ad* 1. *lib. Decretor.* XXI, *pag.* 533.

Neque Clerici, & Presbyteri aggregati Eccleſiæ fundatæ in ſolo Lateranenſi, *Pennen. juriſdict.* 7. *Sept.* 1680. *lib. Decretor.* XXXI. *pag.* 227.

SECTIO XLVII.

Eadem Seſſio XIV. caput V. de reform.

INſuper, cum nonnulli, qui ſub prætextu, quod ſuper bonis, & rebus, ac juribus ſuis diverſæ eis injuriæ, ac moleſtiæ inferantur, certos judices per literas conſervatorias deputari obtinent, qui illos a moleſtiis, & injuriis hujuſmodi tueantur, ac defendant, & in poſſeſſione, ſeu quaſi bonorum, rerum, ac jurium ſuorum manuteneant, & conſervent, neque ſuper illis eos moleſtari permittant, ejuſmodi literas in pleriſque contra concedentis mentem in reprobum ſenſum detorqueant: idcirco nemini omnino, cujuſcunque dignitatis, & conditionis ſit, etiam ſi Capitulum fuerit, Conſervatoriæ literæ, cum quibuſcunque clauſulis, aut decretis, & quorumcunque judicum deputatione, quocunque etiam alio prætextu, aut colore conceſſæ, ſuffragentur ad hoc, ut coram ſuo Epiſcopo, ſive alio Superiore ordinario in criminalibus, & mixtis cauſis accuſari, & conveniri, ac contra eum inquiri, & procedi non poſſit; aut quominus, ſiqua jura ei ex ceſſione competierint, ſuper illis libre valeat apud judicem ordinarinm conveniri. In civilibus etiam cauſis, ſi ipſe actor extiterit, aliquem ei apud ſuos Conſervatores judices in judicium trahere minime liceat. Quod ſi in iis cauſis, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo Conſervator ab actore ſuſpectus eſſe dicatur; aut ſiqua inter ipſos judices, Conſervatorem, & Ordinarium controverſia ſuper competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per Arbitros in forma juris electos, ſuper ſuſpicione, aut jurisdictionis competentia fuerit judicatum. Familiaribus vero ejus, qui hujuſmodi literis Conſervatoriis tueri ſe ſolent, nihil illæ proſint, præterquam duobus dumtaxat; ſi tamen illi propriis ejus ſumptibus vixerint. Nemo etiam ſimilium literarum beneficio ultra quinquennium gaudere poſſit. Non liceat quoque Conſervatoribus judicibus ullum habere tribunal erectum. In cauſis vero mercedum, aut miſerabilium perſonarum, hujus Sanctæ Synodi ſuper hoc decretum in ſuo robore permaneat.

Hoc Decretum, quo ſtatuitur, cauſas criminales, & mixtas ad locorum Ordinarios, & non ad Conſervatores pertinere; civilea velo ab his poſſe cognoſci, cum ii, quorum privilegia tuentur, rei ſunt, non actores, prius ampliatum fuit a Clemente VIII. Conſtitut. *Sanctiſſimus* 19 *Matii* 1592. ac poſtea majori declaratione, & extenſione a Gregorio XV. ejuſdem Clementis veſtigiis inhærente, ut ex ipſius Conſtitut. *Sanctiſſimus* 20. *Septembris* 1621. a cujus integri textus tranſcriptione abſtineo, ne longus ſim, & ſummam tantum affero. Decernit itaque.

I. Ut dicti Conſervatores, ſive principalea, ſive ſubrogati, nominandi ab iis, quibus a S. Sede hoc privilegium conceſſum eſt, ſint in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, & vel obtinentes perſonatum, vel canonicatum in Cathedralibus juxta *cap. Statutum I. de Reſcript. in VI.*

II. Ut ſint nominati in provinciali, vel diœceſana Synodo, & deinde ex iis electi in Conſervatores juxta Trident. *ſeſſ. XXV. cap. X. de reform.* & citat. Conſt. Clementis.

III. Ut literæ Conſervatoriæ per Sedem Apoſtolicam concedendæ his dumtaxat dirigantur, & nominatio aliter facta, ſit eo ipſo nulla; Regulares vero audentes aliter nominare, & aliter nominatis uti, ipſo facto incurrant privationem vocis activæ, & paſſivæ, Papæ reſervatam, ac tam dicti Regulares, quam ſeculares, alias etiam exempti, aliter, ut ſupra, nominantes, & reſpective utentea, careant Conſervatore per annum, quo durante, eorum cauſæ cognoſcendæ ſint a locorum Ordinariis.

IV. Ut, ſi aliquem ex dictis mori contigerit, ſubſtituatur alius ab Ordinario cum conſilio capituli, uſque ad futuram Synodum.

V. Ut eligentes Conſervatorem exhibeant documentum electionis, ut ſupra factæ, apud acta Curiæ Ordinarii, alias interim conveniantur coram eodem.

VI. Ut Conſervatores ſic electi mutari nequeant intra quinquennium, niſi ex cauſa cognita, vel ab Ordinario, vel a Papa, prout Electoribua libuerit.

VII. Ut habentes Conſervatorem conveniri poſſint, & debeant coram ipſo, non autem alioa convenire, ſeu ad illum trahere. In quo Gregoriua extendit ad Conſervatores privilegiatos, quod Trid. loc. cit. ſtatuit de Conſervatoribus ſecundum jura.

Ex eo autem, quoad alioa convenire, aut trahere non poſſint, non ideo Conſervatoribus ſublata eſt facultas defendendi Regulares a manifeſtis injuriis, & violentiis de facto ipſis illatis, dum a ſuis poſſeſſionibus dejiciuntur, propriiſque bonis uti, & frui impediuntur: dummodo habeant alia requiſita ſecundum jura, & non trahant reos ultra unam dietam juxta Decretalem Innoc. IV. & Bonifac. VIII. *cap. I. & XV. de Offic. deleg. in VI.* ut ex decreto Congr. Conc. relato in calce cit. Conſtitut. Gregorii. Unde in caſu quoque, quo Regulares ſunt actores, & confugiunt ad ſuos Conſervatores, eiſque per viam accuſationis, vel denunciationem deferunt

reum, ac injuriam, & producunt, vel nominant teſtes, qui fuerunt præſentes in actu illatæ injuriæ, hi poſſunt procedere contra accuſatos, & denunciatos. Manifeſta autem injuria tunc dicitur, cum per evidentiam facti ita notoria eſt, ut nulla probabili tergiverſatione celari queat] juxta *Glos. in cap. I. de Offic. Judic. delegat. verbo Conſervatores*: vel eſt ita patens, ut nulla examinatione, & inquiſitione indigeat; & quatenus requiratur, poteſt clare, & certó per teſtes probari.

VIII. Ut controverſia orta de juriſdictione inter Conſervatores, & Ordinarios definiatur per Arbitros, in forma juris electos, & interim ſuſpendatur in cauſa principali juxta Trident.

IX. Ut Conſervator procedere non poſſit contra quoſcunque extra civitatem, ſeu diœceſim, in quibus deputatus eſt, & ſi limites ſuæ juriſdictionis exceſſerit, eo ipſo incurrat ſuſpenſionem ab hoc officio per annum (per quod correctum eſt *cap. Hac Conſtit. XV. de Offic. delegat in VI.* ubi ſecundum aliquos infligebatur pœna ſuſpenſionis etiam a divinis) & pars hoc fieri procurans incurrat excommunicationem, a qua nequeat abſolvi, niſi ſatisfacta parte juxta *cit. cap. XV.*

X. Ut omnes ſupradicti, non obſtante hac Gregorii Conſtitutione, petere poſſint in caſibus a jure permiſſis a Principibus, ſive Magiſtratibus ſecularibus judicem non ſuſpectum; ſi tamen ſint actores tantum, & non agant contra Clericum, vel alios a juriſdictione ſeculari exemptos, ac ſi cauſa fuerit prophana, non autem eccleſiaſtica, & in ea Judex laicus eligendus juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem, ſit competens.

Nota I. Quod licet in Decretali Bonifacii VIII. relata in *cap. XV. Hac Conſtitutione, de Offic. Jud. del. in VI.* legatur = *Sancimus, ut Conſervatores*, qui aliquibus (ut a manifeſtis injuriis, & violentiis tueantur eaſdem) plerumque a Sede Apoſtolica conceduntur, de cætero deputari non poſſint, niſi Epiſcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates &c. = juxta quam emanavit etiam declaratio Congr. Conc. relata a Benedicto XIV. *lib. IV. cap. VI. num. 2. & 4. de Synodo diœc.* per hæc verba = Præter judices ſynodales poſſe in Conſervatores aſſumi Epiſcopos, atque illis Superiores, eorumque Generales Vicarios =.

His tamen ſanctionibus derogatum eſt ab hic allata Gregorii Conſtitut. juxta ſaniorem Canoniſtarum ſententiam: & citata Bonifacii Decretalis locum fortaſſe habere poſſet, cum in diœceſi, aut nullus adeſſet judex ſynodalis, aut ab Epiſcopo in ſynodalium locum fuiſſet ſuffectus. Sed hujuſmodi electiones in Epiſcopum alterius diœceſis ſemper improbatæ fuerunt a dicta Congr. Conc. ut videre eſt in *Theſauro reſol. tom. IX. pag.* 222. *inter ſelectas ab an.* 1700. *ad an.* 1718.

Nota II. Quod ſi in diœceſi nulli reperiantur Judices ſynodales, probat idem Benedictus *loc. cit. n. 3.* cum *Fagnano in cap. XI. Sane, de Offic. Judic. deleg. num. 33. in cap. Si Clericus, de For. compet. n. 57.* poſſe Regulares, quem maluerint in Conſervatorem aſſumere, præditum tamen qualitatibus expreſſis a dicto Bonifacio in *cap. XI. Statutum, de Reſcriptis*, ſervatiſque reliquis in hac Gregorii Conſtitut. præſcriptis: quorum interinorum Conſervatorum juriſdictio ceſſabit ſtatim, ac conſtituti fuerint ſynodales Judices in Synodo, ſi poſtea celebraretur; ex quibus aliquem iterum eligere Regulares tenerentur, prout eadem Congregat. ſæpius declaraſſe refert laudatus Benedictus.

Nota III. Per hanc Gregorianam Conſtit. allatum Trident. Decretum innovantem, revocatas eſſe literas omnes Apoſtolicas, quas Conſervatorias vocant, conceſſas contra ejuſdem Tridentini, & Clementis VIII. formam: inter quas ſpeciatim revocatæ fuerunt ab Innocentio X. literæ conceſſæ a S. Pio V. Patribus Societatis Jeſu, & poſtea ſub conſueta formula *Rationi congruit* expeditæ a Gregor. XIII. ut videre eſt in dicti Innocentii Conſtitutione *Cum ſicut* 16 *Aprilis* 1648. in reſponſione ad V. dubium, emanata occaſione celebris cauſæ Angelopolitanæ inter Epiſcopum, & laudatos Patres.

Nota IV. Quod, licet eadem Conſtitutio afficiat omnes Ordines regulares, ex decreto tamen Congr. Conc. ſub *die 6. Feb.* 1627. & confirmato ab Urbano VIII. 17. *Feb.* 1628. Conſtit. *Exponi nobis*, non afficit Ordinem S. Joan. Hieroſolymitani, niſi quoad judices Conſervatores, cui adhuc competit jus hos eligendi.

Nota V. Quod Regulares habentes Conſervatorem, ſi rei ſint, in cauſis requirentibus judicialem diſcuſſionem, & indaginem, conveniri nequeunt coram eodem, ſed coram loci Ordinario, ut declaravit Congr. Conc. 28. *Julii* 1657. *lib.* XXI *Decretorum pag.* 31. *in Papien.* 30. *Martii* 1680. *lib.* XXXI. *pag.* 73. *& in cauſa Januen. juriſdictionis* inter Patres Societatis Jeſu, & Patres Carmelitas Excalceatos 20. *Febr.* 1723. *ut in Theſauro Reſolut. ejuſd. Cong. tom. II. pag.* 274.

Nota VI. Quod Conſervatores procedere poſſint per cenſuras contra manifeſte moleſtiam dantes Regularibus, ut ab illa deſiſtant; & non deſiſtentes excommunicare, vel excommunicatos declarare, conſtito prius de vexationis notorietate, & præmiſſa bina ſaltem monitione, etiam per edictum, ſi opus fuerit, & citatione ad comparendum, quare non debeant declarari in excommunicationem incidiſſe? juxta Trident. *ſeſſ. XXV. cap. III. de reform.* Non tamen juxta receptam praxim ſic procedere poſſunt contra Epiſcopum ob præſtantiam epiſcopalis dignitatis, *argumen. ex cap. VI. Trident. ſeſſ. XIII. & caput V. ſeſſ. XXIV. de reform.* Quin obſtet *cap. Quia pontificali, de Offic. delegat. in VI.* cum hoc non procedat in cauſis controverſiæ ſuper juriſdictionis competentia ortæ inter Ordinarios, & Conſervatores: potiſſimum poſt relatum cap. V. Tridentini, & Gregorii Conſtitutionem, decernentem = in cauſis non eſſe procedendum, donec per Arbitros, in forma juris electos ſuper juriſdictionis competentia fuerit judicatum = ut dictum eſt ſupra num. VIII. vel recurrendum eſt ad S. Sedem, nihil interim innovando,

Nota VII. Conſervatores, utpote ſunt veri judices a Papa delegati, poſſe loco ſui alium ſubdelegare, cum id competat delegatis a ſupremo Principe ex claris textibus *cap. III. Si pro debilitate, & cap. XXVIII. Paſtoralis, de Offic. Judic. delegat.* quin obſtet diſpoſitio *cap. XLIII. Quoniam, dicto tit.* ubi ſtatuitur = Nulli, cui commiſſum fuerit prædicare Crucem, excommunicare, vel abſolvere aliquos, diſpenſare cum irregularibus, vel injungere peni-

ten-

gentias, liceat hæc de cætero aliis demandare, quia non ſibi Juriſdictio, ſed certum miniſterium potius committitur in hac parte = hic enim agitur de nudo miniſterio, quod utique ſubdelegari nequit; ibi vero de Juriſdictione, quæ alteri ex iiſdem juribus committi poteſt: quod citra ullum dubium fieri poteſt, attenta cit. Conſtit. Gregorii, in qua clare conceditur hujuſmodi facultas, ut conſtat ex illius verbis *Conſervatores hujuſmodi, ſive principales, ſive ſubrogati*. Hi tamen habere debent omnes qualitates ad Conſervatores requiſitas tam juxta Gregorianam Bullam, quam juxta *cap. XV. Hac Conſtitutione, de Offic. delegat. in VI.*

Nota VIII. Ex decreto Congr. Conc. confirmato a Paulo V. Conſtit. *Religioſorum*, 24. *Aug.* 1607. Regulares intra clauſtra degentes conveniri debere in cauſis civilibus, non coram Ordinariis, ſed coram eorum Superioribus, vel Conſervatoribus, ſi eos habeant, ibi.

§. I. Cum itaque nomine dilecti filii Baſilii Anguſſolæ Procuratoris generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum in Congregatione Venerab. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum, expoſitum fuerit, in Hiſpaniarum Regnis quoſdam Ordinarios locorum contendere, Religioſos intra clauſtra degentes coram ipſis Ordinariis conveniri debere in cauſis civilibus, *cap. Volentes, de Privileg. in VI.* comprehenſis, propter illius innovationem a Concilio Tridentino factam, *ſeſſ. VII. cap. XIV.* quo præfatos Religioſos, eorum privilegiis abrogatis, defendunt comprehendi. Præterea eoſdem locorum Ordinarios pariter contendere, eoſdem Religioſos intra clauſtra degentes in prima inſtantia coram ipſis conveniri debere ex decreto ejuſdem Concilii Trident. *ſeſſ. XXIV. cap. XX. de Reform.*

§. II. Cumque ab eodem Baſilio Procuratore generali in eadem Congregatione ſupplicatum fuerit, ut ſuper utraque re reſponſa darent; ab eadem vero Congregatione fuerit reſponſum = Neque Conſtitutione in generali Concilio Lugdunenſi edita, quæ incipit, *Volentes*, neque decreto Concilii Tridentini *cap. XIV. ſeſſ. VII.* comprehendi Regulares, ideoque eos juxta eorum privilegia, coram ſuis Superioribus, vel Conſervatoribus eſſe conveniendos. Necnon decretum ejuſdem Concilii Tridentini dicto *cap. XX ſeſſ. XXIV.* ad Regulares non pertinere, nec eorum Conſervatorias imminuere, nec quoad primam illarum inſtantiam aliquid novi inducere = ipſeque Baſilius Procurator generalis nobis humiliter ſupplicari fecerit, ut pro ſui Ordinis quiete, ſupradictas declarationes ab eiſdem locorum Ordinariis ſervari debere Apoſtolica auctoritate præcipere dignaremur.

§. III. Nos illius hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis, in virtute Sanctæ obedientiæ per præſentes diſtricte præcipiendo mandamus, ne Fratres, & Religioſos dicti Ordinis Carmelitarum contra diſpoſitionem declarationum prædictarum perturbare, vel inquietare quoquo modo audeant, vel præſumant: irritum nihilominus, & inane decernentes quidquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quorum decretorum favor nedum Fratribus Carmelitis ſuffragatur, ſed etiam quibuſcunque aliis Regularibus, ut ex declarationibus ejuſdem Congr. relatis ad hoc idem Conc. caput a Card. Bellarmino.

Nota IX. Coram his iiſdem Conſervatoribus conveniendos eſſe etiam Syndicos Fratrum Minorum de Obſervantia, ut ex ſequenti decreto Cong. ſuper Immunit. eccleſiaſt. relato a Matthæucci *Offic. Curiæ cap. LI. n.* 4. = S. Congr. inhærendo declarationibus alias factis, cenſuit, Procuratorem, & Syndicum Fratrum Minorum de Obſervantia Bull. fel. record. Clement. VII. gaudere privilegio fori, tam in cauſis civilibus, quam in criminalibus, & mixtis, & inſuper non poſſe compelli ad exercenda munia publica Communitatis, neque a quoquam poſſe moleſtari, niſi coram legitimo Conſervatore. *Romæ hac die 7. Januarii* 1699. =

Nota X. Judices Conſervatores exemptos eſſe a Juriſdictione Ordinarii in iis dumtaxat, quæ ad eorum muneris exercitium ſpectant. Imo, ſi excedant limites propriæ juriſdictionis contra judicem eccleſiaſticum, cum habendi ſint tamquam ea privati, poteſt hic ſuam juriſdictionem tueri *cap. VI. Dilecto de Senten. excommunic. in VI.*

Nota XI. Non poſſe ab ipſis alios miniſtros aſſumi præter unum Notarium ex decretis Cong. Concil. in *Faventina*, 17. *Semptem.* 1667. *ad IV. lib. XXV. Decretor. pag.* 443. *&* 28. *Januarii* 1679. *lib.* XXX. *pag.* 249. ac Congr. particularis deputatæ a Clemente XI. 22. *Martii* 1720. *ut refert Benedictus XIV. lib. IV. de Synodo diœc. cap. VI. n.* 6.

Magna eſt controverſia inter DD. an aſſumi poſſit ab iiſdem quilibet Notarius ſibi beneviſus, vel uti debeant Notario Epiſcopi. In quo opinionum conflictu pro praxi crederem, non eſſe recedendum ab illa Gaudentii a Janua, qui *tom. II. de Viſit. Prelat. Regul. cap. VII. dub. XVII. Sect. V. num.* 58. ratiocinando, aſſerit, non eſſe aſſumendum Notarium Epiſcopi, quoties hic, vel ejus Vicarius eſſet pars contraria in cauſa coram eiſdem Conſervatoribus mota: ſecus in aliis caſibus. Ubi etiam nota, quod licet hi

juxta

Juxta relatum Tridentini caput nequeant habere tribunal = exponendus foret Conc. textus *Habitualiter, non actualiter*: videlicet, quod nequaquam valeret Conſervator habere erectum tribunal pro ſe ſolo fixum, & omnibus occurrentibus caſibus, & cauſis opportunum, cum alias in cauſis ſibi competentibus, & actu coram ſe introductis propriam ferat ſententiam, ut verus Judex a Pontifice delegatus; & agere pro tribunali evidens eſt, niſi velimus de nomine contendere, aut loquamur de tribunali completo: verum ſiquidem eſt, quod excepto uno Notario, & Aſſeſſore ſibi bene viſo, ſi hunc velit ad placitum, ſecundum DD. miniſtros reliquos Curiæ epiſcopali addictos teneatur adhibere =.

Nota XII. Quod Conſervatoriæ Univerſitatibus conceſſæ, quæ in hoc Conc. decreto præſervantur, proſunt dumtaxat Doctoribus actu Univerſitatis munera exercentibus, & ſcholaribus in iis ſtudio incumbentibus, ex declaratione Congr. Conc. in *Lovanien, & Oſcen. ut lib. I. Decretor. pag. 97. & lib. III. pag. 28. & lib. IV. pag. 86. ac in Carpentraten. 14. April. 1597. lib. IX. pag.* 10. Item ex ejuſdem Congr. declaratione, relata a Card. Bellarmino *in hoc eod. cap.* = Conſervatoriæ earumdem Univerſitatum, Collegiorum, Regularium, & ſimilium non ſunt ſublatæ a Concilio, nec imminutæ per *cap.* XX. *ſeſſ.* XX*IV.* etiam quod cauſæ ſint graves, & requirant plenariam cognitionem. Nec obſtat Bulla VIII. Pii IV. revocatoria dictorum privilegiorum, Concilio repugnantium = Idem declaratum fuit in *Mediolanen., ut lib. II. Decretor. pag. 34. & in Patavina, ac Jacen. 1594. lib. VIII. pag.* 10. *&* 78.

Nota XIII. Quod Conſervatores eligi poſſunt a Regularibus etiam in locis, ubi adſunt Nuncii Apoſtolici, vel Legati de latere, ut *in cauſa Polsnia 1. Decem. 1646. lib. Decretor. Cong. Conc. XVIII. pag.* 245. Qui tamen Conſervatores non poſſunt Regularium cauſas cognoſcere privative quoad Nuncium, ut in *Florent. 9. Dec. 1651. lib. XIX. d. Cong. pag.* 160. Nec illas jam introductas coram Ordinario, ut in *Montis Politiani* 11. *Junii* 1650. *de lib.* XIX. *pag.* 54. Et ſi eas cognoſcerent vigore recurſus, omnia acta eſſent nulla, ut *in Jannen. Juriſdict. 20. Jan. 1723. lib. LXXIII. ad ſecundum*.

Nota XIV. Quod, quamvis Moniales, regulam cujuſcunque Ordinis regularis profitentes, etiam locorum Ordinariis poſtea ſubjectæ, gaudeant omnibus aliis privilegiis, & gratiis, quibus Religioſi viri fruuntur, quatenus ſexui, & ſtatui earumdem non repugnent, ut ex Conſt. Sixti IV. *Sacri 26. Jul.* 1579. §. *VII.* quoad Moniales Ordinum Prædicatorum, & Minorum, & quoad Moniales aliorum Ordinum, ex decreto Congreg. ſuper Indulgentiis 28. *Julii* 1701. approbato a Clem. XI. 22. *Septem. ejuſdem anni*; prout etiam declaravit Congr. Conc. in *Portugallien. Privilegiorum* 19. *Jan.* 1686. nequeunt tamen ſibi eligere Conſervatorem, ut Regulares viri juxta reſponſum ejuſdem Cong. ad II. dubium ſibi propoſitum in dicta Portugallien. a Monialibus Ordinis S. Benedicti, quæ ad obedientiam, & regimen Ordinarii translatæ fuerunt.

Poſtquam hæc ſcripſeram, emanavit ſequens Conſtitutio Clementis XIII typis data in Typographia Sac. Congr. de Propaganda Fide, *nonis Kalendas Maii* 1762. in qua circa prædictos Regularium judices Conſervatores, hæc ſtatuuntur,

Cum omnium quidem .... Nuper ſiquidem, non ſine intimo cordis noſtri dolore, accepimus, in Regno Tunkini in Indiis Orientalibus Regulares nonnullos, qui eodem ad Chriſti Religionem propagandam miſſi ſunt, ſub obtentu conſervandorum privilegiorum, quæ Regularibus eiſdem ab Apoſtol. Sede conceſſa fuerunt, Conſervatores judices, ut vocant, præter ordinem, & contra Apoſtolicar. Conſtitutionum ſpiritum, ac mentem, tales ſibi delegiſſe, quos nec ipſa inſtituti ſui ratio pateretur; quique eo temeritatis pervenerunt, ut in Apoſtolicos noſtros Vicarios, ibidem degentes, quorum auctoritatem, ut religioſos viros decet, revereri debuiſſent, maximo cum chriſtiani nominis apud Ethnicos ipſos dedecore, gravique cum perturbatione illarum Eccleſiarum, excommunicationis, & ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam ferre non dubitaverint. De quibus omnibus cum a Vicario Apoſtolico ad Nos eſſent delatæ querelæ, duximus tanto malo validioribus remediis quantocius occurrendum. Ut vero cautius in re tanti momenti procederemus, Congregationem particularem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, qui negociis Propagandæ Fidei præpoſiti ſunt, ad rem totam examinandam inſtituimus. Qui quidem examen diligenter aggreſſi, I. dubium = An potuerit eligi in Conſervatorem Superior Regularis temporarius = pro rei gravitate minime cenſuere ſtatim, ac protinus definiendum, ſed reſervato examine, ac deciſione ejuſmodi dubii, inter cætera pro re nata, declararunt, inhærendo Conſtitutionibus Apoſtol., & decretis alias editis. I. Quod denegata Regularibus, vel dilata facultas excipiendi confeſſiones, ſufficiens cauſa non fuerit eligendi ſibi Conſervatorem. II. Quod proinde, qui illum ea de cauſa elegerint Conſervatorem, in excommunicationem inciderint ad formam *cap. fin.* (*Hac Conſtitutione*) *de Offic. & poteſt. Jud. Deleg. in VI.* ſpeciatim confirmati in Conſt. Gregorii XV. quæ incipit *Sanctiſſimus*. III. Quod electus hujuſmodi Conſervator ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, ipſo facto incurrenda, a Conſervatoris nomine, & officio omnino abſtinere ſe debeat, nullis, ac nullius valoris declaratis omnibus hucuſque ab eo actis, & deinceps forſan

agen-

dis. IV. Demum, quod graviter moneantur Regulares omnes, ut in poſterum, remotis partium ſtudiis, & proprii Ordinis commodis, ad animarum ſalutem unice invigilent, ne tandem Sedes Apoſt. tot Epiſcoporum querelis fatigata, privilegia, alias Regularibus conceſſa pro incremento Miſſionum, quæque nunc ad earumdem perniciem tendere cernuntur, revocare cogatur. Atque ad hunc effectum, ne quis eſſe poſſit ignorantiæ locus, hujuſmodi decretorum exemplar Superioribus Generalibus reſpective intimetur, ut eorumdem obſervantiam, & executionem ſolicite curent.

Quæ quidem omnia cum eſſent a Nobis auctoritate Apoſtolica confirmata, hoc tamen temporis intervallo in regionibus adeo diſſitis diſcordiarum, & ſcandalorum incendium, nec reſtingui, nec temperari potuit, imo multo etiam magis auctum, ac dilatatum eſt, adeo, ut graves querimoniæ ad Nos uſque pervenerint, negata etiam fuiſſe in ſummo vitæ diſcrimine Sacramenta nonnullis eorum, qui judicis Conſervatoris judicio, & cenſuris non obtemperaſſent. Quibus ex cauſis haud diutius differendum dubii hucuſque ſuſpenſi deciſionem rata d. Cong. deductis hinc inde juribus, & re mature perpenſa, ac præ oculis habitis Conſtitutionibus Apoſtol. tum & fere communi juris canonici Peritorum conſenſu, ac præſertim reſolutione Congr. Epiſcoporum, ac Regularium negociis præpoſitæ, quæ ab Archiepiſcopo Turritano conſulta = An Regulares unius conventus, monaſterii, vel domus, aliquem Priorem, Guardianum, vel quemvis alium, quavis regulari dignitate fulgentem, in ſuum Conſervatorem eligere, vel deputare poſſint, die 8. Octobris anni 1617. reſcripſit: *non poſſe*, his, aliiſque ſimilibus decretis inhærens, die 8. Martii currentis anni, tandem in hunc modum propoſitum dubium reſolvit = Conſulendum Sanctiſſimo, ut dignetur declarare Superiores Regulares temporarios nullibi, & in nullo caſu poſſe eligi in Conſervatores: in partibus autem Infidelium expedire, ut Conſervatores omnino non eligantur =.

Hoc Nobis relatum, exhibitumque decretum jam ſatis agnovimus quoad utramque partem Apoſtolicis Conſtitutionibus conſentaneum, & congruum. Jamdudum etiam Prædeceſſores noſtri Bonifacius VIII. in Conſtitutione, quæ incipit, *Statutum* (*cap. ultim. de Offic. & poteſt. Judic. deleg. in VI.* Gregorius XV. in Conſtitutione, quæ incipit: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, 20. *Sept.* 1621. & Innocentius X. in literis in forma Brevis, quæ incipiunt: *Alias a Nobis*, 27. *Maii* 1653. animadvertentes Regulares, alioſque, quibus ab Apoſtolica Sede generale, ſive ſpeciale privilegium conceſſum eſt, ut poſſint ſibi judices Conſervatores eligere, ſub ejuſmodi privilegii prætextu, Epiſcoporum, aliorumque judicum ordinariam, ſive delegatam juriſdictionem perturbare, & electos judices Conſervatores ſuæ poteſtatis limites frequenter excedere, optimo ſane conſilio, dum privilegia ipſa ſarta tecta eſſe voluerunt, certum tamen modum judicum Conſervatorum electioni, certoſque fines eorumdem poteſtati impoſuerunt, pœnis etiam adverſus transgreſſores conſtitutis.

Horum igitur Summor. Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, de conſilio Congregationis particularis ſupra memoratæ nonnullorum S.R.E. Cardinalium, qui negociis Propagandæ Fidei præpoſiti ſunt, videlicet Vener. Fr. noſtri Joſephi S.R.E. Cardinalis Spinelli, Epiſcopi Oſtienſis, & Sacri Collegii Decani, ac dilect. fil. noſtrorum S.R.E. Cardinalium Stoppani, Galli, Antonelli, & Columnæ de Sciarra; motu proprio .... Nos in primis Conſtitutiones eaſdem Bonifacii VIII. & Gregor. XV. necnon Apoſt. literas in forma Brevis Innoc. X. quarum tenorem hic pro inſerto haberi volumus, cum ſingulis declarationibus in eiſdem contentis innovamus, & confirmamus; eaſdem Conſtitutiones, & Apoſtol. literas plenum robur, & firmitatem habere volumus, & mandamus.

Præterea, quoniam in iiſdem Conſtitutionibus cautum eſt, ut ii dumtaxat in judices Conſervatores eligi poſſint, qui dignitatem, aut perſonatum in cathedrali, vel collegiata Eccleſia obtinent, Nos eiſdem Conſtitutionibus inhærentes, ſtatuimus, & declaramus, non licere quibuſcunque in locis Regularibus cujuſcunque Ordinis, monaſterii, vel Congregationis, Mendicantibus, vel non Mendicantibus, etiam Societatis Jeſu, aliiſque quantumvis expreſſe, & ſpeciatim nominari eos oporteat, cæteriſque, quibus ab Apoſtol. Sede conceſſum eſt, ut judices Conſervatores ſibi deligere poſſint, vigore cujuſcunque privilegii, cui, quatenus opus ſit, expreſſe derogamus, Præpoſitos, Rectores,

Pro-

Provinciales, Definitores, Cuſtodes, Priores, Præfectos, Vicarios, Viſitatores, alioſque quoſcunque Superiores Regulares, non perpetuos, ſed temporarios proprii, vel alterius Ordinis in judices Conſervatores eligere, quos hac in parte, & ad hunc effectum in dignitate eccleſiaſtica conſtitutos non eſſe, eorumdemque electionem, etiamſi fiat, ſervata in reliquis forma Conſtitutionis Gregorii XV. ipſo jure irritam prorſus fore declaramus.

Tandem inhærentes alias Decretis in Congregatione generali de Propaganda Fide coram S. M. Urbano VIII. habita die 3. Februarii anni 1640. & proſpectis etiam periculis, & ſcandalis, quæ ex electione judicum Conſervatorum in partibus Infidelium, plerumque in animarum perniciem, & publicæ tranquillitatis, atque eccleſiaſticæ pacis perturbationem emergunt, juxta Decretum præfatæ Congregationis, auctoritate Apoſt. denunciamus, Regulares, Mendicantes, & non Mendicantes, Monachos, & Clericos Regulares cujuſcunque Congregationis, & Ordinis, etiam Societatis Jeſu, alioſque, quamvis expreſſe, & ſpeciatim nominare eos oporteat, privilegio ſibi conceſſo eligendi judices Conſervatores, quouſque in partibus Infidelium degunt, ac ſacras Miſſiones exercent, nullo modo expedire *ut utantur*: ſed omnes, & ſingulos in offenſionibus, & cauſis, quæ ipſorum Ordines, ac privilegia tangunt, ut ad Nos, & ad Apoſtolicam Sedem recurrant, ut ab hac Eccleſia, Eccleſiarum omnium Matre, & Magiſtra, cui nihil antiquius eſt, quam cuique ſua jura ſervare. rectum judicium, ac remedium præſtolentur.

Decernentes præſentes noſtras literas..... Non obſtantibus Sixti V. favore Ordinum Mendicantium, & Pii V. ac Gregor. XIII. incipien. *In ſupereminenti* favore Clericorum Regularium Societatis Jeſu, extra Europam exiſtentium, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum, & Inſtitutorum quorumcunque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mare Magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, eiſdem Ordinibus, & Inſtitutis, eorumque Superioribus, & Prælatis, ac perſonis, etiam Miſſionariis in limine quoque, & actu primævæ illorum expeditionis, ac ſubinde, & ſucceſſive, etiam per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam prædictam, & per Nos pariter quomodolibet conceſſis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus, & aliis omnibus, quæ præſentibus quomodolibet obſtare poſſent, etiamſi de illis, eorumque, totiſque tenoribus ſpecifica, & expreſſa, ac individua, necnon de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorumque tenores pro plene, & ſufficienter præſentibus expreſſis, & totaliter inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe, ampliſſime, & pleniſſime, necnon opportune, & valide derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

De his judicibus, præter Fagnanum *in capp. Sane, de Offic. Judic. delegat. & Si Clericus, de Foro compet.* & inter recentiores Auctores, Matthæuccium *Official. Curiæ capp. XV. XIX. LI. & LV.* & Gaudentium de Janua *loc. mox. cit.* integrum tractatum in lucem edidit, impreſſum Mutinæ anno 1743. P. Maria Forti Societ. Jeſu, natione ſiculus: de quo tamen ita monet lectorem Benedictus XIV. *cit. lib. IV. cap. VI. pag. 99.* = Non multum huic Auctori fidendum eſt, quoniam multis in locis, ſed præſertim articulo XXI. Judicum Conſervatorum juriſdictionem ultra limites protendit a ſacris Urbis Congregationibus eiſdem præſcriptos =.

SECTIO XLVIII.

Eadem Seſſio XIV. caput VI. junctis capp. VI. & XVII. cap. I. ſeſſ. XXII. & ſeſſ. XXIII. de Reformat.

Quia vero, etſi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, Religioniſque contemptus, ut propriam dignitatem, & honorem clericalem parvi pendentes, veſtes, etiam publice, deferant laicales, pedes in diverſis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcunque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacunque eccleſiaſtica obtinuerint, ſi, poſteaquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem, illorum Ordini, ac dignitati congruentem, & juxta ipſius Epiſcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & proventibus ipſorum beneficiorum; necnon, ſi ſemel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum hujuſmodi coerceri poſſint, & debeant, Conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi editam, quæ incipit, *Quoniam*, innovando, & ampliando.

Cum in hoc Decreto non declaratum fuerit cujus formæ eſſe debeat veſtis, quam præcipit deferendam eſſe ab hic nominatis Clericis, præſcripta eſt a Sixto V. Conſtitut. *Cum ſacroſanctum*, 9. *Januar.* 1589 in qua nedum declarat, debere eſſe talarem, ſed etiam idem onus extendit ad alios Clericos a Concilio non nominatos, cum additione pœnarum, ut ſequitur.

Nos . . . . hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuſcunque Clericis, non ſolum in ſacris, ſed etiam in aliis minoribus Ordinibus conſtitutis, & clericali tantum Tonſura inſignitis, & nedum beneficia eccleſiaſtica qualiacunque, etiam ſimplicia, nunc, & pro tempore obtinentibus, & in illis, vel ad ea jus habentibus, verum etiam penſiones ſuper quibuſvis fructibus, redditibus, aut proventibus quarumvis patriarchalium, metropolitanarum, cathedralium, & aliarum quarumcunque Eccleſiarum, ſeu abbatialium, capitularium, & conventualium menſarum, necnon monaſteriorum, præpoſiturarum, præpoſitatuum, prioratuum, præceptoriarum, hoſpitalium, canonicatuum, præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, officiorum, & beneficiorum quorumcunque, eccleſiaſticorum, ſecularium, & quorumvis Ordinum regularium, ſeu illorum diſtributionibus quotidianis, ac juribus, emolumentis, & obventionibus univerſis ſibi reſervatas, aut fructus ipſos, prædiave, aut bona eccleſiaſtica loco penſionum ſibi aſſignatos, vel aſſignata, ex quacunque conceſſione, ſeu diſpenſatione Apoſtolica percipientibus, etiam conjugatis, præſertim ſi iidem Clerici conjugati juxta Conſtitutionem piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, in Concilio Trid. innovatam, privilegiis clericalibus uti velint, tam in Romana Curia degentibus, quam extra eam ubilibet gentium, & locorum conſtitutis, ut ipſi, & eorum quilibet quantumvis exempti exiſtant, & quovis privilegio, vel immunitate gaudeant, quacunque dilatione, aut tergiverſatione poſtpoſita, debeant omnino . . . Tonſuram, & habitum clericalem, veſtes ſcilicet talares, aut Milites infra dicendi, quibus penſiones, aut fructus, aliave bona eccleſiaſtica reſervata ſunt ſuæ Militiæ convenientem, quacunque remota excuſatione aſſumere, & jugiter deferre. In futurum autem, non niſi actu Clericis in habitu clericali, & Tonſura, & Militibus infra dicendis in militari incedentibus, ſuæ Militiæ propria, aut alia quæcunque eccleſiaſtica, etiam ſimplicia, beneficia reſpective conferantur, aut commendentur, aut penſiones, fructuſve, aut bona eccleſiaſtica reſerventur.

Alioquin ipſos, & ipſorum quemlibet, qui quoad geſtandum habitum clericalem, & militarem ſupra dictum . . . . noſtris hujuſmodi præcepto, & mandato nunc, & in poſte-

rum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediverint, præter alias pœnas contra eos inflictas, etiam quibuſcunque dignitatibus, adminiſtrationibus, officiis, canonicatibus, & præbendis, ac beneficiis, etiam ſimplicibus, & præſtimoniis per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel alias pro tempore obtentis, necnon penſionibus, & fructibus, ac prædiis, boniſque eccleſiaſticis hujuſmodi quocunque modo eis reſervatis, vel reſervandis, omnique jure ſibi in eis, vel ad ea quomodolibet competenti, harum ſerie privamus, ac ſine ulla alia monitione, citatione, Judicis decreto, aut miniſterio, ipſo facto privatos declaramus, ac tam beneficia ipſa per privationem hujuſmodi vacare, & libere aliis conferri poſſe, quam etiam penſiones caſſatas, & extinctas eſſe, & fore, ac fructuum, vel aliarum rerum reſervationes ceſſare, & quemquam ulterius ad illarum ſolutionem minime teneri, & ob non ſolutionem, cenſuras, & pœnas aliquas incurrere non poſſe, nec debere decernimus, ipſaſque dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, necnon canonicatus, & præbendas, & beneficia ſic pro tempore vacantia, collationi, proviſioni, & diſpoſitioni noſtræ, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis perpetuo reſervamus.

Cæterum Milites quarumvis Militiarum ſub regula aliqua approbata canonice inſtitutarum, vel alios Rom. Cur. officiales, qui non uti Clerici, ſed potius tamquam Milites juxta privilegia, & diſpenſationes Apoſtolicas, eis in genere, vel in ſpecie, per Nos, aut Prædeceſſores noſtros nominatim conceſſa, & ſub felic. record. Pii Papæ V. Prædeceſſoris noſtri Conſtitutione, quæ incipit, *Sacroſanctam &c.* hujuſmodi privilegiorum forſan revocatoria minime comprehenſa, beneficia Militiæ, quam profeſſi ſunt, regularia obtinent, ſeu penſiones ſuper quibuſvis fructibus, redditibus, & proventibus eccleſiaſticis, etiam prædictarum Eccleſiarum, & beneficiorum ſecularium, aut fructus ipſos ſibi reſervatos percipiunt, aut obtinebunt, vel percipient in futurum, ſive clericali charactere inſigniti ſint, ſive non ſint: qui vero Clerici ſunt, etiamſi ab initio tempore reſervationis penſionum, ſeu fructuum hujuſmodi, regularem habitum nondum ſuſceperint, nec Militiis officiorum Rom. Cur. adſcripti fuerint, ſed poſt publicationem præſentis Conſtitutionis Milites effecti extiterint, ſub præcepto, & mandato præfatis, de habitu, & Tonſura clericali deferendis nolumus comprehendi: ſed iis permittimus, ut regulari habitu Militiæ, quam profeſſi ſunt, convenienti, vel ſi ipſi Milites Rom. Cur. officiales fuerint, qui penſiones, aut fructus, aliave prædia, aut bona eccleſiaſtica ex diſpenſatione, ſeu privilegio Apoſtolico percipiant, habitu militari ſupraſcripto abſque alicujus cenſuræ, vel pœnæ eccleſiaſticæ incurſu licite uti valeant. Et nihilominus tam beneficia ſuæ Militiæ regularia retineant, quam etiam penſiones ſuper Eccleſiarum, & beneficiorum prædictorum, etiam ſecularium, fructibus, ſeu bona, vel fructus præfatos ſibi pro tempore reſervatos percipiant,

Excipiuntur tamen ab his pœnis ex altera ipſius Conſtit. *Paſtoralis*, 31. *Januarii* 1589. obtinentes penſionem, non excedentem valorem ſexaginta ducatorum auri de Camera: ſi vero excedat, declarantur dictis pœnis non ligari, niſi poſtquam eam exigere cœperint, vel per ipſos ſteterit, quominus exigant, vel percipiant. Excipiuntur etiam Familiares Papæ inferioris familiæ, aut famuli, qui non tenentur veſtem clericalem deferre, ibi.

Cum itaque noſtra nuper edita Conſtitutione de habitu, & Tonſura, per Clericos, ſeu Milites beneficia, vel penſiones obtinentes deferendis, quæ incipit, *Cum ſacroſanctum &c.* præceperimus univerſis Clericis, nedum beneficia eccleſiaſtica obtinentibus, ſed etiam penſiones ſuper fructibus eccleſiaſticis, aut fructus ipſos ſibi reſervatos percipientibus, ut habitum, & Tonſuram clericalem, veſtes ſcilicet talares; Militibus vero ipſas penſiones, aut beneficia ſuæ Militiæ convenientem jugiter deferant, pœna privationis beneficiorum, penſionum, ac fructuum hujuſmodi cuilibet Inobedienti impoſita, prout in eadem Conſtit. latius continetur.

Nonnulli vero ex Clericis præfatis penſiones, aut fructus hujuſmodi admodum tenues percipientes, alii quoque noſtri familiares actu nobis inſervientes, variis obſequiis, & miniſteriis addicti, qui ultro, citroque, ubi opus eſt, commeare, & accurrere coguntur, idcirco vix poſſint ſine maximo incommodo, impedimento, & diſpendio, habitum clerica-

ricalem ſupraſcriptum geſtare : Nos eorum commodis opportune providere, eoſque ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, omnibus, & quibuſcunque Clericis, tam in Romana Curia, quam extra eam ubilibet gentium, & locorum conſtitutis, qui penſiones, fructus, aut prædia, vel bona eccleſiaſtica, ſibi in una, vel pluribus vicibus reſervata, & conceſſa, ſummam, ſeu valorem annuum ſexaginta ducatorum auri de Camera inſimul non excedentes, ſeu excedentia, percipiunt, aut percipient in futurum : ac præterea noſtris familiaribus, nobis in quibuſdam inferioribus miniſteriis, quales ſunt, qui a pedibus, ſeu parafrenarii, menſæ diſpoſitores, aut credentiarii, aut diſpenſatores vulgo dicuntur, & aliis his ſimilibus ſervitiis actu miniſtrantibus, quive in futurum inſervient : necnon quibuſvis noſtrorum intimorum familiarium actu nobis in palatio noſtro Apoſtolico inſervientium familiaribus, continuis commenſalibus, præſentibus, & futuris, qui penſiones, aut fructus, bonave eccleſiaſtica loco penſionum, uſque ad quamcunque ſummam, & valorem nunc percipiunt, aut in poſterum pro tempore percipient, ut ipſi, & eorum quilibet in habitu, & Tonſura clericali incedere minime teneantur ; ſed laicali habitu impune, & licite uti poſſint, quo ſua munia promptius, expeditiuſque obire valeant, nec pœnis in eadem Conſtitutione inflictis ſubjaceant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpeciali gratia concedimus, & indulgemus. Ac demum Militibus, tam Militiarum canonice inſtitutarum, quam Rom. Cur. Officialibus, qui juxta præfatam noſtram Conſtitutionem in militari habitu incedere tenentur, ut veſtibus communibus, cum inſignibus tamen Crucis, aut Numiſmatis ſuæ Militæ propriis uti valeant, atque hac ratione ipſius Conſtitutionis præcepto plene ſatisfacere teneantur, pariter indulgemus. Eos vero Clericos, aut Milites, quibus penſiones, aut fructus, bonave, aut prædia eccleſiaſtica ad quamcunque ſummam reſervata, aut reſervari conceſſa ſunt, vel poſthac reſervabuntur, non aliter ad gerendum hujuſmodi habitum teneri volumus, niſi poſtquam penſiones, fructus, aut alia præfata cum effectu exigere, aut percipere cæperint, vel per eos ſteterit, quominus exigant, vel percipiant.

Poſt hanc poſteriorem Sixti Conſtitutionem, qua prima temperata eſt, ortum fuit dubium, an completeretur habentes beneficium, cujus proventus minor eſſet ſexaginta aureis, & S. Congr. Conc. 4. *Septembris 1677.* declaravit, in hac de penſionibus tantum rem haberi, non autem de beneficiis, quæ primæ Conſtitutioni ſubjecta remanent, licet ſexaginta aureos non afferant, *lib. XXIX. Decretor. ejuſdem Cong. pag.* 147. *&* 500.

His acceſſit etiam Conſtitutio Benedicti XIII. *Catholicæ Eccleſiæ*, 2. *Maii 1725.* decernentis, ut Ordinarii locorum, ubi ſita ſunt beneficia Clericorum non laicales veſtes deferentium, debeant contra ipſos procedere per citationes, domi dimiſſa copia, ſi domicilium habeant in eorum diœceſibus, ſiu minus per citationes ad valvas, & ſententiam declaratoriam privationis obtentorum beneficiorum, juris ordine ſervato, pronunciare ; ita tamen, ut dicta beneficia reſervata ſint collationi S. Sedi juxta citat. Conſtit. Sixti V. = Interim vero ſic incedentes fructus, & proventus quoſcunque non faciant ſuos, quamvis nulla præceſſerit Ordinariorum citatio, monitio, aut judicialis actus, vel ſententia, ſed omnes ad commodum fabricæ Eccleſiarum, in quibus erecta ſunt beneficia, ſub pœna lethalis culpæ reſtituere teneantur, ſublata etiam majori Pœnitentiario facultate eos condonandi = ibi.

Nos .... hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & mandamus, quod Ordinarii locorum, ubi ſita ſunt beneficia, ejuſmodi Clericorum veſtes laicales deferentium impudentiam canonicis remediis omnino coerceant, & hunc in finem non modo poſſint, ſed etiam debeant contra ipſos procedere per citationes, domi dimiſſa copia, quatenus domicilium habeant in eorum reſpectire diœceſi : ſiu minus per citationes ad valvas, juriſque ordine cæteroquin ſervato, ſententiam declaratoriam privationis obtentorum beneficiorum, in ipſos ferre, & pronunciare ; ita tamen, ut eadem beneficia juxta Conſtit. fel. rec. Sixti V. Prædeceſſoris noſtri, incip. *Cum ſacroſanctum*, Noſtræ, ac Romani Pontificis pro tempore exiſtentis collationi, proviſioni, ac omnimodæ diſpoſitioni reſerventur, & reſervata cenſeantur. Præterea volumus, ſtatuimus, & declaramus prædictis Clericis beneficiatis in habitu laicali incedentibus minime licere percipere, nec facere ſuos fructus, & proventus quoſcunque ſuorum beneficiorum, cujuſcunque generis, ſpeciei, qualitatis, & valoris exiſtant ; quin etiam expreſſe decernimus, & ſancimus ejuſmodi beneficiatos ex mero facto inceſſus in habitu laicali, quamvis nulla præceſſerit

Ordinariorum ſententia declaratoria privationis beneficiorum, quæ obtinent, *imo* etiamſi nulla citatio, monitio, vel alius judicialis actus in eos fuerit inſtitutus, ipſo jure amiſſionis, & privationis fructuum prædictorum pœnam incurrere, ita, ut illos ullo modo percipere, nec perceptos retinere, vel facere ſuos poſſint: ſed ipſos abſque ulla prorſus diminutione ad commodum fabricæ Eccleſiarum, in quibus erecta ſunt beneficia, illico ſub pęna lethalis culpæ reſtituere teneantur; a qua quidem reſtitutionis obligatione a nemine, præterquam a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore exiſtente (ſublata cæteris omnibus, etiam Pęnitentiariæ Apoſtolicæ officio, & Majori Pœnitentiario condonandi facultate) eos abſolvi, & liberari poſſe volumus, præcipimus, & mandamus.

Facultas condonandi prædictos fructus ſublata eſt etiam a Benedicto XIV. in caſibus publicis: in occultis tamen conceditur, ut Major Pœnitentiarius eos condonare poſſit, ut ex illius Conſtit. *Paſtor bonus*, 13. *Aprilis* 1744. §. XXIV. quam leges in calce hujus Operis.

Nota I. *Theſaurum de Pænis cap. IV. verb. Apoſtaſia*, circa allatam Sixti Conſtitut. ita ſentire, = Similiter per dimiſſionem babitus clericalis incurrit Clericus pœnam privationis beneficiorum, & extinctionis penſionum, ipſo jure per Bullam Sixti V. 92. *Cum Sacroſanctum*. Sed aliqui dicunt, non eſſe quoad bunc rigorem uſu receeptam, *Garias part.* 7. *cap.* 1. *num.* 24. Alii dicunt requiri monitionem, & contumaciam, *Caſtropalao tom. II. tract.* 13. *de Beneſ. diſput.* 1. *punct.* 11. §. *X. num.* 10. Sed verius puto, requiri declaratoriam pro foro conſcientiæ, per ea, quæ Garzias *part.* 11. *cap.* 10. *num.* 9. eſt enim pæna privans jure quęſito = Et quidem quoad veſtem talarem reſpectu conſtitutorum in ſacris, & beneficiatorum videtur emollitum fuiſſe rigorem dictæ Conſtitutionis a cit. Conſtitut. Benedicti XIII. quamdoquidem licet in ea ejuſdem Conſtit. mentio fiat, infliguntur tamen pœnæ in ſolos beneficiſtos laicales dumtaxat veſtes deferentes, & ne ullum quidem verbum legitur *de talaribus*.

Rurſum, quamvis idem Benedictus in Concilio Romano *tit. XVI. de Vita, & boneſt. Cleric. cap. III.* confirmaverit edictum circa vitam, & honeſtatem eccleſiaſticorum Almæ Urbis, ipſius juſſu publicatum ſub die 20. *Decembr.* 1724. injungatque Epiſcopis, aliiſque reſpective, ut illud in ſuis diœceſibus publicandum, & omnimode obſervandum curent, in quo præcipitur, ut conſtituti in ſacris, & beneficiati, tenue etiam beneficium poſſidentes, juxta reſolutionem Congr. Concil. ſub die 13. *Septembr.* 1677. deferant talarerem veſtem ab ortu ſolis uſque ad dimidium noctis horæ; nihilominus valde admodum in eo receſſum eſt a rigore Sixtinæ Sanctionis, cum in contravenientes infligatur pœna dumtaxat decem ſcutorum pro qualibet vice, & totidem dierum detruſſionis in carcerem.

Huic moderationi acceſſit etiam uſus, & praxis timoratorum, ac tolerantia, & acquieſcentia Succeſſorum Pontificum, & eccleſiaſticorum Præſulum, a quibus videmus ſummopere quidem initi ſuper delatione veſtium clericalium, non autem *talarium*, niſi quando ſupra enunciati Clerici Eccleſiam ſunt ingreſſuri, ſive ad Miſſarum myſteria, ſive ad divina officia, & eccleſiaſtica munia obeunda, ut clariſſime patet ex eorum edictis, & ſynodalibus ſtatutis, ſacrorum Canonum rigorem emollientibus, relatis a Benedicto XIV. in *cit. Synod. diœc. lib. XI. cap. VIII.* Imo ipſemet, cum eſſet Archiepiſcopus Bononienſis, in binis ſuis Inſtitutionibus ad Clerum Bononienſem la XXXIV. & LXXI. in ordine, non obſtante Sixti Conſtit. *Sacroſanctum*, quam citat. *Inſtit.* XXI. obligationem veſtem talarem deferendi limitavit ad ſolos Sacerdotes, Miſſam celebraturos: de qua obligatione iterum ſermonem inſtituens *cit. cap. VIII de Synod.* ſe ad eaſdem Inſtitutiones dumtaxat retulit.

Nota II. Cum eodem dicto *cap. VIII.* quod quamvis Tridentinum talaris veſtis non meminerit, cum tamen remittat judicio Epiſcoporum ſtatuere, quænam veſtis Ordini, & dignitati Clericorum conveniat, hi nullatus contravenire poſſunt eorumdem Edictis, in quibus ſub certis pœnis præcipiatur delatio veſtis *talaris*.

SECTIO XLIX.

Eadem Seſſio XIV. cap. VII. de Reform.

CUM etiam qui per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab Altari avelli debeat; qui ſua voluntate homicidium perpetraverit, etiamſi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, nullo tempore ad ſacros Ordines promoveri poſſit; nec illi aliqua eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferre liceat, ſed omni ordine, ac beneficio, & officio eccleſiaſtico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum, & Altaris miniſterium, & beneficia quæcun-

que,

que, ac dignitates jure quodammodo diſpenſatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex cauſa Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, qui non, niſi cauſa cognita & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, diſpenſare poſſit.

Prohibitio in hoc Decreto contenta de non promovendo ad Ordines homicidam voluntarium, quæ ex declaratione Congr. Conc. relata a Fagnano in *cap. Henricus, de Cleric. pugnant. in duello num.* 25. locum non habet in jam promoto, extenſa fuerat a Sixto V. Conſtit. *Effrenatam*, 29. *Octobr.* 1588. ad procurantem abortum fœtus etiam inanimati, effectu ſecuto, quem, ut vere homicidam voluntarium puniendum ſtatuereat, ibi.

Nos igitur poſt repreſſam eorum temeritatem, qui matrimonii jura violare, & quantum in ipſis eſt, vinculum indiſſolubile diſſolvere præſumunt, quive turpioribus quibuſdam inceſtis ſe inquinare non erubeſcunt, hoc quoque malum, quantum viribus nobis a Domino traditis contendere poſſumus, noſtris potiſſimum temporibus exterminare volentes: omnes, & quoſcunque tam viros, quam mulieres, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, ac conditionis, etiam Clericos ſeculares, vel cujuſvis Ordinis regulares, quavis dignitate, & præeminentia eccleſiaſtica, vel mundana fulgentes, qui de cætero per ſe, aut interpoſitas perſonas abortus, ſeu fœtus immaturi, tam animati, quam inanimati, formati, vel informis ejectionem procuraverint, percuſſionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribuſque mulieri prægnanti impoſitis, ac aliis, etiam incognitis, vel maxime exquiſitis rationibus, ita, ut re ipſa abortus inde ſecutus fuerit; ac etiam prægnantes ipſas mulieres, quæ ſcienter præmiſſa fecerint, pœnas tam divino, quam humano jure, ac tam per canonicas ſanctiones, & Apoſtolicas Conſtitutiones, quam civilia jura adverſus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu, & re ipſa patraverint, propoſitas, & inflictas (quorum omnium tenores his noſtris literis pro expreſſis, & ad verbum inſertis habemus) eo ipſo incurrere, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſtatnimus, & ordinamus, ipſaſque pœnas, leges, & Conſtitutiones ad caſus præfatos extendimus.

Verum hæc Conſtitutio reſtricta poſtea fuit a Gregorio XIV. ad abortum fœtus animati tantum, concedendo etiam facultatem locorum Ordinariis abſolvendi ab excommunicatione propter illum incurſa, quam Sixtus Apoſtolicæ Sedi reſervaverat, ut ex dicti Gregorii Conſtitut. *Sedes Apoſtolica*, 31. *Maii* 1591. ibi.

Cum igitur poſtmodum experientia docuerit, ex remedio hujuſmodi, non eam, quæ ſperabatur, vitilitatem, & fructum provenire, verum potius multis Satanæ malitia ad peccandum inductis, difficiliori ob ſoli Sedi Apoſtolicæ reſervatam abſolvendi facultatem, reddito ad pœnitentiam aditu, eos a nefariis hujuſmodi flagitiis perpetrandis non ſolum non retraxiſſe, ſed etiam plurimorum ſacrilegiorum, graviſſimorumque peccatorum, & ſcelerum occaſionem dediſſe: Nos propterea animadvertentes, gladium eccleſiaſticæ diſciplinæ, præſertim quoad cenſuras, & pœnas ſpirituales, ita exercendum eſſe, ut ad medicinam tendat, non ad perniciem animarum, æternumque Paſtorem, cujus vices in terris gerimus, quantum (divina ejus gratia adjutrice) poſſumus, imitari volentes, qui venit animas hominum ſalvare, non perdere, neminique, quantumcunque graviter, & enormiter deliquerit, viam ſalutis præcluſit, quin potius ad eam aſſequendam copioſa remedia adhibuit, ac nobis reliquit, & ſimul utilius cenſentes, ubi nec de homicidio, nec de animato fœtu agitur, pœnas non imponere duriores iis, quæ per ſacros Canones, & leges prophanas ſunt inflictæ, habita... Conſtit. prædictam ſic duximus moderandam, ut a peccato, & excommunicatione contra perſonas ibi expreſſas lata, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui poſt noſtram Conſtit. in eiſdem caſibus deliquerint, quilibet Presbyter, tam ſecularis, quam cujuſvis Ordinis regularis ad Chriſtifidelium confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam, & liberam in foro conſcientiæ tantum, abſolvendi habeat facultatem, eamdem prorſus, quam idem Sixtus Prædeceſſor ſibi, ac ſuis Succeſſoribus reſervavit.

Quo vero ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus,

ribus, vel ſumentium venena ſterilitatis, aut quocunque modo auxilium, vel conſilium eis dantium, in prædicta Conſtitutione contentas, Conſtitutionem præfatam, in ea parte, ubi de his agit, ad terminos juris communis, ac ſacrorum Canonum, & Conc. Tridentini diſpoſitionem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, tam quoad præterita, quam quoad futura, perpetuo reducimus, perinde, acſi eadem Conſtit. in hujuſmodi parte numquam emanaſſet.

Huc ſpectat damnatio ſequentis Propoſitionis XXXV. in ordine inter alias proſcriptas ab Innocentio XI. 2. *Martii* 1679. = Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi =.

Nota I. Cum in hoc eodem Concilii decreto caveatur, ut homicida voluntarius beneficio perpetuo careat, pluries ortum eſt dubium, an idem poſſit obtinere, obtentaſque retinere penſiones abſque diſpenſatione, S. Congreg. Conc. *die* 17. *Julii* 1605. 11. *Julii* 1617. *&* 27. *Septem.* 1623. cenſuit, in hoc Conc. decreto non comprehendi penſiones.

Nota II. Cum idem decretum perpetuo excludat dictum homicidam etiam a ſpe diſpenſationis tam pro Ordinibus ſuſcipiendis, quam pro beneficiis obtinendis, 7. Sept. 1605. propoſitum fuit eidem Congregationi ſequens dubium = Utrum is, qui gravibus ab aliquo affectus injuriis, famulo mandavit, ut illi in faciem vulnus leve ſenſim infligeret, inhibuitque, ne illum interficeret, ſi mandatarius fines iſtos excedens, pluribus motiferis vulneribus ei mortem intulerit, cenſeatur incidiſſe in irregularitatem provenientem ex homicido voluntario, adeo, ut omni ſpe diſpenſationis ad præſcriptum Conc. *caput VII. ſeſſ. XIV.* perpetuo carere debeat: Congregatio, re diligenter examinata, cenſuit incidiſſe in irregularitatem, ſed non eam, quæ provenit ex homicidio voluntario, ac propterea Oratorem decreto Conc. non excludi a ſpe diſpenſationis: imo perpenſis ejus qualitatibus, dignum eſſe diſpenſatione, atque ita referendum Sanctitati ſuæ, prout in *Mantuana lib. X. pag.* 120. Idem cenſuit in *Nullius Januarii* 1587. *lib. IV. pag.* 223.

Irregularitas autem, in quam hic incidiſſe dicitur Oratorem, ea eſt, quæ inflicta legitur a Bonifacio VIII. in *cap. III. Is, qui, de Homicidio in VI.* ubi in iiſdem terminis propoſitus eſt caſus.

Neque excluditur a ſpe diſpenſationis, qui mandavit occidere Cajum, mandatarius autem occidit Titium, ut reſpondit *9. Januarii* 1587. ad dubium in *Poſiit.* 22. *pag.* 66.

Nota III. Quod, licet pœna inhabilitatis, & privationis beneficii inflicta a Conc. in homicidam voluntarium ſit latæ ſententiæ, ob illam particulam: *perpetuo careat beneficio. Theſaurus tamen de Pœnis cap. I. verb. Homicidium*, ſentit cum communi, eam non incurri ipſo facto ibi = Privationem beneficiorum eccleſiaſticorum homicida ipſo facto, per ſe loquendo, non incurrit, ut de communi teſtatur *Azor. lib. VII. cap. XVIII. quæſt. I. tum. II.* & late probant Sanch. *Opuſcul. lib. II. cap. II. dub.* 14. *n.* 6. *cum ſeqq. Farinac. quæſt.* 119. *n.* 63. *Gartias part. XI. cap. X. n.* 39. Tamen, ſi beneficium requirat perſonale exercitium, ſeu ſervitium Ordinis ſacri, tenetur procurare diſpenſationem ſuper irregularitatem quamprimum. Quod ſi nolit, vel non poſſit impetrare, tenetur ſub peccato mortali, & ex juſtitia dimittere beneficium: dum autem non eſt in mora, poteſt aliquo tempore illud retinere, dum procurat diſpenſationem, *Suarez de Cenſ. diſput.* 40. *ſect.* 2. *n.* 19. cum communi ſententia, & *Regin. lib. XXX. n.* 14. *Sanch. Opuſc. loc. cit. dub.* 15. In aliquibus autem caſibus homicida ipſo facto beneficium amittit, ut I. ex abortu, de quo vide *verb. Abortus*: II. ex aſſaſſinio, dixi *verb. Aſſaſſinium*: III. in occidente Papam, vel Cardinalem, dixi *verb. Majeſtas cap. II.* IV. in occidente Epiſcopum, dixi *verb. Injuria cap. IV.* V. in occidente ſuum Prælatum, vel conbeneficiatum, ut dicam *cap. ſeqq.* VI. in occidente aliquem in odium Sancti Officii, ut dixi *verb. Inquiſitio cap. III.* =

Nota IV. Diſpenſationem ſuper irregularite, & pœnis incurſis ab homicida volutatio, etiam in caſu occulto, reſervatam eſſe ſoli Papæ: Epiſcopum autem diſpenſare poſſe cum homicida caſuali, occulto dumtaxat; cum publico vero ſolum Papam, ſeu Epiſcopum de illius commiſſione, ut ex allato Concilii decreto. Verum tamen eſt, quod Epiſcopus ex communi DD. ſententia, quos refert *Theſaurus loc. cit.* diſpenſare poteſt cum homicida caſuali publico, ut miniſtret in Minoribus antea ſuſceptis, & beneficium ſimplex obtineat. Eodem modo diſpenſare poteſt ſuper homicidio voluntario juſto, ſeu ſuper deffectu lenitatis.

Quia vero nonnulli Auctores relati a Diana *Reſpon. XLIV. & XLV. tract. II. tom. II.* plus nimio Regularium privilegia ad indebita extendentes, dictitant, Prælatos regulares diſpenſare poſſe ſuper irregularitatibus, & pœnis inflictis contra homicidam voluntarium, etiam vi communicationis privilegiorum cum illis Ordinibus regularibus, quibus directe, & expreſſe hujuſmodi privilegia conceſſa ſunt (quorum tamen tenores ſunt ſemper ſpeciatim inſpiciendi) reſpectu dictorum Regularium tali participatione gaudentium lectorem remitto, prout remiſi in Additionibus meis ad Inſtitutiones canonicas Remigii Maſchat *part. II. tit. de Homicid. volunt. pag.* 516. *col.* 2. & *nunc ad Theſaurum de Pœnis, verb. Homicidium cap. I. pag.* 205. *col.* 1.) ad ſequens Congr. Conc. reſponſum, a me recognitum, quod cum integra ſupplicis libelli ſerie refero, prout reperitur in Regeſtis ejuſdem S. Congr. *lib. Decret.* 35. *pag.* 145. = *Dubia facultatis abſolvendi, & diſpenſandi* 14. *Apr.* 1685. = Omnibus, & ſingulis Congr. S. Mauri, Ordinis S. Benedicti perſonis conceſſum eſt a felic. record. Summis Pontificibus, Gregorio Papa XV. Bulla, data an. 1621. & Urbano Papa VIII an. 1628. uti, frui, potiri, & gaudere omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, & libertatibus conceſſis Congregationi Caſſinenſi, S. Victorii, & omnibus quibuſcunque Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, Militiarum, & Hoſpitalarium,

Con-

Conceſſa eſt eadem PP. Caſſinenſibus facultas abſolvendi in utroque foro, & diſpenſandi ſuper cenſuris, irregularitatibus, & inhabilitatibus monachos ſuos, qui ante Religionis ingreſſum, homicidiis voluntariis, aliiſque patratis facinoribus, irregularitates, & cenſuras incurrunt: ut paret ex Brevibus Eugenii Papæ IV. Romæ Kal. Aprilis Pontificatus XI. Innoc. Papæ VIII. Kal. Novemb. Pontificatus anno III. beatæ mem. Pii Papæ V. idibus Jul. an. 1571. datis.

Conceſſa eſt eadem facultas PP. Congr. Montis Oliveti a Pio IV. Bulla data anno 1560. die 24. Maii Pont. anno primo.

Sed, & PP. Prædicatoribus Dominicanis Bulla Julii Papæ II. data an. 1510. Pont. an. VII.

Necnon & PP. Societatis Jeſu, Bullis Pauli Papæ III. an. 1549. 15. Kal. Nov. Pont. an. XV. & Gregorii Papæ XIV. an. 1591. datis.

Cum itaque PP. Congr. S. Mauri data fuerit facultas ab Urbano Papæ VIII. utendi, gaudendi, & fruendi omnibus privilegiis aliis Congr. & Ordinibus conceſſis, non ſolum per participationem, & extenſionem, ſed perinde acſi illa omnia in ſpecie eidem Congr. conceſſa eſſent, Procurator Generalis ejuſd. Congr. humiliter inſtat, declarari.

Primum. An Superiores dictæ Cong. licite, valideque poſſint abſolvere in utroque foro, ac diſpenſare ſuper irregularitatibus, & cenſuria ſuorum monachorum per homicida, vel in bello, vel in jurgiis, aliiſque motibus, quaſi indeliberatis, contractia?

Secundum. An eos poſſint rehabilitare ad ſuſceptionem Ordinum, dignitatuum, & prioratum, ſeu capellaniarum regularium?

Sac. &c. Ad utrumque reſpondit, *Negative*.

SECTIO L.

Eadem Seſſio XIV. caput XI. de Reform. juncto cap. XIX. ſeſſ. XXV. de Regularibus.

Quia vero Regulares, de uno ad alium Ordinem translati, facile a ſuo Superiore licentiam ſtandi extra monaſterium obtinere ſolent, ex quo vagandi, & apoſtatandi occaſio tribuitur, nemo cujuſcunque Ordinis Prælatus, vel Superior vigore cujuſvis facultatis aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſit, niſi, ut in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuo maneat, ac taliter translatus, etiamſi Canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia ſecularia, etiam curata, omnino incapax exiſtat.

Hoc Decretum, quo ſtatuitur, non poſſe Regularem transferri de uno ad alium Ordinem, & ad habitum, ac profeſſionem admitti ſub prætextu privilegiorum, niſi in Ordine, ad quem transfertur, perpetuo maneat intra clauſtra ſub ſui Superioris obedientia, ampliatum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Quecunque*, 14. *Octobr. 1569.* caſſante quaſcunque Apoſt. conceſſiones poſt Concilium ſuper his obtentas, ac nullam decernente admiſſionem, receptionem, & retentionem, etiam juramento firmatam, ſub pœna in admittentes, & recipientes privationis omnium dignitatum, adminiſtrationum, beneficiorum, officiorum, fructuum, & penſionum eccleſiaſticarum, ac inhabilitatis ad eadem, tributa facultate Ordinariis procedendi tam contra recipientes, quam contra receptos, ibi.

Quocirca cum ejuſmodi privilegia veniant abroganda .... Nos .... revocamus, & abolemus omnia, & quæcunque privilegia, facultates, diſpenſationes, & indulta præter juris communis diſpoſitionem emanata, recipiendi, vel retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, & alios etiam laxiorum Ordinum profeſſores, quibuſcunque Ordinibus, monaſteriis, hoſpitalibus, Militiis, & piis locis, etiam S. Antonii Viennen. S. Spiritus in Saxia de Urbe, S. Joannis Hieroſolymitani, Jeſu Chriſti, Sancti Jacobi de Spatha, Sancti Lazari Hieroſolymitani, eorumque Eccleſiis, membris, Superioribus, & perſonis, per quoſcunque Rom. Pont. Prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem Apoſtol. tam in ipſorum monaſteriorum, hoſpitalium, & locorum inſtitutione, quam deinceps quomodocunque, ac quotieſcunque, etiam per modum ſtatuti perpetui, ac initi, & ſtipulati contractus, & alias ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis reſtrictionibus, & præſervationibus mentis, atteſtationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque ſimili poteſtatis plenitudine, etiam pauperum infirmorum, miſerabilium, & cujuſcunque alterius pii operis intuitu, ac etiam ex quibuſcunque aliis cauſis, quantumuis gravibus, charitativis, & neceſſariis,

etiam

etiam conſideratione, vel ad ſupplicationem Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, deque illorum conſilio, & matura deliberatione prius habita, conceſſa, confirmata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extenſa, vel etiam moderata. Caſſamus quoque, & annullamus quoad illa, omnes Apoſtolicas, & alias literas ſuper iis confectas, ac proceſſus, & alia inde ſecuta quæcunque: ac volumus ea omnia, vires, & effectum de cætero non habere, ita, ut poſthac illorum, ſic revocatorum prætextu, Prælati, & Superiores prædicti, aut alii quicunque nullum prorſus alterius, etiam laxioris Ordinis, vel obſervantiæ, Regularem, etiam ſpecialem, tranſeundi ad ipſos licentiam (juxta hujuſmodi privilegia dumtaxat) ferentem, ad habitum, & profeſſionem regularem in ſuis quiſque monaſteriis, domibus, locis, vel Ordinibus, etiam ut in clauſtro perpetuo maneat, admittant, nec omnino quemquam recipiant, vel retineant. Eos vero, quos in aliquo ex caſibus ſupradictis (vigore hujuſmodi privilegiorum tantum, ac præter juris communis diſpoſitionem) jam habent tranſlatos, ad eorum Superiores, & loca ejus Ordinis, unde erant profecti, quamprimum remittant. Decernentes admiſſiones, receptiones, & retentiones hujuſmodi nulla firmitate ſubſiſtere, neminemque prorſus ulli voto, ullive regulæ, vel obſervantiæ, etiam juramento, aliave ſolemnitate promiſſæ, obligare, necnon irritum, & inane quidquid ſecus per prædictos, aut quoſcunque alios quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quicunque vero aliquem contra hujus noſtræ revocationis tenorem admiſerint, aut receperint, aut alios, aut quos jam habent, modo prædicto, translatos, aut receptos retinuerint, ipſos omnibus, & ſingulis dignitatibus, adminiſtrationibus, beneficiis, officiis, fructibus, & penſionibus eccleſiaſticis præſentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles eſſe volumus eo ipſo. Quocirca omnibus locorum Ordinariis, in quorum diœceſibus loca prædicta conſiſtunt, per Apoſtol. ſcripta mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios de translatis prædictis auctoritate noſtra cognoſcentes, in eos, quos contra hoc præſcriptum noſtrum degere invenerint, ac etiam recipientes, vel retinentes, rejecto quocunque exemptionis privilegio, animadvertant, ipſoſque prætera translatos, vel retentos ad priores Ordines, & diſciplinam remittere procurent. Contradictores quoſcunque per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Ampliatum eſt etiam ab Urbano VIII. Conſtit. *Sacra Congreg. 21. Septembr. 1624.* præcipiente quibuſcunque regularibus Superioribus, ne religioſo ſibi ſubdito facultatem concedant tranſeundi ad aliam Religionem licet arctiorem, niſi prius eis legitime conſtet, Religionem, ad quam tansferendus eſt, paratam eſſe eum recipere, & tunc recta via transferatur, ſub pœna in eoſdem Superiores aliter facere præſumentes privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac inhabilitatis ad talia, cujus diſpenſatio Papæ reſervatur. Decernente inſuper irritum, & inane quidquid ſecus fuerit attentatum, ibi.

Deinde, ut apoſtatandi opportunitas Regularibus præripiatur, ſtatuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi prius Superiori legitime conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis recta ſe transferat ad arctiorem. Quod, ut re ipſa adimpleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia invigilet. Si quis vero ipſorum adverſus ea, quæ ſuperius præſcripta ſunt, vel eorum aliquid quoquomodo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, pœnaque hujuſmodi ſit Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtol. reſervata, iiſdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitus interdicta, & nihilominus ſit irritum, & inane quidquid ſecus a quoquam actum extiterit.

Am-

Ampliatum eſt inſuper a Bened. XIII. Conſtit. *Licet*, 13. *Febr.* 1726. hujuſmodi tranſitum interdicente, etiamſi de apoſtata transferendo ageretur, ad quemlibet militarem, aut hoſpitalarem Ordinem, vel hoſpitalarem ſimul, & militarem, quamvis in eo clauſtralis obſervantia vigeret; ſublata quibuſcunque facultate concedendi tranſitum ad dictos Ordines, etiam S. R. E. Cardinalibus, Legatis, Nunciis, Vicelegato Avenionenſi, utrique Congregationi Epiſcoporum, & Regularium, ac Conc. Trident. Interpretum, ipſiquemet Cardinali majori Pœnitentiario, ibi.

Itaque omnibus, & ſingulis Regularibus in quocunque regulari, & clauſtrali Ordine profeſſis, tranſitum ad quemcunque alium Ordinem, in quo clauſtralis, & regularis obſervantia non vigeat, poſt maturam, hac de re habitam deliberationem, motu proprio, & ex certa ſcientia omnino prohibemus. Tranſitum etiam ad quemcunque Ordinem hoſpitaliarum, vel militarem, vel hoſpitalarium ſimul, & militarem, etiamſi in hujuſmodi Ordinibus clauſtralis, & regularis obſervantia vigeret; ac etiamſi ageretur de apoſtata, vel non apoſtata a primævo ſuo Ordine ad ejuſmodi alium tranſire volente, pari modo prohibemus. Inſuper quibuſcunque Superioribus Regularium, S. R. E. Cardinalibus, Legatis, ejuſdem S. R. E. Cardinali majori Pœnitentiario, Nunciis Apoſtol. Sedis, Vicelegato Avenionenſi, utrique Congregationi Cardinalium, negociis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, Sacrique Concilii Tridentini Interpretum per præſentes tollimus, revocamus, & abrogamus quæcunque privilegia, auctoritates, facultates, & conſuetudines ejuſmodi tranſitum concedendi cuicunque Regulari clauſtrali, apoſtatæ, vel non apoſtatæ, quacunque de cauſa; quamvis etiam conſenſus, tam Superioris, in cujus Ordine antea profeſſus fuerit, quam alterius Superioris, in cujus Ordine novam profeſſionem emittere volverit, accedat. Nobis autem, noſtriſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus pro tempore extituris ſimiles conceſſiones penitus reſervamus, ita, ut in poſterum S. R. E. Cardinales Legati, ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Major Pænitentiarius, Nuncii Apoſt. Sedis, Vicelegatus Avenionenſis, prædictæque Congregationes in examine libellornm ſupplicum, hujuſmodi tranſitus poſtulantium, hac de re nihil omnino decernere poſſint, niſi noſtro, vel Romani Pontificis pro tempore extituri ſpeciali reſcripto, ejuſmodi libelli ſupplices ad illos remiſſi fuerint. Quo reſcripto etiam obtento, nihilominus tranſitus facultatem, etiamſi cauſæ ejus concedendi ſummæ viderentur, nullo modo concedere valeant niſi poſtquam Nobis, & pro tempore extituro Romano Pontifici, totius rei diſtincta, & accurata relatio facta fuerit, & poſtquam a nobis ipſis, vel a Romano Pontifice pro tempore extituro earundem cauſarum pondus approbatum, & tranſitus facultas conceſſa fuerit. Eiſdem vero præſentibus literis noſtris quoſcunque tranſitus, non obſervato ad unguem harum tenore, in poſterum faciendos, nullos, invalidos fore, & eſſe declaramus: Ordinariis locorum concedentes, vel ad illos extendentes eamdem facultatem procedendi in eos, qui deinceps, præſenti Conſtitutione non obſervata, ad alium Ordinem tranſire auſi fuerint, quam Tridentina Synodus Ordinariis conceſſit in Regulares extra monaſteria vagantes, & crimina committentes.

Id ipſum quoad facultatem ademptam Majori Pœnitentiario fuſius declaratum eſt in Conſtitutione Benedicti XIV. *Paſtor bonus*, 13. *Apr.* 1744. §§. XXXIV. & XXXV. quos leges in calce hujus Operis.

Si vero Superiores duorum Ordinum diſſentiant in admittendo tranſitum Religioſi a laxiori ad ſtrictiorem Ordinem juxta Conſtit. Urbani, devolvitur judicium ad S. Sedem, a qua derogari ſolet conſenſui Superioris Ordinis laxioris, ut ex altera ejuſdem Conſtitut. *Ex quo*, 14. *Jan.* 1747. §. *Porro*, ibi.

Hodierna vero praxis eſt, per quam omnes hujus generis controverſiæ, & morarum prolixitates devitantur, ut Religioſis viris, qui a laxiori ad ſtrictorem Ordinem tranſire cupiunt, poſtquam voluntatis ſuæ cauſas coram competentibus Apoſt. Sedis tribunalibus expoſuerint, atque probaverint, haud ægre a Romano Pontifice indulgeantur opportunæ facultates, in quibus derogatio ſuper conſenſu Superioris Ordinis laxioris includitur.

Item Major Pœnitentiarius ex cit. Conſt. *Paſtor bonus* §. XXXVI. quam habes in calce hujus Operis, concedere poteſt tranſitum ab uno ad aliud monaſterium monialibus exiſtentibus tantum ultra montes, ob legitimam cauſam, committendo hujus tranſitus exequendi facultatem arbitrio Ordinariorum cum clauſulis opportunis pro caſuum varietate.

Nota hic ex Conſtit. Urbani VIII. *Honoram*, 24. *Febr.* 1643. quod quicunque Regulares, ac etiam ejecti, aut translati ad alium Ordinem, etiam de licentia Papæ, qui ex Inſtituto, in quo prius profeſſionem emiſerint, votum habent, de non procuranda, vel acceptanda dignitate, aut Prælatura extra eorum Ordinem, remanent adſtricti dicto voto, reſervata ſoli Papæ poteſtate illud irritandi, ſeu præceptum faciendi de ea acceptanda (Hęc tamen Conſt. loquitur tantum de voto tam ſolemni, quam ſimplici, non de promiſſione, ut ab aliquibus Regularibus fit.)

Quamvis igitur, ut accepimus, tam Fratres Diſcalceati Sancti Auguſtini, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo etiam Diſcalceati, Ordinum, quam Clerici Regulares Miniſtrantes infirmis reſpective nuncupati, & nonnulli aliorum Ordinum, ſeu Congregationum Regulares, etiam Societatis Jeſu, & alii Regulares, etiam individuam expreſſionem requirentes, aut in ipſa profeſſione una cum tribus eſſentialibus votis, paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ, aut ante, vel poſt profeſſionem prædictam, ſive ſolemne, ſive, ut dicunt, ſimplex votum, in manibus tamen Superioris regularis emittant de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, ſeu prælationem, vel Prælaturam extra Religionem, niſi coacti, vel adſtricti fuerint præcepto ejus, qui ſibi jure præcipere poteſt, & aliqui addant etiam illa verba, videlicet, *ſub pœna peccati*, juxta formam ſuarum Conſtitutionum a Sede Apoſtolica confirmatarum, nihilominus aliqui ex ipſis Regularibus, etiam translati ad Ordines Regularium, etiam Mendicantium, qui prædictum aut ſimile votum non emittunt, retro aſpicientes, emiſſique a ſe voti hujuſmodi immemores, prælationes, ſeu Prælaturas, vel dignitates ambiunt, imo etiam Epiſcopatus, majorumque dignitatum ſolium conſcendere moliuntur, prætendentes, quod ſuis Superioribus regularibus, præſertimque Generalibus, liceat eis præcipere, ut dignitatem, prælationem, ſeu Prælaturam, vel Epiſcopatum, majoremve dignitatem extra Religionem acceptent, aut ipſum votum relaxare, & cum ipſis deſuper diſpenſare, licet per præcepta, & diſpenſationes hujuſmodi ipſi ab obedientia præcipienti, ſeu diſpenſati debita eximantur; ac etiamſi vota prædicta, tamquam emiſſa in manibus Superioris regularis dicantur ſolemnia, vel ſaltem efficaciam voti ſolemnis habeant; regulariumque Ordinum, & Congregationum, ac Societatis hujuſmodi Conſtitutiones ſint confirmatæ auctoritate Apoſtol., & cum decreto irritante, a quo propterea manus quorumcunque inferiorum ligatæ exiſtunt. Quapropter Nos . . . . declaramus ſuper prædicto voto, etiam per translatos ad Ordinem, ſeu Congregationem regularem capacem; ante translationem emiſſo de non procuranda; nec acceptanda extra quemlibet ex ipſis Ordinibus, ſeu Congregationibus regularibus, aut Societate prædicta reſpective aliqua dignitate, ſeu prælatione, vel Prælatura, ſive aliquo Epiſcopatu, aut majori dignitate, neminem Superiorem regularem, etiam Generalem, aut Capitulum, ſeu Congregationem generalem, nec etiam Nuncium Apoſtolicum, aut prædictorum Ordinum, ſeu Congregationum Protectorem, etiam S. R. E. Cardinalem, nec etiam Legatum Sedis Apoſtol. etiam de latere, nec quemlibet alium, etiam ſpeciali, & individua mentione dignum, ſed tantummodo Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem poſſe diſpenſare, taleque votum relaxare, aut adverſus illud aliquam licentiam, vel indultum concedere, aliquod præceptum procurandi, ſeu acceptandi, vel aliud ſimile ipſis Regularibus voventibus facere, cujus vigore prædicti Religioſi illas, & illos procurare, vel acceptare poſſint, aut teneantur, ac alias quomodolibet voventes prædictos a prædicto voto liberare.

Idem jam tranſcriptum Trid. decretum circa tranſitum Regularium de uno ad alium Ordinem, quo inſuper cavetur, ut translati modo ſuperius præſcripto, quamvis ex Ordine Canonicorum Regularium ſint, omnino incapaces exiſtant beneficiorum ſecularium, etiam curatorum, ampliatum eſt a Benedicto XIV. Conſtit. *Quod. inſcrutabili 9. Jul.* 1745. extendente hujuſmodi prohibitionem ad Canonicos Regulares Lateranenſes, & SS. Salvatoris, licet nunquam translatos, quibus interdicitur conſecutio nedum beneficii ſecularis, & curati, ſed etiam cujuſcunque beneficii ſimplicis, & penſionis abſque indulto Apoſtolico, non obſtante Decretali Innoc. III. relata *in cap. V. Quod Dei timorem, de Statu monachorum*, cujus vigore poterant præfici Eccleſiæ parochiali, etiam ſeculari, de ſolo Superioris conſenſu, cui per hanc Conſt. expreſſe derogatum eſt, ita ut hodie non ſatis ſit ſolus conſenſus Generalis.

Ut

Ut jam notavi *part. I. poſt cit. cap. V. pag. 366.* ubi tranſcriptam habes dictam Conſtit.

Item ex altera ejuſdem Benedicti Conſtitutione *Quo magis*, 18. *Decembr.* 1742. neque præfici poſſunt Presbyteri Congregationis Miſſionis beneficiis eccleſiaſticis, perſonalem reſidentiam requirentibus, vel animarum curam annexam habentibus extra dictam Congregationem, ſine diſpenſatione Romani Pontificiis, vel Superioris Generalis ejuſdem Congregationis in actu dimiſſionis tantum, ut pariter notavi ad mox *cit. cap. V. part. I. pag. 367.*

SECTIO LI.

Eadem Seſſio XIV. caput XII. de reform.

NEmo, etiam cujuſvis dignitatis eccleſiaſticæ, vel ſecularis, quacunque ratione, niſi Eccleſiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit, & conſtruxerit; ſeu jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, juſpatronatus impetrare, aut obtinere poſſit, aut debeat. In caſu autem fundationis, aut donationis hujuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori, reſervetur.

SECTIO LII.

Eadem Seſſio XIV. caput XIII. de reform.

NOn liceat præterea patrono, cujuſvis privilegii prætextu, aliquem ad beneficia ſui juris patronatus, niſi Epiſcopo loci ordinario, ad quem proviſio, ſeu inſtitutio ipſius beneficii, ceſſante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præſentare: alias præſentatio, ac inſtitutio, forſan ſecutæ, nullæ ſint, & eſſe intelligantur.

Cum de acceſſionibus ad hæc duo tranſcripta Trid. decreta agendum ſit infra in *cap. XVIII. ſeſſ. XXIV.* in quo ſermo erit de jure patronatus, ad illud lectorem remitto.

SECTIO LIII.

Seſſio XXI. caput I. de reformatione.

§. I. QUoniam ab eccleſiaſtico Ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam clericalis Tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum miniſtri, quovis prætexu accipiant.

§. II. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere poſſint; dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo: nec Epiſcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eiſdem Ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire poſſit: tunc enim gratis operam ſuam eos præſtare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines, etiam immemorabiles quorumcunque locorum, quæ potius abuſus, & corruptelæ, ſimoniacæ pravitati faventes, nuncupari poſſunt, penitus caſſando, & interdicendo: & qui ſecus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipſo facto incurrant.

Hoc Decretum, prohibens ſub pœnis a jure ſtatutis aliquid recipi pro colllatione Ordinum, ampliatum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Cum primum*, 1. *Aprilis* 1566. infligente pœnas, etiam in ſimoniace ordinatos, ſi convicti fuerint ſimoniam commiſiſſe pro conſequendis Ordinibus, videlicet carceris per annum, & ſuſpenſionis ipſo facto ab illorum executione per decennium, abſque ſpe diſpenſationis: in collatores vero, licet ſint Epiſcopi, Archiepiſcopi, & his majores, pœnas a jure ſtatutas, ibi.

Quicunque igitur deteſtabile crimen ſimoniacæ pravitatis commiſiſſe convictus fuerit in conſequendis Ordinibus, eo ipſo ſit ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur.... Qui vero Ordines, & beneficia ſimoniace contulerint, pœnis a jure ſtatutis puniantur, cujuſcunque gradus, conditionis, & dignitatis, etiamſi Epiſcopi, Archiepiſcopi, vel majores fuerint.

Pœnæ autem a jure ſtatutę, erant excommunicatio Papæ reſervata, & ſuſpenſio a collatione Ordinum per triennium, *ex Extravaganti II. Cum deteſtabile de Simon.* licet probabilius, ſecundum aliquos DD. relatos a *Theſauro de Pœnis cap. IX. verb. Simonia*, etiam ex dicta Extravag. eſſet perpetua. Eſt præterea juris infamia, tam reſpectu Ordinantis, quam ordinati, ex *Can. XV Si quis, cauſ. I. quæſt.* 3. qui eſt Innocentii II.

Verum ex Conſtitutione Sixti V. *Sanctum*, 5. *Januarii* 1588. Ordinans incurrit perpetuam ſuſpenſionem a collatione Ordinum, etiam primæ Tonſuræ, & ab executione munerum Pontificalium, ac interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: quæ pœnæ ſunt Papæ reſervatæ: ordinatus vero ſuſpenſionem item perpetuam, & Papæ reſervatam ab executione Ordinum (etiam non ſimoniace ſuſceptorum, juxa probabiliorem ſententiam.) Ulterius ſcienter violantes has cenſuras per exercitium Ordinum iis vetitum, præter irregularitatem, ex eadem Conſtit Ordinans incurrit ſuſpenſionem ab adminiſtratione Eccleſiæ, & a perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum; & ordinatus exercendo Ordines, etiam minores, privationem officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitatem ad talia; & beneficia reſervantur Papæ, tamquam vacantia in Curia: quod ſi ordinatus regularis ſit, incurrit privationem vocis activæ, & paſſivæ, ac inhabilitatis ad eam §. VI. ibi.

Cæterum, ſi quis Antiſtes, vel Abbas, ſervatis quidem cunctis præmiſſis, & cæteris omnibus, quæ in ipſius Tonſuræ, & Ordinum collatione obſervari debent, perſonas habiles, & idoneas, ſed tamen recepta ab iis, quibus Tonſuram, aut Ordines conferet, pecunia, pretio, vel præmio, ſimoniace in futurum inſigniverit, vel promoverit, volumus, ut præter alias cenſuras, & pœnas contra ſimoniace Ordinantes, & ordinatos, a ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtol. alias inflictas, & irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus, etiam omnia, & ſingula ſupradicta in ſic promoventibus, & promotis locum habeant.

Pœnæ, quas ipſe addidit contra male promotos, continentur in §. III. ejuſd. Conſtitutionis.

Et nihilominus fel. record. Pii II. & aliorum Rom. Pontificum noſtrorum Prædeceſſor, qui per ſuas Conſtitutiones, aut in Cancellaria Apoſtolica publicatas regulas, contra hujuſmodi Clericos male promotos, diverſas pœnas inflixerunt, veſtigiis inhærentes, eoſdem Clericos poſthac male promotos, ab executione, miniſterio, & exercitio Ordinum ſuſceptorum, & ab omni ſpe, & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuo ſuſpenſos declaramus. Et ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, illos ſic irregulares effectos, omnibus, & quibuſcunque per eos, in titulum, commendam, aut alias obtentis dignitatibus, officiis, & beneficiis eccleſiaſticis, cum cura, & ſine cura, quomodocunque qualificatis, ſæcularibus, vel cujuſvis Ordinis, aut Militiæ regularibus, ac etiam ſi ipſi Clerici Regulares fuerint, activa, & paſſiva voce ipſo facto privamus, & iis privatos, atque ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia in poſterum obtinenda in perpetuum inhabiles, & incapaces eſſe decernimus, & declaramus, dignitatum, officiorum, & beneficiorum hujuſmodi, ſic pro tempore vacantium diſpoſitionem nobis, & Apoſtolicæ Sedi perpetuo reſervantes.

☞ Ab his omnibus cenſuris ex eadem Conſtit. neque in caſu occulto poteſt Epiſcopus in vim *cap. VI. Trident. ſeſſ. XXIV. de reformat.* abſolvere, cui Sixtus, quoad hoc, derogavit: neque Major Pœnitentiarius, neque alius, etiam in vim Jubilæi, ut ex §. IV. dictæ Conſtit. ibi.

Ut autem homines, qui nimia indulgentia, & ſpe impunitatis, ac veniæ facilitate hactenus fuerunt ad hujuſmodi facinora procliviores, ea ſublata, et præcluſa, ab his abſtineant, et caveant in futurum, tam abſolvendi, quam diſpenſandi facultatem in caſibus ſuperius expreſſis, etiam in foro conſcientiæ, Nobis, et Succeſſoribus noſtris dumtaxat, auctoritate, et tenore præmiſſis perpetuo reſervamus. Inhibentes, ne a quoquam ſeculari, vel cujuſvis Ordinis regulari Presbytero, vel Prælato, quavis auctoritate fungente, nec per quæcunque Jubilæa, et Indulgentias, etiam pleniſſimas, et extraordinarias per noſtros Prædeceſſores, aut noſmetipſos, vel Succeſſores noſtros anno Jubilæi, aut alio quovis tempore, et Cruciatæ ſanctæ, vel quocunque alio titulo, modo, et forma, motu proprio, et conſiſtorialiter, ſeu ad quorumcunque Principum, Regum, aut Imperatoris inſtantiam, eorumve contemplatione, et intuitu, cum quibuſvis ampliſſimis, in genere, vel in ſpecie derogatoriis clauſulis conceſſa, vel in poſterum concedenda, nec vigore, aut prætextu facultatum, aut privilegiorum, Mare magnum, aut alias quomodolibet nuncupatorum, quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, aut perſonis regularibus, aut Epiſcopis, per decreta Concilii Trident. aut officio ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtol. vel Minoribus, aut etiam Majori Pœnitentiario noſtris, et Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, vel alias quomodolibet pro tempore conceſſorum, perſonæ, ſic, ut præfertur, delinquentes, tam ſcilicet Antiſtites, ſeu Abbates promoventes, quam Clerici male inſigniti, ſeu ordinati, a reatibus, et exceſſibus præfatis abſolvi, præterquam in mortis articulo, poſſint, aut debeant. Nec cum iis ſuper irregularitate propter præmiſſa contracta, etiamſi crimen penitus occultum fuerit, quovis modo valeat diſpenſari.

Et quamvis, quoad alia capita dicta Conſtitutio redacta fuerit ad terminos juris communis, ac Conſtitutionis Pii II. *Cum ex ſacrorum*, & Conc. Trident. a Clemente VIII. Conſtit. *Romanum*, 28. *Febr.* 1595. nihilominus §.I. ☞ præſervavit pœnas ibidem latas contra ſimoniacos in Ordine, ibi.

Hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, ſupradictas literas ad terminos ſacrorum Canonum, ac Conſtitutionis re. me. Pii Papæ II. etiam Prædeceſſ. noſtri, quæ incipit, *Cum ex ſacrorum Ordinum*, ſub dat. videlicet XV. Kal. Decembr. Pontif. ſui Anno IV, cujus tenore præſentibus pro expreſſo haberi volumus, et ad diſpoſitionem decretorum ſacri Trid. Conc. reſtringimus, et reducimus. Necnon cenſuras, et pœnas in eiſdem Sixti literis contra quoſcunque, præterquam contra ſimoniace Ordinantes, et ordinatos inflictas, quas volumus in ſuo robore permanere (aliis etiam pœnis, et cenſuris per eoſdem Canones, ac Conſtitut. Pii II. Conciliumque Trident. injunctis, ſalvis, et firmis remanentibus) moderamur, et abolemus.

Ex Conſtit. Benedicti XIV. *Paſtor bonus*, 13. *April.* 1744. tribuitur Cardinali majori Pœnitentiario facultas abſolvendi hujuſmodi ſimoniacos in occultis dumtaxat, & in foro conſcientiæ tantum, injuncta gravi penitentia, ut in §. XIX. quem leges in calce hujus Operis.

His omnibus ſanctionibus Epiſcopo prohibentibus receptionem cujuſcunque rei, etiam ſponte oblatæ, pro collatione Ordinum, & primæ Tonſuræ, acceſſit Taxa Innocentiana, confecta ſcilicet die 1. Octobr. 1678. a Congregatione particulari, deputata ab Innocentio XI. & de ejus mandato typis edita a Cong. Conc. die 8. ejuſdem menſis, & anni, atque ab hac per literas circulares ad quoſcunque locorum Ordinarios tranſmittenda, injuncta illius obſervantia eidem Congregationi privative quoad alia quælibet tribunalia, & judices, in qua, confirmatis decretis SS. Canonum, & SS. Congregationum, damnatiſque contrariis conſuetudinibus, expreſſe etiam prohibetur Epiſcopis, eorumque officialibus, familiaribus, & famulis receptio forficum, pectinum, & mapparum, excepto cereo, illius qualitatis, & ponderis ſtatuendi arbitrio Ordinarii, exceptaque mappa ab ordinandis in Presbyteros offerenda, juxta permiſſionem Pontificalis Romani, prout iiſdem terminis jam prohibitum fuiſſe legitur a dicta Congr. Conc. *lib. XXVII. Memorialium pagina* 11. *in Calven.* ubi ſimilis generalis conſuetudo vigebat.

Inſuper cum in hoc decreto ſtatuat Concilium, ne = Epiſcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex iiſdem Ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire poſſit = ideo eadem S. Cong. ſæpius declaravit, Cancellarias Epiſcopatuum nullo pacto poſſe, aut debere locari, ut in *Neapolitana* 12. *Novembr.* 1611. ex hujuſmodi enim locatione quiſque intelligit, partem emolumenti, etiam directe Epiſcopo advenire contra clariſſimam Concil. prohibitionem; de qua prohibitione etiam mentionem feci part. I. pag. 591.

Eadem Taxa acceſſit eidem conciliari decreto in ea parte, in qua prohibet Notariis, ne pro literis dimiſſorialibus ultra decimam unius aurei partem obulos videlicet decem monetæ Romanæ, aut ſummam huic æquivalentem juxta Regionum varietatem, accipiant, & id in eo tantum caſu, quo aliunde

de iis non ſuppetat ſalarium: in dicta enim Taxa prohibetur ulterius, ne, ſiquem eodem die ad plurea Ordines Minores promoveri contingat, in literis teſtimonialibus Ordinum receptorum ſimul expreſſorum exigere poſſint tot julios, quot ſunt Ordines recepti, ſed unum dumtaxat, ut itidem die 20. Junii 1609. prohibuit laudata S. Congr. *lib. XI. Decretor. pag.* 58. *& lib. XXIX. Memorialium pagina* 14. Sicut neque pro dimiſſoriis Ordinationis faciendæ ab alio Epiſcopo, aut pro pluribus Ordinibus, & neque pro rogitu collationis Ordinum, aut pro acceſſu ad locum Ordinationis; ſeu tandem ſub quocunque alio prætextu, etiam ſtrenarum, & gratuiti doni.

Ex dicta tamen Taxa non obſtringitur Notarius unam tantum ſcripturam, ſeu teſtimonium Ordinum receptorum conficere, quoties hi collati fuerint diverſis temporibus, & ordinationibus: in quo caſu eorum teſtimonium ſeparatim facere poteſt.

Si autem quæratur, an hæc Taxa extendatur etiam ad loca extra Italiam, lectorem remitto ad Cardinalem Petra, qui *in Commentario ad Conſt. Apoſtol. tom. IV. ad Conſt. II. Urbani VI. num.* 17. ita ad quæſitum reſpondet ibi = Idcirco quidquid ſit in locis extra Italiam, de quibus jure dubitatur, an comprehendantur ſub Taxa Innocentiana, præſertim quia cum edita fuerit lingua noſtrali, conjicere eſt Summi Pontificis mentem in ea edenda fuiſſe, reſtringendi ejus diſpoſitionem intra Italiæ limitea, cum alioqui conſuetum ſit, quod Conſtitutiones, quibus Pontifex Urbem, & Orbem afficere intendit, lingua latina edantur, ut latius dixi *tom.* 1. *in proœm. §. III. num.* 31. *& ſeqq. pag* 13. ubi præſertim id comprobavi ex mente Sac. Congr. Concil. in *Tarraconen.* 2. *Maii* 1699. Quibus addo ſimilem reſolutionem Sac. Congr. poſtea editam *in N. Provinciæ Hiſpalen.* 20. *Novembris* 1706. *ad* 1. in qua cum Vicarius pro juribus ad ſe ſpectantibus novam taxam *de Ann.* 1704. confeciſſet, longe exorbitantiorem ea, quæ a Viſitatore Apoſtolico uſque ab anno 1606. confecta fuerat, ac proinde ejus moderatio peteretur; Sac. Congr. quamvis rem dirimere valuiſſet, reſcribendo, quod ſervaretur Taxa Innocentiana, in qua præfinita ſunt omnia emolumenta, quæ eo caſu controvertebantur; tamen attenta præfata dubietate de comprehenſione locorum extra Italiam ſub eadem Taxa, reſcripſit = Circumſcripta Taxa Anni 1704. dilata, & examinetur Taxa anni 1606. = Itemque in *Urgellen. Subſidii charitativi* 26. *Januarii* 1692. in qua, cum occaſione ſubſidii charitativi Epiſcopo in primo ingreſſu ſolvendi, controverſia exorta eſſet circa quantitatem ſolvendam, prætendente Epiſcopo ſubſidium in quantitate alias ſoluta de anno 1671. capitulo autem ſolitum deſumente ex alia ſolutione facta de anno 1627. proindeque propoſito ſecundo dubio, An, & in qua quantitate ſit ſolvendum ſubſidium charitativum moderno Epiſcopo, & ſucceſſoribus, Sac. Congregatio ſimpliciter reſcripſit, *Subſidium deberi*. Cum tamen litigium dirimere voluiſſet, reſcribendo, quod ſervaretur Taxa Innocentiana, etenim in ea expreſſe decernitur, ut quoad quantitatem ſolitum deſumendum ſit ex eo, quod ante quadraginta annos fuit ſervatum, ut infra dicam =.

Nota I. Mediatores ſimoniæ in Ordine, ad quos etiam extenditur excommunicatio lata in cit. Extravaganti *Cum deteſtabile*, nullam incurre ſuſpenſionem, cum nec in ea, nec in allegatia juribua, nec in aliis reperiatur expreſſa. Excipitur tamen præſentator, qui incurrit ſuſpenſionem ad triennium ab executione Ordinum ſuorum *ex cap. XLV. Si quis, de Simon.* ſi ſit præſentator ex officio, ut Archidiaconus, de quo *cap. unico de Scrutin. in Ord. facien.* vel ſimilia, cujus officium ſit examinare ordinandum, & idoneum Epiſcopo renunciare: ſicut & Epiſcopus literas dimiſſorias concedens, *Theſaurus cap. IX. verb. Simonia*.

Nota II. Omnea ſupradictas pœnaa non incurri, niſi interceſſerit ſimonia realis utrinque completa, DD. communiter apud dictum Theſaurum.

Nota III. Cum eodem neque incurri a recipiente aliquid ſponte, & liberaliter oblatum poſt Ordines collatos: incurri vero, ſi ante recipiatur ob relatum Trid. decretum. (Excipe tamen Examinatores, qui neque ante, neque poſt examen quidquam accipere poſſunt citra vitium ſimoniæ, ut infra dicetur. Imo Leſſiua citatus a Theſauro, ſentit, quod ſi ordinandus etiam ante ordinationem ſponte, & liberaliter aliquid donaret ſine intentione movendi animum Epiſcopi, vel miniſtri, non incurret ſupradictas pœnas. Verum hæc ſententia in praxi ſimoniæ periculo eſt facile obnoxia, potiſſimum ſi extra ordinationia occaſionem nihil quis eſſet daturus: & ſic interveniret pura mentia præciſio contraria facto.

Nota IV. Circa Notarium, de quo in allato Conc. decreto, an ibi contineatur, ut miniſter ſub iiſdem pœnis, ſi excedat taxam, hæc habet *Theſaurus loc. cit.* = Aliqui affirmant, quia revera ſimoniacus eſt: *ita Bonac. de Simon. quæſt.* 7. *§. II. n.* 15. alii verius negant, quamvis ſit ſimoniacus; & dicunt, Tridentinum intelligi debere comprehendere in pœnis eos, qui proxime concurrunt cum Epiſcopo, & qui alias de jure puniuntur dictis pęnis, etiamſi ſponte oblatum accipiant, non autem contineri Notarium, & ita *Leſſ. c. XLV. n.* 133. *Filur. tract.* 45. *c. XIII. num.* 9. =

Nota V. Quod, licet Epiſcopua abſolvere, & diſpenſare nequeat cum ſimoniace promoto ſcienter, aut cum ignorantia craſſa, vel ſupina, ut ſupra dictum eſt ex Conſtit. Sixti V. poteſt tamen cum ſimoniace ignoranter promoto, puta ſi tertius, eo ignorante, aliquid dederit *ex cap. XXII. de Simoniace ordinatis, tit. de Simon.* ut ibi diſtinguit Gloſſa *verb. Remanere*, & cum ea Canoniſtæ communiter: qui tamen hanc facultatem limitant, ſi Epiſcopus ſit complex ſimoniacæ ordinationis, contra Sanchez, & Navarrum, quos citat Theſaurus loco, ubi ſupra: additque cum eodem Sanchez, eſſe valde probabile promotum, omnino ſimoniam ignorantem, non eſſe ipſo jure ſuſpenſum, neque irregularem; ſed contrarium tenendum cum communi *ex cit. cap. XXII. & Can. CVIII. Siquis a Simoniacis, cauſ. I. quæſt.* 1. qui eſt Urbani II. in Concilio Placentino, celebrato an. 1095.

No-

Nota VI. Quod ſi Epiſcopus non corrigat ſubditos ſimoniacos in adminiſtratione Sacramentorum, ſuſpendendus eſt ab officio per duos menſes *Can. Cl. Quidquid cauſ.* 1. *quaſt.* 1. & ibi Gloſſ. *verb. Excommunicationi*, qui excerptus eſt ex Conc. Tolet. XI. celebr. an. 675.

S E C T I O L I V.

Eadem Seſſio XXI. caput II. de reform.

CUM non deceat.... ſtatuit S. Synodus, ne quis deinceps Clericus ſecularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet, eum beneficium eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere. Id vero beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit promotus: neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde vivere commode poſſit; & aliter facta reſignatio, nulla ſit.

Hoc decretum, quo ſtatitur neminem ſecularem promovendum eſſe ad ſacros Ordines ſine beneficio eccleſiaſtico, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, quodque pacifice poſſideat, extenſum eſt a Sancto Pio V. Conſtitut. *Romanus*, 14. *Octobr.* 1568. etiam ad Clericos Regulares non profeſſos, ſive ſeculares, more Religioſorum in communi viventes, ut *ſ.* III. ibi.

Nos igitur.... decretum prædictum (Tridentini nempe mox allatum) de Clericis ſecularibus loquens, ad omnes, & ſingulos, etiam cujuſcunque Ordinis Clericos religioſos, ſive ſeculares, more Religioſorum viventes in communi, non profeſſos, harum ſerie extendimus, & ampliamus, ac Religioſis, & aliis prædictis non profeſſis, ut ad ſacros Ordines promoveri, necnon omnibus, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus, ut Ordines ipſos hujuſmodi religioſis perſonis impendere, niſi obſervata forma dicti decreti, nos virtute S. obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœna, interdicimus, & prohibemus, ac contrafacientes per annum a præſtatione talium Ordinum ipſo jure ſuſpendimus,

Excipiuntur tamen Religioſi Societatis Jeſu, licet vota tantum ſimplicia emiſerint, ex Conſtit. Gregorii XIII. *Aſcendente* 25. *Maii* 1584. & Greg. XV. Conſtit. *Eccleſiæ catholicæ*, 28. *Junii* 1591. §. XVI. ibi,

Declaramus.... Religioſos hujuſmodi poſt emiſſa vota, etſi ſimplicia, ad ſacros, etiam Presbyteratus, Ordines, juxta Summorum Pontificum conceſſiones promoveri poſſe.

Excipiuntur etiam Patres Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Galliarum, ſeu Avenionenſis, ex Conſtitut. Alexandri VII. *Sacroſancti* 26. *Septembr.* 1659. qui poſt emiſſa tria vota ſimplicia, & juramentum perſeverantiæ, de licentia Præpoſiti Generalis, vel Provincialis poſſunt promoveri ad omnes ſacros Ordines ad titulum prædictæ Congregationis.

Excipiuntur itidem Clerici adſcripti Hoſpitali S. Gallicani, juxta Conſtit. Bened. XIII. *Bonus ille*, *prid. non. Octobr.* 1726. ut ſ. XXIV. ejuſdem Conſt. ibi.

Porro Clericis, qui ſenario, ſeu majori numero hujuſmodi adſcripti fuerint, ac enarratum votum perſeverantiæ emiſerint, ut ipſi ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus Ordines ad titulum ſervitii ejuſdem Hoſpitalis, & alimentorum eis a dicto Hoſpitali præbendorum, a ſupradicto Urbis Vicario, ſeu ab eo deputando, ſervatis alias ſervandis, promoveri libere, & licite valeant, concedimus pariter, & indulgemus. Ita tamen, ut, ſi quem ex taliter promotis, ſive ex gravibus cauſis, & a dicto Cardinali Protectore approbatis, a ſervitio ejuſdem Hoſpitalis dimitti, & a voto perſeverantiæ per eum emiſſo, quomodolibet abſolvi quandoque evenerit, niſi ei de patrimonio, aut reddi-

ti

tu eccleſiaſtico ad congruam ſui, juxta taxam, quæ in Urbe ſervatur, ſuſtentationem ſufficienti, aliunde proviſum ſit, ab executione ſacrorum Ordinum per eum ad titulum ſervitii hujuſmodi ſuſceptorum, ſuſpenſus remaneat.

Excipiuntur inſuper Patres Congregationis Miſſionis, qui ex Conſtit. Benedicti XIV. *Æqua Apoſtolicæ ſervitutis*, relata a D. Canonico Honorante *in Praxi Secretariæ Urbis Vic. cap. XII. §. Nota decima*, 5. *April.* 1744. itidem promoveri poſſunt ad omnes ſacros Ordines ad titulum menſæ communis; cum ſequentibus tamen conditionibus, & limitationibus, ibi.

Eidem moderno, & pro tempore exiſtenti Superiori generali dictæ Congregationis Miſſionis, ut Alumnos, ſeu Clericos in ipſam Congregationem deinceps recipiendos, & admittendos, ſi quidem ſint Hibernenſes, ſive ex aliis Regnis, & Regionibus, orthodoxam inter Hæreticos Religionem profitentes, inde exteros, & exules, recipiendi, & ad omnes ſacros, & Presbyteratus etiam Ordines ubicunque locornm, ſine patrimonio, vel beneficio eccleſiaſtico (prout alias ad tempus facultas hujuſmodi conceſſa fuit) ad titulum menſæ communis promoveri faciendi: ſi vero ſint ex Regno Poloniæ, aut Hungaria, ac præſertim Strigonia, aut Moravia, & Sileſia, qui ibi etiam recipi, & admitti dumtaxat debent eoſdem ſive nobiles, ſive ignobiles, ut omne in poſterum diſcrimen, & diffidium auferatur, etiam ſine patrimonio, aut beneficio eccleſiaſtico, recipiendi, & admittendi, & ad omnes ſacros, ac etiam Presbyteratus Ordines pariter promoveri faciendi: ſi tamen reperiantur aliqui ex aliis Regnis, et Provinciis, etiam Italiæ, qui ſine patrimonio, vel beneficio eccleſiaſtico in eamdem Congregationem Miſſionis recipi, et admitti, ac ſacris Ordinibus initiari cupiant, eos tunc dumtaxat, et non aliter, cum in iis locis, ubi domus dictæ Congregationis Miſſionis, Alumnorum, et Clericorum penuria ita laborant, ut ſolitis, debitiſque Inſtituti miniſteriis minime ſatisfacere, nec alios ex aliis ejuſdem Congregationis domibus in ſubſidium operarios habere poſſunt, et ex receptione, atque admiſſione hujuſmodi cum licentia moderni, et pro tempore exiſtentis Superioris generalis ſemper facienda, adhibitis omnibus neceſſariis, et opportunis diligentiis, evidens, quantum conjectari licet, ob ſpectatam, probatamque adoleſcentis recipiendi, et admittendi indolem, pietatem, atque doctrinam, utilitas, in eamdem Congregationem Miſſionis redundare videtur, admittendi, recipiendi, et ad omnes ſacros, atque Presbyteratus Ordines ſine patrimonio, vel beneficio eccleſiaſtico ab Ordinario illius domus Congregationis hujuſmodi, in qua commorabuntur, aut cum opportunis literis dimiſſorialibus, a quocunque, quem maluerit, catholico Antiſtite, gratiam, et communionem Sedis Apoſtolicæ habente, in propria diœceſi reſidente, vel in aliena, de conſenſu Diœceſani loci Pontificalia exercente, ſi ad id alias idonei reperiantur, ad titulum menſæ communis ipſius Congregationis, ſervatis alias ſervandis, promoveri, et promotos in illis, etiam in Altaris miniſteriis libere, et licite miniſtrari faciendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem concedimus, et impertimur: ita tamen, ut ſi aliquando contingat, ut ad prædictos Ordines ſacros Promoti ad hujuſmodi menſæ communis titulum, dimittantur, vel recedant a dicta Congregatione, etiam prævia legitima diſſolutione, juxta memoratas literas noſtras die 18. Septembris an. 1742. expeditas, et non aliter facienda, votorum in ea emiſſorum, ipſi eo ipſo remaneant ſuſpenſi ab exercitio ſuorum Ordinum, donec conſtare fecerint Ordinariis locorum, ſub quorum juriſdictione fuerint, ſe aliunde, commode vivere poſſe; nec proinde ſæpe dictam Congregationem Miſſionis, ejuſque Superiores, a die dimiſſionis, ſeu receſſus cujuslibet clerici, ſeu Presbyteri, ita, ut præmittitur, ſine patrimonio, vel beneficio eccleſiaſtico ad titulum menſæ communis initiati, teneri, nec obligatam eſſe ad ullam ſubminiſtrationem, ſive congruæ ſuſtentationis, ſive alimentorum, ſive alio quocuuque titulo, & cauſa, illis faciendum ſtatuimus, & declaramus.

Prædictum Trident. decretum ampliatum eſt etiam, & declaratum ab Innoc. XII. Conſtitut. *Speculatores*, 4. *Novembris* 1694. hæc decernente.

Hac generali noſtra, & perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, & declaramus, nulli Epiſcopo, ſeu cujuſvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi ratione originis, ſeu domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitime contracti, non ſubditum, ad clericalem Tonſuram promovere, cujuſvis beneficii eccleſiaſtici, ei, ſtatim ac Tonſura hujuſmodi inſignitus fuerit, conferendi, ſeu ad quod is a patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit prætextu, etiam ſi beneficium prædictum de novo ea expreſſa adjecta lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediate poſt clericalem characterem ſuſceptum, ad illud inſtituatur. Præterea Clericum, qui legitime jam a proprio Epiſcopo ad eamdem clericalem Tonſuram, ſeu etiam ad Minores Ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo cujuſcunque beneficii in illius diœceſi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, niſi ante eorumdem ſuſceptionem teſtimoniales literas proprii Epiſcopi, tam originis, quam domicilii, ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo ordinanti in actis illius Curiæ conſervandas exhibuerit.

Licet vero Clericus ratione cujuſvis beneficii in aliena diœceſi obtenti ſubjici dicatur juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus diœceſi beneficium hujuſmodi ſitum eſt, eam tamen de cætero hac in re inconcuſſe ſervari volumus regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem, ad effectum ſuſcipiendi Ordines acquirere cenſeatur, niſi beneficium prædictum ejus ſit redditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſive juxta taxam synodalem, ſive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad ſacros Ordines, *detractis oneribus*, per ſe ſufficiant, illudque ab ordinando pacifice poſſideatur, ſublata quacunque facultate ſupplendi, quod deficiet fructibus ejuſdem beneficii cum adjectione patrimonii, etiam pinguis, quod ipſe ordinandus in eadem, ſeu alia quavis diœceſi obtineret; ac Epiſcopus ſic ordinans, tam de prædictis teſtimonialibus literis, quam de reddita beneficii hujuſmodi expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione, mentionem facere debebit.

Quod ſi Epiſcopus prædicta non ſervaverit, ordinaveritque alienum prætenſum ſibi ſubditum ex prætextu beneficii ſtatim conferendi, vel ad titulum beneficii imparis pro ſuſtentatione ordinati, incurreret ſuſpenſionem per annum a collatione Ordinum: ordinatus autem eo ipſo ſuſpenſus eſſet ab executione Ordinum ſuſceptorum, quandiu proprio Epiſcopo videretur, ut ex §. ultimo cit. Conſtit. ibi.

Ita vero præmiſſa omnia, & ſingula perpetuo, ac inviolabiliter obſervari, atque adimpleri volumus, ut ſi quid in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo, ſecus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, ordinatus vero a ſuſceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit, aliiſque inſuper gravioribus pœnis, pro modo culpæ, noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque ſubjaceat.

Ex declaratione Innoc. XIII. Conſtit. *Apoſtolici*, 13. *Maii* 1723. pro Regnis Hiſpaniæ (quæ a Benedicto XIII. extenſa fuit ad totum orbem, Conſtitut. *In ſupremo*, 23. *Septembr.* 1724.) ſufficientia beneficii, ſi hoc continuam, & perpetuam reſidentiam expoſcit, deſumenda eſt a taxa præſcripta in diœceſi, in qua beneficiatus illud poſſidet: ſi vero non obſtringitur hoc vinculo, deſumenda erit a taxa in Synodo præfinita, vel hac deficiente, a more vigente in loco, ubi domicilium habet, ibi.

Declaramus, ſufficientiam hujuſmodi præfiniendam eſſe, non juxta taxam synodalem, ſive morem pro promovendis ad ſacros Ordines vigentem in loco prædicti beneficii (niſi tamen illud continuam, & præciſam reſidentiam requirat) ſed juxta taxam, vel ea deficiente, juxta morem in alio loco domicilii vigentem.

Nota I. Quod poſt publicationem cit. Conſtitut. *Speculatores*, uſque a *die* 14. *April.* 1696. vivente adhuc ipſo Innoc. XII. Legiſlatore, pluries exorta fuit controverſia, an ab eadem Conſtit. aliquid innovatum fuerit circa detractionem onerum Miſſarum beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur, annexarum, ad effectum conſtituendi ſummam taxæ in Synodo præfinitæ, ſive beneficiatus teneatur eas celebrare per ſe ipſum, ſive per alium; libratiſque in Congr. Conc. rationum momentis, hinc inde militantium, reſpondit, id in utroque caſu relinquendum eſſe arbitrio Ordinariorum, ut videre eſt in *Theſauro reſolut. ejuſdem Congr. tom. II. pag.* 338. *ſub die* 8. *Auguſti* 1722. *ac* 24. *April. & potiſſimum* 17. *Julii* 1723.

1723. in qua propoſito dubio = I. An a beneficio, ſeu a Capellania, ad cujus titulum quis intendit ad ſacroa Ordinea promoveri, detrahenda ſint onera Miſſarum eidem adjecta, quando beneficiatus non tenetur eas per ſeipſum celebrare, vel potius oneribus Miſſarum non detractis, ſive illæ celebrandæ ſint per ſeipſum, ſive poſſint celebrari per alium, faciendus ſit calculua omnium fructuum pro conſtituenda ſumma a aynodali Conſtitutione, vel regionia more requiſita pro ſacria Ordinibus ſuſcipiendis =. reſpondit. *Ad I. eſſe relinquendum arbitrio, & conſcientiæ Ordinariorum*.

Nota II. Quod, quamvis ab eadem Cong. 11. *Decembris* 1621. propoſito ſibi hoc dubio = An Clericus ab Epiſcopo, in cujus diœceſi obtinet beneficium inſufficiens, promoveri poſſit ad ſacros Ordines ad titulum patrimonii ſufficientis = cenſuerit = poſſe, niſi beneficium in fraudem fuerit aſſecutus, & eum Epiſcopus judicaverit aſſumendum pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum = Hodie tamen, attenta allata Innoc. Conſt. hoc ſupplementum admitti non poteſt. Verum hæc prohibitio locum dumtaxat habet, quando promovendus ad ſacros Ordines ſit ſubditus Epiſcopo ſolumodo ratione beneficii; non vero, quando eſt ſubditus proprii Epiſcopi ratione, vel originis, vel domicilii: tunc enim non probibetur ſupplementum patrimonii; potiſſimum, ſi ejusdem promovendi ordinatio ceſſura ſit in neceſſitatem, & commoditatem Eccleſiæ, ut reſpondit Cong. Conc. ad ſequens dubium primo loco propoſitum in cauſa *Seguntina 26. Octb. 1589. lib. VI. Decretor. pag. 58.* = An Clericus, alioqui idoneua, babens beneficium de per ſe inſufficiens, ſed juncto patrimonio, babeat, quod ſufficiat ad honeſtam vitæ ſuſtentationem, poſſit promoveri. = S. Cong. ad 1. reſpondit, poſſe juxta formam Concilii *Seſſ. XXI. cap. II.* =

Nota III. Quod, licet dicta Junocentii Conſtit. exigat beneficium ſufficiens in ſingulari, ut alienus ſubditus promoveri poſſit ad Ordines ſacros ab Epiſcopo, in cujus idem beneficium fundatum eſt, ſi hic tamen obtineat aliud beneficium ſimplex in eadem diœceſi, quorum redditus ſimul uniti adæquent taxam, non prohibetur hujuſmodi promotio: cum enim finis laudatæ Conſtit. ſit congrua ſuſtentatio ordinandi, parum refert, an redditua proveniant ab uno, vel a duobus beneficiia; dummodo ambo perſonalem reſidentiam non expoſcat, quod eſſet contra Tridentinum *ſeſſ. XXIV. cap. VII. de reform.* prohibena retentionem duplicis beneficii, reſidentiam exigentis, *Lamperez de Jure patronatus parte I. lib. II. quæſt. 7. art. & n. 15.*

Nota IV. Item non prohiberi ob eamdem rationem, ſi beneficii redditus a ſolis diſtributionibus proveniant, æquantibus prædictam taxam, *Trullench. tom. III. lib. VI. cap. unico dub. XII. n. 8.*

Nota V. Neque prohiberi, ſi promovendus obtineat in diœceſi alieni Epiſcopi Capellaniam collativam perpetuam cum redditibus taxæ reſpondentibus, cum & hæc veniat nomine beneficii *Gloſ. in Clementina, Si beneficiorum, de Decimis*, ut tenet etiam in terminis prędictæ Conſtit. *Lamperez n. 381.* Aut etiam, ſi ibidem obtineat Capellaniam collativam vitalitiam, ideſt pro unica dumtaxat vita, quæ ab Ordinario inſtituatur, & conferatur, licet ad nominationem laicorum: etenim participat rationem beneficii; quin obſtet, quod non ſit in ſe perpetua, ſatis ſiquidem eſt, eſſe perpetuam reſpectu promovendi, *Moreno in tract. Moral. tit. Benefic. q. 1. dub VII.* Secus eſt de Capellania patronatus pure laicalis, quæ utpote carens inſtitutione canonica, beneficii naturam non ſortitur, *cap. I. Beneficium, de Regul. juris in VI.*

Nota VI. Multoque magis non probiberi, quia ordinandus promoveatur ab alieno Epiſcopo ad titulum præſtimonii in ejua diœceſi obtenti: licet enim præſtimonia ex antiqua eorum inſtitutione non venerint nomine beneficii, utpote portiones fructuum, quæ a Capitulis Eccleſiarum præſtabantur Clericis, literarum ſtudio operam dantibus, deinde tamen inter eccleſiaſtica beneficia enumerata ſunt, & tamquam talia conferri conſueverunt fere ubique, & præſertim in Hiſpania, ac obnoxia ſunt Apoſtolicæ reſervationi, potiſſimum poſt Conſt. S. Pii V. *Ex proximo*, 20. *Septem.* 1571. in qua vocantur beneficia, cum onere recitandi Horas canonicas, fructuſque reſtituendi in caſu omiſſionis.

Nota VII. Neque tandem prohiberi, quin Epiſcopus promovere poſſit alienos ſubditos titulo Hoſpitalitatia, Commendæ, & Coadjutoriæ exiſtentium in ejus diœceſi: quin obſtet, quod non ſint beneficia; ſatis enim eſt, ut animadvertit *Gonzalez ad Regulam VIII. Cancel. Gloſſ. V. n. 17.* quod beneficii naturam participent: quandoquidem, cum de beneficio agitur, res non eſt in nomine, ſed in natura. Quod autem ad Coadjutoriam ſpectat, propoſito ſequenti dubio Congr. Conc. in *Tarraconen. Ordinationis, ſub die 1. Julii 1741.* = An Coadjutores alicujus dignitatis, vel canonicatus cum futura ſucceſſione, tam in caſu, quo ipſis congrua portio, aut penſio per Coadjutum aſſignetur ex fructibus præbendæ ejuſdem dignitatis, vel canonicatus, quam in caſu, quo congruam portionem ſibi aſſignatam habeant ex propriis, vel alterius patrimonialibus bonis, donec per obitum Coadjuti fiat locus eorum ſucceſſioni ad dictam dignitatem, ſeu cannnicatum, licite poſſint ab Epiſcopo, in cujus diœceſi ſunt tituli ejuſmodi beneficiorum reſidentialium, ſine literis dimiſſorialibus Epiſcopi ſuæ originis, vel præcedentis domicilii, ad Ordines promoveri. Sac. Cong. reſponpit = Coadjutoriam canonicatua, vel dignitatis ſufficere, ut Coadjutor dicatur habere domicilium requiſitum in Conſt. Innoc. XII. incip. *Speculatores, ut in Theſauro reſolut. ejuſd. Cong. tom. X. pag. 93.* ubi etiam *pag. 92.* refertur idem reſponſum in cauſa *Elborenſi ſub die 23. Auguſ. 1721.*

Quod autem attinet ad probationem, quam Concilium in allato Decreto præcipit faciendam de exiſtentia, & ſufficientia reddituum ſubrogandorum ante reſignationem beneficii, ad cujus titulum quis ordinatus eſt, hęc debet fieri per probationes concludentes, nec cenſetur adimpleta per ſolam confeſſionem juratam reſignantis, ut declaravit eadem Cong. in cauſa *Lancianen. ad III. & IV. dubium, 9. Febr. 1726. in Theſauro Reſolut. dict. Cong. tom. III. pagina 273.*

S E C T I O L V.

Eadem Seſſio XXI. de Reformat. proſequitur idem cap. II.

PAtrimonium vero, vel penſionem obtinentes, ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum; eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem vere ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere poſſint: antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando.

Præſcribit hic Concilium regulam ſervandam in promovendis ad titulum patrimonii, ſeu penſionis.

Quod ſpectat ad ordinationem titulo patrimonii pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiæ (qui titulus circa finem ſeculi XII. inſtitutus fuit, ut ex Decretali Alexandr. III. relata in *cap. IV. Epiſcopus, de Præbendis*) cum temporis curſu (ut inquit Thomaſſinus *de Veter. & nova Eccleſiæ diſciplina, par. II. lib. I. cap. IX. num. 2.*) animadverſum ſit = Nonnullos Epiſcopos ab hac ordinandi norma abſque ullo diſcrimine deſlexiſſe, paſſim quoſcunque ad patrimonii titulum ad ſacrum miniſterium admittendo = in id animadvertens Innoc. XI. ut hoc Trid. decretum penitus obſervaretur, ad ſingulos Epiſcopos literas encyclicas per Congr. Conc. mitti juſſit 13. *Maii 1679.* relatas a Benedicto XIV. *Inſtit. eccleſiaſt. XXVI.* his verbis conceptas =.

Deindeque per haſce circulares literas Epiſcopis omnibus ſanctiſſimum Trid. decretum in memoriam reduci mandavit, quatenus omnes illud ſancte cuſtodiant, ſciantque, non aliter ordinandum ad titulum patrimonii, vel penſionis, niſi cum Eccleſiæ neceſſitas, vel commoditas ita exigat: qua in re prudens Epiſcopi, timoratumque judicium ſervari debebit.

Cui Tridentini, & Pontificis menti obſequens Cong. Conc. declaravit, ita ſervandum eſſe hoc præceptum de non promovendo ad titulum patrimonii, vel penſionis, niſi concurrat Eccleſiæ neceſſitas, vel commoditas, ut attendi etiam debeat, licet ordinandus obtinuerit privilegium ordinationis extra tempora, non obſtante clauſula illa in Diplomate Apoſtol. apponi ſolita = Ut parentibus tuis ſolatio eſſe poſſis, & fervore devotionis accenſus ad ſacros Ordines extra tempora, ac, interſtitiis non ſervatis, ad titulum patrimonii tui, ſeu perpetui beneficii eccleſiaſtici, dummodo illud pacifice poſſideas, promoveri poſſis concedimus, = propoſito enim eidem Cong. hoc dubio ab Archiepiſcopo Urbinate = Dubitat Archiepiſcopus Urbinas, an vigore Brevium hujuſmodi quis promoveri poſſit ad titulum patrimonii, non obſtante, quod non concurrat Eccleſiæ neceſſitas, vel commoditas, dum cauſa motiva conceſſionis videtur ſolatium parentum, = die 9. *Septem.* 1679. *reſpondit = Negative = ut lib. XXX. Decretor. pag.* 400.

Ad Ordinationem autem cum hujuſmodi Indulto, Epiſcopos non coarctari declaravit etiam Innocent. XII. cit. Conſtit. *Speculatores* §. I. ibi.

Cæterum per ea ipſa Indulta, quæ ſuper præmiſſis (ſuſcipiendi ſcilicet SS. Ordines extra tempora, & non ſervatis Inteſtitiis) parcius quidem, ac ex certis tantum, & magis rationabilibus cauſis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, ſalutarem illam, quam Sac. generalis Trid. Conc. decreto de non ordinaudis ad patrimonii titulum, niſi illis, quos Epiſcopi pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum aſſumendos judicaverint, præſcribunt diſciplinam, nequaquam relaxatam intelligi: quinimo, nec unquam ad Indulta hujuſmodi exequenda Epiſcopos ipſos arctare, ſed illorum executionem arbitrio ſemper eorumdem Epiſcoporum, quorum conſcientias hac in re ſtrictiſſime oneratas voluimus, prorſus relinquere declaravimus.

Patrimonium autem ejus qualitatis eſſe debet, ut nedum ſufficiens ſit ad honeſtam vitæ ſuſtentationem, ſed etiam fundatum in bonis certis, ſtabilibus, & fructiferis. Sic non admittitur proventus, qui facile comparari poſſet ingenio, ac virtute ordinandi, ut 26. *Octobr.* 1589. reſpondit *in cauſa Seguntina* Congr. Conc. ad dubium, quarto loco ſibi propoſitum, = Quid, ſi (Clericus) tantum habeat, quod ex induſtria, & honeſto labore lucratur, puta, quod ſit muſicus, magiſter gramaticæ, pictor, ſcriptor, vel alterius licitæ profeſſionis, idque ſit ſufficiens ad ſuſtentationem vitæ, an poſſit promoveri. Ad IV. reſpon-

ſpondit, *Non poſſe, ut lib. VI. Decretor. pag. 58.* Nec proventus proveniens ex gradu doctoratus tam in Theologia, quam in jure canonico, ut eadem Congr. declaravit in *Pacen. 23. Maii 1609. lib. II. Decretor. pag. 53.* Nec admittitur, ſi fundatum ſit in mobilibus, & ſemoventibus, ut pariter declaravit in *Sypontina 29. Novembr. 1670. lib. XXVI. pagina 461.*

Idem Conc. decretum declaratum, ampliatumque eſt ab Urbano VIII. Conſtit. *Secretis 31. Decem. 1624.* confirmata ab Innoc. XII. dicta Conſt. *Speculatores*, novas pœnas infligente in Ordinantes, & ordinatos (ſive Ultramontani ſint, ſive ex quibuſvis locis extra Italiam oriundis) juxta ſequentes modos a ſe prohibitos, ibi.

Alias ſiquidem fel.rec. Clemens Papa IV. Prædeceſſor noſter volens periculis animarum eorum obviare, qui vinculo excommunicationis adſtricti, aut apoſtatæ, ſeu irregulares, vel alias Ordinum ſacrorum ſuſceptione indigni, ſuam patriam, in qua de his haberetur notitia, fugientes, ſe in remotis partibus faciebant ad hujuſmodi Ordines promoveri, ſtatuit, ut nullus Epiſcoporum Italiæ de cætero aliquem ultramontanum Clericum ordinare præſumeret, niſi ab eodem Clemente Prædeceſſore, vel ab Epiſcopo, de cujus diœc. traxerat originem ordinandus, vel in cujus diœc. beneficiatus exiſtebat, per ejus patentes literas cauſam rationabilem continentes, quare ipſum nolebat, aut nequibat ordinare, ſpecialem licentiam haberet: eos vero, quos contra præmiſſa contigiſſet ordinari, manere voluit abſque ſpe diſpenſationis, ſuper hoc a Sede Apoſt. obtinendæ ſuſpenſos, ac Ordinantes condigna pœna puniri.

Cum autem .... prædictam Clem. Prædeceſſ. noſtri Conſtitutionem, cum omnibus, & ſingulis in ea contentis approbantes, & innovantes, motu proprio, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Italia exiſtentibus, tenore præſentium prohibemus, ne quovis prætextu, & ex quacunque cauſa, Hiſpanos, Luſitanos, Gallos, vel Germanos, alioſque quoſcunque ultramontanos, & ex quibuſvis locis extra Italiam oriundis, non ſolum ad ſacros, ſed neque etiam ad minores Ordines, vel clericalem characterem promovere audeant, ſeu præſumant, niſi dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum literas, a noſtris, & hujus S. Sedis Nunciis, ſeu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & ſubſcriptas habeant, eorumdemve Nunciorum, ſeu Collectorum ſubſcriptiones a dilecto filio noſtro in Alma Urbe Vicario in ſpiritualibus generali ſimiliter examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint; alias promoventes ad annum ab exercitio Pontificalium; promoti vero perpetuæ ſuſpenſionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis a Sede Apoſtolica obtinendæ, incurrant eo ipſo. Inſuper promotos hujuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis ſcienter ſe ad Ordines hujuſmodi promoveri fecerint, non ſolum prædictis, verum etiam majoribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis infligendis pœnis.

Italos vero, ſi quos in poſterum clericali charactere inſigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Epiſcopo, cum falſis dimiſſoriis contigerit, etiamſi qualitatibus per Concil. Trident. decretum *cap. XVI. ſeſſ. XXIII.* requiſitis præditi ſint, nihilominus, ſecuta tamen deſuper Judicis eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio minime gaudere, ſed ſeculari juriſdictioni, ut antea, plene in omnibus ſubjacere, & ſubjectos eſſe reſpective volumus.

Quod tandem attinet ad pœnas inflictas a SS. Canonibus, quas hic Trid. innovat contra Ordinantem, & ordinatum ad titulum imparis beneficii, aut fictitii patrimonii, aliqui relati a *Theſauro de Pœn. cap. XI. verb. Ordr*, ſentiunt, ſolum innovatas eſſe pœnas inflictas a Conc. Chalcedonenſi *Can. VI. Neminem*, relato a Gratiano *Can. I. diſtin. LXX.* & ab Urbano XI. in Concilio, Placentiæ habito, *Can. II. Sanctorum*, ab eodem Gratiano ibidem relato; non autem innovatam eſſe pœnam inflictam a Decretali Innoc. III. relata in *cap. XVI. Cum ſecundum*, *de Præben.* cum hoc jus ſit novum: alii vero authumant, ſolum hanc innovari. In hujuſmodi opinionum diſcrepantia placet hic tranſcribere docte allegata a Bened. XIV. *Inſtit. eccleſiaſt.* XXVI. *latinæ edit. num. 16.* ibi = Ac primum, qui ad Ordines aſſumitur, eam voluntatem præſefert, non modo, ut illos exerceat, ſed etiam ad Presbyteratum, & rem divinam faciendam perveniat: quod tamen aſſequi nunquam poterit, ſi alicujus fraudis, vel pactionis, ut paulo ante diximus, particeps, ad ſacram ordinationem accedat. In *Canone Neminem diſtinct.* LXX. ſuſpenſionis pœna ſtatuitur, ſi quis Ordines ſine patrimonio ſufficienti accipiat. *Decrevit S. Synodus, vacuam habere manus impoſitionem*: in alio *Canone Sanctorum*, idem ſancitur, his *verb. Decernimus, ut ſine titulo facta ordinatio, irrita habeatur*: Innoc. III. *cap. Cum ſecundum*, *de Præben. & Dignit.* hanc veterum Canonum ſeveritatem

tatem mitigavit ; & eum , qui Ordines contulerit , haud ignarus fraudis , atque imparis patrimonii , obſtringit , ut ordinato neceſſaria ad vitam agendam ſubminiſtret . *Licet autem Prædeceſſores noſtri ordinationes earum , qui ſine certo titulo promoventur , in injuriam Ordinantium irritas eſſe voluerint , & inanes , Nos tamen benignius agere cupientes , tamdiu per Ordinatores , vel Succeſſores earum provideri volumus ordinatis , donec per eas eccleſiaſtica beneficia conſequantur.* Trident. Concil. *cap. II.* pluries *cit. ſeſſ. XXI. de reform.* pœnas veterum Canonum iterum præſcribit illis , qui titulo imparis beneficii , ſive ad alium quempiam pertinentis , aut fictitii patrimonii ordinantur, *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovanda.* Sixtus V. in ſua Conſtitut. 91. *Bullar. tom. II.* pœnam ſuſpenſionis a priſcis ſanctionibus inflictam iterum confirmat . Et Clemens VIII. Conſtit. 40. *Bullar. tom. III.* Sixtinam Conſtitutionem iis terminis concludit , qui a Tridentina Synodo decernuntur . Itaque , ut recte judicetur , utrum eo modo ordinatus , quem nuper expoſuimus , ſuſpenſionem incurrat , & etiam *irregularitatem* , ſi Ordines exerceat , & Sacrum peragat , inveſtigari debet, an Conc. Trident. cum veterum Canonum decreta renovaret , pœnam ſuſpenſionis promulgaverit , vel ſolum edixerit , ut qui fraudis conſcius Ordines adminiſtraverit , alimenta præſtare debeat ordinato , donec honeſtam vitæ ſuſtentationem alio pacto conſequatur . Id potiſſimum a Sac. Cong. dignoſcendum eſt , quæ , ut ſæpius innuimus , Tridentinæ Synodi ſententias interpretari ſola poteſt , quemadmodum Summi Pontifices ſanxerunt . Illa vero , poſtquam rem diligenter expendit , pœnam ſuperius expoſitam ſolummodo in eum , qui Ordines contulerit , renovatam aſſeruit , non autem ſuſpenſionem ; niſi forte ordinatus doli conſcius ante fuerit , & Ordinatorem ipſum in fraudem adduxerit ; tunc enim eadem ſuſpenſionis pœna liberari nequit , uti die 27. *Novemb. an.* 1610. conſtitutum fuit = Sacra Cong. Conc. propoſito ſupraſcripto dubio , omnium ſententiis cenſuit, hoc caſu pœnam ſuſpenſionis ante Concilium non eſſe correctam , & hodie a Triden. Conc. eſſe innovatam , & propterea hujuſmodi Clericum , qui adhibito dolo , conficto que titulo Ordinatorem decepit , eſſe ipſo jure ſuſpenſum , carereque Ordinum executione = Fagnanus ſuper hac re conſulatur *cap. Cum ſecundum num. 63.* uſque ad finem *de Præbend.*

SECTIO LVI.

Eadem Seſſio XXI. cap. IV. de Reform.

EPiſcopi , etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati , in omnibus Eccleſiis parochialibus , vel baptiſmalibus , in quibus populus ita numeroſus ſit , ut unus Rector non poſſit ſufficere eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis , & cultui divino peragendo ; cogant Rectores , vel alios , ad quos pertinet , ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere , quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda , & cultum divinum celebrandum . In iis vero , in quibus ob locorum diſtantiam , ſive difficultatem parochiani ſine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non poſſunt , novas parochias, etiam invitis Rectoribus , juxta formam Conſtit. Alexandri III. quæ incipit , *Ad audientiam* , conſtituere poſſint . Illis autem Sacerdotibus , qui de novo erunt Eccleſiis noviter erectis præficiendi , competens aſſignetur portio arbitrio Epiſcopi ex fructibus , ad Eccleſiam matricem quomodocunque pertinentibus : & ſi neceſſe fuerit , compellere poſſit populum ea ſubminiſtrare , quæ ſufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum ſuſtentandam : quacunque reſervatione generali , vel ſpeciali , vel affectione , ſuper dictis Eccleſiis non obſtantibus . Neque hujuſmodi ordinationes , & erectiones poſſint tolli , nec impediri , ex quibuſcunque proviſionibus , etiam vigore reſignationis , aut quibuſvis aliis derogationibus , vel ſuſpenſionibus .

In hoc capitulo ſtatuitur. I. Ut ubi unus Parochus non ſufficit pro adminiſtratione Sacramentorum , hic cogatur ſibi tot Sacerdotes adjungere . II. Ut ſi populus ob locorum diſtantiam , cum magno incommodo accedere nequeat ad parochiam pro recipiendis Sacramentis , diviniſque officiis audiendis , conſtituatur nova parochia , invito etiam Parocho . III. Ut deficentibus redditibus pro aſſignanda portione , ſeu congrua novo Parocho , compellatur populus ad ſuminiſtrandum neceſſaria pro illius ſuſtentatione .

Quia vero de his actum eſt , *par. I. pag. 458. in notis ad caput III. Ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis* , ad eas lectorem remitto .

SECTIO LVII.

Eadem Seſſio XXI. cap. V. de Reform.

UT etiam Eccleſiarum ſtatus, ubi ſacra Deo officia miniſtrantur, ex dignitate conſervetur, poſſint Epiſcopi, etiam tamquam Apoſtol. Sedis delegati, juxta formam juris, ſine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcunque Eccleſiarum parochialium, & baptiſmalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem, & in cæteris caſibus a jure permiſſis, etiam ſi dictæ Eccleſiæ, vel beneficia eſſent generaliter, vel ſpecialiter reſervata, aut qualitercunque affecta. Quæ uniones etiam non poſſint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuſcunque proviſionis, etiam ex cauſa reſignationis, aut derogationis, aut ſuſpenſionis.

Huic. Triden. decreto, tribuenti Epiſcopo facultatem uniendi Eccleſiæ parochiali ob ipſius paupertatem alias Eccleſias parochiales, & beneficia, etiam non curata, acceſſerunt ſequentes declarationes Congr. Conc. &.

I. Cenſuit, Epiſcopum in unione facienda vigore decreti ejuſdem Conc. cap. V. ſeſſ. XXI. teneri adhibere conſenſum Capituli: quod ſi illum conſenſum in unione prætermiſſerit, unionem nullam, atque irritam eſſe = *Ut lib. IX. Decretor. ejuſdem Congr. pag.* 110. *ſub die* 20. *Novemb.*1600. Et clarius *in Civitatis Caſtelli* 8. *Auguſti* 1615. per hæc verba = Cum *ſeſſ. XXI. cap. V.* caveatur, Epiſcopum juxta formam juris poſſe ſimplicia beneficia unire curatis, quæritur, an in hoc conſenſus Capituli requiratur, cum *ex Clementina, Si una, de Rebus Eccl. non alienan.* conſenſus Capituli in hoc caſu requiri videatur, de quo in Concilio nulla mentio eſt habita = Congr. cenſuit, requiri, juxta tamen terminos *Clement. Si una, de Reb. Eccl. non alien.* = In dicta autem Clementina ſtatuitur, omnino requiri conſenſum Capituli Cathedralis; qui ſemper requiritur, etiamſi unio fiat de conſenſu Capitulorum duarum Collegiatarum unitarum, ut ex declaratione ejuſdem Congr. in *Aquilana die* 14. *Feb.*1594. ibi = Epiſcopus Aquilan. propter duarum Collegiatarum paupertatem, univit de conſenſu Capituli ipſarum, & populi; dubitatur, an hujuſmodi unio facta abſque conſenſu Capituli Cathedralis ſit valida, necne, ſtante decreto *cap. V. ſeſſ. XXI.* Conc. verſ. *Juxta formam juris*, ex quo neceſſario requiri etiam videtur conſenſus Capituli Cathedralis juxta *Clementinam unic. de Rebus Eccl. non alien.* = Congreg. cenſuit, unionem hanc non valere, forma juris præterita =.

II. In *Nullius die* 22. *Jun.*1592. Cong. cenſuit, facultatem decretis *cap. V. & VII. ſeſſ. XXI.* Epiſcopo tributam, competere etiam Abbati, quaſi epiſcopalem juriſdictionem habenti =.

III. Circa beneficia juris patronatus eadem Cong. *in Salernitana* 26. *Novemb.*1582. ita cenſuit = Cum decretum Conc. *ſeſſ. XXI. cap. V.* premiſerit Epiſcopis, ut poſſint facere uniones perpetuas quarumcunque Eccleſiarum parochialium, & beneficiorum cum curatis propter earum paupertatem, nec comprehendat beneficia jurispatronatus, cenſuit eadem S. Cong. ſi neceſſitatibus parochialium provideri non poſſit unionibus permiſſis in d. *cap. V.* nec remediis propoſitis *in cap. XIII.* verſ. *In parochialibus ſeſſ. XXIV.* habere Epiſcopum remedia juris communis, quibus uti poſſet adverſus patronos illarum Eccleſiarum, quæ ſufficientes redditus non habent pro cultu divino, & ſuſtentatione Rectoris = Idem cenſuit *in Civitatis Caſtelli* 8. *Auguſti* 1615. Quæ remedia ſunt, ut patroni compelli poſſint ad dandam congruam ſuſtentationem parocho, vel patiantur parochialibus uniri, ut ex declarationæ dictæ Cong. relata hic a Card. Bellarmino in *Conc. Tridentinum*.

Si autem provideri nequeat parochialium paupertati per quorumcunque beneficiorum unionem, ut præſcribitur in hoc *cap. V. & cap. XIII. ſeſſ. XXIV.* tunc recurrendum eſt ad collectas, & contributiones parochianorum, ut in *cit. cap. XIII.* prout etiam declaravit laudata Congr. *in Theatina* 29. *Julii* 1628. *lib.* 13. *Decretor. pag.* 498.

An Epiſcopus vigore hujus Trid. decreti unire poſſit Eccleſiis parochialibus ob illarum paupertatem beneficia Sedi Apoſtolicæ reſervata, vel affecta, Fagnanus *in cap. Sicut unire VIII. de Exceſſibus Prælat. lib. V. Decretal. a num.* 22. *ad* 37. ſolidiſſimis rationibus probat, poſſe; quamvis in Regeſtis prædictæ Congr. legatur ſequens quæſitum, & reſponſum ſub die 24. Auguſti 1605. = Quæritur, an cum Epiſcopus erexerit in parochialem beneficium ſimplex, ſi dictum beneficium ſit reſervatum Sedi Apoſtolicæ, ſuccedente illius vacatione, erectio ſortiri debeat ſuum effectum, vel potius ſuſpendi = Congr. cenſuit, executionem non poſſe ſuum effectum ſortiri, obſtante reſervatione.

SE.

SECTIO LVIII.

Eadem Seſſio XXI. cap. VI. de Reform.

QUia illiterati, & imperiti parochialium Eccleſiarum Rectores ſacris minus apti ſunt officiis, & alii propter eorum vitæ turpitudinem potius deſtruunt, quam ædificant; Epiſcopi, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati, eiſdem illiteratis, & imperitis, ſi alias honeſtæ vitæ ſint, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eiſdem pro ſufficienti victu aſſignare, vel aliter providere poſſint, quacunque appellatione, & exemptione remota.

Huic decreto acceſſerunt ſeguentes Cong. Conc. declarationes. &.

I. Si agatur de Parochis, etiam Regularibus, a prædeceſſore Epiſcopo conſtitutis, ſucceſſorique Epiſcopo conſtet de eorum imperitia, S. Cong. die 26. Aug. 1628. cenſuit = Epiſcopos ſucceſſores poſſe, ſuperveniente rationabili cauſa, iterum ex officio, etiam extra viſitationem, examinare Parochos, alias ad Eccleſias parochiales approbatos = *ut lib. 13. Decretor. pag. 520. a tergo*, *&* *die 13. Januar.* 1635. reſpondit = Epiſcopos ſucceſſores, ſuperveniente rationabili cauſa, poſſe etiam ex officio iterum examinare tam in viſitatione, quam extra Parochos, quamvis Regulares, approbatos tempore proviſionis parochialium = *lib. 15. pag. 146. a tergo*. Ad quorum examen devenire poteſt etiam pro libito, & pro ſola quiete conſcientiæ ſuæ; quemamodum, & ipſum S. Rotæ Tribunal conſtituit *dec. 257. par. 19. Recen. num. 5.*

II. Si vero agatur de Parochis ab eodem Epiſcopo in præcedenti examine approbatis, eadem S. Congr. die 22. Septem. 1668. ita reſpondit Epiſcopo Pampilonenſi, prout legitur *lib. 24. Decretor. pag.* 108. = Cum *ſub die* 15. *Januarii* 1667. ad inſtantiam Epiſcopi Pampilonen. a Sacra Congregat. reſolutum fuerit. I. Poſſe Epiſcopum examinare Parochos, & Rectores ſemel approbatos ad curam animarum, quando adeſt vehemens ſuſpicio de illorum imperitia. II. Poſſe ad hujuſmodi examen procedere etiam extra viſitationem. III. Ad dictum examen faciendum haud neceſſe eſſe, ut judiciales probationes imperitiæ præcedant: nunc ſupplicat Epiſcopus ipſe, per hanc Sacr. Congr. ulterius declarari, an in actis viſitationis diœceſis poſſit Epiſcopus examinare Parochos, quotquot viſitat, etiamſi contra illos, vel aliquem ipſorum, non vigeat ſuſcipio imperitiæ = S. Congr. 22. Sept. 1668. reſpondit *Negative*.

Ex quo Decreto infert Benedictus XIV. *Inſtit. eccleſ. IX, in fine* = Atque ita pro novo examine faciendo ſola conſcientiæ ſedandæ ratio non ſufficit. Inſuper neceſſe eſt, ut is rumor palam in omnes emanaverit, Parochum, eorum quæ ad curam animarum gerendam pertinent, memoriam amiſiſſe, & ob ſocordiam pro ſuſtinenda tam gravi provincia eſſe imperitum, ſicut Patres S. Rotæ accurate perpenderunt *deciſ. 527. part. XIX. Recen. num.* 18. *& ſeqq.* Parochi etiam, qui a laicis jure quodam nominati fuerunt, ab hac conditione minime liberantur. Nam cum parochialem Eccleſiam ſine publico examine obtinuerint, non idem judicium, atque opinio, ac de reliquis Parochis conſtituitur, quibus Epiſcopus poſt conſuetum examen animarum regimen commendavit, *Card. de Luca de Parochis, Serm. 16.* =

III. Quamvis juxta hoc Conc. decretum datus fuerit Coadjutor Parocho imperito, hic tamen tenetur reſidere, ut S. Congreg. reſcripſit *in Ravennat. lib. II. pag.* 110. *a tergo*. Quod ſi fructus Eccleſiæ ſint tenues, ita, ut non ſufficiant ad ſuſtentationem utriuſque, eamdem Congr. ita declaraſſe hic refert Cardinalis Bellarminus = Si Parochi ſint imperiti, & fructus Eccleſiæ tenues, Epiſcopus provideat, data Rectori facultate non reſidendi =.

IV. Item, ſi Parochus ſit ita imperitus, ut nec formaliter prędicare, nec plebem ſibi commiſſam ſalutaribus verbis ſaltem paſcere valeat, declaravit cogendum eſſe hoc præſtare per deputatum ab Epiſcopo, illius expenſis, ut *in Melevitana menſ. Feb.* 1590. *ad V. Dubium lib. VI. pag.* 109.

V. Declaravit etiam, dandum eſſe Coadjutorem Parochis græcis imperitis, etiam latinum, ſi deficiant Sacerdotes græci habiles, ut *in Caſſanen.* 16. *Jan.* 1638. *& in Larinen.* 13. *Feb. ejuſd. anni lib. XV. Decretor. pag.* 649. *&* 662.

SECTIO LIX.

Eadem Seſſio XXI. caput VII. de reform.

PArochiales vero Eccleſias, etiamſi juriſpatronatus ſint, ita collapſas refici, & inſtaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuſcunque, ad eaſdem Eccleſias quomodocunque pertinentibus: qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defe-

ctum

ctum parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacunque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent; ad matrices, ſeu viciniores Eccleſias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quam alias Eccleſias dirutas, in profanos uſus, non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.

In hoc deereto complectitur Concilium Eeeleſias parochialea, nedum liberæ eollationis ad Epiſcopum pertinentes, ſed etiam jurispatronatus.

Ad primas quod ſpectat, eum inſtaurationem parochialium liberæ collationis fieri ſtatuat ex fructibus, & proventibus quibuſcunque ad eaſdem Eeeleſias quomodolibet pertinentibus, eumque dictos proventus in totum, vel in partem percipere poſſit Parochus, partim beneficiati, ſi aliqua in prædictis parochialibus benefieia erecta ſint, ac partim penſionarii; hinc varia orta ſunt dubia, an ſcilicet hi omnes teneantur ad præceptam inſtaurationem, ſuper quibus emanarunt ſequentes declarationes a Congregatione Concilii, &.

I. Ad Parochum quod ſpectat, declaravit, eum teneri eontribuere fructus, qui ſuperſunt illius congruæ vitæ ſuſtentationi; ut refert hic Card. Bellar. Quæ quidem declaratio innititur juri communi; Alexander enim III. Lexovienſi Epiſeopo, vel ut alii volunt, Exonenſi, ſciſcitanti, an Parochua teneretur ad refectionem ſuæ Eccleſiæ, ita reſpondit, *ut cap. IV. De bis, tit. de Eccleſ. ædifican.* = *De bis, qui parochiales Eccleſias habent, duximus reſpondendum, quod ad reparationem, & inſtitutionem Eccleſiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ ſunt ipſius Eccleſiæ, ſi eis ſuperſint, conferre, ut eodem exemplo cæteri invitentur* =.

Si autem quæras, in qua quantitate eonſtitui debeat hæc congrua, prudentis arbitrio credo eſſe ſtatuendam, conſiderata qualitate perſonæ, loci, & temporis. Neque bic locum babere poteſt quod de hac eadem congrua edixit Nicolaus Papa, ſcribens Hosbaldo Choriepiſeopo Quadrantino *Can.* XXXIX. *Studeat, diſtin. L.* in ſine, quod ſcilicet talis ſit, qua, *ipſe, & ſui ſufficienter poſſint babere ſuæ ſuſtentationis ſolatium*. Quem Canonem amplexa eſt Gloſſa in *cap.* XVII. *Cum adeo, verb. Sufficientem, de Reſcrip.* nequaquam enim, ut animadvertit Bened. XIV. *Inſtit. eccleſiaſt.* C. admiſeendæ ſunt expenſæ = quæ fiunt pro alendis eonſanguineis, aut pro ſervanda generia ſui conditione: ea ſolum numeranda ſunt, quæ ad Paroehum ipſum ſuſtentandum neceſſaria dieuntur. Equidem Barboſa ſeriptum reliquit ad eap. VII. ſeſſ. XXI. de Refor. n. 9. & 10. = Teneri Rectorem ad reparationem, ſi benefieii bona ſuſtentandæ vitæ ſuperſint, quamvis ad tuendam conditionem, ſeu ſtatum non ſufficiant; quia benefieiorum fructus non ad ereſcendos, aut erigendos, ſeu favendos mundanos titulos, ſed ad puperes alendos, & divinum cultum inſtituendum ſunt conceſſi. =

II. Quod autem ſpectat ad benefieiatos, eadem Cong. ad dubium ſibi propoſitum ab Epiſeopo Narnienſi die 24. Martii 1657. = An (ipſe Epiſcopus) poſſit beneficia (quorum tituli translati fuerant in aliam Eccleſiam, quæ reſtauratione indigebat) quaeunque dignitate præfulgeant, & etiamſi gaudeant Palatinorum privilegiis, ad reſtaurandam Eecleſiam, in quam transferuntur tituli, quatenus reſtauratione indigeat, gravare, reſpondit = Dictos Rectores benefieiorum, etiam in quacunque dignitate conſtitutos, teneri poſt translationem ſecutam, ad futuram reſtaurationem Eeeleſiarum, ad quas beneficia fuerunt translata = *ut lib.* XIX. *Decretor. pag.* 642. *&* 643. Quod itidem reſponſum innititur juri communi, Deeretali nempe deſumpta ex Conc. Moguntino, & relata in *cap. I. Quicunque, de Eccleſiis ædificand.* ubi legitur: *Quicunque beneficium eccleſiaſticum* (intellige etiam ſimplex, juxta DD. communiter) *babent, ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ipſas Eccleſias emendandas omino adjuvent*, ut notatum eſt par. I. ad hoc idem *cap. pag.* 458.

III. Quod tandem penſionarios tangit; & hi tenentur pro rata eontribuere, niſi forte penſiones prorſus immunes ab boc onere, ut plerumque eontingit, eonceſſæ fuerint: de quo tamen legitime probari poſſit, ut eadem Cong. declaravit *in Civitatis Plebis 18. Martii* 1628. *lib.* XIII. *Decretor. pag.* 418.

Deficientibus, tum congrua ſuſtentatione Parochi, tum beneficiis, tum penſionibus, & parochialis Eccleſia adjunctum non habeat juspatronatum, tunc populus juxta hoe Conc. decretum cogendus eſt ad eam reficiendam, vel iterum ædificandam. Sed quia, prout ulterius animadvertit Benedict. XIV. *loc. cit.* = Non ſemel aecidit intra paroebiæ fines ab aliquibus bona poſſideri, qui tamen extra ipſam parochiam degunt, uti eonſtat in domorum conductoribus; quamobrem revocari in dubium ſolet, utrum ipſi conductores, an vero domini ſumptibus ſatisfaeere debeant. Cum tamen in Italia mos obtinuerit, ut Forenſes ſolvant tantum peeuniam pro iis bonis, quæ poſſident in loco, ubi eollectiones a Magiſtratu præſeribuntur, idem prorſus eſt obſervandum in controverſia, quam modo expoſuimus. Sie unanimes Seriptores affirmant. Congregatio pro cauſis Epiſeoporum, ac Regularium conſtituta die 10. Octobris anno 1581. his verbis ſcripſit ad Viearium Placentinum = Si te convenient iterum illi tres, vel quatuor, qui, ut ſcribis die prima huius menſis, novas afferunt difficultates, ne quidquam eum reliquis pro reſtauratione parochiæ eonferant, ubi ſua habent domicilia, illos magno in errore verſari diees. Jam tibi ſignificatum fuit euram omnem adhibere, ut Inquilini pro dominis pecuniam ad id neeeſſariam impendant, ae deinde quidquid ob hane cauſam expenderint ſibi retineant ex pretio, quod pro domo conducenda perſolvunt; Sacra Cong. poſt aeeuratum examen ita ſtatuendum eenſuit, idque pluribus in loeis ſervatur, eum expenſæ, quæ ſemel indicuntur, perpetuæ futuræ ſunt, vel uti templorum reſtaurationes: eum tamen expenſæ leves fuerint, & annuæ, veluti pro ſuſtentando Parocho, aut pro aliis cauſis ſimilibus, tunc aliud conſilium ſuſeipi poterit. Viam igitur inſiſte, quam jam ingreſſus ea in hoc negocio peragendo =.

IV. Quod vero ſpectat ad parochiales jurispatrona-

Digitized by Google

tronatus, quamvis Concilium hic decreverit, expenſas faciendas eſſe a patronis, nedum ſi Eccleſia reficienda ſit, ſed etiam ſi ruvina diruta, a fundamentis reſtituenda foret, non tamen ad id tenerentur præciſe, ſed cauſative dumtaxat, ut explicant Theologi; ſi ſcilicet jus præſentandi retinere velint, propoſito eis congruo temporia ſpatio ad ſe deliberandum; prout hanc theoriam in praxim redegit laudata Congr. Conc. *in cauſa Raguſæ*, relata a Benedicto XIV. *loc. cit.* Cum enim ex vehementiſſimo terremotu in totum djecta fuiſſet Eccleſia parochialis ſub titulo B. Mariæ Virginis, ſita in Oppido Umblæ, de jurepatronatus Capituli Metropolitanæ ejuſdem Civitatis, declinarentque Canonici expenſas ad illam ruſus erigendam facere, & contenderent id onus populo imponere, propoſito dubio = An, & cujus expenſis reficienda, ſeu reparanda ſit Eccleſia = *die 3. Auguſti 1686.* reſpondit = Præfigendum eſſe Capitulo terminum ſex menſium ad reædificandum, vel ad renunciandum juri præſentandi =.

Ad quod quidem onus tenentur Patroni ob reciprocam, quam cum Eccleſia contraxerunt, obligationem, atque etiam quia Eccleſia ipſis concedit jura honorifica, atque utilia. *Rota coram Falconerio deciſ. 33. num. 10.* Quid quid in contrarium eſſerat Lambertinus *de Jur. patron. part. III. art. II. qu. 7. prine. lib. III. num. 5.* ſentiens, hoc onus pertinere ad Rectorem, non ad Patronum.

Id enim verum eſt in caſu, quo fructus Eccleſiæ abundent pro Rectoris ſuſtentatione, ut declaravit *Rota coram Vicecom in Urbevetana reſtaurationis Eccleſiæ 19. Junii 1752. inter impreſſas deciſ. anno 1754. ſub numero 411.*

Quod ſi Patroni noluerint id onus ſubire, Eccleſiæ *patronatum* amittere debent, ut ſtatuit Benedict. XIII. Conſt. *Pius & miſericors*, §. *Volumus autem*, mox tranſcribenda.

Poſito autem caſu renunciationis juris patronatus, cum parochialis tranſiret ad liberam Epiſcopi collationem, tunc locum haberent diſpoſita per Concilium in jam expreſſis terminis circa Eccleſias parochiales liberæ collationis. Quibus omnibus juris remediis deficientibus, tunc ſolum Eccleſia redigenda eſt in uſum profanum, non ſordidum, & illius titulus ad matricem, ſeu proximam transferendus.

Quod autem ſpectat ad hujuſmodi converſionem, pro qua dictum Concilium facultatem Epiſcopis impertitur; cum quæſitum fuerit = An ruvinæ Eccleſiæ, quas conceſſum eſt in profanos uſus, non ſordidos, convertere, poſſint converti in viarum publicarum ædificium, ſeu etiam in privatarum domorum uſus = Cong. cenſuit, hoc totum relinquendum eſſe arbitrio Ordinarii.

Quod idem Concilium hic ſtatuit circa refectionem, & inſtaurationem Eccleſiarum parochialium, dicta S. Cong. *die 10. Junii 1595.* in Caſtri Durantis declaravit, etiam habere locum in refectione, vel ædificatione domus parochialis = Congregatio cenſuit, ſcribendum ad Abbatem, ut domum pro neceſſaria Parochi habitatione curet ædificari ex fructibus, & proventibus quibuſcunque ad parochialem ipſam pertinentibus, qui ſi non fuerint ſufficientes, patronos, ſi qui ſint, vel alios, qui fructus aliquos ex dicta parochiali percipiant, & in eorum defectum, parochianos ad id remediis opportunis compellat, quemadmodum de inſtauratione parochialium Eccleſiarum cavetur decreto Conc. *cap. VII. ſeſs.* XXI. quod Congregatio declaravit, habere locum etiam in refectione, vel ædificatione domus neceſſariæ ad Parochi habitationem = Item 22. *Junii 1592. in Nullius*, declaravit, facultatem in hoc decreto (Concil.) tributam Epiſcopo, competere etiam Abbati, quaſi epiſcopalem juriſdictionem habenti, ut *lib. VIII. Decretor. pag.* 130. non vero Vicario generali Epiſcopi, niſi ab hoc habeat ſpeciale mandatum, prout in hoc eodem Conc. Capitulo refert Cardinalis Bellarminus declaratum fuiſſe ab eadem Congr.

Nota I. Cum laudato Benedicto XIV. in mox *cit. Inſtitutione* C. quod = Si opulenta dote Eccleſia prædita ſit, quæ a Parochi proventibus ſejungatur, facultas pro illius parte alienanda expoſci poteſt, ut ſacræ Ædes reparentur, vel a fundamentis condantur =.

Nota II. Parochum exercentem curam cum ſola congrua tamquam ſtipendio ſui laboris adinſtar Vicarii, hac habituali remanente penes v. g. Capitulum, aut alium pium locum, non ipſum, ſed Capitulum teneri ad reſtaurationem, & manutentionem Eccleſiæ, ex declaratione Cong Conc. *in Spoletana reſtaurationis Eccleſiæ*, 12. *Decembr.* 1705. *ac aliis relatis in Sorana* 13. *Aug.* 1729. *in Theſauro Reſol. ejuſd. Cong. tom. IV. pag.* 338.

Nota III. Hoc idem onus ſpectare ad Commendatarium, ſi Eccleſia parochialis ſit commendata, declaravit ead. Cong. *in Boſſanen. reſtaurationis Eccleſiæ parochialis*, 25. *Feb. &* 11. *Martii* 1741. *tom. X. dicti Theſ. pag.* 30. *&* 35. *ac Rota coram Ratta in Conſtantien. reſtaurationis Eccleſiæ*, 3. *Martii* 1758. §. VIII. *& ſeqq.*

Nota IV. Quoad reparationem Eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum Italiæ, & Inſularum adjacentium ſatis proviſum eſſe a Benedicto XIII. Conſtit. *Pius, & miſericors*, 4. *idus Maii* 1725. ut ſequitur.

Decernimus, præcipimus, & mandamus per totam Italiam, & Inſulas adjacentes, ut in poſterum proviſi de parochialibus una cum incertis, annuum redditum ſcutorum centum monetæ Romanæ excedentibus, & de canonicatibus, & beneficiis, tam reſidentialibus, quam non reſidentialibus, & ſimplicibus, ſitis extra Eccleſias collegiatas, cujuſcunque valoris exiſtant, teneantur ſolvere, & reſpective deponere mediam annatam pro fabrica Eccleſiæ cathedralis. Proviſi vero de parochialibus una cum incertis, annuum redditum ſcutorum centum monetæ præfatæ excedentibus, & de canonicatibus, & beneficiis tam reſidentialibus, quam non reſidentialibus, & ſimplicibus, ſitis in Eccleſiis collegiatis, vel ad illas translatis, cujuſcunque valoris exiſtant, itidem teneantur ſolvere, & re-

ſpective deponere mediam annatam pro fabrica Eccleſiæ collegiatæ, ſive beneficia prædicta liberæ collationis, ſive jurispatronatus mixti, ac etiam laicalis fuerint, & ad quemcunque electio, collatio, & inſtitutio pertineat, ſive nimirum ad Metropolitanum, vel Ordinarium, ſive ad Capitulum, ſive ad alium quemcunque inferiorem, dummodo collationis, inſtitutionis, & proviſionis Sanctæ Sedis minime exiſtant, aut etiam legitima non vigeret conſuetudo ſolvendi, vel dimittendi fructus ſex menſium, aut ſimilem, non tamen minorem ratam favore fabricæ, vel ſacriſtiæ; utroque enim in caſu pro fabrica prædicta nihil ſolveudum, aut deponendum erit. Ut autem præmiſſa, quæ ad conſulendum debito metropolitanarum, & carhedralium, ac collegiatarum Eccleſiarum decori diſpoſita dignoſcuntur, ſuum ſortiantur effectum, præcipimus, & mandamus, quod mediæ annatæ hujuſmodi deponantur penes perſonam idoneam, ab Epiſcopis cum ſcientia, & conſenſu Capitulorum deputandam, & ſucceſſive ab eiſdem, deficente neceſſitate occurrendi reparationi Eccleſiæ, inveſtiantur, & collocentur in ſtabilibus, & fundis, ſeu capitalibus tutis, ſecuris, atque fructiferis, ac, ubi fieri poterit, in locis montium cameralibus non vacabilibus, pro dote fabricæ ſingularum Eccleſiarum prædictarum; ac ejuſmodi dotium annuus proventus non in alium uſum, quam reparationis, conſervationis, & manutentionis fabricæ earumdem Eccleſiarum, ab unicujuſque Præſulibus, cum ſcientia pariter, & conſenſu ſuorum Capitulorum, in occurrentibus caſibus erogetur: & quotieſcunque dictas Eccleſias reparatione non indigere conſtiterit, annui etiam fructus, & fructuum fructus dotium prædictarum in aliis ſtabilibus fundis, & capitalibus tutis, atque fructiferis, ac reſpective in aliis locis montium eodem prorſus modo reinveſtiantur, & collocentur, ad hoc, ut ipſæ met dotes majora in dies, benedicente Domino, ſuſcipiant incrementa, adeoque earum reddirus ſupportando reparationis fabricæ ipſarum Eccleſiarum oneri ſatis eſſe poſſint. Cæterum ſuper præmiſſis omnibus, ac præſertim ſuper iis, quæ rectam, & fidelem præfatarum dotium adminiſtrationem reſpicient, eorumdem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum inferiorum, atque etiam Capitulorum conſcientiam peculiariter, & diſtricte oneramus. Ac inſuper quoties Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel Ordinarii inferiores, ac reſpective Capitula in aliquo ex his defecerint, ita ut, vel ratione minus fidelis, idoneique depoſitarii, aut ex cauſa non facti, vel minus tuti, & exinde deperditi inveſtimenti, aut demum propter erogata capitalia, vel fructus in alios uſus, aliquod præjudicium emerſerit patrimonio fabricæ, ipſi Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel Ordinarii inferiores, & reſpective Capitula, & ſinguli Canonici, qui defecerint, eorumque hæredes, & ſucceſſores teneantur ad omnia damna, & intereſſe favore prædictæ fabricæ, eorumdemque bona omnia pro potiori cautela affecta ſint, & ſpecialiter hypothecata favore ejuſdem fabricæ. Quoniam vero Noſtræ mentis non eſt per hanc noſtram Conſt. ut præmiſimus, SS. Canonum ſtatuta, & præſidia minvere, ſed, quantum in Domino poſſumus, augere favore Eccleſiarum, declaramus, & expreſſe volumus, firmiſſimum nihilominus manere onus reparandi, reſtaurandi, & manutenendi Eccleſias cathedrales, Epiſcopis a jure injunctum; ita, ut in reſtaurandis, reparandis, & conſervandis Eccleſiis cathedralibus, antequam tangantur fructus, ſeu capitalia favore fabricæ, vigore hujus Conſt. conficenda, teneantur Epiſcopi, & ad normam SS. Canonum exquiratur de eorum obligatione. Prætereaque decernimus, hanc noſtram Conſtit. locum habere favore omnium Eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum totius Italiæ, & Inſularum adjacentium, tametſi pro nonnullis Eccleſiis editæ fuerint aliquæ proviſiones, ſicuti per ſel. rec. Innocentium PP. XIII. Prædeceſſorem noſtrum, pro tribus Eccleſiis, nempe Auximana, Viterbien. & Tuſcanen. & per Nos hactenus pro quatuor, ſcilicet Nuſcan. Vigilien. Caſtellaneten: & Sypontina, mediante reſervatione ratæ penſionis ſuper fructibus earumdem Eccleſiarum ad certum tempus favore fabricæ earumdem Eccleſiarum, actum fuiſſe conſtat: & in univerſum pro Eccleſiis Regni Neapolitani emanaverit Conſtitutio ſan. mem. Innocentii Papæ XII. etiam Prædeceſſoris noſtri, incipiens, *Inſcrutabili*, & ſupervenerit alia noſtra ampliativa, incipiens, *Sacroſancti Apoſtolatus*.

Excipimus tamen ab hac Conſtitutione beneficia noſtræ Archidiæceſis Beneventanæ: dudum enim eorum reſpectu per aliam noſtram Conſtitut. incipientem *Romanus Pontifex*, confirmando, declarando, & ampliando antiquam Conſtitutionem fel. rec. Pii PP. II. pariter

ritor Prædeceſſoris noſtri, ſimile injunximus onus beneficiis, in univerſa Archidiœceſi exiſtentibus.

Volumus autem, quod huic noſtræ Conſtitutioni, ſeu ſolutioni mediæ annatæ prædictæ minime ſubjacta exiſtant beneficia illarum diœceſium, & reſpective Collegiatarum, in quibus reperitur opus, ſeu peculiare patrimonium fabricæ, ſufficienter inſtructum, aut onus, ſau obligatio reparandi, reſtaurandi, & conſervandi Eccleſias reſidet penes Communitates locorum, vel adſunt dictarum Eccleſiarum Patroni, qui, niſi reparare, & manutenere velint eaſdem Eccleſias, earum patronatum amittere debent. Cum enim in his conſultum ſit reparationi, & conſervationi Eccleſiarum, nolumus aliud ſeperaddere beneficiatis impendium, quod vergeret in ſublevamen eorum, qui de jure tenentur.

SECTIO L X.

Eadem Seſſio XXI. caput VIII. juncto cap. VIII. ſeſſ. VII. de Reform.

Quæcunque in diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum eſt: propterea commendata monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obſervantia, necnon beneficia, tam curata, quam non curata, ſecularia, & regularia, qualitercunque commendata, etiam exempta, ab Epiſcopis, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, annis ſingulis viſitentur: curentque iidem Epiſcopi congruentibus remediis, etiam per ſequeſtrationem fructuum, ut, quæ renovatione indigent, aut reſtauratione, reficiantur, & cura animarum, ſiqua illis, vel eorum annexis immineat, aliaque debita obſequia recte exerceantur, appellationibus quibuſcunque, privilegiis, & conſuetudinibus, etiam immemorabili tempore præſcriptis, Conſervatoriis, judicum deputationibus, & eorum inhibitionibus non obſtantibus. Et, ſi in eis vigeret obſervantia regularis, provideant Epiſcopi paternis admonitionibus, ut eorum Regularium ſuperiores juxta eorum regularia inſtituta debitam vivendi rationem obſervent, & obſervari faciant, & ſibi ſubditos in officio contineant, ac moderentur. Quod ſi admoniti, intra ſex menſes eos non viſitaverint, vel correxerint; tunc iidem Epiſcopi, etiam ut delegati Sedis Apoſtol. eos viſitare poſſint, & corrigere, prout ipſi Superiores poſſent, juxta eorum inſtituta: quibuſcunque appellationibus, privilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & non obſtantibus.

Hoc Decretum, mandans Epiſcopis, tamquam delegatis Sedis Apoſtolicæ, ut ſingulis annis viſitent monaſteria commendata, in quibus non viget regularis obſervantia, extenſum eſt ab Innoc. X. Decreto, *Ut in parvis*, 10. *Febr.* 1654. ad omnes Regulares, quorum conventus numquam ſuppreſſi, fundati fuerunt intra Italiam, & Inſulas adjacentes ante decretum Urb. VIII. nempe ante diem 21. *Jun.* 1625. hos, perſonaſque tam regulares, quam ſeculares in ipſis degentes ſubjiciendo viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tamquam Sedis Apoſtol. delegati, ſi ibi actu non alantur ſaltem ſex Religioſi probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor ſint Sacerdotes maturæ ætatis (quadraginta nempe annorum completorum, ut infra dicetur) ſicut, & conventus erectos poſt dictam diem, in quibus degunt religioſi minori numero, quam duodecim, ibi.

Ut in parvis Regularium Virorum, Conventibus a S. D. N. Innoc. Papa X. in Conſt. quæ incipit, *Inſtaurandæ*, primum ſuppreſſis, ac deinde ad ipſius Conſt. limites ob rationabiles cauſas in priſtinum ſtatum regularem reſtitutis, & ipſis Religionibus denuo conceſſis, pie, & religioſe vivatur, ac regularia inſtituta, quo exactius fieri poteſt, obſerventur; Sanctitas ſua ex ſententia Sacræ Congregationis ſuper Statu Regularium, omnes, & ſingulos Conventus hujuſmodi, ſic, ut preſertur reſtitutos, & conceſſos in literis ab eadem Sacra Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac perſonas tam regulares, quam ſeculares iu eis degentes viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tamquam ſuper hoc a Sede Apoſtolica delegati, præſentis Decreti tenore plene in omnibus ſubjecit, ac ſubjectos eſſe declaravit, donec ipſorum redditus eouſque

adaucti fuerint, ut in eis commode ſuſtentari valeant, & cum effectu ſuſtententur duodecim Religioſi ad Apoſtol. decretorum præſcriptum: idque eidem Sacræ Congregationi legitime conſtiterit, & ejus decreto in ſingulis contingentibus caſibus declaratum fuerit, non aliter. Interea vero voluit Sanctitas ſua, ut in eorum ſingulis ali debeant, & reipſa alantur ſex ſaltem Religioſi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus ſint Sacerdotes maturæ ætatis; alioquin gratia reſtitutionis, & conceſſionis hujuſmodi nulla ſit, & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi poſſint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis Conventibus itidem ſuppreſſis per eamdem Conſt. ipſis demandantur, perinde, acſi gratia prædictæ reſtitutionis, & conceſſionis non emanaſſet. Inſuper quia multi ſunt Conventus, in quibus, etſi præfixus fuerit numerus Religioſorum ſufficiens ad obſervantiam regularis diſciplinæ, & idcirco in ſuppreſſione ante dicta non fuerint comprehenſi: nihilominus, ſive ob reddituum diminutionem, ſive ob Superiorum incuriam, vel malam adminiſtrationem, ſive ob carentiam Religioſorum, aeris intemperiem, vel quamcunque aliam ob cauſam, prædictus numerus cum effectu in eis non alitur, cum gravi detrimento regularis obſervantiæ: Sanctitas ſua intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & ſingulos ejuſmodi Conventus, ut præfertur, non ſuppreſſos, cujuſcunque ſint Ordinis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, aut Grangiæ, ſeu membra alterius monaſterii, exiſtentes intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocuuque actu non alentur ſaltem ſex Religioſi, itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, ut ſupra, ſint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, ſimi liter ut Sedis Apoſtolicæ delegati, plene in omnibus præſentis pariter decreti vigore ſubjectos eſſe ſtatuit, decrevit, & declaravit. Cæterum quoad Conventus, cum pauciori numero, quam duodecim Religioſorum, erectos poſt diem 21. Junii 1625. & illorum ſubjectionem loci Ordinario, Sanctitas ſua voluit in ſuo robore permanere Decretum ſan. mem. Urbani VIII. juſſu editum, cui per præmiſſa aliquatenus derogare non intendit.

Occaſione hujus Decreti orta ſunt Infraſcripta dubia una cum declarationibus emanatis a Congregatione ſuper ſtatu Regularium, & approbatis ab Alexandro VII. 27. Julii 1655. ut in Bullario ejuſdem Pontificis ſub num. IV.

Poſito Decreto fel. rec. Innoc. Papæ X. ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum, correctioni, viſitationi, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tamquam Sedis Apoſtol. delegati, contigit dubitari de infraſcriptis.

I. An Epiſcopus in Conventibus ſuæ juriſdictioni ſubjectis poſſit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam conſtituere?

II. An poſſit Epiſcopus a prædictis Conventibus Religioſos amovere?

III. An Regulares eorumdem Conventuum compelli poſſint ab Epiſcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes adminiſtrationis?

IV. An Epiſcopus in eiſdem Conventibus ſe ingerere poſſit in his, quæ regularem diſciplinam concernunt?

V. An Eccleſiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Grangiarum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, ab Epiſcopo viſitari poſſint?

VI. An ipſæ Grangiæ, & Converſi in eis degentes ſubſint viſitationi Epiſcopi?

VII. Quid in Eccleſiis, ſeu Capellis Grangiarum, in quibus nullus degit Converſus, an ſimiliter ſubſint Epiſcopi viſitationi?

VIII. An liceat Epiſcopo viſitare Conventus, tam ſuppreſſos, & poteſta reſtitutos, quam non ſuppreſſos, ad effectum congnoſcendi, an in illis re ipſa alantur ſex Religioſi.

IX. An Epiſcopus viſitans hujuſmodi Conventus ſuæ juriſdictioni ſuppoſitos, aut perſonas in eis degentes, poſſit a viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia?

X. An juriſdictio Ordinariis locorum, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, attributa in ſupradicto Decreto, competat Vicariis generalibus Epiſcoporum, necnon Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis, proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentibus?

XI. An Provinciales, & alii Superiores regulares poſſint ejuſmodi Conventus, juriſdictioni Ordinarii ſubjectos, & Religioſos in illis degentes viſitare, corrigere, & punire, omnemque juriſdictionem in eos exercere, ſicut poterant ante dictum Decretum?

XII. Si Superior regularis in cauſa prævenerit contra ſubditum degentem in aliquo ex eiſdem Conventibus, Ordinario ſubjectis, fabricando proceſſum, vel eum carceri mancipando, an Epiſcopus poſſit hujuſmodi cauſam reaſſumere, ac Superiori inhibere?

XIII. Si

XIII. Si e converſo Epiſcopus prævenerit in cauſa contra Religioſum in tali Conventu commorantem, an Superiori regulari eo caſu liceat illum amovere, & in alio Conventu collocare; & ſi de facto collocaverit, an nihilominus Epiſcopus poſſit cauſam proſequi, ac Religioſum ſic amotum revocare ad primum Conventum?

XIV. Si Provincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus a tali Conventu removere, an Epiſcopus prohibere poſſit?

XV. Si a Conventu primum ſuppreſſo, ac deinde Religioni reſtituto, abſint ex aliqua rationabili cauſa, & ad breve tempus, unus, vel plures ex numero ſex Religioſorum ibi degentium, an gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus remaneat ſuppreſſus, ut prius?

XVI. Quid, ſi a Conventu non ſuppreſſo ſimiliter ex cauſa rationabili, & ad modicum tempus abſit aliquis e ſex Religioſis ibi exiſtentibus, an durante tali abſentia, Conventus ſubjaceat juriſdictioni Ordinarii.

XVII. An Religioſo illo redeunte, vel alias impleto numero ſex Religioſorum, Conventus recuperet priſtinam exemptionem?

XVIII. Si gratia reſtitutionis Conventus ſuppreſſi reddatur nulla ex eo, quod in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur ſex Religioſi, & poſtea contingat, ut ejuſmodi numerus impleatur, an gratia reſtitutionis Conventus reviviſcat?

XIX. Ad hoc, ut gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus denuo remaneat ſuppreſſus, propterea quod in eo non ſuſtententur ſex Religioſi, an debeat præcedere declaratoria Epiſcopi ſuper facto, prævia cauſæ cognitione?

XX. An ab hujuſmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apoſtolica appellare, ad effectum, tam devolutivum, quam ſuſpenſivum?

XXI. Cum ex Decreti præſcripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes debeant eſſe maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura?

Sacr. Congr. ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia ſuperius propoſita, hunc in modum reſpondit, videlicet.

Ad I. Non poſſe.

Ad II. Poſſe ex rationabili cauſa, commonito tamen prius Superiore regulari, ad quem pertinet, ut eoſdem Religioſos aſſignet in aliis Conventibus.

Ad III. Poſſe compelli.

Ad IV. Poſſe.

Ad V. Poſſe.

Ad VI. Subeſſe.

Ad VII. Itidem ſubeſſe.

Ad VIII. Minime licere, antequam aliunde conſtet de fundamento intentionis Epiſcopi in deficientia numeri conſtituti.

Ad IX. Expedire, ut S.D.N. decernat, & declaret, non licere Epiſcopo tales Conventus viſitanti quidquam accipere procurationis nomine.

Ad X. Competere.

Ad XI. Poſſe, ſicut prius, non tamen privative ad Epiſcopum.

Ad XII. Non poſſe, niſi ex juſta cauſa, veluti cum videt Superiorem regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia ſeveritate, vel indulgentia quid durius, aut remiſſius conſtituere, quam cauſa depoſcit, in quo ipſius Epiſcopi conſcientia oneratur.

Ad XIII. Non licere Superiori regulari Religioſum ab Epiſcopo inquiſitum a loco amovere, & ſi amotus fuerit, poſſe Epiſcopum cauſam proſequi, & illum quibuſcunque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio ſeculari, ſi opus fuerit, cujuſcunque loci, in quo Religioſus ille reperiatur.

Ad XIV. Non poſſe.

Ad XV. Gratiam ob id non eſſe nullam, ceſſante omni fraude, nec Conventum remanere ſuppreſſum.

Ad XVI. Subjacere, durante abſentia.

Ad XVII. Recuperare.

Ad XVIII. Non reviviſcere.

Ad XIX. Debere ita procedere, nec ante declaratoriam licere Epiſcopo Conventus poſſeſſionem apprehendere, aut Religioſos inde expellere.

Ad XX. Licere, ad effectum devolutivum tantum, non autem ſuſpenſivum.

Ad XXI. Ætatem maturam dici ad hunc effectum, completo anno quadrageſimo.

Declarationes ſupraſcriptas SS. D. N. ad ſe relatas approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinet, obſervari præcepit, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Datum Romæ die 27. Julii 1655.

Subſequenter ad hæc, cum ortum eſſet alterum dubium, an ſcilicet Conventus numquam ſuppreſſi, in quibus degunt de familia plures quam ſex Religioſi, comprehendantur in prædicto Innocentiano Decreto, *ſub die 29. Novembr. 1657.* emanavit ſequens declaratio, relata a Matthæuccio, *Officialis Curiæ cap. LVI. Quoad viſit. Ordinarii*.

Sacra Congr. ſuper ſtatu Regularium cenſuit, Conventus numquam ſuppreſſos, in quibus actu degunt de familia plures quam ſex Religioſi, minime comprehendi in Decreto ſan. mem. Innoc. X. quod incipit, *Ut in parvis*; ac proinde locorum Ordinarios nequaquam poſſe in vim dicti Decreti in hujuſmodi Conventibus, aut illorum perſonis, ullam ſibi juriſdictionem vindicare.

Datum Romæ die 29. Nov. 1657. in regeſto ejuſdem Congr. fol. 325.

Die vero 11. Septem. 1670. exortis ſequentibus dubiis circa juriſdictionem eorumdem Ordinariorum in Grangiis monaſteriorum, illarumque Eccleſiis, & publicis Oratoriis, relatis ab eod. Matthæuccio *loc. cit.* una cum declarationibus dictæ Congregat. videlicet,

Poſita

Poſita Conſtit. fel. rec. Innoc. X. quæ incipit, Inſtaurandæ, *nec non illius Decreto incipien.* Ut in parvis, *contigit dubitari de infraſcriptis*.

I. An Grangiæ ex d. Conſt. Innoc. ſuppreſſæ, & ad ſtatum ſecularem reductæ, illarumque Eccleſiæ, & publica Oratoria poſſint ab Ordinario viſitari?

II. Et quatenus poſſint, an hoc Jus Ordinario competat privative quoad Superiores regulares, an vero cumulative cum ipſis?

III. Et quid, ſi prædictis Eccleſiis cura animarum incumbat.

IV. An Superiores regulares poſſint in dictis Eccleſiis curam animarum habentibus nominare Vicarios ad curam animarum exercendam, eoſque ad nutum amovere.

V. An Grangiæ, ſeu membra alicujus monaſterii nunquam ſuppreſſa, in quibus non degunt ſaltem ſex Religioſi, ſubſint juriſdictioni, ac viſitationi Ordinarii loci privative, an cumulative cum Superioribus regularibus.

Die 11. Septembr. 1670. S. Cong. ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia ſuperius propoſita, in hunc modum reſpondit, videlicet.

Ad I. Grangias, ut præfertur, ſuppreſſas, & ad ſtatum ſecularem reductas, illarumque Eccleſias, & publica Oratoria poſſe ab Ordinario viſitari, dummodo in iis Grangiis, quarum proprietas fuerit reſervata, vel reſtituta principalibus monaſteriis, idem Ordinarius nullo modo ſe ingerat in temporalibus.

Ad II. Quoad Eccleſias, & Oratoria publica Jus viſitandi competere Ordinario privative: quoad Converſos autem in eis degentes cumulative, Ordinario ſcilicet jure delegato, ad formam Sacr. Conc. Trid. Regularibus vero, jure ordinario.

Ad III. Itidem quoad Eccleſias dictarum Grangiarum curam animarum habentes, jus viſitandi Ordinario competere privative; ſed quoad Converſos in eis degentes hoc jus competere cumulative, nempe Ordinario, tamquam Sedis Apoſtol. delegato, Regularibus vero auctoritate ordinaria.

Ad IV. Superiores regulares poſſe hujuſmodi Vicarios nominare, & illos ad nutum amovere, ſi Ordinarius loci ab initio illos deputaverit amovibiles.

Ad V. Grangias, ſeu membra alicujus monaſterii, numquam ſuppreſſa, in quibus non degunt ſaltem ſex Religioſi, ſubeſſe juriſdictioni, ac viſitationi Ordinarii loci, ac Superiorum regularium cumulative, videlicet, Ordinario, tamquam Sedis Apoſtol. delegato, ex prædicto Decreto, *Ut in parvis*, Regularibus autem jure ordinario.

Tandem 19. *Novembr.* 1671. emanarunt ab eadem Congr. ſequentes declarationes ad ſingula hæc dubia, relatæ pariter a D. Matthæuccio *loc. cit.*

Epiſcopus viſitavit Conventum ſuæ juriſdictioni ſubjectum in vim Decreti fel. rec. Innoc. X. incip. *Ut in parvis*, propterea quod tunc temporis ibi non erant de familia, nec re ipſa alebantur ſex Religioſi, ſed poſt abſolutam viſitationem, ſine ulla fraude a Superioribus regularibus in eodem Conventu adaucta eſt familia, & impletus numerus ſex Religioſorum, ſicque Conventus exemptionem recuperavit, juxta declarationes S. Congr. ſuper ſtatu Regularium, nempe decimam ſextam, & decimam ſeptimam inter impreſſas.

Hoc poſito, conſulitur S. Congregat. de infraſcriptis.

I. An poſt exemptionem, ut præfertur, recuperatam Epiſcopus poſſit hujuſmodi Conventum viſitare ad effectum, ut videat, an ordinationes, & decreta ab ipſo edita in viſitatione præcedenti fuerint adimpleta, nec ne?

II. Anve poſſit decreta non adimpleta exequi, & pro illorum executione pœnas adjicere, & aggravare.

III. Et quatenus poſſit; an hæc facultas, quæ ex dicto Decreto, *Ut in parvis*, competit Epiſcopo, tamquam Sedis Apoſtol. delegato, expiret, lapſo integro anno a die publicationis decretorum.

IV. An Epiſcopus poſt exemptionem a Conventu recuperatam poſſit condemnare, & punire, etiam pœna corporis afflictiva, Religioſum, qui pro delicto in curia epiſcopali fuerat inquiſitus, & carceri mancipatus eo tempore, quo Conventus erat juriſdictioni Epiſcopi ſubjectus.

Die 19. Novembr. 1671. S. Congr. ſuper ſtatu Regularium ad ſingula dubia ſuperius propoſita reſpondit, ut ſequitur, videlicet.

Ad I. Poſteaquam Conventus exemptionem recuperavit, Epiſcopum nequaquam poſſe illum viſitare, etiam ad effectum, ut videat, an decreta edita in præcedenti viſitatione fuerint executioni mandata.

Ad II. Itidem non poſſe poſt hujuſmodi exemptionem decreta non adimpleta exequi, minuſque pœnas adjicere, & aggravare pro illorum executione.

Ad III. Juriſdictionem ex d. Decreto, *Ut in parvis*, Epiſcopo attributam in Conventu non habente Religioſorum numerum ibi præſcriptum, expirare eo ipſo, quod Conventus ob familiam ſine fraude adauctam, & impletum numerum Religioſorum præfixum, exemptionem recuperavit.

Ad IV. Cum contra dictum Religioſum non ſolum cauſa, ſed etiam perſona ſit præventa, eo tempore, quo Conventus erat ſubjectus juriſdictioni Epiſcopi, & exemptio ſuperveniens non invenerit eum liberum, utique Epiſcopum, tamquam Sedis Apoſtol. delegatum, poſſe hujuſmodi cauſam tempore habili inchoata proſequi, etiam poſt exemptionem, & eumdem Religioſum condemnare, & punire, etiam pœna corporis afflictiva.

Urb. Innoc. ac Greg. XV. Decreta quoad ſubjectionem jurisdictioni Ordinariorum reſpectu monaſteriorum tum erectorum poſt die 21. *Junii* 1625. cum in poſterum erigendorum, in quibus degunt Religioſi minori numero, quam duodecim, innovata, & confirmata fuerunt ab Innoc. XII. Conſt. *Nuper*, 23. *Decemb.* 1697. §. *XV.* ibi.

Dein,

Deinceps vero Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis hujuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monaci, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſciptum Decreti fel. recor. Greg. XV. hac de re editi: alioquin Monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.

Decretum vero Greg. XV. de quo Innocentius hic mentionem facit, incip. *Cum alias*, emanavit *die 17. Augusti* 1622. relatum in Bullario veteri *ſub num. XXXI.*

Nota ex declaratione Cong. Conc. 15. *Novemb.* 1598. = Epiſcopos non poſſe viſitare Eccleſias parochiales, in quibus Abbates juriſdictionem epiſcopalem, & temporalem in Parochum, & parochianos exercent, niſi Epiſcopi majorem in illis locis, & perſonis juriſdictionem exerceant =.

Item 6. *Febr.* 1619. = Cong. cenſuit, non licere Ordinariis locorum viſitare monaſteria Regularium, & corrigere, eo prætextu, quod illorum Superiores admoniti, intra ſex menſes illa non viſitaverunt, vel correxerunt, niſi eadem monaſteria, vel ſub commenda exiſtant, ex Decreto *cap. VIII. ſeſſ. XXV. de Regul.* vel ſuorum Ordinum capitibus non ſubſint, ac ſe ſe in Congregationem redigere neglexerint juxta dictum *caput VIII.* =.

Item *in Gienen. menſe Decembr.* 1587. = Cong. cenſuit, ſi Commendatarius degit in monaſterio ſui Ordinis, & de licentia ſuorum Regularium, non poſſe ab Epiſcopo puniri, & corrigi, ex Decreto Concilii *cap. VIII. ſeſſ. XXI. verſ. Etſi in eis viget.*

S E C T I O L X I.

Eadem Seſſio XXI. caput IX. de reform.

CUM multa a diverſis antea Conciliis, tam Lateranenſi, ac Lugdunenſi, quam Viennenſi, adverſus pravos eleemoſynarum Quæſtorum abuſus remedia tunc adhibita, poſterioribus temporibus reddita fuerint inutilia; potiuſque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium ſcandalo, & querela excreſcere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla ſpes amplius relicta videatur: ſtatuit, ut poſthac in quibuſcunque chriſtianæ Religionis locis eorum nomen, atque uſus penitus aboleatur; nec ad officium hujuſmodi exercendum ullatenus admittantur: non obſtantibus privilegiis, Eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, piis locis, & quibuſvis cujuſcunque gradus, ſtatus, & dignitatis perſonis conceſſis, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Quamvis in hoc Decreto caveatur penitus abolendum eſſe nomen, & uſus Quæſtorum eleemoſynarum, de iis tamen intelligitur, qui a Conc. Lateranenſi ſub Innoc. III. & Viennenſi ſub Clemente V. reprobati, & cenſura conſtricti fuerunt, ut expoſui parte I. in Notis *ad caput XIV. Cum ex eo, de Pœnit. & Remiſ. pag.* 754. non vero de hodiernis eleemoſynarum Quæſtoribus, quo nomine vocari juſſit Urbanus VIII. ut mox dicam, qui pro hoſpitalibus, monaſteriis, aliiſque locis piis eas conquirunt. His igitur licitum eſt quæſtuare: imo, ſi agatur de Religioſis, præſertim Ordinum Mendicantium, vetitum fuit a Gregorio IX. locorum Ordinariis, ne eos, potiſſimum Ordinum Prædicatorum, & Minorum, impedirent intra eorum diœceſes degentes, eleemoſynas ad ſui ſuſtentationem colligere, neve fidelibus interdicerent, quin eas iis conferrent, ut in *capit. XVII. Nimis prava, de Exceſſib. Prælat.* nulla tamen adjecta pœna. Verum ex Conſt. Sixti IV. *Sacri* 26. *Julii* 1479. iidem Ordinarii, ſi intra triduum requiſiti, prohibitionem non revocaverint, eo ipſo incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſuſpenſionem a regimine, & adminiſtratione. Alii vero quicunque his inferiores incurrunt excommunicationem, quæ tamen non eſt reſervata, ibi §. VIII.

Præterea, quia, ut intelleximus, exortis nonnunquam controverſiis inter locorum Ordinarios, eorumque Vicarios, ſeu Officiales, ac Curatos, & Fratres prædictorum Ordinum variis occaſionibus, locorum Ordinarii, eorumque Vicarii, ſeu Officiales, & Curati prædicti, ne Chriſtifideles Fratribus ipſis pias eleemoſynas erogare præſumant ſuadere, & etiam ſub cenſuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore prædicare, ſeu prædicari facere, ſeu pronunciare præſumunt; Locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, ſeu Officia-

Officialibus, & Curatis prædictis, ac etiam aliis quibuſcunque dicta auctoritate mandamus, ut ab hujuſmodi perſuaſionibus, inhibitionibus, & mandatis de cætero prorſus omnino abſtineant; decernentes inhibitiones ipſas, & mandata nullius exiſtere firmitatis, & illis contravenientes, cenſuris hujuſmodi minime ligari, ac eoſdem perſuadentes, & inhibentes, mandatoque noſtro hujuſmodi obtemperare non curantes (niſi pœnituerint, & perſuaſiones, ac inhibitiones, & prædicta revocaverint infra triduum, poſtquam deſuper requiſiti fuerint) eo ipſo Ordinarios interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum; alios vero inferiores ab eis excommunicationis ſententiam incurrere,

Ad tramites harum Apoſtolicarum Sanctionum S. Congr. Conc. pluries declaravit, non poſſe Epiſcopoa tam directe, quam indirecte Regularibus id prohibere, *ut lib. XII. Decretor. pag. 32. In Polinganen. 24. Septembr. 1622. dicto lib. pag. 110. in Beneventana 7. Julii 1646. lib XVIII. pag. 144. & in Senonen. 28. Febr. 1654. lib. XIX. pag. 316.* Neque tenentur Regulares petere ab Ordinario licentiam, ſi quæſtuare velint per ſe ipſos, non per alios eorum nomine, intra diœceſim, ubi habent Conventus, ut ex ſequenti Decreto Congr. Epiſcoporum, & Regul. *ſub die 6. Octobr. 1596.* relatum a Matthæuccio, *Official, Curiæ cap. XLIII. n. 4.* = Non tenentur Regularea, qui ex inſtitutione, aut facultate Sedis Apoſtol. eleemosynas quæritare, aut mendicare poſſunt, petere ab Ordinariis licentiam eleemosynas per diœceſim quærendi, cum in erectione monaſteriorum eis licentia tacite ab Ordinariis impertita cenſeatur = Neque itidem in tali caſu oſtendere tenentur licentiam ſuorum Superiorum, ut ex Decreto Congr. Concil. ab eodem Matthæuccio ibidem relato num. 5. = An, ut Quæſtores arceantur, poſſint Ordinarii facultatum a Superioribua Regularium eleemosynæ quærendæ conceſſarum aliquam cognitionem, & qualem habere? Congr. cenſuit, ex Concilio non prohiberi Regulares, quominus eleemosynaa quærant; non tamen alioa eorum nomine, & auctoritate quoquomodo poſſe quæritare: illos tamen extra locum, ubi ſita ſunt monaſteria, eleemoaynas per eamdem diœceſim enrogantes, teneri ad oſtendendam Ordinario licentiam ſuorum Superiorum =.

Si vero quæſtuare velint per ſe ipſos extra diœceſim, ubi non habent Conventus, tenentur oſtendere Ordinario licentiam ſuorum Superiorum, imo & conſenſum ab eodem obtinere, ut in dicta *Polinganen.* ac prius *in Mediolanen. menſ. Junii 1587. lib. IV. Decretor. pag. 268. & 28. Nov. 1602. lib. X. pag. 51. ac 12. Junii 1608.*

Hic tamen ita monitos vult Mendicantea laudatus Matthæuccius *num. 7. & 8.* = Non eſt dubium, poſſe Epiſcopos immodicas quæſtuationes impedire, per *text. in Clement. Abuſionibus, de Pœnit. & Remiſs.* = Ubi dixit Piaſecus, ubi ſup. = Regularea delinquentes circa quæſtuationem poſſe ab Epiſcopo puniri = Addit ibidem Sperellus, poſſe Epiſcopos, ut fraudes in quæſtuatione vitentur, mandare, ne quis Religioſus eleemoaynam quærat, niſi prius licentiam Superiorum exhibeat, & per eos recognoſcatur. Quod quidem quantum ad exteros a loco, & habentes extra ipſum Conventum, eſt juxta diſpoſitionem Decreti proſtremo loco allegati, ut hac via impediant, ne gravamen recipiant Regulares loci, qui in ejuſdem populi, & animarum ſervitio occupantur. Quinimo idem præceptum poſſunt facere Regularibua ejuſdem loci, non ut eos eleemosynas quærere impediant, ſed ut provideant, ne fraudes committantur: ſæpe enim fit, quod Regulares privilegio Mendicantium gaudentes, & bona in communi poſſidentea, qui commode ex ſolitis redditibus vivere poſſunt, privilegio Mendicantium fraude abutantur, ſubtrahendo eleemosynas Regularibua, quibus vera mendicitaa, & eleemosynæ dietim acquiſitæ neceſſariam præbent ſuſtentationem, prout poſt Genuen. *Prax. cap LVII. num 11.* tenet Donat. *prax. tom. I. tract. XIII. quæſt. 32. num. 15.* Monacell. *form. part. I. form. IV. tit. VI. num. 8.* Unde Decr. *n. 4.* (ut ſupra) relatum procedit, dum non concurrit ſuſpicio fraudis. Siquidem pauperum, & monaſteriorum protectio eſt propria Epiſcoporum, qui tenentur ea tueri, & defendere *cap. Pervenit, cap. Nuntiatum 84. diſt.* =.

Pro quo monito aliqua ex parte facit ſequens Decretum Cong. Epiſcopor. & Regul. ſub die *22. Junii 1674.* (quod idem refert *n. 2.*) = declaravit, & decrevit, ne in poſterum præfatorum Ordinum = (Conventus ſcilicet Obſerv. & Capuccin. in Regno Corſicæ) proprios ſuoa diſtrictua ad quæſtuandum egrediatur, ſed intra ſuoa limites ſe quiſque contineat, ut ab his, quibus ſerviunt, ſuſtentari facilius poſſint. Necnon, ut ubi plurea inveniuntur Conventua in eodem diſtrictu, inter eoſdem ratio antiquitatis, ac fundationia rationabiliter habeatur, ſicque omnino obſervari mandavit. = Quæ diſpoſitio (ſubdit citatua Auctor) ex rationis identitate, & inſpecta ratione finali, ac regionia ſterilitate, quas S.C. indubie ponderavit, & ad evitandas lites, adeo faciliter inter Regularium Quæſtores, ipſaſque Religionea enaſcentea, ad cætera loca extendi nullus eſt, qui non conſideret = Hactenus de Mendicantibus, eleemosynarum petitoribua.

Quod autem ſpectat ad Quæſtores Confraternitatum, aliorumque locorum piorum, Cong. Conc. *menſ. Novemb. 1587.* = Cenſuit non impediendos Confratres, ſi facultas habitum geſtandi, eleemosynas quæritandi, & mortuos ſepeliendi facta illis ſit per Bullas S. M. Pii V. = *Item in Maceraten. 6. Julii 1608.* declaravit, Presbyterum, qui accedit ad accipiendum primitias frugum, ſeu animalium, quæ offerri ſponte ſolent devotionia gratia pro Eccleſia ſua, non comprehendi Decreto Conc. *cap. IX. ſeſſ. XXI.*

Miniſtri Confraternitatis Confalonis de Urbe deputare poſſunt Quæſtores ad colligendas eleemosynaa in toto Statu eccleſiaſtico pro redemptione Chriſtianorum ejuſdem ſtatus ab Infidelium captivita-

te

te; ex Conſtitut. Sixti V. *Cum benigna*, 1. *Aprilis* 1586.

Circa Collectores eleemoſynarum pro ſubſidio Terræ Sanctæ ex ſpeciali indulto a pluribus Pontificibus conceſſo Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia, vide Conſtitutionem Bened. XIV. *Emanarunt nuper*, 20. *Auguſti* 1743, relata a Lucio Ferraris, *Prompta Bibliotheca, in additione ad verb. Eleemoſyna*, in qua idem indultum confirmatur, & injungitur, ut non bis in anno, prout ſtatuerat Urban. VIII. ☞ ſed = ad minus quatuor vicibus quolibet anno Adventus, & Quadrageſimæ temporibus = tam per verbi Dei Prædicatores, in ſuis ſacris Concionibus, quam in quibuſvis aliis actionibus, & functionibus publicis, neceſſitates ejuſdem Terræ Sanctæ proponi, & commendari curent, & faciant = .

Quicunque tandem ſint hi Quæſtores, ſive Ordinum Mendicantium, ſive quorumcunque locorum piorum, obſervare tenentur leges eis præſcriptas a dicto Urbano ſequenti Decreto edito *die* 11. *Julii* 1644. & relato *lib. XVII. Decretor. S. Congr. Conc. pag.* 350. de quo etiam meminit Bened. XIV. Conſt. *Quamvis juſto*, 30. *April.* 1749. §. *X.*

Sanctiſſimus D. N. ex ſententia EE. Card. S. C. Trid. Interpretum indulſit Archiconfraternitati Spiritus Sancti de Urbe Regni Neapolitani, ut ratione piorum operum, quæ exercere aſſerit, ad quinquennium perquirere poſſit eleemoſynas in eodem Regno Neapolitano; ita tamen, ut eleemoſynæ colligi non poſſint niſi de licentia Ordinarii cujuſcunque diœceſis dicti Regni, petita, & obtenta in ſcriptis; quæ tamen gratis concedatur, & perſonæ a Superioribus, & Officialibus d. Archiconfraternitatis cum literis teſtimonialibus deputentur, quæ non ſint vagæ, & incertas habeant ſedes, ſed bene congnitæ nomine, patria, honeſta vita, & ſpectatæ religionis, & non ſint de numero eorum, qui Quæſtuarii vulgo appellantur, nec unquam tale exercitium exercuerint, iſti que appellentur eleemoſynarum Petitores, non Quæſtores, quorum nomen S. Conc. deteſtatur: non habeant partem in eleemoſynis recolligendis, quæ in uſum dd. operum piorum convertantur, ſed tamen aliqua congrua, & honeſta merces illis conſtituatur; munus ſuum ſine dolo, ac modeſte fungantur, non ſecum deferant imagines, cartas, & Brevia, Reliquias, aliave his ſimilia ad fideles excitandos: inſuper nec alia inſignia, ſeu inſtrumenta, nec ſigilla, aut benedictiones faciant ſuper animalia, non prædicent, nec publicent Indulgentias per ſe, vel per alios, neve oſtentent ſua privilegia, quamvis a Sede Apoſtolica conceſſa, Miſſas, aut imprecationes ad extorquendas pecunias, aut alia bona non intentent, nihil tamquam debitum, aut ſolitum, ſeu conventum; nec ulla arte, aut prætextu dicendi orationes alicujus Sancti utantur, ſed ſimpliciter, ac modeſte a fidelibus eleemoſynas petant, nullum ſcandalum committant. Si ſint alicujus Ordinis regularis, ſint in eodem Ordine profeſſi; incedant honeſte, accipiant tantummodo, quod ſibi ſponte offertur, nec ſuper hujuſmodi eleemoſynis ullam quovis nomine conventionem faciant, etiam ad utilitatem ejuſdem Confraternitatis, & piorum operum, quæ in ea exercentur: & antequam, ad eas colligendas admittantur, jurent in manibus cujuſvis Epiſcopi, ſeu Vicarii generalis, ſe ſervaturos omnes ſupradictas conditiones, quæ ut prævie obſerventur, non ſolum ex aliorum delatione, ſed ipſi Epiſcopi, & Vicarii generales ex ſuo etiam officio inquirant, ſi quæ fraus, præſertim circa ſupradictas conditiones committatur: quod ſi reos compererint, publice pro modo culpæ arbitrio ſuo puniant, eoſdemque ſtatim a collectione eleemoſynarum amoveant, quibuſcunque privilegiis, ſtatutis, etiam a Sede Apoſtolica confirmatis, necnon conſuetudine immemorabili in contrarium minime obſtantibus.

In quorum fidem.

SECTIO LXII.

Proſequitur Eadem Seſſio XXI. & idem caput IX. de reform.

INdulgentias vero, aut alias ſpirituales gratias, quibus non ideo Chriſtifideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas eſſe decernit: quibus etiam eleemoſynas, atque oblata ſibi caritatis ſubſidia; nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur: ut tandem cæleſtes hos Eccleſiæ theſauros non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant.

Hoc Decretum, juncto altero, contento *cap. II. ſeſſ. V. de reform.* quo prohibetur Indulgentiarum publicatio ob quæſtum, ampliatum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Etſi Dominici*, 8. *Feb.* 1567. & *Quam plenum*, 2. *Januar.* 1570. prohibente, ne quocunque prætextu publicentur Indulgentiæ ob quæſtum, ſeu prædicetur, ut ad eas acquirendas ſolvenda ſit aliqua eleemoſyna alicui perſonæ, vel loco, ſub pœna in Epiſcopos, etiam Cardinales, ſecus facientes, ſive attentantes, ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & perceptionis fructuum ſuarum Eccleſiarum, donec, prævia ſatisfactione, a Sede Apoſtolica, hæc ſuſpenſio relaxetur, & in his inferiores excommunicationis Papæ reſervatæ, ut in cit. Conſtitut. *Quam plenum*, §. *II.* ibi.

Quicunque ſecus egerint, ſeu attentaverint, Antiſtites, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, ab ingreſſu, & perceptione fructuum ſuarum Eccleſiarum tandiu ſuſpenſi jaceant, donec ſatisfactione prævia, illis per Sedem prædictam ſuſpenſio relaxetur; Inferiores vero Epiſcopis ſententiam excommunicationis incurrant, a qua, niſi in mortis articulo conſtituti, ab alio, quam a Romano Pontifice abſolutionis beneficium nequeant obtinere: decernentes etiam irritum, & inane quidquid ſecus per quoſcunque, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Circa publicationem Indulgentiarum Congreg. Conc. cenſuit, hanc = ad ſolum Epiſcopum, adhibitis duobus de Capitulo, pertinere, non obſtante ordinaria juriſdictione Capituli, aut quibuſcunque privilegiis ante dictum Conc. obtentis = ut in *Tornacen. 6. Julii 1608. lib. XI. Decretor. pag. 39.* Item ex declaratione ejuſd. Cong. Regulares non poſſunt publicare Indulgentias, aut præ foribus ſuarum Eccleſiarum affigere, niſi poſtquam fuerint ab Epiſcopo publicatæ, *in Civitatis Plebis*, 10. *Nov. 1640. lib. Decretor. XVI. ad II.*

Publicantes Indulgentias falſas, puniendi ſunt a S. Officio: ita ex mente Urbani VIII. ſtatutum fuit in *Meliten. 16. Martii 1630. lib. Decretor. XIV. pagina 26.*

SECTIO LXIII.

Seſſio XXII. de Sacrificio Miſſæ cap. II.

In hoc Capitulo docet Concilium, Sacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium tam pro vivis, quam pro defunctis, in quo maxime ſita eſt illius excellentia: cui acceſſit damnatio ſequentis Propoſitionis ex proſcriptis ab Urbano VIII. Conſt. *In eminenti*, *6. Martii 1641.*

= Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut ſancta ſocietate Deo homo inhæreat =.

Huic Urbani Conſtit. acceſſit etiam damnatio hujus propoſitionis la XXXI. in ordine inter alias proſcriptas ab Alexandro VIII. *7. Decembris* 1690. = Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia =.

SECTIO LXIV.

Eadem Seſſio XXII. cap. VI. de Sacrificio Miſſæ.

Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.

Cum circa ſaluberrimum hoc Trident. deſiderium de frequentia ſacramentalis Communionis, nedum prioribus, ſed elapſo etiam ſeculo orta fuerit controverſia inter DD. aliquibus plus æquo ejus quotidianæ ſumptioni patrocinando, dictitantibus; eamdem omnibus ſine ullo perſonarum delectu ſuadendam eſſe, ita, ut ex his prodierit Auctor hujus propoſitionis, ab Innoc. XI. ſub die 2. Martii 1679. proſcriptæ = *Frequens confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædiſtinationis* = aliquibus vero frequentiorem, multoque magis quotidianam damnantibus; huic privato, & peſtifero opinandi modo præcluſus eſt aditus ex declaratione ejuſdem Innoc. in ſequenti decreto Congregat. Conc. ipſius juſſu edito, & impreſſo poſt monita S. Caroli *pag. 355. in lucem edita Romæ typis R. Cameræ Apoſtolicæ* 1711. quo Communionis ſacramentalis frequentia permittenda, aut deneganda ſtatuitur juxta prudens Ordinariorum judicium, ſive per ſe, ſive per parochos, aut confeſſarios dirigendum, ſecundum peculiarem cujuslibat ſtatum, devotionem, & charitstam; qua attenta, primis Eccleſiæ ſeculis etiam quotidiana ipſius ſumptio alicubi in uſu erat, & quidem ſub utraque ſpecie, ut ex *Can. XI. Illa autem diſtinct. XII. Tenor Decreti.*

Cum ad aures SS. D. N. fide dignorum teſtimonio pervenerit, in quibusdam diœceſibus vigere uſus quotidianæ Communionis, etiam in feris ſexta Paraſcevæ, & ſimul affirmari, eamdem quotidianam Communionem præceptam eſſe a jure Divino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoluiſſe, videlicet, quod aliqui, non in Eccleſia, ſed in privatis Oratoriis, & domi, imo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecreto illis deferunt Sacerdotes ſeculares, aut regulares, aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti

doti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit Sacræ Congregat. Conc. Trid. Interpretum, eadem Sac. Congr. prævia matura diſcuſſione ſuper prædictis, unanimi ſententia ita cenſuit. Etſi frequens, quotidianusque ſacroſanctæ Euchariſtiæ uſus a Sanctis Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus, nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Conc. Trid. præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: *optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes ſacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent*; idque non immerito, multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negocia ſpiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa, quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certi de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui: & propterea, quod negociatores ipſos attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu laicis negociatoribus, & conjugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertant, cum B. Apoſtolus nolit eos invicem fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos ſerio admoneant, tanto magis ob ſacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cæleſtium epularum Communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana ſacræ Communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a ſacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet. Itidem moniales quotidie ſacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent. Siquæ vero puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam operam quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum Fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſive laici negociatores ſint, ſive conjugati, ſive quicunque alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini Judicii formidine diſcant cæleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri, & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque, ipſo adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maxime perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentia, & ſcandali ſuſpicio in veri, & Immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur: quod abunde continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, divina præſtante gratia, tenentur, ſeque ſacratiſſimo Pane frequentius reficere cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe Fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in cæleſti regno ſe præmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Porro Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes, Communionem quotidianam eſſe de jure divino, doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis ex diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani, ſi vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in Feria ſexta Paraſceva Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur. Inſuper admoneant nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas. Non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarii, etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa. Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas ſua approbavit, ac præſens decretum typis dari, ac publicari voluit.

In quorum &c.

Datum Romæ 12, Februar. 1679.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiep. Brancaccius Epiſcop. Viterbien. Secr.

Occaſione ejuſd. Trid. decreti iterum in nonnullis Italiæ diœceſibus pullulare incepit altera controverſia, ut teſtatur Bened. XIV. in Conſtit. *Certiores effecti*, 13. *Novembr.* 1742. = de obligatione, qua Sacerdotes Miſſas celebrantes adſtringantur Euchariſtiam miniſtrare intra eaſdem iis fidelibus, qui ad ipſam accipiendam paratos ſe exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adſtant, participes fieri = cui controverſiæ, ut Pontifex obviam iret, declaravit, Sacerdotes ſemper, & indiſcriminatim ad id non teneri, ſub infraſcriptis tamen conditionibus, ibi.

At quoniam.... Quare Paſtores monere debent eoſdem fideles, ut participes eſſe cupientes ſacræ Menſæ (quod maximopere probandum diximus) ſtudeant tempus, locum, & circumſtantias nanciſci, quibus & ipſi juſtorum votorum ſuorum compotes evadant, nec inſtituta illa pietatis impediant. Hiſque Paſtorum ſuorum monitis fideles ſe ſe dociles præbentes, cavebunt, ne ſibi injuriam factam querantur, ſi quandoque pro tempore, loco, & perſonis, Epiſcopus minime opportunum cenſuerit, a Sacerdote celebrante Euchariſtiam diſtribui iis, qui adſtant; quibus ſcilicet eo ipſo tempore facilis, & obvia ſuppetit ratio ad eamdem menſam accedendi, pluribus aliis locis cuivis inſtructam.

Haud ægre Epiſcopi, & Parochi id fidelibus perſuadebunt, quoties ipſis ſignificent, ex Eccleſiæ diſciplina, quæ modo viget, non quidem difficiliorem, ſed faciliorem evaſiſſe iiſdem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in ſingulis Eccleſiis paſſim unica Miſſa celebrabatur, cui fideles adſtabant, indeque participabant, quin a ſolis propriis Paſtoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Euchariſtiam licite accipere valebant: hiſce vero temporibus, ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, Altariumque, quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate, patet cuilibet facile parabilis ſacra Menſa, & ad ſacrum Convivium admiſſio. Sin autem iidem fideles ita moniti, importune inſiſterent pro recipienda Euchariſtia in iis temporis, loci, & perſonarum circumſtantiis, quas excipiendas cenſuiſſet Epiſcopus, Ritualis Romani auctoritate etiam fretus; hæc illorum petitio, utpote nec juſta, nec rationabilis, contumacem, ac refractarium animum demonſtraret, cupidumque perturbationis, ac proinde minime cumpoſitum Euchariſtiæ, qua par eſt, pietate percipiendæ.

Nota I, Quod prohibitio in ſupra tranſcripto decreto Congr. Conc. de non adminiſtranda Sacra Euchariſtia in Oratoriis privatis, licet ex Apoſtolico Indulto in iiſdem Miſſa celebrari poſſit, confirmata eſt ab eodem Bened. niſi accedat licentia Ordinarii, ut in ejus Epiſtola encyclica *ad Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Poloniæ, Magno, 2. Junii* 1751. *§§. XXIII. & XXIV.*

Nota II. Ex decreto S. Cong. Rituum 2. *Sept.* 1741. *in Aquen.* ad IV. dubium, quod ſi obſequendo dicto Conc. deſiderio fideles communicare voluerint in Miſſis defunctorum, non eſt eis adminiſtranda Euchariſtia per modum ſacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo Pixidem a cuſtodia, ſed per modum Sacrificii, prout eſt, quando ipſis adminiſtratur cum particulis intra eamdem Miſſam conſecratis. Decretum autem eſt his verbis extenſum, prout reperitur *lib. V. Decretor. ejuſdem Congreg. ab anno* 1739. *ad* 1741. *pag.* 353. *a tergo*, a me recognitum.

= In paramentis nigris, non miniſtratur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo Pixidem a cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum Sacrificii, prout eſt, quando fidelibus præbetur Communio cum particulis intra eamdem Miſſam conſecratis =.

Quo ſtante, Sacerdotes monitos velim, quod non ſit attendendus Meratus, aſſerens *par. I. tom. I. pag.* 602. *ad Gavantum*, poſſe in Miſſa Defunctorum immediate poſt Communionem Sacerdotis Euchariſtiam adſtantibus diſtribui, etiam cum Particulis ab alio præconſecratis; nullumque eſſe S. Cong. Rituum Decretum, cujus habenda ſit ratio. Hujus Auctoris aſſertioni ſiſus Benedictus XIV. *lib. III. cap. XVIII. num.* 12. *de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio* ait = Cum quo (Merato) concludendum eſt, poſſe in Miſſis defunctorum Euchariſtiam, ſive in eadem, ſive in alia Miſſa conſecratam diſtribui; dummodo id nec fiat ante, vel poſt Miſſam, ſed intra eamdem Miſſam poſt ipſius Sacerdotis Communionem = Meratus enim & Benedictus, cum ſcripſerint ante mox allatum decretum, non abs re aſſeruerunt, nullum eſſe d. Cong. decretum, cujus habenda ratio ſit: potiſſimum cum decretum ejuſdem Cong. an. 1701. quo ex ſententia Gavanti prohibebatur, ne cuiquam aſtantium in Miſſis defunctorum Euchariſtia præberetur, ab eadem revocatum fuerit 21. *Martii* 1711. vetitumque, ne vulgaretur, aut ejus exemplar aliquod ederetur, ut teſtatur idem Bened. *loc. cit. num.* 10. Unde omnino attendendum eſt allatum decretum an. 1741.

S E C T I O L X V.

Eadem Seſſio XXII. cap. VIII. juncto Can. IX. de Sacrificio Miſſæ.

ETſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari paſſim lingua celebraretur.

Huic

Huic decreto acceſſit declaratio Apoſtolicæ Sedis ex contrario ſenſu ſequentis Propoſitionis LXXXVI. in ordine Paſchaſii Queſnelli proſcriptæ a Clemente XI. in Conſtit. *Unigenitus* 8. *Sept.* 1713. = Eripere a ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei = Inter enim plures dictæ Propoſitionis ſenſus, ut animadvertit idem Benedictus *loc. cit. num.* 2. = Eſt etiam ille, ut Queſnellius ſignificare voluerit, vulgari ſermone Miſſam celebrandam: quo ſenſu eam acceptarunt centum Galliarum Epiſcopi in eorum paſtorali documento = Quare autem nullatenus expediat, vernacula lingua Miſſam celebrare, innuit laudatus Bened. *loc. cit. num.* 5. = Et vero, quis ſanæ mentis id conſilii dederit, quo populus de Miſſæ Myſteriis certior fiat, quod commode per Parochos, & ſacros Oratores obtineri poteſt, ut Miſſa e latino, exempli cauſa, ſermone in vernaculam linguam convertatur, cum tot ſint vulgares linguæ riſu plane digniæ, & prorſus contemnendæ? Præterea non cujvis modo genti, ſed cuique pene civitati peculiaris eſt lingua; & labentibus annis quævis lingua mutatur, quod in latina contigiſſe narrat Polybius *lib. III.* qui primæ pacis Punicæ fœdus, Punico ſecundo bello confecto, ægre intellectum eſſe teſtatur. Huc accedit, quod in qualibet mutatione ſexcentis aperiretur occaſio contentionibus, & diſſidiis: populus autem Miſſæ in vernaculum ſermonem converſæ intelligeret quidem verba, ſenſum tamen minime aſſequeretur, quod infinitos errores pareret. = Subditque *num.* 7. quod cum P. Vois Ordinis Prædicatorum *anno* 1660. in gallicam linguam Miſſale convertiſſet, gallicanus Clerus de hujuſmodi novitate vehementer conqueſtus eſt apud Alexandrum VII. a quo anno inſequenti condemnatum eſt.

S E C T I O L X V I.

Eadem Seſſio XXII. de Sacrificio Miſſæ, proſequitur, idem cap. VIII.

QUamobrem, retento ubique cujuſque Eccleſiæ antiquo, & a S. Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum matre, & magiſtra, probato ritu, ne oves Chriſti eſuriant, neve parvuli panem petant, & non ſit qui frangat eis, mandat S. Synodus Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios, ex iis, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant: atque inter cætera ſanctiſſimi hujus Sacrificii myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis, & feſtis.

Hoc decretum, quo præcipitur, ut Miſſa celebretur, retento antiquo ritu cujuſcunque Eccleſiæ (latinæ, nempe, & græcæ) a S. Romana Eccleſia approbato, ampliatum eſt a S. Pio V. Conſt. *Providentia* 20. *Aug.* 1566. revocante facultatem quomodolibet conceſſam Græcis latino ritu, & Latinis græco more eam, & divina officia celebrandi, ſub pœna in contrafacientes perpetuæ ſuſpenſionis a divinis, ibi.

Sane cum ad notitiam noſtram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri tam græci, quam latini antiquum S. R. E. ritum tam in celebratione Miſſarum, quam aliorum divinorum officiorum pervertere ſatagentes, diverſas licentias, & facultates, Miſſas, & alia divina officia Græci latino more, ac Latini græco ritu celebrandi, ab Apoſtol. Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majore Pœnitentiario pro tempore exiſtente, variis prætextibus impetrarunt, illiſque jampridem utuntur; hoc ab antiquo catholicæ Eccleſiæ inſtituto, Sanctorumque Patrum decretis deviare conſiderantes, propterea hunc abuſum ab Eccleſia Dei extirpare, & ſubmovere volentes, omnes, & ſingulas licentias, & facultates hujuſmodi, hactenus, etiam motu proprio, vel quorumvis, etiam Imperatorum, Regum, & aliorum Principum contemplatione, & ex quibuſvis cauſis quomodolibet conceſſas, ac Apoſtolicas, & alias literas deſuper confectas, illarum omnium tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, Apoſtolica auctoritate ex certa ſcientia, hac præſenti noſtra perpetuo valitura Conſtitutione revocamus, caſſamus, annullamus, & irritamus, quibuſvis Presbyteris tam græcis, quam latinis in virtute S. obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac perpetuæ ſuſpenſionis a divinis, pœnis diſtrictius inhibentes, ne deinceps Presbyteri græci, præcipue uxorati, latino more, & latini græco ritu hujuſmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quovis prætextu Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præſumant,

Ex

Ex decreto tamen ſacræ Inquiſitionis ann. 1602. approbante Clemente VIII. relato a Benedicto XIV. Conſtit. *Impoſiti*, 29. *Martii* 1751. §. *VII.* licet Sacerdotibus ruthenis in Eccleſiis ritus latini uti Altaribus, calicibus, & veſtibus ſacris pro celebratione Miſſæ, etiam devotionis cauſa, quibus utuntur latini, ſicut & Sacerdotibus ritus latini in Eccleſiis Ruthenorum uti Altaribus cum eorumdem Antimenſiis ideſt linteis, epiſcopali benedictione conſecratis, loco ſacrati lapidis, calicibus, & veſtibus, dummodo eorum quilibet celebret in ſuo reſpective ritu, ſecluſo ſcandalo, & de licentia Prælatorum, ac Rectorum ipſarum reſpective Eccleſiarum: quod facere poterunt in ſolo caſu neceſſitatis, cum ſcilicet Presbyteri latini longe degunt ab Eccleſiis latini ritus, ac propterea ſecum deferre nequeant ſacratas tabulas lapideas ſine gravi incommodo, & periculo eas confringendi, ut ex cit. §. VII. ibi.

Sed aliter ſe res habent, ubi de Regionibus agitur, in quibus latini Presbyteri ab Eccleſiis latini ritus longe degentes, cum ſacratas lapideas tabulas per longa itinera ſine gravi incommodo, & ſine periculo ea confringendi, ſecum deferre nequeant, vel Miſſæ celebrationem penitus omittere, & ſic latinos fideles ſine Sacrificio proprii ritus, & ſine Myſteriorum participatione relinquere, vel eam ſuper Græcorum Antimenſiis peragere compelluntur. In hujuſmodi rerum circumſtantiis, Apoſtolic. Sedis provida indulgentia jamdudum enituit; cum ſcilicet anno 1602. ad ſupplicationem tunc exiſtentis Epiſcopi Vilnenſis prædictæ Cardinalium Inquiſitorum Generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipſo etiam Prædeceſſ. noſtro Clemente Papa VIII. approbante, reſcriptum fuit: = Sacerdotes Rutheni, non Schiſmatici, in Eccleſiis Catholicorum ritus latini, Altaribus, Calicibus, & Veſtibus ſacris eorumdem Catholicorum uti, & Miſſam celebrare poſſint, in caſu neceſſitatis, ac etiam ſolum devotionis cauſa, dummodo ritu rutheno celebrent. Et e contra Sacerdotes ritus latini in Eccleſiis Ruthenorum, non Schiſmaticorum, Altaribus, & Calicibus, ac Veſtibus ſacris uti, & Miſſam celebrare valeant, ritu tamen latino. Et prædicta ſerventur, ſecluſo omni ſcandalo, & de licentia Prælatorum, & Rectorum ipſarum Eccleſiarum.

Circa alteram allatam decreti Trident. partem, qua præcipitur animarum curam habentibus inter Miſſarum celebrationem aliquid populo exponere, præſertim diebus Dominicis, & feſtis; atque aliquod Sacrificii Miſſæ Myſterium declarare, jam ſermonem inſtitui *ſeſſ. V. cap. II. pag.* 816.

S E C T I O   L X V I I.

Eadem Seſſio XXII. in Decreto de Obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſæ.

QUanta.... decernit S. Synodus, ut Ordinarii locorum Epiſcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere ſedulo curent, ac teneantur, quæ, vel avaritia, idolorum ſervitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix ſejuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio, veræ pietatis falſa imitatrix, induxit. Atque, ut multa paucis comprehendantur; in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeant.

Huic Decreto, quo Concilium mandat Epiſcopis, ut cujuſvis generis mercedem, conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniæ labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeant: ad tollendum quemcunque turpem quæſtum acceſſerunt nonnullæ declarationes Congregationis Conc. auctoritate Urbani VIII. illi tributa, relatæ in Conſtitut. ejuſdem Pontificis *Cum ſæpe*, 21. *Junii* 1625. & ab Innocentio XII. confirmatæ, & innovatæ, itidem una cum additione aliarum reſolutionum ad hanc materiam ſpectantium, inſertarum in ſequenti Conſtitutione *Nuper*, *ſub die* 21. *Novembris*, *&* 22. *Decembris* 1697. cujus integrum textum tranſcribimus, utpote continentem dubia valde frequentia, & obvia, ne Lector cogatur pro caſuum opportunitate ad Bullarium confugere, quod ſemper in promptu habere nequit.

Nu-

Nuper a Congr. Venerab. Fratum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum prodierunt Decreta tenoris infraſcripti, videlicet.

Alias ſuper celebratione Miſſarum, ac prohibitione illas moderandi, ſeu reducendi abſque Sedis Apoſtol. licentia, necnon ſuper earumdem oneribus perpetuis ſuſcipiendis, & Religioſorum numero ultra redditus, & conſuetas eleemoſynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sac. Congregatione Sac. R. E. Cardinalium Conc. Trident. Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi ſpecialiter attributa, quamplura Decreta tenoris ſequentis.

§. I. Cum ſæpe contingat in quibuſdam Eccleſiis tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen nova onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur: indeque fiat, ut depereant piæ teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ ſuffragiis priventur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac chriſtifideles gravi ſcandalo affecti, plerunque a ſimilibus charitatis operibus retrahantur: cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ii, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri: aut quod Eccleſiis, forte pecuniarum abſumpta, plerunque nuda remaneant onera Miſſarum abſque ullo emolumento: aut quod eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic ſe muneri ſubjicere, & redditus Eccleſiæ, aut monaſterii adeo exigui, ut Sacerdos pro neceſſaria ſui ſuſtentatione novis ſe oneribus obſtringere compellatur. Sac. Congregatio Cardinalium Conc. Trid. Interpretum animadvertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique, ac juſtitiæ maxime conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat hunc teterrimum abuſum e chriſtiana republica convellere, atque eradicare, Sanctiſſimi D.N. Urbani Divina providentia Papæ VIII. auctoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

§. II. Ac I. Diſtricte prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis: ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtol. Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſiquas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

§. III. Deinde, ubi pro pluribus Miſſis, etiam ejuſdem qualitatis, celebrandis, ſtipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive a pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuſcunque, tam ſecularibus, quam Regularibus: Sacra Congr. ſub obteſtatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, ita, ut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

§. IV. Id vero, ut deinceps obſervetur exactius, Sacra Congr. eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac locis piis, tam ſecularibus, quam regularibus, cujuſcunque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeu Orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

§. V. Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

§. VI. Præterea, ne in Eccleſis, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, ut par eſt, adimplendis eo tepidiores, ac ſegniores reddantur, quod

quod onera hujuſmodi cum nulla, aut parva ſint utilitate conjuncta; ſtatuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam ſecularibus, quam regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda, cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda a die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penes ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium, quamprimum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

§. VII. Ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtol. deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, ſub eadam pœna, ut ſupra, deponi atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum ejuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

§. VIII. Ad hæc Sacr. Congreg. quibuſvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſecularium, quam regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, diſtricte prohibet, ne in poſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum: ſeculares quidem ſine Epiſcopi, vel ejus generalis Vicarii: Regulares vero ſine Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin ſecularis, qui hujus prohibitionis transgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis vero pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque activæ, & paſſivæ, abſque alia declaratione incurrat.

§. IX. Eleemoſynas vero manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa: *Eleemoſyna pro Miſſis*, vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtentur.

§. X. Epiſcopus vero, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant, de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus: nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime conſtiterit, illius Sacerdotes, tam novo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe, præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Eccleſiis, & locis piis relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adjunctis ſecundum morem cujuſque civitatis, vel provinciæ: intelligantque, ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

§. XI. Poſtremo Illuſtriſſimi Patres non ſine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ regularem diſciplinam evertunt, ac præcipue nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant redditus, & eleemoſynæ cujuſque monaſterii, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Trident. Conc. Decretis; hac de re editis, Sanctiſſimi Domini noſtri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcunque aliis Superioribus monaſteriorum, conventuum, ac domorum regularium, bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcunque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet, in qualibet provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, tam communes monaſteriorum, conventuum, & domorum ejuſdem provinciæ, quam etiam ſingularibus perſonis Reli-

gioſis

gioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem uſum deinceps conferendas, decem annorum immediate præcedentium habita ratione, diligenter, & mature recognoſcant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliave cujuslibet generis onera conſueverunt abſorbere.

§. XII. Eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cujus intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione generali, vel provinciali coram tribus judicibus, ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujuſmodi redditibus, eleemosynis, & obventionibus univerſis, & oneribus, ut ſupra detractis, ſedulo examinent, quot religioſi homines, connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus, in unoquoque monaſterio, conventu, & domo regulari, juxta regionis, & proprii Inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, redditu.n, eleemosynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cujuſque familiæ, monaſterii, conventus, ac domus regularis in ſingula quaque provincia certus earum tantum perſonarum numerus, Patrum capitularium voto præſigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut ſuperius, ſufficenter alii poſſint.

§. XIII. Ne vero Superiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſſius, quam par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant: mandat Sacra Congregatio, ut infra annnm, poſt proximum Capitulum generale, vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authanticam formam redacta, ad Sacram ipſam Congregat. Conc. ſinguli mittant.

§. XIV. Numerumque familiæ, ſingulorumque Conventuum, Monaſteriorum, & domorum hujuſmodi Regularium, Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel provincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales, & Provinciales omnes, quam locales, perpetuo ſervare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia: Superiores autem hujuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, ut ſupra præſcriptum, quovismodo augere præſumpſerint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vociſque activæ, & paſſivæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus, inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque aliis, etiam gravioribus, a Sede Apoſt. infligendis pœnis, Sac. Congr. ſubjacere voluit, & declaravit.

§. XV. Deinceps vero monaſterium, conventus, domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis hujuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monaci, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum Decreti ſel. record. Gregor. XV. hac de re editi: alioquin monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.

§. XVI. Porro, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque monaſterii, conventus, ac domus regularis curare, atque efficere teneantur, ſub pœna privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & feria ſexta poſt octavam Corporis Chriſti, præſentes ordinationes in publica Menſa perlegantur .... ſequitur derogatio &c.

§. XXI. Excitatis autem ſuper præmiſſorum decretorum intelligentia, ſeu interpretatione, infraſcriptis dubiis, prodierunt a memorata Congreg. ſimili auctoritate illi a præfato Urbano Papa VIII. ſpecialiter attributa, reſponſiones, ſeu declarationes inferius apponendæ.

Super I. Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quo-

quomodo, reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Conc. impoſita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid, ſi legatum ſit ita tenue, ut non ſit, qui velit onus illi injunctum ſubire, & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſt. pro moderatione oneris, totum, aut fere totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis?

Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, ut poſſit hujuſmodi onera moderari?

II. Super ſecundo ejuſdem Congr. Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præſcriptę fuerint.

Quæritur, an verba illa (*præſcriptę fuerint*) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

III. An, cum Ordinarius præſcripſerit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas, illis ab offerente præſcriptas celebrare.

IV. An Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii, ſeu capellæ, legati, aut ſalarii, poſſint etiam manualem eleemosynam pro Miſſis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Miſſæ ſacrificio utrique oneri ſatisfacere?

V. Poſito, quod teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Miſſę, abſque ulla præſcriptione eleemosynæ.

Quæritur, an liberum ſit hæredibus eleemosynam ſibi beneviſam præſcribere, an vero eadem eleemosyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

VI. Super tertio Congregat. Decreto, in quo eadem Congr. revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeu Orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba (*in futurum ſuſcipiendis*) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt privilegium?

VII. Super quarto ejuſdem Congr. Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui ſuſcepit Miſſam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemosynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum ſit Adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſervientium, parameutorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium.

VIII. An hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, ideſt, an Rector beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem reddituum beneficii.

X. An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt; an vero ſatis ſit, ut dent celebrantibus eleemosynam conſuetam.

XI. Super quinto ejuſdem Congr. Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba. *Eleemosynas vero manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemosynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant &c.*

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat abſolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non ſatisfecerunt; & quid, ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

XII. Quid, ſi offerens eleemosynas, audito impedimento, conſentiat, ut Sacerdos Miſſam celebret, cum primum poterit?

XIII. An pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto afficiant, tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præſcriptam, quam eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, ut ibidem præcipitur.

XIV. An in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur *Caſſe de Morti*.

XV. An

XV. An Adminiſtratores Eccleſiæ magnæ devotionis, & concurſus poſſint eleemosynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis nonniſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne alias cultus Eccleſiæ, & devotio, ac concurſus fidelium, ut ajunt, minuantur?

XVI. Quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, piorum locorum, tam ſecularium, quam regularium Superioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem privatis Sacerdotibus; qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (*& aliis, ad quos pertinet*) ſupplicatur pro opportuna declaratione?

XVII. Super ſeptimo ejuſdem Congr. Decreto, quo cavetur, ut in ſingulis monaſteriis Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemosynis commode poſſint ſuſtentari.

Quæritur, an, ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim ſimilis Decreti Sanctæ memor. Pauli V. abſque tamen computatione reddituum cujuſque Religioſi, ſit denuo facienda, nec ne?

XVIII. An Novitii, ad habitum regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in monaſteriis, in quibus habita, ut ſupra, præfixione numeri, commode ali non poſſunt?

XIX. Super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur conventus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, itaut alioquin ſubſint juriſdictioni Ordinarii.

Quæritur; an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quę non conſueverint onera Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jeſu?

XX. An idem Decretum, ubi diſponit, ut nullibi recipiantur monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam.

DECLARATIONES, AUT RESPONSIONES AD SUPRADICTA DUBIA.

§. XXII. Sacra Congreg. Cardinalium Conc. Trident. Interpretum, auctoritate ſibi a Sanctiſſimo Domino noſtro attributa, ad ſingula dubia ſuperius propoſita, ad hunc modum reſpondit, videlicet.

Ad I. Etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſupra impoſiti, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtol. eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino e re eſſe judicaverit. Verumtamen, ſi ipſa in beneficii erectione expreſſe cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſervandam.

Ad II. Eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens eleemosynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius, ſecundum morem civitatis, vel provinciæ.

Ad III. Teneri.

Ad IV. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii, ſeu capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemosynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.

Ad V. Cenſuit, ubi nullam certam eleemosynam teſtator relliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemosynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundum morem civitatis, vel provinciæ.

Ad VI. Ita eſſe intelligenda.

Ad VII. Reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſia, ac loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemosynis Miſſarum celebrandarum ullam, utcunque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi

cum Eccleſiæ, & loca pia alios non habent redditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licite poſſint: & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ; & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, ut ſupra, deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad VIII. Non habere locum, ſed ſatis eſſe, ut Rector beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundum morem civitatis, vel provinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad X. Debere abſolute integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad XI. Reſpondit, non prohibere abſolute: ac proterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad XII. Quamvis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis, juxta benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad XIII. Has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcepturis onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel ejus generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad XIV. Comprehendi.

Ad XV. Non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, ut ſupra in reſponſione ad XII.

Ad XVI. Comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad XVI. Numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſervata forma ultimi Decreti, hac de re editi.

ad XVIII. Eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi alias habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio monaſterio ejuſdem Religionis eſſe collocandos, ubi commode a li poſſint.

Ad XIX. Cenſuit comprehendere.

Ad XX. Hebere locum extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres. *Proſp. Fagnan. Congr. Secr.*

§§. XXII. XXIII. & XXIV. . . . .

§. XXV. Inſuper, ut in re tanti momenti conſultius, ac majori, ut par eſt, circumſpectione procedatur: ſi qui forſan fuerint, vel ſint, qui ſuis pravis, & erroneis intentionibus, ſeu opinionibus blandiri volentes, Miſſarum celebrationem omittant ſub malitioſa, vel irrationabili ſpe earumdem coudonationem, vel reductionem a Sede Apoſtol. vel compoſitionem a Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi; Congregatio præfata, tum eoſdem, tum quoſcunque alios, qui poſthac in adeo deteſtabiles abuſus auſi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos eſſe voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, nonniſi ex rationabili cauſa, ſeu æqua commiſeratione, compoſitiones vero a dicta Fabrica utente ſuis facultatibus, & privilegiis, nonniſi ex cauſa pariter rationabili, & cum clauſulis opportunis, & præſertim cum illa: *Dummodo malitioſe non omiſerint animo habendi compoſitionem, alias gratia nullo modo ſuffragetur*, admitti conſueviſſe, & ſolere: quapropter, ut locus omnis in poſterum hiſce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio, tales intentiones, opiniones, ſeu ſpes, ac eleemoſynarum, ſive in toto, ſive in parte verſiones in alium, quam præfatarum Miſſarum uſum, ſeu ſatisfactionem, & quaſcunque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, ſeu circumventiones, declarat prorſus irrationabiles, injuſtas, & illicitas, illaſque omnino reprobat, & damnat, & interdicit.

§. XXVI. Cumque hujuſmodi abſurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Miſſarum ſupra vires ſuſcipiantur, caveant omnes, & ſinguli Rectores, Superiores, & Miniſtri

ſtri quarumcunque tum ſecularium, tum regularium Eccleſiarum, ſeu illarum Capitula, ne onera, ſeu Miſſas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum ſatisfactioni impares fuerint, quoquomodo ſuſcipiant; utque idipſum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, ſemperque in loco magis patenti, & obvio retinere tabellam onerum perpetuorum, & temporalium literis perſpicuis, & intelligibilus deſcriptorum, quorum implemento, ſi moraliter, & intra præſcriptum, ſeu breve tempus ſatisfacere non poſſe, ſeu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere poſſe crediderint, ſeu credere debuerint, alias Miſſas, ſive perpetuas, ſive temporales, ſive manuales, per ſe, vel per interpoſitas perſonas quoquomodo recipere, ſeu acceptare omnino deſiſtant, ſeu abſtineant; & ulterius tali caſu in eadem tabella ſimiliter exprimant, ſeſe propterea aliis Miſſis acceptandis, & celebrandis impares eſſe.

§. XXVII. Iidemque teneantur pariter in ſacrario duos libros retinere, ac in eorum altero ſingula onera perpetua, & temporalia, in altero autem Miſſas manuales, & tam illorum, quam iſtarum adimplementum, & eleemosynas diſtincte diligentet annotare, & annotandas, ſeu annotanda curare, ſingulisque annis de ſupradictis adimplementis, eleemosynis, & oneribus pariter exactam rationem ſuis Superioribus reddere, ac omnes, & ſingulas rationes hujuſmodi in præfatis reſpective libris ſimili diſtinctione, & diligentia, tam præfati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendæ erunt, deſcribere, ſive annotare, ſive deſcribendas, vel annotandas reſpective curare.

§. XXVIII. Quibus ſemper ſalvis, debeant ulterius Regulares prædicti omnes, & quaſcunque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Miſſarum reponere in capſa particulari ſub duabus clavibus; quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iiſdem eleemosynis, & celebratione Miſſarum coram Patribus diſcretis, ſeu Conſiliariis, vel alio ſimili modo nuncupatis, ſingulis menſibus diſtrictam rationem exigere, & reſpeictive reddere.

§. XXIX. Quod ſi prædicti, ad quos cura tabellæ, capſæ, & librorum præfatorum reſpective pertinet, ſeu pertinere debet, ſuam operam præmiſſis, ut præfertur, minime navaverint, & Superiores, tum ſecularium, tum regularium Eccleſiarum rationem prædictam non exegerint, ſeu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam tabellarum, & librorum incumbunt, ſuo muneri, ut præfertur, ſatisfaciant, in ſingulis reſpective caſibus, ſeculares pœnam ſuſpenſionis incurrant, Regulares vero voce activa, & paſſiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipſo facto, & abſque alia declaratione privati ſint, & intelligantur, necnon ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda ſimiliter inhabilitentur, & inhabilitati ſint, & intelligantur.

§. XXX. Porro, ne ullo unquam tempore omnia, & ſingula decreta prædicta in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Rectores, Superiores, ſeu Capitula Eccleſiarum ſecularium illa retineant publice expoſita in eorum ſacrario; Superiores vero locales cujuſcunque monaſterii, conventus, ac domus regularis curare, & efficere teneantur ſub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum ſexto quoque menſe, ideſt, feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & feria ſexta poſt octavam Corporis Chriſti, omnes, & ſingulæ præmiſſæ, tum inſertæ, ſeu confirmatæ, tum in præſens factæ ordinationes una cum dictis declarationibus in publica menſa perlegantur.

§. XXXI. Meminerint igitur, & ſatagant Ordinarii, ut a perſonis, & in Eccleſiis quoquomodo, etiam in vim decretorum Conc. Trid. ſibi ſubjectis, Miſſæ, ea, qua par eſt, fide, & diligentia celebrentur; & cuncta, & ſingula decreta hujuſmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum juſtitiam recurrentibus, ſeu inſtantibus reddentes, ſed ex officio, tum in viſitationibus, tum in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & ſingulis decretis adverſetur.

§. XXXII. Caveant etiam reſpective omnes Regulares, tum ſubditi, tum Superiores quicunque, nedum locales, ſed etiam Provinciales, & Generales, ne Miſſarum celebratio, & omnium decretorum præmiſſorum executio, cum pernicie propriarum anima-

rum

rum, cum præjudicio illarum, quibus Miſsæ ſunt applicandæ, & cum magno chriſtifidelium ſcandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, ſeu pervertantur; alioquin ultra propriæ conſcientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda prorſus incurrant.

XXXIII. Curent propterea præfati Superiores regulares in omnes, & ſingulos contravenientes debitis pœnis diligenter, & prompte, etiam per inquiſitionem, animadvertere; & inſuper teneantur omnes, & ſinguli Superiores locales, in provincialibus Capitulis, ſeu Congregationibus exhibere atteſtationem, ſeu fidem ab omnibus Sacerdotibus conventus, monaſterii, ſeu cujuſcunque domus regularis, ſubſcriptam, & juratam, quod omnibus, & ſingulis, tam perpetuis, tam manualibus Miſſarum oneribus, ſeu obligationibus, ad limites, & tenorem præſentium decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino, & integraliter ſatisfactum; vel deficiente aliqua modica ſatisfactione, poſſit etiam hujuſmodi reſiduali implemento Miſſarum, diſtincte referendarum, intra breve tempus moraliter ſatisfieri ea adjecta, & omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ atteſtationis exhibitionem quicunque Superiores locales prædicti vocem activam, ſeu paſſivam in memoratis Capitulis, ſeu Congregationibus omnino habere non valeant.

§. XXXIV. Propterea Provinciales, Vicarii, & Viſitatores Provinciarum, ſeu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante oſtendere, quod executioni præſentium decretorum ſedulo invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & ſingulis conventibus, ſeu monaſteriis, vel domibus regularibus Provinciæ, ſeu Congregationis, de omnibus, & ſingulis oneribus, & obligationibus, ac inſimul ſatisfactionibus Miſſarum, exactam, & diligentem rationem exegerint; ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem reſpective pœnarum in Decretis contentarum proceſſerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmiſſis ad ipſos ſpectant, legitime docuerint alias ad vocem activam, & paſſivam in Capitulis generalibus nullatenus admittantur.

§. XXXV. Cæterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hoſpitalia, Altaria, Capellas, Oratoria, & Eccleſias, ac alia loca, & opera pia, quomodolibet nuncupata, quæ cuicunque curæ, ſeu regimini, aut adminiſtrationi, vel directioni laicorum cujuslibet gradus, ſtatus, conditionis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali, & individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcunque eccleſiaſticorum, & laicorum hujuſmodi mixtim commendata, annexa, ſeu quomodocunque commiſſa, vel attributa ſunt, onus, ſeu cura celebrationis Miſſarum, ſive manualium, ſive ad tempus, vel in perpetuum pertinent: hinc, ſalvis ſemper iis, quæ in præinſertis Decretis continentur, omnes, & quicunque hujuſmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hoſpitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum, & Eccleſiarum, ac aliorum locorum, & operum priorum Rectores, ſeu Adminiſtratores, vel Directores, & alii hujuſmodi Officiales, necnon ii, ad quos cura tabellæ, & librorum in præmiſſis ſpectat, tabellam, libros, & hæc Decreta reſpective, juxta modos ſuperius expreſſos, ſimiliter retinere, necnon de oneribus, ac celebrationibus, & eleemosynis dictarum Miſſarum ſingulis annis rationem exigere, & reſpective iis, ad quos pertinet, reddere, ſub pœnis arbitrio, & in ſubſidium excommunicationis, teneantur. Sequuntur clauſulæ derogatoriæ.

Cum autem poſt hec Decreta quædam pravæ Doctorum opiniones vulgatæ fuerint, in ſequentibus Propoſitionibus expreſſæ, videlicet = Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta = Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Urbani VIII. = Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione, etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram =. Annuum legatum pro anima relictum, non durat pluſquam per decem annos = Quæ omnes Propoſitiones *die* 24. *Septembris* 1665. proſcriptæ fuerunt ab Alexandro VII.

His tandem Decretis, & S. Congregationis reſpon-

reſponſis, ad tollendum execrabilem abuſum circa Miſſarum eleemosynas, ſive a Sacerdotibus, ſive ab eccleſiaſticis quibuſcunque, ſive etiam a laicis collectas, acceſſit ſequens Conſt. Bened. XIV. ſub *die 30. Junii* 1741.

Quanta cura adhibenda ſit, ut ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium non ſolum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam, ut a tanti Sacrificii dignitate cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & importunæ, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, e medio tollantur, nemo eſt ex catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret. Verum eouſque tandem progreſſa eſt, ſicut non ſine ingenti cordis noſtri mærore undique accepimus, nonnullorum, ſive eccleſiaſticorum, ſive laicorum virorum avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, ut eleemesynas quidem, ſeu ſtipendia propter Miſſarum celebrationem, juxta locorum conſuetudines, vel diæceſanarum Synodorum ſanctiones, in ſubſidium alimentorum uniuſcujuſque Sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus præſcripta, colligant; Miſſas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynæ, ſeu ſtipendia, vel conſuetudine, vel ſynodali lege, pro ſingulis Miſſis attributa, ſunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur. Id quam obſonum ſit, atque alienum ab ipſa, ſive expreſſa, ſive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter exiſtimandum eſt; in illa enim potius Miſſas eſſe celebrandas quiſque vult, ad quam, Religionis, & pietatis ſtimulis ductus, & eleemosynas confert, aut in qua quiſpiam fortaſſe tumulatus eſt, quam in alia Eccleſia ſibi prorſus ignota. Quod ſane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non ſolum ab avaritiæ ſuſpicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde reſtitutioni ſubjaceat, haud immune, in cauſa eſt, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujuſmodi venit, graviter offenſi, ab eleemosynis ad celebrandas Miſsas amplius offerendis ſeſe abſtineant. Execrabilem hujuſmodi abuſum alicubi ſenſim irrepentem deteſtantes Romani Pontifices Prædeceſs. Noſtri, de conſilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congr. Conc. Trid. Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote ſtipendio, ſeu eleemosyna majoris pretii pro celebratione Miſsæ a quocunque accepta, non poſse alteri Sacerdoti Miſsam hujuſmodi celebraturo ſtipendium, ſeu eleemosynam minoris pretii erogari, etſi eidem Sacerdoti Miſsam celebranti, & conſentienti, ſe majoris pretii ſtipendium, ſeu eleemosynam accepiſse indicaſset... Quoniam autem ita comparatum eſt, ut præſentis pænæ metu ſalutaribus monitis facilius obtemperetur, per Edictum in veſtris diœceſibus proponendum affigendumque, univerſis notum facite, quemcunque, qui eleemosynas, ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel ſynodalia ſtatuta exigunt, *colligens*, & Miſsas, retenta ſibi parte earumdem eleemosynarum, ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit: *laicum quidem*, *ſeu ſecularem*, præter alias arbitrio veſtro irrogandas pænas, *excommunicationis* pœnam: *Clericum* vero, ſive quemcunque *Sacerdotem*, *pænam ſuſpenſionis ipſo facto incurrere*, a quibus nullus per alium, quam per Nos ipſos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit.

Nota I. Quod cum in reſponſo S. Congr. ad X. dubium caveatur = Sacerdotem, cui offertur eleemosyna major ſolita pro Miſſa celebranda, teneri illam integram tribuere alteri Sacerdoti, ſi huic forte eamdem celebrandam committat, nulla parte ſibi retenta = nullatenus mentio fiat pœnarum contra transgredientem inflictarum, juvat refere tria excitata dubia ſuper hoc eodem Decreto coram Congr. Conc. *5. Julii* 1664. *in Anconitana Eleemosynæ*.

I. An Sacerdos illud transgrediens, peccet mortaliter.

II. An muneri ſuo ſatisfaciat.

III. An ad reſtitutionem teneatur.

Ad quæ S. Congreg. reſpondit.

Ad I. Peccare mortaliter. Ad II. Negative, in caſu, & ad effectum, de quo agitur, hoceſt, non ſatisfacit muneri ſuo, quoad diſtributionem eleemosynæ, licet ſatisfaciat, quoad Sacrificium Miſſæ. Ad III. Affirmative.

Si autem quæras, cui facienda ſit reſtitutio (ad quam quidem tenetur ex mente Summorum Pontificum, & præſertim laudati Benedicti, ut ſupra) an Sacerdoti celebranti? dico faciendam eſſe huic: cum enim in hunc tranſtulerit onus celebrandi, tranſtulit quo-

quoque jus ad integrum ſtipendium ; ac proinde hunc eumdem læſit, vide Mattheuc. *cap.X. §.XI. Official. Curiæ, quoad celebr. Miſſarum num.49.*

Nota II. Quod cum in reſponſo ejuſdem Sacr. Congr. ad dubium XI. declaretur = Poſſe nova onera Miſſarum manualium, & quotidianarum recipi, licet oneribus jam ſuſceptis non ſatisfactum fuerit, ſi intra modicum tempus poſſit omnibus ſatisfieri = nonnulli DD. hujusmodi temporis ſpatium protrahendum cenſuerunt ad duos, vel tres menſes : imo alii, & quidem nimis laxe, ad biennium, & etiam ad triennium, Verum ex Decreto Congr. Conc. declaratum eſt, reſtringi ad unum menſem : *die enim 17. Julii 1755. ut ex lib. XIX. Decret. ejuſdem Congr. pag. 497.* ad dubium ſibi propoſitum, hoc dedit reſponſum, ibi = Cum in declaratione undecimi, impreſſa ſuper decretis de celebratione Miſſarum, permittatur receptio aliorum onerum Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſit omnibus ſatisfieri, hodie nonnulli Superiores regulares poo conſcientiarum, ut inquiunt, quiete, denuo quærunt, an dictum modicum tempus celebrandi Miſſas reputetur tempus duorum, vel trium menſium. Sacra &c. reſpondit ☞ *Modicum tempus intelligi infra menſem.*

Adverte tamen, hoc Decretum non poſſe habere locum, quoties onus poſterius receptum adimplendum eſſet pro aliqua certa cauſa v.g. pro præſenti infirmitate, vel felici expeditione alicujus negocii & ſimilibus, cum tunc eſſet contra claram committentis mentem : & Sacerdos celebrationem differens, peccaret mortaliter, & teneretur, vel poſt mortem dantis, vel poſt negocii jacturam ſub mortali eleemosynam reſtituere ; quamdoquidem ſi non ratione materiæ, ratione tamen finis in re gravi ipſum dantem defraudavit, Mattheuc. *Offic. Cur. c. X. §. II. n. 47.*

S E C T I O L X V I I I.

Eadem Seſſio XXII. Proſequitur idem Decretum de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſæ.

Deinde, ut irreverentia vitetur, ſinguli in ſuis diœceſibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Miſsas celebrare liceat (juncto ſimili Decreto, contento in *cap. XVI. ſeſſ. XXIII. de reform.*)

Nullus præterea Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarii literis ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda, & Sacramenta miniſtranda admittatur,

Cum nonnulli falſo autumaverint, hujuſmodi Tridentini prohibitionem non extendi ad Sacerdotes regulares, utpote expreſſe non nominatos, S. Cong. Univerſalis Inquiſitionis declaravit ſuis literis encyclicis *datis die 20. Febr. 1649. & 26. Jan. 1692*, in quibus tam Epiſcopi, quam Vicarii generales, & Foranei admonentur, ne Sacerdotes advenas tam regulares, quam ſeculares ad Miſſæ celebrationem admitti patiantur = Niſi literas Epiſcopi, ac Prælati regularis prius oſtendant, quibus Sacerdotes ita probentur, ut nulla falſitatis umbra, vel ſuſpicio relinquatur = Ita autem hoc Tridentini, & dictæ S. Cong. Decretum ſervandum eſt, ut neque ipſis Regularibus privilegium ullum ſuffragetur, quin prohiberi poſſint ab Epiſcopo, ne Sacerdotes ſeculares exteros ad ſacrum peragendum in ſuis Eccleſiis admittant, niſi prius horum literæ commendatitiæ recognitæ, & approbatæ fuerint per Ordinarium; ut declaravit Congr. Conc. *die 17. Novembr. 1594. lib. VIII. Decretor. pag. 78.*

His Concilii, & Congregationum laudatarum Decretis derogatum eſt Decretali Innocentii III. relatæ in *cap. III. Tuæ fraternitatis, de Cleric. peregrin.* in qua Patriarchæ Hieroſolymitano reſcripſit, ut Sacerdotibus ad eas partes ſine commendatitiis ſuorum Ordinariorum accedentibus permitteret ſecreto dumtaxat celebrare ; ſive enim publice, ſive ſecreto ſine dictis commendatitiis quis celebraret, non ſatis conſtare poſſet, vel quod eſſet Sacerdos, vel aliquo canonico impedimento irretitus ; quod quidem fuit Tridentini finis, ut notavi par. I. pag. 86, & 87.

S E C T I O L X I X.

Eadem Seſſio XXII. Proſequitur idem Decretum de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſæ.

Neminem præterea .... patiantur (loquitur ad Epiſcopos) privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium a ſecularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi,

In

In hoc Decreto prohibet Concilium, ne permittatur ab Epiſcopo, ut Miſſæ Sacrificium peragatur a Sacerdotibus, tam ſecularibus, quam regularibus in domibus privatis, & extra Eccleſiam, aut publica Oratoria. Olim quidem poterant Epiſcopi concedere ſuis diœceſanis facultatem Miſſam celebrandi in locis extra Eccleſiam, in Oratoriis videlicet privatis, ex *Can. XII. Miſſarum, de Conſecrat. diſtin. I.* (qui a Gratiano tribuitur Concilio Triburienſi, cum potius tribuendus ſit Concilio Moguntino, celebrato an.888. quandoquidem continetur in ejus cap.IX. unitus cum *Can. XXX. Concedimus, ead. diſtin.*) hodie tamen hujuſmodi poteſtas ex allato Conc. Decreto adempta eſt Epiſcopis, ut iiſdem ſignificavit Congr. Conc. per literas encyclicas, juſſu Pauli V. an.1615. his verbis, relatis a Bened. XIV. *de Sacrificio Miſſæ, lib. III. cap. VI.* num. 2.

= Tametſi ſacra Cardinalium Congr. Conc. Trid. Interpretum optimis innixa rationibus ſæpiſſime reſponderit, celebrandi licentias in privatis Oratoriis, non niſi a Sede Apoſtolica eſſe concedendas &c. Illuſtriſſimi Patres &c. Sanctiſſimi Domini noſtri juſſu ſignandum, duxerunt, facultatem hujuſmodi licentias dandi ipſius Conc. Decreto unicuique ademptam eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſervatam =.

Hoc tamen conciliari decreto nihil detractum eſt Epiſcoporum privilegio (etiam Titularium, ut tradit Monacellus *Formul. par. II. form.I. n.2. Adnot. ad Decret. Commun. quotid.*) quo in ſuis domibus privatum Oratorium habere poſſint, in eoque Miſſam celebrare, aut celebrari facere, ut anno 1623. eadem Congr. explicans allatam poteſtatis reſtrictionem, declaravit per hæc verba = Proindeque Capellas, & Oratoria ad illorum uſum ubique locorum extructa minime comprehendi in prohibitione Conſtitutionis, juſſu ſan. mem. Pauli V. jampridem editæ de non celebrando in privatis Oratoriis = Ita ut in eo plures Miſſæ celebrari poſſint, etiam a Sacerdotibus, qui non ſunt ex familia, licet Epiſcopus abſens ſit; eamque audientes diebus feſtis quicunque, tametſi exteri, eccleſiaſtico præcepto ſatisfariant.

Nec quidquam detractum eſt eorum ordinariæ poteſtati, quin impertiri poſſint facultatem celebrandi Miſſam in Oratoriis erectis in quibuſdam domibus, dummodo ab his ita ſint ſeparata, ut per eas ad illa non pateat ingreſſus, & a via publica cunctis pateat acceſſus, ut declaravit S. Congr. Epiſcop. & Regul. *in Coimbricenſi*, 1. *Julii* 1616. & Congreg. Conc. *in Nullius*, 13. *Junii* 1626. *& in Placentina*, 24. *Novemb.* 1626. *lib. XIII. Decretor. pag.* 18. *&* 147.

Hujuſmodi privilegium competens Epiſcopis, eorumque privatis Capellis, etiam extenditur ad Oratoria, ſeu Capellas privatas Cardinalium, licet non ſint Epiſcopi, ut docet laudatus Benedictus *loc. cit.* & declaravit Congr. Conc. 18. *Febr.* 1623. *lib. XII. Decretor. pag.* 121.

Extenditur pariter ad Oratoria, ſeu Capellas Seminarii ex decreto ejuſd. Congr. *in Viterbien.* 18. *Martii* 1686. *lib. XXXVI. Decretor. pag.* 185.

Sicuti & ad Capellas Carcerum, non autem palatii Magiſtratus, ut cenſuit *in Calaritana*, 14. *Novemb.* 1648. *lib. XVIII. Decretor. pag.* 543.

Item ad Capellas ſitas intra clauſtra Regularium, ut declaravit Congr. Epiſcop. & Regul. *in Bononien.* 31. *Maii* 1602. *&* *in Tarant.* 25. *Maii* 1618. *ac Congr. Conc. in Neapolitana, & Brunduſina*, 18. *Auguſti* 1615. quam declarationem refert Lucius Ferraris, *Prompta Bibliotheca, art. XVI. verb. Miſſa num.* 12. & quamvis Fagnanus *in cap. XXX. In his, de Privileg. num.* 15. ſenſerit, extendi quidem, ſi præceſſerit licentia, & approbatio Ordinarii, qui locum viſitaverit, aptumque divino cultui compererit; id colligens ex textu Trident. *verb. Neve patiantur*, quo ſuſtulit omnia privilegia celebrandi extra Eccleſiam, & publica Oratoria, etiam quoad Sacerdotes regulares, cum tria ibi interdicat. I. Nempe, ne Epiſcopi permittant Miſſam ab ullo celebrari in privatis domibus. II. Ne id fieri permittant in locis, quæ ſunt omnino extra Eccleſiam, & Oratoria, divino tantum cultui dicata. III. Præcepit, ut dicta Oratoria deſignentur, & viſitentur ab Ordinario: idem tamen *num.* 23. prout animadvertit Mattheuccius *Offic. Curiæ cap. X. §. III. num.* 81. refert, = Quod Sac. Congr. olim reſpondit, Oratoria exiſtentia in monaſteriis, vel hoſpitalibus, ordinaria, vel Apoſtolica auctoritate fundatis non comprehendi in prohibitione Conc. *verſ. Neve patiantur*. Propterea paſſim videntur hæc Oratoria erecta in Infirmariis, vel aliis locis monaſteriorum, quin præiverit Ordinariorum conſenſus, & viſitatio. Siquidem de illis non verificatur, quod ſint omnino extra Eccleſiam; cum appellatione Eccleſiæ aliquando veniant Religioſorum conventus, ut colligitur ex *cap. Alma mater, de Sent. excommun. in VI. cum ſua Gloſſ. verb. Monaſteriis, & can. Abbatis, §. Hac autem, LIV. diſt.* minuſque, quod ſint in ædibus privatis, cum ſint in loco religioſo. Et facilius hic per Petram *num.* 47. = Intrat communicatio privilegiorum, præſumiturque veriſimilis voluntas Pontificis concedentis; maxime, quia ex communi uſu, & praxi, ut dictum eſt, ſimilia Oratoria fixa videntur in clauſtris, & Infirmariis erecta. Et inde videtur mens Sanctæ Sedis eſſe, ut in caſu Indultum per communicationem participetur. Cæterum Superiores caute debent procedere, & non niſi in locis decentibus, aliis uſibus non deputatis, & pro præciſis neceſſitatibus, Oratoria cum Altari fixo ad celebrandum erigere. Cujus generis videntur eſſe Capellæ in Infirmariis conſtructæ, quæ deſerviunt, ut in eis Miſſam audiant ſenes, & impotentes ad accedendum ad Eccleſiam =.

Gatticus tamen *de Oratoriis privatis cap.XVIII. num.*a. opinatur, pro erectione hujuſmodi Oratoriorum prærequiri Epiſcoporum conſenſum, ibi = Licet autem, quantum ad licitam celebrationem pertinet, Tridentinum Concilium religioſe domus privata Oratoria non excluſerit; nonnihil tamen arctavit antiquam Regularium poteſtatem, ut ita magis reverentiæ Sacrificii conſuleretur. Equidem ante Concilium pene omnes Regulares, vel ex conceſſionibus Roman. Pontificum, vel ex indulgentia, aut tolerantia Epiſcoporum ad libitum in propriis domibus privata illa Oratoria erigebant. Attamen id non placuit Concilio, cui etſi opportunum viſum fuerit permittere Miſſarum celebrationem extra privatas domos in Oratoriis quibuſcunque, ad divinum tantum

cultum dedicatis ; adhuc omnia Oratoria viſitationi, & deſignationi Ordinariorum ſubeſſe voluit. Quapropter in hac parte antiqua privilegia Regularibus conceſſa, a Concilio abolita fuiſſe non ambigo, ita ut qui nova iterum a Romanis Pontificibus non impetraverunt, Epiſcoporum conſenſum poſtulare teneantur, ut licite in monaſteriorum privatis Oratoriis Miſſæ peragi poſſint. = Quod tamen ſive ex tolerantia Epiſcoporum, ſive ex participatione privilegiorum quoad hoc Societatis Jeſu, ut ſupra innuimus, videtur eſſe contra uſitatam praxim.

Non autem extenditur ad Capellas ſitas in prædiis, ſeu domibus ruralibus eorumdem Regularium, ſive pro animi recreatione, ſive pro agrorum cultura inſtructis; propoſito enim Dubio Cong. Conc. 1 *Martii* 1687. *bis verbis expreſſo* = In quadam domo rurali, ſita in loco ubi plures degunt habitatores, & adeſt etiam Eccleſia parochialis, commoratur unus Sacerdos regularis, qui præeſt adminiſtrationi, & culturæ bonorum conventus in d. loco exiſtentium. Cum autem dictus Regularis, licet reluctante Ordinario loci, prætendat in dicta domo Miſſam celebrare, fretus opinione nonnullorum Auctorum, præſertim Regularium, firmantium, a S. Conc. Trident. numquam derogatum fuiſſe privilegiis conceſſis habendi Oratoria in Grangiis conventuum, recreationi, vel bonorum adminiſtrationi deſtinatis; dubitari contingit. An Sacerdos regularis abſque peculiari Sedis Apoſtol. indulto poſſit in dicta domo celebrare = S. Congr. reſpondit *Negative* = Quam ſententiam ex hoc eod. Decreto tuetur Card. Petra in Commentar. ad Conſtit. VIII. Honori III. *tom. II. Sect. unic. numer.* 53. & Matheuccius *loc. cit. n.* 83. cum hujuſmodi loca ſint Grangiæ ſimpliciter, & in ſenſu proprio nec vocari poſſint ſacra, nec religioſa, nec pia, ad differentiam Grangiarum inpropric dictarum, quæ ſunt nonniſi parvi conventus, numquam ſupreſſi, dependentes ab aliquo principali monaſterio, cujus ſunt membra, in quibus ob reddituum tenuitatem ſuſtentari nequeunt Religioſi in ſufficenti numero ad diſciplinam regularem ſervandam, ut inter unam, & alteram Grangiam diſtingunt DD. apud Fagnan. *in cap. XXVII. Auctoritate, de Cenſibus, in Opuſculo de Grangiis num.* 2. & Card. Petram *loc. cit.*

Licet enim ex dicto cap. poſſent Regulares in Grangiis primæ ſpecei habere privata Oratoria, in iiſque Miſſam celebrare, hodie tamen tam ex ſæpe laudato Tridentini decreto, quam ex allata Congr. declaratione illud abrogatum eſt, ut etiam notavit Matheuccius dicto *num.* 83. Sicuti & abrogatum eſt *cap. I. de Capell. Monac.* in quo Honorius III. eamdem facultatem indulſit Abbati, & conventui Aquinatenſi. Quod tamen caput non reperitur in Codice Gregoriano, ſed dumtaxat ex Cirone refertur a Gonzalez in *Commentario ad cit. cap. Auctoritate*, & a Card. Lauria *verb. Grangia*.

In eadem negativa ſententia eſt Gatticus, *capit. XVIII. de Oratoriis domeſticis num.* 24. qui probat, neque ſuffragari poſſe epiſcopalem licentiam, ſed requiri pontificiam, ad hoc, ut in iiſdem Oratoriis Miſſa celebrari queat, niſi Regulares communicent cum privilegiis Societatis Jeſu, in quo caſu ſentit num. 3. participare poſſe etiam de privilegio eidem Societati conceſſo a Gregorio XIII. *die* 3. *Maii* 1575. ut ſcilicet = In Oratoriis (ſunt verba Conſtitutionis Gregorii) & Capellis, quæ ipſius Societatis Provinciales per ſe in domibus, collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis reſidebunt, approbaverint, & ad divinum dumtaaat cultum deputaverint, Miſſæ, & alia divina officia, alterius licentia minime requiſita celebrari poſſint = Magna (ut proſequens, animadvertit idem Auctor) profecto eſt hujuſmodi privilegii amplitudo, cum neque Capellarum numerum coarctet, neque certas determinet domus religioſas; ſed ad omnia loca, ubi reſident aliqui Societatis illius, late extendatur. Imo neque limitat numerum Reſidentium : ac demum nihil de tempore ipſius reſidentiæ præſcribit ; ita, ut, inſpecto verborum rigore, ſufficiat, quod aliquo tempore in eo loco aliqui reſidere ſoleant ; dummodo locus ipſe Patrum Societatis reſidentiæ fuerit deſtinatus =.

Circa celebrationem Miſſæ tam in Altari portatili (ſeu, quod idem eſt, cum Petra conſecrata) quam in Oratoriis privatis laicorum, attendendom eſt ſequens Decretum Clementis XI. tranſmiſſum ad Ordinarios per loca tam intra, quam extra Italiam.

= Quoniam Sancta ſancte tractanda ſunt, ac præſertim tremendum incruenti Sacrificii Myſterium, quod omni religionis cultu, & veneratione peragendum eſt, Propterea ſuper obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſarum in Sacroſanctis Oecumenicis Conciliis, ac præſertim Tridentino, ſub *cap. unico ſeſſ. XXII.* inter cætera ſtatutum eſt, ut tantum Sacrificium ſolummodo in Eccleſiis, aut Oratoriis, divino tantum cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Epiſcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſias peragi paterentur. Ac ſubinde Sacr. Congr. Eminentiſſ. & Reverendiſſ. S. R. E. Cardinalium ipſius Conc. Trident. executioni, & interpretationi præpoſitorum, ſæpe ſæpius per opportuna Decreta obrepentes abuſus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit Sanctiſſimo Domino noſtro, quod nonnulli Epiſcopi, ſub prætextu privilegiorum, Capellis epiſcopalibus competentium, & complures Regulares, ſub prætextu privilegiorum, quæ ipſis a S. Sede indulta noſcuntur, per hujuſmodi privilegiorum dilatationem, ſeu potius exceſſum, & abuſum in nonnullis diœceſibus, præſertim Regni Neapolitani, ac in ipſa Neapolis civitate, ea ſibi licere putant, quæ permiſſa non ſunt, quinimo prohibita. Siquidem nonnulli Epiſcopi, etiam in aliena diœceſi, & extra domum propriæ habitationis in privatis laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures ex ſuis Capellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolare ; Regulares vero in quibuſdam Magnatuum, ſeu aliarum nobilium perſonarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex cauſis a S. Sede Apoſtol. concedi ſolent, celebrare audent, vel plures Miſſas, quam in ipſis celebrare ſit indultum, vel abſque præſentia perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit, vel extra debitas horas, & poſt meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Conſtitutiones diœceſanas, aut etiam per Decreta Sacr. Congr. Conc. celebrari prohibetur, aut quæ in ipſiſmet Indultis Apoſtol. excipiuntur, quominus in iis celebrari poſſit, aut etiam Altari portatili uti non verentur, in ſanctarum ſanctionum contemptum, & Sancti Sacrificii irriverentiam.

Quamo-

Quamobrem ad abuſus hujuſmodi eliminandos, & ad inſtaurandam venerationem tremendo miniſterio debitam, idem SS. Dominus Noſter ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Conc. Trident. Interpretum, inhærendo declarationibus, alias hac de re editis, expreſſe declarat, Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore juris, neque alio quocunque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari facere: ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcunque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcunque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis Sanctiſſimæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque anni feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis vero diebus, prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcunque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo ſe optime informare. Atque illa etiam in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt meridiem: demandando propterea ulterius, ac declarando in omnibus hujuſmodi caſibus, perſonas quaſcunque dictas Miſſas audientes nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus *in cap. In his, de Privil.* & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Sacrum Concilium, & propterea eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præſentis Decreti tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcunque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apoſtol. Delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Conc. in dicto Decreto *ſeſſ. XXII.* uſque ad cenſuras latæ ſententiæ; tributa etiam eiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde ac ſi per S. Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet. Et ita Sanctitas ſua declarat, & ſervari mandat.

Romæ hac die 15. Decembr. 1703.

B. Card. Panciaticus Præfectus.

Jo: Dominicus Thomatus Epiſcopus Cyrnen.
S. C. C. Secret.

Huic tamen Decreto, in eo, quod tangit Epiſcopos, acceſſit ſequens declaratio, contenta in Conſtitutione Innocen. XIII. *Apoſtolici miniſterii 13. Maii* 1723. §. *XXII.* (quam Bened. XIII. confirmavit, Conſtit. *In ſupremo, 23. Septem.* 1724.) ibi.

Cumque circa Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis, necnon circa uſum Altaris geſtatorii, a rec. mem. Clemente Papa XI. Prædeceſſore etiam noſtro, opportunum Decretum promulgatum fuerit die 15. Decembr. anni 1703. Epiſcopi dent operam, ut omnia ibidem ſtatuta, etiam in Regnis Hiſpaniarum ſerventur, idemque Decretum in ſuis reſpective diœceſibus, ut facilius omnibus innoteſcat, publicari faciant; addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium cellis, ſive cubiculis erigatur Altare pro re ſacra ibidem facienda, & contra quoſcunque contravenientes cenſuris etiam eccleſiaſticis procedant, adhibita, quoad Regulares, auctoritate Sedis Apoſtol. in memorato Decreto ipſis delegata, remotaque quacunque contraria conſuetudine, etiam immemorabili. Declaramus tamen, quod cum in prædicto Decreto ſtatuatur, non licere Epiſcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere Altare, ibique ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere, hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de domibus etiam laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte occaſione Viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiantur; ut nec etiam quando Epiſcopi in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtol. licentia abſentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum ſimilis habitationis, his enim caſibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus, ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.

Per allatum Clementis Decretum derogatum eſt Decretali Bonifacii VIII. relatæ *in cap. XII. Quoniam de Privileg. in VI.* in qua indulſit Epiſcopis (quos maxime decet quotidie Miſſam celebrare, aut ſaltem audire) ut ubique indiſcriminatim Altare mobile in hunc uſum ſecum haberent: unde hodie neque amplius attendenda eſt declaratio Cong Conc. quæ = Cenſuit, Cardinales non ſecus, ac Epiſcopos ſine ulla Epiſcopi diœceſani licentia uti poſſe privilegio Altaris portatilis ad præſcriptum Conſtitutionis fel. record. Bonifacii VIII. quæ incipit, *Quoniam Epiſcopi*, nec hujuſmodi privilegium ſublatum fuiſſe Conc. Decreto *cap. unic. ſeſſ. XXII.* = prout legitur *lib. XII. Decretor. pag.* 122.

Abrogata eſt etiam Decretalis Honorii III. relata in *cap. XXX. In his, de Privil.* in qua inſertum eſt privilegium, quo Fratres Prædicatores, & Minores uti poterant Altari portatili, in eoque ubique Miſſam celebrare abſque Ordinariorum licentia: cui privilegio cæteroqui jam derogatum fuerat a Tridentino in

ſupra allato Decreto, ut declaratum eſt in mox tranſcripto Clementis decreto: ſicut jam declaraverat etiam Gregorius XIII. Conſtit. *Uſum*, 1. *Octob.* 1579. in qua concedens Patribus Societatis Jeſu, cum ad Miſſiones ab eorum Superioribus mittuntur, facultatem utendi Altari portatili, ſeu viatico, derogavit ejuſdem Tridentini Decreto. Quo indulto frui nullatenus poſſunt cæteri Regulares per communicationem privilegiorum cum ipſis Patribus, ut ſolidiſſime probat Mathæucius, contra Peyerinum *loc. cit. num.* 80.

Præter laudatum Clementis Decretum quoad Oratoria privata ex conceſſione Sedis Apoſtol. in domibus laicorum erecta cum facultate Miſſam celebrandi, & ſatisfaciendi eccleſiaſtico præcepto, eam ab indultariis diebus feſtis audientibus, attendendæ ſunt ſequentes declarationes Bened. XIV. contentæ in cit. Epiſtola *Magno*, ibi,

In ordinariis Brevibus, ut plurimum duobus conjugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato Oratorio Miſſa celebretur, exprimiturque, ut Miſſa celebrari poſſit tum iisdem præſentibus, tum eorum filiis, conſanguineis, atque affinibus, qui una cum ipſis in eadem domo habitationem habent. Nunquam exorta difficultas eſt; an, cum aut vir, aut uxor Miſſæ interſunt, ſi conſanguinei, & affines, qui in eadem domo habitant, præſentes pariter adſint, eccleſiaſtico præcepto diebus feſtis ſatisfaciant: id tamquam tutum, ac Brevis literæ cohæreus habitum eſt. Summa autem difficultatis eo ſemper rediit, ut diſpiceretur, num, cum neuter conjugum adſit, ſed unus ex conſanguineis, aut affinibus in eadem domo habitantibus, poſſet, eo jubente, in privato Oratorio Miſsa celebrari; & num alii, qui in domo illa habitant, conſanguinei, & affines, eamdem audientes feſto die, eccleſiaſtico præcepto audiendi Miſsam ſatisfaciant. In hoc autem diviſæ de more Auctorum opiniones erant; verum cum hujuſce difficultatis punctum in Congr. Conc. die 3. Decembris 1740. in cauſa, cujus inſcriptio erat, *Marſicen. Oratorii*, propoſitum, ac diſcuſſum eſset; deciſum fuit, non poſse in privato Oratorio Miſsam celebrari, niſi Indultariorum præſentia ibidem haberetur; quod idem eſt, acſi dicatur, viri, vel uxoris, ad quos Breve directum erat; quemadmodum *in tom. IX. Reſolutionum Conc. anni* 1740. *ad pag.* 89. *& ſeqq.* videre eſt.

Cum autem Decreti hujuſce facta Nobis relatio eſset, idem per Nos ſub die 7. Januarii 1741. confirmatum fuit; ac præterea demandatum, ut in hujuſmodi Brevibus, in quibus certis quibuſdam, ac determinatis perſonis conceſſio fit, ut unam in privato Oratorio Miſſam celebrari facere poſſint, quæ Miſſa pro filiis, conſanguineis, & affinibus valeat, majoris claritatis gratia, ſubjecta clauſula adjungatur: *Volumus autem, quod nati, ac conſanguinei, & affines prædicti unicam dictam Miſſam, vobis quidem præſentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant*: Ut autem, quæ Indultariæ perſonæ ſint, facilæ agnoſci poſſet, ſine quarum præſentia Miſſa celebrari non poteſt, neque, qui eamdem audit, præcepto ſatisfacit; adjunximus, ut pro Indultariis perſonis illæ haberentur, quæ in fronte, ſeu inſcriptione Brevis nominatæ forent, cum ad eaſdem ipſas Breve dirigatur.

Nos ab hujuſmodi norma minime recedimus. Verum quia aliqua interdum in corpore Brevis perſona nominatur, qua præſente, conceditur, ut Miſſa celebrari poſſit, & quod alii affines, conſanguinei, vel familiares eamdem audientes, præcepto ſatisfaciant, etiamſi prædicta perſona in fronte Brevis minime nominetur; hinc eſt, quod, firma ſemper ea regula manente, ut poſſit in privato Oratorio Miſſa celebrari, dum aliqua ex Indultariis perſonis adſiſtit, quæ in fronte, ſeu inſcriptione Brevis nominatur; dicimus, poſſe Miſſam celebrari, etiamſi nulla earum perſonarum præſens adſit, quæ in fronte, ſeu inſcriptione Brevis nominantur, dummodo illa præſens ſit, cui in Brevis corpore nominatim, & expreſſe facultas tribuitur, ut poſſit in privato Oratorio, tum, cum ipſa adſiſtat, facere, ut Miſſa celebretur.

Atque, ut res exemplo magis pateat. Datur viro, & uxori facultas faciendi, ut in privato Oratorio Miſſa celebretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem vir ſuperſtitem habet matrem; hæc vero in fronte, ſeu inſcriptione Brevis minime nominatur; verum cum in Brevis corpore dicatur, quod ipſa quoque mater eamdem Miſsam celebrari facere poſſit, & valeat; id ſufficiens eſt, ut ſola matris præſentia adhibita, Miſsa in Oratorio celebrari poſſit, etiamſi mater in fronte, ſeu inſcriptione Brevis nominata non ſit.

Ex

Ex Decreto Congr. Conc. 13. *Jan.* 1725. relato in hac eadem Epiſtola §. *XVIII.* & *in tom. III. Theſauri Reſolution. ejuſd. Cong. pag.* 116. in Oratorio privato die Nativitatis Domini celebrari poſſunt tres Miſſæ ab eodem Sacerdote.

Declarat tandem Benedictus in laudata Epiſtola a §.XX. ad totum XXVI. = In hia Oratoriis adminiſtrari non poſſe Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, etiam extra tempus paſchale, ſine Ordinariorum licentia, comprehenſis etiam Regularibus exemptis.

An autem aliquando liceat Miſſam celebrare, extra Eccleſiam, & publica, vel privata Oratoria, laudatus Benedictus *lib. III. cap. VI. de Sacrificio Miſſæ, num. 7. ad 9.* ex Canonibus *Sicut XI.* & *Concedimus XXX. de Conſecrat. diſtin. I.* & unanimi DD. ſenſu licere probat: ſemper tamen in loco honeſto, & ſuper petra conſecrata, ſi ita neceſſitas poſtulet: quam reſtringit ad tria perſonarum genera, videlicet. I. Ad pergentes in exercitu. II. Ad navigantes, qui diu Miſſa caruerunt, dummodo celebretur in maria littore. III. Ad iter facientes per Infidelium regiones, in quibus catholicæ Religionia uſua prohibetur. Negat tamen num. 10. & 11. celebrari poſſe in mari, vel ſupra fluvium ſine diſpenſatione, Apoſtol. a qua concedi non ſolet, niſi his conditionibus, nimirum, ſi = tutum navigium ſit, ac longe, abſit a littore, tranquillumque ſit mare, & celebranti adſit etiam alter, vel Sacerdos, vel Diaconus, qui, ſi quis cooriretur motus, quo periculum eſſet, ne Calix everteretur, poſſit manu Calicem ab hujuſmodi periculo eripere.

SECTIO LXX.

Eadem Seſſio XXII. in Decreto de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſæ.

AB Eccleſiis vero muſicas eas, ubi ſive organo, ſive cantu laſciuum, aut impurum aliquid miſcetur; item ſeculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceant, ut domus Dei, vere domus orationis eſſe videatur, ac dici poſſit.

Huic Decreto, ad muſicam laſcivam quod ſpectat, acceſſit prohibitio Bened. XIII. in Cono Romano, celebrato *an. 1725. a quo tit. XV. de Celebr. Miſſæ, Sacram. Eucharist. & Divin. offic. cap. VI.* innovatur Extravag. Joannis XXII. *Docta Sanctorum, inter communes, de Vit. & honeſtat. Cleric.* ac Conſtitutio Alexandri VII. muſicoque cantui in Eccleſiis modus imponitur, ibi.

Pro eo autem, quod muſicam in Eccleſiis ſpectat, præter Extravagantem *Docta, de Vita, & honeſtate Clericorum*, Edictum pariter fel. rec. Alexandri VII. innovandum eſſe ſtatuimus, prout hoc noſtro Decreto innovamus: ulteriuſque prohibendum ducimus, ne in Miſſis Defunctorum, diebuſque Adventus, & Quadrageſimæ, feſtis dumtaxat exceptis, organa pulſentur, nec aliud quodvis muſicum inſtrumentum adhibeatur: quo tempore, Dominica ſcilicet Adventus tertia, dicta *Gaudete*, & Quadrageſimæ quarta, nuncupata *Lætare*, pulſari organa permittuntur in Miſſa tantummodo conventuali: ſub pœnis interea, in præcitata Extravaganti, & Edicto inflictis cohibeant Epiſcopi muſicæ Magiſtros, Organiſtas, & Cantores, alioſque quoſcunque a quibuſvis in Eccleſia indecori cantus modulationibus, ne fidelium magis videantur auribus prurire, quam pios in Deum affectus excitare.

In citata autem Extravaganti Joannia nedum reprobatur laſciva melodia, & decantatio motetorum vulgari lingua; ſed etiam præcipitur, delinquentes muſicos ſuſpendendos ab officio per octo dies, non exemptos per Ordinarios; exemptos vero ab eorum Prælatis.

In Conſtitutione vero Alexandri VII. *Pia ſolicitudinis*, 23. *April.* 1657. edita pro Urbe Romæ, hæc ſubſequentibus pœnis prohibentur, ibi.

Itaque de Venerab. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationis ſuper negociis Viſitationis Apoſtol. a Nobis inſtitutæ conſilio, omnibus, & ſingulis Archipresbyteris, eorumque Vicariis, ac Capitulis, & Canonicis, choroque Præfectis quarumvis Eccleſiarum, & Baſilicarum, etiam patriarchalium, necnon Prælatis, Superioribus, Rectoribus, Adminiſtratoribus, Cuſtodibus, Guardianis, aliiſque Officialibus, quocunque nomine nuncupentur, quorum-

vis monaſteriorum utriuſque ſexus, domorum, conventuum, & collegiorum tam ſecularium, quam regularium, ac Congregationum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum Hoſpitalium, Archioſpitalium, & locorum piorum, etiam laicorum dictæ Urbis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, necnon privationis fructuum unius menſis, ac ſuſpenſionis ab officio reſpective prohibemus, ne in eorum Eccleſiis, & Oratoriis, dum officia divina celebrantur, vel Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum manet expoſitum, quidquam cantari permittant præter ea verba, quæ a Breviario, vel Miſſali Romano in officiis de proprio, vel de communi pro currenti cujuſque diei feſto, vel Sancti ſolemnitate præſcribuntur, vel quæ ſaltem a ſacra Scriptura, aut Sanctis Patribus deſumpta ſint, quæ tamen prius a Congregatione Venerab. etiam Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum ſpecialiter approbentur, excluſis modulis iis, qui choreas, & prophanam potius, quam eccleſiaſticam melodiam imitantur.

Quod ut exactius ſervetur Superioribus, & Officialibus, aliiſque prædictis, ad quos ſpectat, ſub eiſdem pœnis injungimus, ne muſicæ Præfectos ad hujuſmodi munus recipiant, vel receptos in poſterum admittant, niſi prius præſtito ab eiſdem juramento de obſervandis præſentibus literis, cui juramento ſi contravenerint, a dilecto filio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Vicario in Urbe prædicta in ſpiritualibus generali, tanquam perjurii, etiam corporaliter puniantur, ac exercitio officii hujuſmodi perpetuo privati remaneant, abſque ſpe reintegrationis, quæ a nemine, quacunque auctoritate prædito, etiam ſpecialem expreſſionem requirente, præterquam a Nobis, & Romanis Pontificibus Succeſs. noſtris concedi poſſit.

Verum circa allatam Alexandri Conſtitutionem Benedictus XIV. in Epiſtola encyclica ad omnes Epiſcopos ditionis eccleſiaſticæ, incipien. *Annus*, *19. Febr.* 1749. §. *VIII.* hæc refert, ibi.

Porro ex hujuſmodi pontificia Conſtitutione videtur cantus motetorum, quæ ſervata ratione ab eodem Alexandro Prædeceſs. noſtro præſcripta, compoſita, & a Sac. Congreg. recenſita, & probata ſunt, procul dubio approbatus fuiſſe. Alexandri Conſtitutionem Venerab. Servus Dei Innocent. XI. Decreto ſuo die 3. Decembr. 1678. confirmavit. Aliqua tamen dubitatione exorta in intelligenda, atque interpretanda Conſt. Alexandri, & Decreto Innoc. XI. fel. rec. Innocentius XII. Prædeceſſor. Noſter die 20. Auguſti 1692. aliud Decretum promulgavit, *quod eſt num. 76. in ejus Bullario*. In eo autem, offuſis variarum interpretationum tenebris penitus diſpulſis, remottam aperiens, ac declarans, generatim quarumcunque cantilenarum, ſeu motetorum cantum prohibuit. In ſacratum autem Miſſarum ſolemnibus ſolummodo permiſit ultra cantum Gloriæ, & Symboli, ut cani poſſet Introitus, Graduale, & Offertorium: in Veſperis vero, nulla mutatione, etiam minima, facta, Antiphonæ, quæ initio cujuſque Pſalmi, vel in ejus fine dicuntur. Inſuper voluit, & juſſit, ut cantores muſici omnino legem chori ſequerentur, & cum eo prorſus convenirent, & quemadmodum in choro fas non eſt aliquid addere officio, vel Miſſæ, ita etiam muſicis noluit id licere, & illud dumtaxat conceſſit, ut ex Officio, & Miſſa quæ in ſolemnitate Sanctiſſimi Sacramenti Corporis Domini celebrari ſolet, nimirum ex hymnis S. Thomæ, vel ex Antiphonis, aliiſque relatis in Breviario ex Miſſali Romano, carmen aliquod, ſeu motetum, nulla verborum varietate, deſumi, & cantari poſſet ad fidelium devotionem excitandam, dum ſacra Hoſtia elevatur, vel publice veneranda, & colenda exhibetur.

Hoc idem Conc. Decretum, prohibens in Eccleſiis omnes ſeculares actiones, vana, & prophana colloquia, ſtrepitus, & clamores, ampliatum eſt a S. Pio Conſtit. *Cum primum*, 1. *Aprilis* 1566. ſequentes pœnas addente, ibi.

Ut igitur Deo Optimo Maximo, glorioſæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii X. Prædeceſſ. noſtri Conſtitutionem innovantes, ac ſtatuta in Trident. Conc. obſervari volentes, ſtatuimus, & ordinamus, ut ad Eccleſias ſit humilis, & devotus ingreſſus, quieta converſatio, devotis orationibus inſiſtant, & omnes genibus flexis Sanctiſſimum Sacramentum adorent, ad nomen Jeſu Chriſti Domini noſtri cum exhibitione reverentiæ caput inclinent, nullus in dictis Eccleſiis ſeditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat, ceſſent vana, fœda, & prophana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnes judiciorum, & alia quæcunque, quæ divinum officium perturbare poſſunt. Nullus intra Eccleſias deambulare audeat, ſive præſumat, dum celebrantur ſacra Miſſarum myſteria, & alia divina officia. Qui vero prædicta petulanti animo contempſerint, præter divinæ ultionis acrimoniam, noſtri quoque arbitrii pœnas incurrent, quæ omnia locorum quoque Ordinarii in ſuis Eccleſiis facient obſervari. Quicunque vero in Eccleſiis, dum ibi Sacrificium Miſſæ, & divina celebrantur officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad Sanctiſſimum Sacramentum irreverenter ſedere, aut aliquid, quod ſcandalum generet, aut divina perturbet officia, facere præſumpſerit, pœnam vigintiquinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio noſtro imponendas, & moderandas pœnas, & qui non habebit ære, luet in corpore, aut exilio multabitur. Qui vero in Eccleſiis cum mulieribus impudicis, ſive etiam honeſtis colloquium ſcurrile habuerit, aut alios inhoneſtos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per menſem. Qui in Eccleſiis, ut ſupra, obſcænis, & inhoneſtis verbis, aut ſignis uſus fuerit, aut alia fœda colloquia cum perſonis quibuſcunque habuerit, decem aureorum pœna multetur, aut alias corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus, & ſingulis cathedralium, collegiatarum, & parochialium Eccleſiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacriſtis, Oſtiariis, & aliis ipſarum Cuſtodibus, quatenus præfatos omnes in Eccleſiis delinquentes admoneant, & ut in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltem ipſis Ordinariis, vel Officialibus noſtris puniendos deferant; quod ſi facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent.

Pauperes quoque mendicantes, ſeu eleemoſynas petentes per Eccleſias tempore Miſſarum, prædicationum, aliorumque divinorum officiorum ire non ſinant, ſed eos ad valvas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, niſi eos eiici curaverint, & parochis dimidii aurei. Religioſis etiam clauſtralibus, ſive Regularibus præcipimus in virtute S. obedientiæ, ut in Eccleſiis ſuis deputent aliquem, qui tales ejiciat, & ſi negligentes fuerint, graviſſime ab Ordinario corripiantur: quod ſi illi parere recuſaverint, graviſſimas pœnas incurrent, & pro qualitate perſonarum, etiam corporaliter punientur arbitrio noſtro, ſive Superiorum.

SECTIO LXXI.

Eadem Seſſio XXII. Proſequitur idem Decretum de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſæ.

Poſtremo, ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propoſitis caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis, celebrent, neque Ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti, & laudabili uſu receptæ fuerint.

Quod

Quod ad horam Miſſam celebrandi ſpectat, cum in hoc Decreto non ſtatuatur; qua hora celebrari poſſit, acceſſit Rubrica Miſſalis Romani (quod S. Pius V. & Clemens VIII. circa hujus myſterii celebrandi rationem, & preces recognoſci, & inſtaurari curaverunt, iterum ab Urbano VIII, examinatum, & approbatum fuit) in qua §. *XV. De hora celebrandi Miſſam*, hoc tempus præſcribitur = Miſſa privata, ſaltem poſt matutinum, & laudes quacunque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt = Cui Rubricæ, ut morem gererent Sacerdotes omnes tam ſeculares; quam regulares idem S. Pius V. Conſtit. *Sanctiſſimus*, 29. *Martii* 1566. revocavit privilegia quibuſcunque conceſſa celebrandi Miſſam veſpertino tempore, & potiſſimum in pervigilio Nativitatis Domini, adjecitque pœnas in aliter facere præſumentes, ibi.

Hac præſenti perpetuo valitura Conſt. quibuſvis Prælatis, Capitulis, Clericis, Fratribus, aliiſque Superioribus, & perſonis eorumdem Eccleſiarum, monaſteriorum, conventuum, domorum, & aliorum piorum locorum in virtute S. obedientiæ, & ſub indignationis ſuæ, ac perpetuæ ſuſpenſionis a divinis pœna diſtrictus inhibens, ne deinceps Miſſas veſpertino tempore, hujuſmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quovis prætextu celebrare, vel celebrari facere præſumant. Ac mandans locorum Ordinariis, ut eamdem præſentem Conſt. ſub prædictis, & aliis ſibi benevis pœnis per quoſcunque Prælatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores, & perſonas hujuſmodi inviolabiliter obſervari faciant, contradictores quoslibet auctoritate Apoſtol. compeſcendo. Non obſtantibus &c. Sequitur derogatio quarumcunque Apoſtolicarum conceſſionibus, ac privilegiis &c.

An autem aliquo temporis ſpatio ante auroram, aut poſt meridiem Miſſa celebrari poſſit, Benedictus XIV. *Inſtitutione eccleſiaſtica XIII.* hæc refert, = Clemens XI. in conventu plurimorum Cardinalium, ac Præſulum hanc rem ſedulo examinandam mandavit; & licet ipſis tertia pars horæ ante auroram, & poſt meridiem permitti Sacerdotibus poſſe videretur, Pontifex tamen eam ſententiam probandam non cenſuit, ac Decretum his verbis promulgavit: *Mandamus, ne Miſſarum Sacrificia ante auroram celebrentur, & uſque ad meridiem ſolum protrahantur*. Ita ſe res habuit omnino, donec Innoc. XIII. Pontificatum obtinuit, tandem, Bened. XIII. Pontifice, iterum res in examen adducta fuit, & facultas tertiæ partis horæ, de qua paulo ante ſermonem fecimus, novo Decreto permiſſa eſt, cui pariter Edictum Clementis XII. feliciter regnantis conformatur =.

Quapropter hodie non licet hos terminos præterire = niſi fortaſſe (ut idem Benedictus ibidem animadvertit) ex Apoſtol. beneficio nuſquam abrogato aliquis Sacerdos, vel Eccleſia poſt elapſam horam a meridie, ad Sacrum perficiendum non impediatur. Sic enim Romæ templum Gallorum a S. Ludovico, a SS. Apoſtolis, a S. Jacobo, Templum Luſitanorum a S. Antonio, a S. Carolo in via Flaminia, a Piis Operariis, a Capuccinis nuncupatum pro hac re literas Apoſtol. obtinuerunt =.

SECTIO LXXII.

Eadem Seſſio XXI. Proſequitur idem Decretum de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſæ.

Quarundam vero Miſſarum, & candelarum certum numerum, qui magis a ſuperſtitioſo cultu, quam a vera religione inventus eſt, omnino ab Eccleſia removeant.

Sacra Rituum Congregatio, inhærendo huic Conc. Decreto, ſtatuenti, prohibendum eſſe certum numerum Miſſarum, ſuperſtitionem potius, quam veram religionem præſeferentem, penitus abrogavit trigínta numero Miſſas, quas quidam Auctor non multo poſt S. Gregorium ſine nulla auctoritate temere a ſe conſcriptas in lucem edidit; ineptas quidem, & rebus non convenientibus refertas, quæ a S. Gregorio nuncupabantur: quas etiam diligenter expendit Thyers *in tract. Superſtitionum tom. III. lib. IV. cap. IV.* ac proinde compertum fuerit ex veteribus teſtamentis nonnullos pietate ductos præcepiſſe, ut hæ eædem Miſſæ pro ipſorum expiatione celebrarentur. Non autem a Tridentino, aut a Sac. Congr. abrogatæ ſunt Miſſæ illæ numero triginta, de quibus mentionem facit S. Gregorius *lib. IV. cap. V. de Dialogis*, in quo tradit, quod defuncto juſto Monacho, hic Pretioſo pariter Monacho hæc demandaverit = *Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offer pro eo Sacrificium: ſtude, ut nullus prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur* = quodque dicto Miſſarum numero abſoluto, idem Juſtus apparuerit alteri monacho nomine Copioſo, & nunciaverit, ſe eodem tempore ereptum fuiſſe Purgatorii cruciatibus = Fratres vero (inquit S. Gregorius *loc. cit.* ſolicite compu-

putarunt dies, & ipſe dies extiterat, quo pro eo trigeſima oblatio fuerat impleta = Hæc omnia Benedictus XIV. *de Sacrific. Miſſæ, lib. III. cap. XXIII. num. 2. & 3. ac Inſtit. eccleſiaſt. XXIV.* Hinc igitur Miſſarum uſus dimanavit, quæ a S. Gregorio nuncupantur, a fidelibus omni ſeculo ad præſentem uſque diem receptus; quem Cluniacenſe monaſterium, ut refert Uldericus Regularis Benedictinus *lib. III. cap. XXIX.* inter ſuas conſuetudines adjicivit.

= Cavendum tamen (ſunt verba Benedicti *cit. num. 3.*) eſt, ſi eo dierum ſpatio pro defunctis Sacrum fieri nequeat, eam Miſſam, quæ tunc ab Eccleſia præſcribitur pro defuncto peragendam, cum præſertim S. Gregorius Miſſas, quæ pro defunctis agi ſolent, minime indixerit. Quod ſi intra trigeſimum dierum numerum poſtremi tres dies Majoris Hebdomadæ occurrant, diebus inſequentibus numerus abſolvatur. Idem per conſuetudines allatas Cluniacenſis monaſterii indicatur =.

SECTIO LXXIII.

Eadem Seſſio XXII. caput I. de reformatione.

Nihil eſt . . . ſtatuit S. Synodus, ut quæ alias a ſummis Pontificibus, & a ſacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcunque criminibus, necnon ſecularibus negociis fugiendis copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur.

Hoc Decretum, præcipiens obſervanda eſſe quæcunque ſtatuta ſunt a ſummis Pontificibus, & Conc. contra Clericos ſecularibus negociis ſe immiſcentes, ſub pœnis ab iiſdem impoſitis, & etiam majoribus arbitrio Ordinariorum, ampliatum eſt a Benedict. XIV. Conſtit. *Apoſtolicæ ſervitutis commiſſam nobis*, 25. *Febr.* 1741. dictas pœnas extendente ad Clericos illicite ſub alieno nomine negocia exercentes, perinde, acſi per ſe, & proprio eorum nomine eadem exercerent. Decernente inſuper. I. Ut omnia, & ſingula bona ſic ab eis alieno nomine acquiſita ſub ſpolii pœna ſubjiciantur juxta Conſtit. Pii IV. *Decens*, 5. *Novemb.* 1560. II. Ut negocia per laicos prius inchoata, & ad ipſos Clericos delata continuari nequeant ſub iiſdem pœnis, niſi urgeat neceſſitas, & de licentia Cong. Conc. aut etiam Ordinarii extra Italiam, ad tempus dumtaxat concedenda: ita tamen, ut pertractentur per interpoſitam laici perſonam. III. Ut exempti a ſpolio ad effectum teſtandi, aut transmittendi in hæredes, ab eo non eximantur quoad bona ſic acquiſita, non obſtante Indulto Pii IV. Conſtit. *Romanus Pontifex*, 5. *Feb.* 1560. & Pauli V. *In eminenti*, 8. *Aprilis* 1606. favore Curialium, incolarum, & originariorum Urbis, etiam Presbyterorum in ipſa Urbe, & ejus diſtrictu intra decem milliaria, quibus Conſtitutionibus in hac parte derogatur, ibi.

Cum itaque . . . Nos . . . . omnes, & ſingulas Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum prædictorum Conſtitutiones, illarumque quamlibet contra quoſcunque Clericos illicitos negociatores deſuper quomodolibet reſpective, cum omnibus, & ſingulis pœnis contra eoſdem Clericos illicite negociantes editas, quas Conſtitutiones hujuſmodi, ac earum quamlibet præſentibus de verbo ad verbum, nihilo penitus omiſſo, pro inſertis haberi volumus, motu proprio, innovamus, confirmamus, & approbamus, eiſque, & earum cuilibet novum Apoſtolicæ firmitatis, & inviolabilis obſervantiæ robur adiicimus, illaſque ſic innovatas, confirmatas, & approbatas, cum omnibus, & ſingulis pœnis in eis, & earum qualibet adverſus Clericos illicitos negociatores hujuſmodi contentis, ad Clericos illicite ſub alieno laici nomine quomodolibet negociantes, perinde, acſi per ſe ipſos, ac proprio eorum nomine negocia ipſa illicita exercerent, omneſque, & ſingulæ Conſtitutiones, earumque quælibet adverſus eos deſuper editæ fuiſſent, & in eis, & earum qualibet expreſſi, & denominati reperirentur, motu, & poteſtatis plenitudine præfatis perpetuo extendimus, & ampliamus, illorumque omnia, & ſingula bona, ſic ab eis alieno nomine illicite acquiſita ſub inevitabili ſpolii pœna, ad formam Conſt. fel. rec. Pii Papæ IV. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit *Decens eſſe*: ſubjicimus, & ſubjecta eſſe volumus, & declaramus.

Inſuper . . . decernimus, ac pariter declaramus, quod ſi aliquod negocium eccleſiaſticis illicitum perſonis, licet ab eis minime inſtitutum, ſed a laica perſona inchoatum, & ad eoſdem Clericos, ſive hæreditario jure, aut quocunque alio titulo, ſive ſin-

gulariter, ſive communiter, ſive ſeparatim, ſive conjunctim cum aliis bonis, & aliis cohæredibus, vel ſociis laicis exiſtentibus delatum fuerit, vel per ſe ipſos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine, etiam per ſuos cohæredes, aut ſocios proſequuti ſint, illud ſtatim dimittere teneantur. Si vero negocium hujuſmodi ſine ipſius Clerici temporali detrimento ſtatim dimitti nequeat, tunc, ſi intra Italiam, Inſulaſque adjacentes exiſtat Clericus, a Venerabil. Fratr. noſtrorum S.R.E. Card. Decretor. Conc. Trid. interpretum Congregat., ſi vero extra Italiam, ab eadem Congr. vel ab Ordinario loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi: proviſo interim, quod negocium hujuſmodi a laico adminiſtretur, impetrare teneantur; dictaque Congregatio, aut Ordinarius loci, perpenſis ſingulorum caſuum circumſtantiis, licentiam impertiatur, tempuſque in eo ad idem negocium dimittendum præſcribat: & ſi Clericus negocium præfatum, licet a laico, ut præfertur, inſtitutum, abſque licentia hujuſmodi gratis ſemper ſibi impertienda, aut illud ultra tempus permiſſum retinuerit, vel etiam intra tempus prædictum negocium per ſe ipſum adminiſtraverit, pro negociatore illicito haberi, illumque omnibus, & ſingulis etiam ſpolii penis præfatis ſubjectum eſſe, motu, & poteſtatis plenitudine dictis perpetuo volumus, & definimus.

Ac demum, eo quod fel. rec. Prædeceſſor noſter Pius Papa IV. per ſuas literas, quarum initium eſt *Romanus Pontifex*, declaravit, præfata Conſtitutione ſuper ſpoliis Clericorum ob illicitam negociationem a ſe edita, Prælatos, Officiales, ac alios ſeculares, & cujuſvis Ordinis regulares Clericos, alioſque cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ in U·be, & Curia, ejuſque diſtrictu decedentes, teſtaudi tamen, codicillandi, & alias de bonis ſuis quibuſcunque quomodolibet diſponendi, vel ad ipſorum proximiores, decedentibus illis ab inte·tato, tranſmittendi facultatem ex ſpeciali Sedis Apoſtol. indulto, vel ſuorum officiorum privilegio, vel alio quovis titulo obtinentes, nullatenus comprehendi, & quod Paulus Papa V. pariter Prædeceſſor noſter per ſuas literas, quæ incipiunt: *In eminenti*, Clericos Cives, & Curiales, ſive incolas hujus noſtræ Almæ Urbis, tunc ſuæ, exemit a ſpolio quoad bona in eadem Urbe, ejuſque diſtrictu intra decem milliaria conſiſtentia, etiam ex redditibus eccleſiaſticis per eos acquiſita, unde dubitari contingit, an ſuffragetur quoque ad evitandum ſpolium Cameræ noſtræ Apoſtolicæ competens pro bonis ex illicita negociatione provenientibus. Nos Conſtitutiones Pii, & Pauli Prædeceſſ. noſtrorum præfatas, quoad bona ex illicita negociatione hujuſmodi a Civibus, & Curialibus, ſive incolis Clericis cujuſcunque ordinis, ac dignitatis, quibuſcunque indultis, ac privilegiis munitis, comparata, & in Urbe, ejuſque diſtrictu præfatis, & ubicunque exiſtentia, minime ad præmiſſorum effectum ſuffragari, ſed illa ſic provenientia Cameræ noſtræ Apoſtol. vero jure ſpolii deberi, perinde, acſi Conſtitutiones Pii, & Pauli Prædeceſſorum hujuſmodi ad præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectum impediendum minime emanatæ fuiſſent, motu ſimili pariter declaramus, & ſtatuimus, dictaſque Pii, & Pauli Prædeceſſorum Conſtitutiones, quoad præmiſſorum effectum ſortiendum, plenarie abrogamus, & abolemus.

Præter hanc Benedicti Conſtitutionem attendenda ſunt ſancita, & declarata in Epiſtola Clementis XIII. ad Patriarchas &c. *Cum primum*, 17. *Sept.* 1759. In ea itaque, prout jam retuli in Additionibus meis ad *Theſaurum de pœnis pag.* 446.

I. Confirmantur, & innovantur omnes, & ſingulæ canonicæ leges, & Prædeceſſ. Pontificum Conſtitutiones cum omnibus pœnis, & cenſuris, per eas reſpective in dictis, contra Clericos negociatores, & ſecularibus negociis ſe immiſcientes, præſertim Pii IV. Urbani VIII. Clem. IX. & Bened. XIV.

II. Declaratur = prædictis omnibus legibus, ac pœnis ſubjici, ac ſubjectas cenſeri debere omnes, & ſingulas perſonas eccleſiaſticas, non ſolum e ſeculari clero, ſed etiam e regulari, cujuſcunque ſint Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, ampliſſimis licet, & ſingularibus indultis, privilegiis, & exemptionibus muniti; & cujus etiam expreſſam, & individuam mentionem fieri oporteret; itaut quicunque adverſus hujuſmodi leges deliquerint, ſtatutas in ipſis pœnas incurrant, ac reſpective ab iis, ad quos pertinet, juxta caſuum diſtinctionem, & procedendi methodum, alias a Trident. Synodo, ſeu ab Apoſtolica Sede præſcriptam, cum effectu multari, & puniri debeant =.

III. Hortantur Ordinarii, ut non omittant omni ſeveritate, & etiam ex officio, procedere ad formam eorumdem Canonum, & Conſtitutionum in delinquentes Clericos, tam ordinario, quam delegato jure ſibi ſubjectos.

IV. Prohibentur, ne cum coram ſe ad trutinam revocari contingat Clericorum ſecularium, aut regularium negociationem, ſinant valere privatas opiniones; ſed, ſi quæſtio eſt, num aliquis contractus ſit

ſit licitus, vel potius interdictus cenſeri debeat, recurrant ad S. Sedem pro declaratione.

V. Definitur, cambium activum eſſe actum veræ, & propriæ negociationis; ideoque vetitum Clericis, tam ſecularibus, quam regularibus, tum proprio, tum alieno nomine, ſub pœnis in Clericos negociatores inflictis.

VI. Statuitur, ne cuiquam eccleſiaſticorum ſuffragetur, nec a Superiore eccleſiaſtico admittatur excuſatio, quominus dictis pœnis ſubjaceat, quod ſe ſecularibus negociis immiſcuerit ad ſubveniendum indigentiæ, aut parentum, aut ſororum, aliarumve perſonarum, quibus ex naturæ debito opem ferre teneantur = niſi doceat, ſi antea præfatas neceſſitates, Apoſtol. Sed. ſi intra Italiam, & Inſulas adjacentes exiſtat, ſi vero in remotioribus regionibua verſetur, ſaltem Ordinario loci expoſuiſſe, earumque intuitu opportunam diſpenſationem, & facultatem prædictas perſonas induſtria ſua juvandi, vel ab eadem Apoſtol. Sede, vel reſpective ab Ordinario, impetraſſe =.

VII. Prohibetur dictarum diſpenſationum conceſſio tam in Urbe, quam extra = niſi cum ea conditione, quatenus adductæ cauſæ veritati nitantur, & niſi ſimul conſtet, prædictas indigentias nulla alia ratione levari poſſe: eoque etiam caſu nunquam eccleſiaſticis permittatur ejuſmodi negociationis genus aſſumere, cujus adminiſtratio clericalem ſtatum, & characterem dedeceat: quinimo in ipſis indultorum reſcriptia, & literis indicentur, ac præſcribantur honeſtiores modi, quibus Clericus, juſta moderatione ſervata, & intra veræ indigentiæ menſuram pauperibus conſanguineis opem præſtare valeat....

Hoc inſuper addentes, ne ea, quæ vel ab ipſis (*Ordinarlis*) vel ab Apoſtol. Sede peculiaribus quibuſdam Clericis hoc in genere aliquando permiſſa, & juſtis concurrentibus cauſis, frequentius forſan indulta dignoſcuntur (exempli gratia, ut Eccleſiarum fundos certa annua penſione conventa, colendos, exercendoſque conducerent) eadem a reliquis eccleſiaſticis, tanquam generaliter omnibus conceſſa, abſque juſta cauſa, & ſine ſpeciali indulto uſurpentur =.

VIII. Declaratur, dictas facultates, ut ſupra conceſſas, eſſe irritas, & revocatas ipſo jure, quoties allegatæ conjunctorum indigentiæ ceſſaverint, vel alia via eiſdem provideri poſſit: ſuper quorum executione, & obſervaptia Ordiuariorum conſcientiam Pontifex re ipſa oneratam fore denunciat.

IX. Monentur dicti Ordinarii, ut debitis pœnis, etiam cenſurarum, puniant Clericos, quos ſibi conſtiterit quidquam admiſiſſe, quod clericalem ſtatum dedeceat, etiam in ſuorum honorum adminiſtratiune, rerumque ad proprios uſus exemptione.

X. Injungitur iiſdem, ne patiantur, tam Clericos, quam Sacerdotes, in laicorum domibus obſequiis, abjectiſque ſervitiis addictos, licet ſub quovis honeſtiori titulo ſuſceptum ſervitii genus obtegere nitantur, quietos in ſuo dedecore inſordeſcere, ſed curent, quatenus opus ſit = tota ordinariæ, ac delegatæ juriſdictionis auctoritate, ſervatis, ſervandis, eoſdem ad eccleſiaſticæ vitæ inſtituta, & ad clericalis militiæ munera = revocare.

XI. Tandem, ut liberum ſit dictis Ordinariis, = in hoc rerum genere inordinata quæque corrigere, & reformare = hæc habet Pontifex.

Quodcunqne diſpenſationis, aut facultatis indultum circa præmiſſa a quolibet Romanæ Curiæ officio hactenus conceſſum, prudenti arbitrio veſtro moderandum permittimns: nullum vero in poſterum concedi volumus, niſi auditis prius Fraternitatum veſtrarum relationibus, & votis, adjectiſque eidem indulto ejuſmodi formulis, & conditionibus, per quas integrum vobis relinquatur arbitrium de illius executione, & effectu ita cognoſcendi, ut nulli eccleſiaſticorum liceat, illius prætextu, negocium ullum, aut miniſterium minus honeſtum contra interdictum veſtrum aſſumere, aut ſuſceptum retinere, & protrahere.

Ex Conſtitut. Clement. VIII. *Inter multiplices*, 4. *Decembr.* 1600. licitum eſt in terris propriis in agro romano ſitis (non vero conductis) agriculturam exercere tam per ſe ipſos, quam per alios, ibi.

Statuimus etiam, quod Clerici, in caſalibus tamen propriis, & non conductis, poſſint dictam artem agriculturæ per ſe, vel alios exercere, & exerceri facere, nec eis, vel eorum hæredibus per Cameram Apoſtol. ſeu illius miniſtros objici, aut imputari poſſit, quod illicitam negociationem fecerint, aut ſpoliis aliqua ex cauſa præfata ſubjaceant. Declarantes dictam artem agriculturæ etiam ipſis Clericis in eorum caſalibus licitam, & permiſſam.

DUBIA SAC. CONGREGATIONI CONCILII

A Clericis Diœceſis Caputaquenſis propoſita, una cum reſponſionibus ad ſingula ab eadem S. C. traditis.

CIRCA NEGOCIATIONEM CLERICORUM

Ex Barboſa lib. XI. Jur. Eccleſ. univerſ. cap. I. num. 127.

I. AN liceat eis terras patrimoniales, & beneficiales per laicos colere?

II. An pro neceſſario culturæ uſu poſſint emere boves, & alia animalia, & fœtus illorum vendere?

III. An ii, qui in propriis terris habent quercus, & caſtaneas, quarum fructibus ſues veſcuntur, poſſint ſues emere, eoſque alere, & pro familiæ ſuſtentatione vendere?

IV. An iidem Clerici cum foliis ſuarum arborum poſſint in propriis ædibus arti ſericæ operam dare, vel idem opus dare ad medietatem, ſeu ad quartum, & fructus inde percipiendos vendere abſque reatu illicitæ negociationis?

V. An Clerici pauperes ad ſuam, ſuæque familiæ ſuſtentationem poſſint terras Eccleſiæ conducere?

VI. An poſſint locrare boves, oves, & animalia, quæ habent ex ſucceſſione, vel aliis debitis, vel decimis, eorumque fructus vendere?

VII. An liceat ex ovilibus, vineis, quercubus, & aliis arboribus exiſtentibus in terris patrimonialibus, & beneficialibus, & aliis obtentis vendere oleum, vinum, glandes, & alios fructus ad ſuſtentationem ſuæ familiæ; item, & granum, & frumentum hujuſmodi ex bonis patrimonialibus, aut beneficialibus.

Sac. Congr. Eminentiſſimor. &c. prævia matura conſideratione, & inhærendo declarationibus alias factis.

Ad I. Reſpondit, licere Clericis agros beneficiorum, & bonorum patrimonialium laicorum opera colere abſque metu illicitæ negociationis.

Ad II. Poſſe ſimiliter Clericos pro culturæ uſu boves, & alia animalia neceſſaria emere, illorumque fœtus juſto pretio, & honeſta ratione vendere, nec ob id prohibitæ negociationis prætextu vexari poſſe, aut debere.

Ad III. Item & poſſe Clericos habentes in propriis bonis quercus, & caſtaneas, ſues emere, eoſque alere pro ſua, & familiæ ſuſtentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, diſtrahendiſve nihil ſordidum, aut indecens Ordini clericali exequantur.

Ad IV. Licere Clericis folia arborum in propriis bonis exiſtentium alicui laico concedere, eo pacto adjecto, ut lucrum ex bombicibus inter utrumque dividatur; & pariter eiſdem licere earumdem arborum foliis per ſe ipſos abſque officii eorum detrimento arti ſericæ operam dare pro ſua, & familiæ ſuſtantatione, dummo tamen artificio hujuſmodi perſonas non ſuſpectas adhibeant, & quoad hoc Epiſcopi licentia, quæ gratis ſit concedenda, obtineatur.

Ad V. Clericos puperes ad ſuam, ſuæque familiæ ſuſtentationem poſſe terras Eccleſiæ conducere abſque reatu *illicitæ* negociationis; bona vero laicorum non poſſe, niſi ex mera, & præciſa neceſſitate.

Ad VI. Poſſe retinere, & locare boves, & oves, & alia animalia, quæ habent ex ſucceſſione, vel decimis, necnon fructus illorum vendere abſque reatu illicitæ negociationis.

Ad VII. Eoſdem poſſe vendere granum, bordeum, & alios fructus recollectos ex bonis patrimonialibus, vel eccleſiaſticis pro ſua, & familiæ ſuſtentatione.

R. Card. Ubaldinus.

Franciſcus Paulutius Sac. Congreg. Conc. Trident. Secr.

Eadem ratione reſponſum fuiſſe Clericis Terræ Maidæ *Nicoſtraten. diæc. an. 1627.* refert Fagnanus in *cap. Multa ſunt negocia I. = Ne Clerici, vel Monachi num. 34. & ſeqq.* adducens ipſam declarationem.

SIMILIA DUBIA

PROPOSITA A SACERDOTIBUS, ET BENEFICIATIS

Diœceſ. Alexand. & Ugent. cum reſponſionibus ejuſd. S. C. ex eod. Barboſa cit. loc.

I. AN Sacerdotes, & Clerici beneficiati poſſint operas ſuorum bovum, quos pro laborandis prædiis ſuis patrimonialibus, ſeu beneficialibus retinent, dum ſibi vacant, aliis locare pro certa mercede abſque periculo ſpolii, & pœnarum Clericis negociatoribus impoſitarum.

II. An poſſint, ſi boves emerint, vel in ſuis prædiis natos educaverint, & inſtruxerint, conducere, ut vulgo dicitur, *a giovatico*, pro certa tritici quantitate, quolibet anno perſolvenda.

III. An poſſint oves centum, vel ſaltem quadraginta ſimili actione concedere pro certa caſeorum quantitate pro eorum, & ſuæ familiæ uſu.

IV. An in ſuis molendinis pro tritico, & piſtrinis

ſtrinis pro oleo, poſtquam ſuum triticum, & olivas moluerint, alienum triticum, & alienas olivas, certa mercede conſtituta, molere poſſint; ſuppoſitis infraſcriptis; quod id ab immemorabili tempore ſemper fuerit factum, & obſervatum; quod ſingulis annis non expedit pro ſolo ſervitio proprio triginta, vel quadraginta ducatos impendere in conficiendis piſtrinis, nam fiunt ex juncis, & aliis materiis, quæ menſibus quinque, aut ſex corrumpuntur; & in uno equo, & quatuor perſonis inſervientibus ipſis piſtrinis; & quod molitura olivarum durat per quatuor, quinque, vel ſex menſes, juxta annorum fertilitatem.

V. An poſſint aſſumere onus colligendi, & faciendi a ſua familia colligere olivas pro certa olei portione domino oliveti reddenda, ſuppoſita in hoc immemorabili conſuetudine.

VI. An poſſint in bonis amicorum, & propinquorum operas diurnas præſtare, ut illis eaſdem in prædiis reſtituant.

Ad Dubia propoſita reſponſum fuit, ut ſequitur.

Ad I. Affirmative, ſi tot juga bovum retineantur, quot ſunt pro prædiis neceſſaria, vel ſi ultra neceſſitatem boves illi nati ſint ex vaccis, quæ pro neceſſitate culturæ prædiorum, vel alio licito modo tenentur, per doctrinam Molinæ, loco infra citando.

Ad II. Quoad boves emptos negative, quo vero ad boves proprios, affirmative; P. Molina *de Contract. diſp. 342. ſub num.* 4. quam refert, & ſequitur Quaranta *in verb. Vectigal.* §. *Similiter ad illicita*.

Ad III. Affirmative, ſi oves propriæ fuerint, & non emptæ ad illum effectum, ex præcedenti Molinæ doctrina, & ſi emptæ, dummodo ad comparandum neceſſaria ad victum, & non ad lucrum.

Ad IV. Affirmative, duobus concurrentibus, videlicet, dummodo ob hanc cauſam non ſe ſubtrahant ab iis, in quibus ex officio clericali incumbere debent, & dummodo non ad lucrum, ſed ad neceſſaria vitæ comparanda pro ſe, & ſua familia: non enim hujuſmodi artificium ſordidum videtur, aut inhoneſtum in illis partibus, cum per unum equum, & quatuor famulos, ſeu operarios fiat, & non per ipſos Clericos, Quaranta ubi ſupra, poſt alios, §. *Difficultas verſatur, circa med. & fin.*

Ad V. Negative, niſi proprii redditus ſibi, ſuæque familiæ non ſufficiant; nam hoc caſu ad comparandum victum etiam aliena prædia conducere licet, Gloſſ. *in Can. Pervenit, in Gloſſ. Conductores* 86. *diſtinct.* quod eſt de mente omnium DD. ut teſtatur Quaranta, *ubi ſupra*, §. *Quæritur, in fine*.

Ad VI. Si opera non ſint ſordida, & inhoneſta, poſſunt fieri hujuſmodi commutationes per ea, quæ ſcribit Quaranta, *ubi ſupra*, §. *Difficultas, in fine, ex doctrina Silveſtri*.

Adnectuntur hic variæ negociorum ſecularium ſpecies, a Clericis fugiendorum, erutæ ex Concilio Mediolanenſi I. relatæ in Conſtitutionibus ſelectis Benedicti XIV. Romæ typis editis 1766. expenſis Jo: Baptiſtæ Novelli Typographi, ac Bibliopolæ Veneti, pagina 18.

QUi Deo militat, implicare ſe negociis ſecularibus prohibetur, idcirco edicimus.

Ne Clericus ſacris initiatus, aut eccleſiaſtico beneficio præditus, coram Judice ſeculari Advocati, aut Procuratoris nomine cauſas agat, niſi ab aliis in judicium vocatus, ſuam, vel Eccleſiæ ſuæ, propinquorum etiam, ſi neceſſe erit, & miſerabilium perſonarum cauſas, ab Epiſcopo facultate prius ſcripto conceſſa, tueatur.

Ne in prophanis negociis officium tabellionis exerceat.

Ne artem medendi faciat.

Ne in negociationibus, & mercaturis ſe interpretem, & medium interponat.

Negociationem etiam omnis generis omnino prohibemus.

Artes vero honeſtas concedimus, ut aliquod manibus ſuis lucretur, quo ſibi, quæ ad victum neceſſaria ſunt, comparare poſſit.

Ne aliena prædia lucri cauſa conducat.

Ne aliorum tutelam, aut curam ſuſcipiat.

Ne pro aliis fidejubeat.

Ne alicujus Principis, aut alterius negociorum procurator ſit ſine facultate, ab Epiſcopo prius per literas impetrata, ſingulis annis renovanda.

Neve parum memor Ordinis, ac dignitatis ſuæ, ſit in famulatu laicorum, etiam Principum, eorumve quibuſvis aliis obſequiis; niſi cui ex cauſa, & ad officium ſacerdotali munere non indignum Epiſcopus hujus rei poteſtatem ante ſcripto fecerit. Hujuſmodi autem licentiæ ſcripto permiſſæ quotannis renoventur: alioquin irritæ, ac nullæ ſint.

Neve præcurſor, aut aſſecla fœminarum, aut eis diſcumbentibus adſiſtat, aut ancilletur.

Qui autem hujuſmodi ſecularia negocia exercendi facultatem, ſeu diſpenſationem impetrarit, intra duos menſes Epiſcopo exhibeat.

Quæcunque in hac univerſa, quæ ad vitam, & honeſtatem Clericorum pertinent, parte, variis titulis expreſſa præcepta continentur, efficiat Epiſcopus, ut ea omnia ab omnibus, ad quos ſpectat, diligenter, & inviolate ſerventur.

Qui vero Clericus, cujuſvis etiam gradus, ordinis, dignitatis in aliqua re iis non obtemperarit, is aut ſalutari pœnitentia, aut pecunia, aut ſuſpenſione ab Ordinum munere, & beneficiorum adminiſtratione, aut etiam beneficiis, aut carcere, aut exilio, aut pluribus ſemel ex iis pœnis, aut etiam gravioribus pro modo culpæ Epiſcopi arbitratu multetur.

Qui iterum in eadem re peccarit, duplicata is pœna pro ratione criminis ab eodem plectatur.

Quæ

Quæ in Concilio provinciali I. iis, qui ſacris Ordinibus, & Sacerdotio initiati ſunt, quique eccleſiaſticum beneficium obtinent de ſecularibus negociis fugiendis conſtituta ſunt, eadem pœnis iiſdem, vel aliis, quas arbitratu ſuo Epiſcopus edixerit, irrogaritve, illis præſcribimus, qui Minorum Ordinum Clerici ſunt, etiam ſi nullum beneficium obtinent, ſi modo clericalem veſtitum deferunt: cum præſertim jam inde uſque a teneris annis ſe religionis, pietatiſque inſtitutis, & diſciplinæ eccleſiaſticæ moribus imbuant oportet, qui in ſortem Domini vocat ſunt. Atque in iis quidem, quę illis vitanda ſunt, hæc etiam cautio ſit, ne ſine Epiſcopi conſenſu, eoque literis exarato, laicis in ſervitute, famulatuve operam navent.

Nec vero cuiquam Clerico eam facultatem det Epiſcopus in aliqua re inſerviendi, quæ clericalis vitæ rationibus, pietatiſque officiis non admodum conveniat.

SECTIO LXXIV.

Eadem Seſſio XXII. cap. II. juncto cap. I. ſeſſ. VII. de Reformat.

Quicunque poſthac ad Eccleſias cathedrales erit aſſumendus, is non ſolum natalibus, ætate, moribus, vita, ac aliis, quæ a ſacris Canonibus requiruntur, plene ſit præditus, verum etiam in ſacro Ordine antea, ſaltem ſex menſium ſpatio, conſtitutus.

Hoc Decretum, ſtatuens, ut præter alias qualitates promovendi ad Epiſcopatum ſit in ſacro Ordine antea, ſaltem ſex menſium ſpatio, conſtitutus, declaratum eſt a Gregorio XIV. Conſtit. *Onus*, 15. *Maii 1591.* expreſſe decernente §. IX. ut ſaltem ante ſex menſes innitiatus ſit ſacris Ordinibus, ibi.

Quamvis autem qualitates omnes promovendorum .... probe cognitæ eſſe debeant iis, quibus inquiſitionis officium demandatum eſt, quales ſunt, natum ex legitimo matrimonio .... ſacris Ordinibus, ſaltem ante ſex menſes innitiatum eſſe.

Ex qua plurali Gregorii locutione infert Barboſa ad hoc idem Trident. cap. opportere, eum omnibus ſacris Ordinibus innitiatum fuiſſe ante ſex menſes: & ex hac Pontificis declaratione fortaſſe ortum habuit mos apponendi in Bulla Subdiaconi promovendi ad Epiſcopatum clauſulam = *Poſtquam tamen ad ſacros Diaconatus, & Presbyteratus Ordines te promoveri feceris* = de qua mentionem facit Riganti *ad regulam 24. Cancellariæ tom II. §. I. n. 17.* Nec ullum etiam ante Tridentinum, & Gregorium repertum eſt exemplum Epiſcopatus non Præsbytero collati, ut oſtendit Morinus *de Sac. Ordinationibus par. III. exercit. cap. II.* quamvis Subdiaconus eligi poſſit in Epiſcopum juxta *cap. A multis IX. De ætat. & qualit. præficiend.*

SECTIO LXXV.

Eadem Seſſio XXII. de Reform. proſequutur, idem cap. II. juncto cap. I. ſeſſ. XXIV.

Quarum rerum inſtructio (de quibus ſcilicet in præcedenti hujus Capituli §. dictum eſt) ſi ejus (promovendi videlicet ad Epiſcopatum) notitia nulla, aut recens in Curia fuerit, a Sedis Apoſtol. Legatis, ſeu Nunciis provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque deficiente, a vicinioribus Ordinariis ſumatur.

Hoc Decretum confirmatum, ampliatumque fuit a Greg. XIV. cit. Conſtit. *Onus*. Verum hodie hujuſmodi inſtructio deſumenda eſt a Cong. quinque Cardinalium una cum Auditore Sanctiſſimi, non pauciorum, aut plurium, quam erexit Bened. XIV. ut ex ejus Conſtit. *Ad Apoſtolicæ ſervitutis*, 17. *Octobris* 1740. cum onere ſervandi ſub ſecreto, quæ in ea de promovendis ad patriarchales, primatiales, archiepiſcopales, & cathedrales Eccleſias examinata ſunt; ſicuti & de cauſis pro translatione Epiſcoporum ab una ad alteram Eccleſiam, quas ab eadem Cong. Pontifex examinandas præcepit §. VI.

Utque

Utque hæc omnia in antedicta Congregatione liberius, perfectiuſque adimpleantur, ſecretum adinſtar illius, quod pro negociis ad S. Inquiſitionem pertinentibus ſervatur, ſingulis prædictis Cardinalibus, necnon Auditori noſtro injungimus; cum facultate tamen communicandi de rebus ad ipſam Congr. ſpectantibus ſub ſimili ſecreti lege cum uno cujuſque ipſorum Auditore, ſive ſtudiorum Adjutore, & uno amanuenſi, necnon cum iis, quos iiſdem de rebus interrogandos, vel conſulendos cenſuerint, ad aſſequendas notitias in eum ſcopum conducentes, quoſque eidem pariter ſecreto obnoxios eſſe debere ſtatuimus.

Per quam Conſtitutionem circa hæc duo capita derogatur laudatæ Conſtitutioni Gregorii, cujus tenorem hic omitto, cum integra inſpectio eorum, quæ ibidem ſtatuuntur, hodie privative pertineat ad dictam Congregationem.

SECTIO LXXVI.

Eadem Seſſio XXII. de Refor. proſequitur idem caput II.

IDdeoque antea in Univerſitate ſtudiorum magiſter, ſive doctor, aut licentiatus in ſacra theologia, vel jure canonico, merito ſit promotus; aut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur.

Huic Decreto, ſtatuenti, ut promovendus ad Epiſcopatum inter alias qualitates debeat eſſe Magiſter, ſive Doctor, aut licentiatus in ſacra theologia, vel jure canonico in aliqua ſtudiorum Univerſitate, vel publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos repertus; acceſſit Conſtitut. S. Pii V. *Quamvis*, 1. *Jun.* 1568. revocantis indulta, & privilegia creandi ad dictum effectum Doctores, Licentiatos, & Magiſtros quomodolibet conceſſa Comitibus Palatinis, ac quibuſvis Collegiis Officialium Romanæ Curiæ, & aliis, ibi §. II.

Nos .... omnia, & ſingulas facultates, & indulta eiſdem Comitibus (Palatinis) ac etiam quibuſvis Officialium Romanæ Curiæ Collegiis, ſinguliſque aliis perſonis, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, & præeminentiæ exiſtentibus, ad doctoratus, licentiaturæ, & magiſterii gradum promovendi per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtol. ac etiam nos etiam, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus quomodolibet conceſſa, confirmata, & innovata, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, auctoritate Apoſtol. tenore præſentium perpetuo revocamus, caſſamus, & annullamus.

Ac Decretis Conc. Tridentini inhærentes, decernimus, & declaramus, eos qui a Comitibus, & aliis præfatis promoti fuerunt, quoad dignitates, ceteraque beneficia eccleſiaſtica, nulla gradus prerogativa frui, & gaudere poſſe, vel debere.

Nota, quod licet promovendus ſit Licentiatus, ut ſupra, non inde tamen ex cit. Conſtit. Gregorii eximitur ab examine, quoad doctrinam.

SECTIO LXXVII.

Eadem Seſſio XXII. de Reform. proſequitur idem caput II.

QUod ſi Regularis fuerit (promovendus ſcilicet ad Epiſcopatum) a Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat.

Hoc

Hoc Decretum, ſtatuens, Regularem promovendum ad Epiſcopatum debere & ipſum habere teſtimonium ſufficentis doctrinæ a Superioribus ſuæ Religionis, declaratum eſt ab eodem Gregorio in mox citata Conſtit. *Onus*, in qua §. IX. deſignat quinam debeant eſſe iſti Superiores, ibi.

Declaramus, nomine Superiorum, eos dumtaxat intelligendos eſſe, qui nullum ſui Ordinis Superiorem agnoſcunt: ſive ii cujuſvis Ordinis Abbates, Magiſtri, aut Miniſtri, Præpoſiti generales, aut quarumlibet Congregationum Præſidentes, ſive Definitores, aut Viſitatores capitulum generale repræſentantes, ſive alii quocunque vocabulo nominentur, & in eorum abſentia ipſorum Vicarii, ſeu Commiſſarii generales, vel in Romana Curia Procuratores Ordinum, aut Congregationum generales in hac parte ſuccedant.

SECTIO LXXVIII.

Eadem Seſſio XXII. caput IV. de Reform.

Quicunque in cathedrali, vel collegiata, ſeculari, vel regulari Eccleſia divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in hujuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis libere fuerit conceſſum.

Huic Decreto acceſſerunt ſequentes declarationes Congr. Conc.

I. *In Raguſina*, 1. *Maii* 1607. Congreg. ſæpius declaravit *cap. IV. ſeſſ. XXII.* quo ſtatuitur, neminem in cathedrali, vel collegiata Eccleſia debere vocem in Capitulo habere, niſi ſit conſtitutus ſaltem in Ordine Subdiaconatus, non vendicare ſibi locum in monaſteriis Regularium, *& die 16. Decembr. 1618. ad dubium* = An habeat vocem non tantum definitivam, ſed etiam electivam in Capitulo Regularis, qui non eſt in Sacris, vel nullam vocem habeat =. Congr. cenſuit, ſi Conſtitutionibus Religionis cavetur, poſſe quemlibet Profeſſum vocem habere, non prohiberi a Conc. Trid. quin eam habeat, etiam quod in ſacris non ſit, quoniam decretum Conc. *ſeſſ. XXII. cap. IV.* non comprehendit monaſteria Regularium quoad vocem in Capitulo.

II. *In Patavina*, 8. *Auguſti* 1620. *ut lib. Memorialium XLII. pag.* 273. = Congr. ad I. reſpondit, etſi ad obtinendum Canonicatum in collegiata Eccleſia ætas XIV. annorum ſufficiat, tamen nec in ea Eccleſia vocem in Capitulo habere, qui in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, quemadmodum diſertis verbis ſtatuitur ejuſdem Conc. Decret. *cap. IV. ſeſſ. XXII.*

SECTIO LXXIX.

Eadem Seſſio XXII. proſequitur idem cap. IV. de Reform.

Ii vero, qui dignitates, perſonatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia in dictis Eccleſiis obtinent, aut in poſterum obtinebunt, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet, ut alii Miſſas, alii Evangelium, alii Epiſtolas dicant, ſeu cantent; quocunque ii privilegio, exemptione, prerogativa, generis nobilitate ſint inſigniti, teneantur, juſto impedimento ceſſante, infra annum Ordines ſuſcipere requiſitos: alioquin pœnas incurrant, juxta Conſtitutionem Concilii Viennenſis, quæ incipit, *Ut ii, qui:* quam præſenti Decreto innovat. Cogantque Epiſcopi eos diebus ſtatutis dictos Ordines per ſe ipſos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu divino præſtare, ſub iiſdem, & aliis etiam gravioribus pœnis, arbitrio eorum imponendis. Nec aliis in poſterum fiat proviſio, niſi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integre habere cognoſcantur, aliter irrita ſit proviſio.

Ad pœnas quod ſpectat, quas hic Concilium incurri ſtatuit ab obtinentibus beneficia in Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, niſi infra annum, juxto impedimento ceſſante, promoti fuerint ad Ordinem iiſdem beneficiis annexum, Congr. Conc. *die 25. Januarii* 1608. = Cenſuit non induci vacationem ipſo jure, præterquam in beneficiis curatis, ob non ſuſceptum Præsbyteratum, vel alium Ordinem

nem ſacrum annexum infra annum. Cæterum obtinentem dignitatem, & Canonicatum debere, & poſſe compelli, etiam ſub pœna privationis, ad recipiendum Ordinem ſacrum, Canonicatui, vel dignitati annexum =.

Quæ declaratio innititur diſpoſitioni Clementinæ II. *Ut ii, qui, de Ætat. & qualit. Præficend.* hic a Trident. innovatæ, in qua non promoto infra annum, juſto ceſſante impedimento, ſtatuitur, ſubtrahendam eſſe dumtaxat dimidiam partem diſtributionum, quæ dari ſolent iis, qui certis horis interſunt: quæ pœna ſicut & privatio vocis in Capitulo eſt latæ ſententiæ, quatenus non prærequirit monitionem, ſed ſolam citationem ad dicendum cauſam, quare non debat affici pœna dictæ Clementinæ. Quod ſi non probaverit, ſe legitime impeditum fuiſſe, declarabitur eſſe locum hujuſmodi pœnæ, etiamſi interſerit divinis Officiis, ut cum communi tenet *Theſaurus de pœnis cap. VI. verb. Beneficium.*

Non promotus autem ex negligentia intra annum, & monitus renuerit promoveri, privari poteſt etiam ipſo beneficio, Gloſſ. *in d. Clementina, verb. In poſterum*, ut etiam declaravit Cong. Conc. *25. Januar.* 1608.

Eſt hic notandum, quod quamvis habere nequeat vocem in Capitulo, qui in Subdiaconatus Ordine non ſit conſtitutus, etiamſi juſto præpeditus impedimento illum non ſuſceperit, cum hujuſmodi privatio non ſit pœnalis, ſed definitiva, hæc tamen non incurritur a beneficiatis ex juſto impedimento intra annum non promotis ad certos Ordines eorum beneficio annexos, ut ex claro dictæ Clementinæ, & Tridentini textu, ac ex declaratione Cong. Conc. *in Nepeſina, menſe Julio* 1588. juſtum impedimentum admittentium.

SECTIO LXXX.

Eadem Seſſio XXII. cap. V. de Reform.

Diſpenſationes, quacunque auctoritate concedendæ, ſi extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. Eæ vero, quæ gratioſe conceduntur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi prius ab eiſdem, tamquam Delegatis Apoſtolicis, ſummarie tantum, & extrajudicialiter cognoſcatur, expreſſas preces ſubreptionis, vel obreptionis vitio non ſubjacere.

Circa diſpenſationes, quas hic Concilium extra Curiam committendas præcipit Ordinariis, Cong. Conc. *in Urbinaten. 17. Novembr.* 1597. = Cenſuit ſi Abbatia hujuſmodi ſit nullius diœceſis, & juriſdictionem quaſi epiſcopalem habeat, diſpenſationes matrimoniales, ac literas monitoriales in forma *ſignificavit*, Abbati, ſive Commendatario Abbatiæ eſſe committendas = Et 23. *Decembris 1623.* Congreg. ſæpius cenſuit, ſi Prælatus inferior nullius ſit diœceſis, & juriſdictionem omnimodam quaſi epiſcopalem habeat, literas diſpenſationum matrimonialium, & alias ejuſdem generis, quæ ejus ſubditis a Sede Apoſtolica conceduntur, ſi illas extra Romanam Curiam committantur, eſſe utique ipſi Prælato, non autem vicinioribus Epiſcopis committendas =. Si vero literæ diſpenſationis commiſſæ ſint a Sede Apoſtolica Epiſcopo, vel ejus Officiali, has exequi nequit Officialis, ſeu Vicarius capitularis, Sede vacante, ut ex ſequenti Decreto dictæ Congr. *ſub die 24. Maii 1621.* = Congr. ſecuta opinionem Felini in *cap. Eam te, ſub num. 17. verſ. Hæc faciunt ad quæſt. de Reſcript.* cenſuit Officialem Capituli, Sede vacante, nequaquam potuiſſe exequi literas Apoſtolicas Epiſcopo, ſeu ejus Officiali directas, ac proinde irrita eſſe matrimonia in vim dictarum diſpenſationum contracta =.

Pro executione dictarum diſpenſationum eadem Congr. *ut lib. VI. Memorialium, pag.* 83. *in Burgen. mercedum*, ita declaravit = Non licet Archiepiſcopo, aut ejus Vicario occaſione diſpenſationum, quæ illi committuntur, aliquid accipere, etiam ex immemorabili conſuetudine, ſive ratione taxæ, ſive ratione ſigilli, aut cujuſvis alterius rei, & clauſulæ, quæ in literis diſpenſationum matrimonialium apponi ſolet, ut nihil muneris, aut præmii ſponte oblati accipi poſſit pro illarum executione, ita intelligitur, ut neque Ordinarius, neque Vicarius quidquam prorſus, etiam pro mercede laboris, quem ea in re ſuſcipiet, capere poſſit. Notariis vero pro examine teſtium, quartam partem aurei, ſeu ducati licebit accipere = Et *ſub die 3. Auguſti 1572. ut lib. Memorialium ad ſeſſ. XXII. cap. V. pag.* 450. ita legitur = Sanctiſſimus Dominus noſter (Greg. XIII.) audita relatione Cardinalium Moroni, & Alciati, nomine totius Congregationis Concilii facta, hæc decrevit. Decretum illud, quod ſolet poni in literis diſpenſationum matrimonialium, ut nihil muneris, aut præmii ſponte oblati accipi poſſit pro illarum executione, ita intelligendum eſſe, ut neque Ordinarius, neque Vicarius quidquam, etiam pro mercede laboris, quem in ea re ſuſcipient, capere poſſint. Notarius vero pro examine teſtium quartam partem aurei, ſeu ducati licite accipere poſſit. Pro literis autem abſolutionum, & diſpenſationum in foro conſcientiæ tantum nihil omnino a quoquam accipi poſſit, quemadmodum etiam Romæ obſervatur =.

Circa examen, & cognitionem precum pro diſpenſationibus gratioſe conceſſis, quam ante executionem Concilium hic præcipit fieri debere ab Epiſcopo, *die 2. Septembris 1599. in Patavina*, propoſito laudatæ Cong. ſequenti dubio =. Quæritur, an obtinentes diſpenſationes matrimoniales ſub expreſ-

ſione, quod contrahentes ex honeſtis familiis orti, certis de cauſis animos eorum moventibus cupiunt matrimonio copulari, debeant aliquam cauſam coram Ordinario probare = Cong. ceoſuit nullam cauſam eos probare teneri, eaque verba *Mandamus, ut de præmiſſis te diligenter informes &c.* non referri ad cauſas, cum nulla exprimatur, ſed ad nobilitatem gradus, & alia, ſiquæ ſunt in ſupplicatione expreſſa =.

S E C T I O   L X X X I.

Eadem Seſſio XXII. caput VII. de Reformat.

Legati, & Nuncii Apoſtolici, Patriarchæ, ac Primates, & Metropolitani in appellationibus ad eos interpoſitis in quibuſvis cauſis, tam in admittendis appellationibus, quam in concedendis inhibitionibus poſt appellationem, ſervare teneantur formam, & tenorem ſacrarum Conſtitutionum, & præſertim Innocentii IV. quæ incipit, *Romana*: quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, aut ſtylo, vel privilegio, in contrarium non obſtantibus: aliter inhibitiones, & proceſſus, & inde ſecuta quæcunque, ſint ipſo jure nulla.

Cum de appellationibus, & inhibitionibus concedendis poſt appellationem ſatis actum ſit ſupra a pagina 204. ad totam 212. *tit. de Appellationibus*, illuc lectorem remitto.

S E C T I O   L X X X I I.

Eadem Seſſio XXII. caput VIII. de Reform. juncto cap. IX. ejuſdem ſeſſ. & cap. XV. ſeſſ. VII. de reformat.

Epiſcopi, etiam tamquam Sedis Apoſtol. delegati, in caſibus a jure conceſſis, omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, ſint executores; habeant jus viſitandi hoſpitalia, collegia quæcunque, ac Confraternitates laicorum, etiam quas ſcholas, ſive quocunque alio nomine vocant; non tamen quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eorum licentia: eleemosynas Montis pietatis, ſive charitatis, & pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiam ſi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio ſint munita; ac omnia, quæ ad Dei cultum, ſalutem, ſeu pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt, ipſi ex officio ſuo, juxta ſacrorum Canonum ſtatuta cognoſcant, & exequantur: non obſtantibus, quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut ſtatuto.

Circa exceptionem hoſpitalium ſub iumediata Regum protectione exiſtentium hic a Concilio factam, Stephanus Vveyms in *Conſtitutiones XXIV. ex antiquo jure deſumptas, & per Trid. innovatas, Conſtitutione la XVI. in ordine num.* 13. interpretatur, ideo Concilium excepiſſe a viſitatione Epiſcopi dicta hoſpitalia, quia ſatis videtur confiſum fuiſſe eorum curæ, & ſolicitudini.

Verum præſtat hic referre allegationes, prout leguntur in folio Cong. Conc. 18. *Maii* 1726. *in cauſa Senogallien.* exarato a Beoed. XIV. tunc ejuſdem Cong. Secret. *in Theſaur. Reſolut. tom. III. fol.* 322. §. *Quoad hoſpitalia*, ibi „ Quoad hoſpitalia, & „ Confraternitates, quæ ſunt ſub immediata prote- „ ctione Regum, ea quidem ſunt exempta a viſitatione Epiſcopi juxta *cap. VIII. ſeſſ. XXII. de ref.* „ ſed hæc immediata Regum protectio, quæ eximit „ a viſitatione juxta citatum *cap. VIII.* non eximit a „ redditione ratioois; quo circa io ſequenti cap. in „ quo agitur de redditione ratioois, nulla ſit mentio „ dictæ regiæ protectionis, uti ponderat Fagnan. in „ *cap. De xenodochiis num.* 17. *& ſeq. de Religioſis* „ *domibus*; & ſirmavit *Rota deciſ.* 193. *num.* 7. *&* „ 8. *coram Cerro* “ (Circa hanc ratioois redditio- „ nem reſpectu hujuſmodi hoſpitalium monet Gau- „ dentius a Janua, *tom. I. de Viſitatione cap. III.* „ *dubit. 9. Sect. II. num.* 18. atteodendam eſſe con- „ ſuetudinem, ne lites excitentur inutiles noo ſine „ diſpendiis, & ſcandalo) „ Item regia protectio „ debet implorari io limine erectionis, ut ſuffragetur; „ uti late oſtendunt Cavalcan. *de Brachio regio parte IX. num.* 3. Menoch. *conſ.* 721. Ricciull. *Lucubr.*

Digitized by Google

br. *Eccleſ. lib. IV. cap. XV. num.* 10. Seraphin. *dec.* 1025. & reſpondit hæc ſacra Congregat. *die* 10. *Decembr.* 1621. Epiſcopo Leirien. ſacra Limina viſitanti *tom. XV. Decretor. fol.* 413. Et quamvis nonnulli exiſtimaverint, conciliarem exemptionem, quæ loquitur de Regibus, extendi etiam ad ſublimes Principes, qui regalia in ſuis ditionibus poſſident, etiamſi Regis titulum non gerant, uti habetur apud Barboſ. *ad cap. VIII. num.* 28. *ſeſſ. XXII. de reform.* alii nihilominus exiſtimant, Concilium eſſe taxative intelligendum de Regibus; ex quo, quando voluit comprehendere Reges, & alios ſublimes, ac ſupremos Principes, jura imperii in ſuis dominiis habentes, id ſcivit exprimere; uti habetur *cap. IX. ſeſſ. XXV. de reform.* & adhæſiſſe videtur hæc ſacra Cong. quæ reſpondit, Epiſcopum Eugubinum poſſe viſitare hoſpitale majus dictæ Civitatis, licet illud a Sede Apoſtolica privilegium obtinuiſſet, quod gubernari, & regi deberet a ſeptem Civibus eligendis, & a Duce Urbini confirmandis; quemadmodum plene habetur apud Fagnan. *in cap. Ad hæc*, *n.* 15. *& ſeq. de Religioſis domibus*.

„ Denique quoad redditionem rationis Epiſcopo faciendam ab adminiſtratoribus hoſpitalium, excipitur *in cap. IX. ſeſſ. XXII. de reformat.* caſus, in quo aliter cautum fuiſſet in inſtitutione, & fundatione: niſi tamen adminiſtratores eſſent negligentes in adimplenda mente fundatorum: in quibus circumſtantiis Epiſcopus, quamvis in fundatione excluſus ab exigenda rationum redditione, excludi non poſſet, uti probat *text. in cap. Tua nobis*, ibique Fagnan. *num.* 12. *& ſeq. de Teſtam. & in cap. Ad hæc num.* 58. *&* 59. *de Religioſis domibus* ".

Circa bona decedentium in noſocomiis, ſive condito, ſive non, teſtamento, vide notata parte I. *ad cap. I. Sed hoc, de Succeſſionibus ab inteſtato pagina* 316.

S E C T I O L X X X I I I.

Eadem Seſſio XXII. caput X. de Reform.

CUM ex notariorum imperitia plurima damna, & multarum occaſio litium oriatur; poſſit Epiſcopus quoſcunque notarios, etiamſi Apoſtolica, imperiali, aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, examinatione adhibita, eorum ſufficientiam ſcrutari; illiſque non idoneis repertis, aut quandocunque in officio delinquentibus, officii ejus in negociis, litibus, & cauſis eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus exercendi uſum perpetuo, aut ad tempus prohibere: neque eorum appellatio interdictionem Ordinarii ſuſpendat.

Facultas hic Epiſcopis a Conc. tributa ex declaratione Congr. Conc. extenditur etiam ad negocia, & lites locorum piorum a laicis adminiſtratorum, & ad contractus perſonarum eccleſiaſticarum circa earum bona patrimonialia, ut in *Mediolanen.* 1. *Decembris* 1588. per hæc verba = An facultas prohibendi notariis minus idoneis repertis, ne in negociis, & cauſis eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus eorum officium exerceant Epiſcopis tributa decreto Conc. *cap. X. ſeſſ. XXII.* etiam quoad negocia, & lites locorum piorum a laicis adminiſtratorum tributa intelligatur = Item, an eadem facultas extendatur ad contractus perſonarum eccleſiaſticarum, quæ de earum patrimonialibus bonis conficiuntur, præſertim ſtante conſuetudine, quod cauſæ hujuſmodi ratione eorum bonorum ad forum eccleſiaſticum ſpectent.

Ad I. Cong. reſpondit intelligi tributam. Ad II. Extendi.

Eadem hæc facultas ex declaratione ejuſdem Cong. ſub dicta die 1. Decembr. competit etiam inferioribus Prælatis, quaſi epiſcopalem juriſdictionem habentibus: ad dubium enim = An facultas tributa Epiſcopis Decreto Conc. *cap.* X. *ſeſſ.* XXII. in notarios etiam competat inferioribus juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentibus? Congr. cenſuit competere =.

S E C T I O L X X X I V.

Eadem Seſſio XXII. caput XI. de Reform.

SIquem Clericorum, vel laicorum, quacunque is dignitate, etiam imperiali, aut regali, præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiæ, ſeu cujuſvis ſecularis, vel regularis beneficii, Montium pietatis,

aliorumque piorum locorum juriſdictiones, bona, cenſus, ac jura, etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunque obventiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent; per ſe, vel alios vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut laicorum, ſeu quacunque arte, aut quocunque quæſito colore, in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur: is anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, pervenerint, Eccleſiæ, ejuſque adminiſtratori, ſive beneficiato integre reſtituerit; ac deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi ejuſdem Eccleſiæ patronus fuerit, etiam jure patronatus, ultra prædictas pœnas, eo ipſo privatus exiſtat. Clericus vero, qui nefandæ fraudis, & uſurpationis hujuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat; necnon quibuſcunque beneficiis privatus ſit, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur; & a ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem ſui Ordinarii arbitrio ſuſpendatur.

Decretum, infligens excommunicationem Papæ reſervatam in occupantes bona cujuſcunque Eccleſiæ, aut loci pii, ampliatum eſt a *Bulla Cœnæ*, §. XVII. quem leges in calce hujus Operis, extendente hanc pœnam etiam in uſurpantes juriſdictiones, fructus, redditus, vel proventus ad Papam, & Sedem Apoſtol. & quaſcunque eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum pertinentes.

Quoad præſumentes convertere in proprios uſus bona, & fructus Montium Pietatis, huic Tridentini Decreto acceſſit Conſtit. Pauli V. *Oneroſa*, 5. *Febr.* 1615. in qua prohibetur pecunias Montis Pietatis ſtatus Eccleſiæ Romanæ in alios uſus converti, quam pauperum, juxta erectionem eorumdem Montium, niſi cum licentia Papæ, & Sedis Apoſtol. & ſi quis contravenire præſumpſerit, ſtatuit, ut Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi incurrant ipſo facto ſuſpenſionem; aliæ vero inferiores perſonæ excommunicationem; & abſolutionem Papæ reſervavit. Unde Epiſcopus etiam de jure communi ex *cap. Xenodochiis*, *tit. de Religioſis domibus*, non poteſt dare licentiam expendendi pecunias Montis Pietatis in alios uſus præter deſtinatos in fundatione.

Acceſſit etiam Conſtitut. Bened. XIII. *Ex quo divina*, *idibus Jun.* 1725. in qua excluduntur a privilegio Immunitatis eccleſiaſticæ, ſeu aſylo loci ſacri miniſtri Montis Pietatis, vel alterius publici telonii, aut banci pro depoſitis Principis, privatarumque perſonarum deſtinati, furtum, aut falſitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus ſit.

Acceſſit tandem Conſt. Bened. XIV. *Ad curam* 31. *Octobr.* 1756. extendentis pœnam ultimi ſupplicii jam inflictam a Pio V. Conſtit. *Cum nihil magis*, 25. *Octobr.* 1570. & ab Urbano VIII. Conſt. *In ſuprema*, *idib. Novembr.* 1627. extenſam ad omnes eccleſiaſticos habitantes in quibuſvis locis intra fines Italiæ, contra præſumentes tam tondere monetam auream, & argenteam, quam fabricare, colorare, vel alias adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut exponere; extendentis inquam ad falſificantes, & alterantes in quacunque ſumma ſyngraphas, ſeu cedulas Montis Pietatis, & menſæ nummariæ S. Spiritus de Urbe, etiamſi falſificatio facta fuerit extra ditionem eccleſiaſticam; & ad eas tam falſas quam corruptas, & alteratas ſcienter expendentes in locis Italiæ S. Sedi immediate, vel mediate ſubjectis, addendo = Etſi eccleſiaſtici fuerint, etiam exempti, & privilegiati, ut ſupra, prævia degradatione Curiæ ſeculari puniendi tradantur =.

S E C T I O   L X X X V.

Seſſio XXIII. cap. I. de Reform.

CUM præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere; *pro his Sacrificium offerre*; verbique divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere; pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: ſacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate paſcant, & regant.

Hoc

Hoc Conc. Decretum, edicens, præcepto divino mandatum eſſe omnibus, quibus cura animarum commiſſa eſt, *pro iis Sacrificium offerre*, declaratum eſt a Bened. XIV. Conſtit. *Cum ſemper ad Italiæ Ordinarios*, 19. *Aug.* 1744. cujus ſumma eſt.

I. Parochos, ſeu alios animarum curam habentes, licet congruis redditibus deſtitutos, teneri ad applicationem Miſſæ pro populo Dominicis, aliiſque per annum diebus feſtis dumtaxat de præcepto, iis etiam comprehenſis, quibus populus tenetur Miſſam audire, licet permiſſum ſit opera ſervilia exercere, ſive redditus ſint pingues, ſive tenues; non obſtante quaçunque contraria conſuetudine, etiam immemorabili.

II. Teneri etiam Vicarios amovibiles, & temporarios, ac Parochos regulares.

III. Epiſcopum poſſe diſpenſare cum Parochis pauperibus ab hac applicatione diebus feſtis; ita tamen, ut celebrent in Eccleſia parochiali, ac totidem Miſſas intra hebdomadam applicent pro populo, quot in diebus feſtis intra hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alicujus benefactoris obtulerint.

IV. In Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis quotidie applicandam eſſe pro benefactoribus in genere primam Miſſam conventualem, contraria conſuetudine non obſtante: non vero ſecundam, & tertiam, niſi aliud fuerit uſu receptum.

Nota I. Ex Decreto Congr. Conc. *in Oſtien.* 29. *Jan.* 1724. *ut in Theſaur. Reſolut. ejuſdem Congr. tom. III. pag.* 12. Parochos etiam amovibiles teneri ad dictam applicationem, licet nihil percipiant a parochianis, ſed exiguos tantum menſtruos proventus accipiant a locorum, vel parochiarum dominis.

Nota II. Ex decreto ejuſd. Congr. *in Lucana*, 18. *Decembr.* 1688. *lib. Decretor.* XXXVIII. *pag.* 579. *a terg.* Parochis prædictis diebus Miſſam pro populo non applicantibus imponi poſſe ab Epiſcopo pœnam ſuſpenſionis ipſo jure, & ejus arbitrio.

An vero ad hanc Miſſæ applicationem pro grege ſibi commiſſo teneatur etiam Epiſcopus, cui potiori jure, quam parocho, animarum cura commiſſa eſt, licet nulla de eo mentio fiat tam in Decretis Congr. Conc. quam in cit. Conſtit. Bened. XIV. Lucius tamen Ferraris, *Prompta Bibliot. verb. Miſſa art.* 3. *num.* 11. numerat ſeptem Auctores ſentientes teneri, & refert verba Antonii Naldi, *quæ habentur in illius ſumma verb. Parochus num.* 19. = Revera non magis debet de jure divino obligari Parochus in hoc pro ſuis ovibus, quam. Prælatus regularis pro ſuis ſubditis, Epiſcopus pro ſua diœceſi; atque etiam Summus Pontifex pro univerſali Eccleſia, in quibus proportionaliter eſſet dicendum quod de Parocho = Quinimo *Aloyſ. Gherardi Epiſt. Carnoten.* extendit hanc eamdem obligationem ad Epiſcopum, nedum pro diebus feſtis, ſed etiam pro ſingulis, in quibus celebrat.

Circa Prælatos regulares animadvertendum eſt reſponſum Congr. Conc. ad dubium, quod iiſdem verbis, quibus repetitum legitur in folio ejuſdem Congr. ſub die 15. Mart. 1710. tranſcribo =.

„ *Dubium Miſſæ Paſtoralis, ſeu Parochialis,* „ *& Conventualis*. Inſtante pridem de anno prope „ defluxo Fiſcali S. Congr. Viſitat. Apoſtol. coram „ Congr. a SS. D. N. (Clemente XI.) deputata „ ſuper reviſione onerum Miſſarum Urbis, quatenus compellerentur omnes, & ſingulæ Eccleſiæ „ Regularium quotidie celebrare, & applicare „ Miſſam conventualem pro benefactoribus: necnon „ adigerentur omnes, & ſinguli Prælati regulares, „ tanquam ſuorum ſubditorum Paſtores, nimirum „ Generales, Provinciales, Guardiani, Priores, „ omneſque alii Superiores locales cujuſcunque „ Ordinis, Regulæ, & Inſtituti offerre, & applicare Sacrificium Miſſæ pro eorum ovibus, ſcilicet pro eorum religioſis ſubditis, eodem prorſus modo, quo pro ſuo populo tenentur Parochi: „ eadem Cong. deputata decrevit, priuſquam in „ præmiſſis reſolutionem caperet, exquirendum „ eſſe oraculum hujus S. Congr. Conc. quo quidem „ Decreto approbato a SS. D. N. ſub die 17. Febr. „ prælibati anni, recurrit idem Fiſcalis ad hanc „ S. Congr. in qua citatis Procuratoribus Generalibus Religionum, in Congr. diei 1. Junii ejuſdem anni 1709. reſcriptum prodiit; *Reſpondebitur in caſibus particularibus*.

„ Subinde dicta die 15. Martii: citato ſpeciatim per eumdem Fiſcalem Procuratore generali „ Ordinis S. Auguſtini, concordata, & propoſita „ fuerunt decidenda hæc tria dubia.

I. An P. Generalis totius Ord. Eremitarum „ S. Auguſtini, Vicarius generalis, ac omnes, & „ ſinguli Provinciales, ac Priores, ſeu Superiores „ locales, & conventuales ejuſd. Ordinis teneantur Sacrificium Miſſæ parochialis, ſeu paſtoralis „ pro eorum ovibus, ſcilicet pro eorum regularibus ſubditis, offerre, & applicare? Et quatenus „ affirmative.

„ II. An, & quomodo, & quibus diebus „ hoc idem Sacrificium applicare teneantur.

„ III. An, & quomodo, & quibus diebus „ omnes, & ſingulæ Eccleſiæ Regularium prælaudati Ord. Eremit. S. Auguſtini teneantur celebrare, & applicare Miſſam conventualem pro „ benefactoribus in caſu &c.

Sed S. Congr. diſtulit reſolutionem, ad quam nunquam amplius devenit: factis enim perquiſitionibus tum a me in regeſtis dictæ Congr. Conc. tum a moderno P. Procuratore Generali S. Auguſtini in ſuo Archivio, nullum repertum eſt monumentum datæ reſolutionis. In Bibliotheca tamen Angelica penes Conventum S. Auguſtini de Urbe aſſeruantur reſponſiones ad dictum dubium, contra Promotorem fiſcalem.

Parochi Urbis Romæ ex edicto Bened. XIII. 17. *Jan.* 1727. *ut in Statuto Cler. Rom. cap. V. De ordine proceden. in funerabil. proceſ. poſt* §. *X.* tenentur applicare Miſſam gratis pro anima defuncti pauperis, præſente cadavere.

Quoad verbi Dei prædicationem, ad quam ex præcepto divino tam Epiſcopum, quam Parochum teneri edixit allatum Concilii decretum, jam ſermonem inſtitui ſupra parte I. pag. 108. & hac parte II. pag. 815. Sect. VII. & VIII.

Ad Sacramentorum adminiſtrationem, quod ſpectat, quam idem decretum præcepto pariter divino demandatam eſſe edixit: hæc adeo Parochum

Digitized by Google

obſtringit, ut etiam tempore peſtis, & etiam cum periculo vitæ eam quoad Baptiſmum, & Pœnitentiam omnino obire teneatur, vel per ſe, vel per alium; & in parochia reſideat, quemadmodum a S. Congr. Conc. cum approbatione Gregor. XIII. *die 11. & 26. Octobr. ac 6. Decembr.* 1576. declaratum fuiſſe refert Fagnanus *in cap. XVII. Clericos, de Cleric. non reſiden. num. 37. ad 41.* „ Unde infert Bened. XIV. *de Synod. diœc. lib. XIII. cap. XIX. num. 2.* poſt hujuſmodi reſcripta, ſive reſolutiones aditus, locuſque amplius relinqui non poteſt eorum DD. opinioni, qui affirmarunt, & docuerunt, licere ei, qui animarum curam exercet, a reſidentiæ loco abſcedere, modo Sacerdotem idoneum adinveniat, qui accedente Epiſcopi licentia, vices ejus adimpleat; veluti recte perpendit Muratorius, *in ſuo Tractatu de Peſte lib. III. cap. IV. pag. 359. primæ editionis Mutinenſis* “.

Nec Parochis ſuffragatur ſententia quorundam Theologorum, & Canoniſtarum, opinantium, quod ſicut eis licet non reſidere propter capitales inimicitias *ex cap. IX. Ad ſupplicationem, de Renunciat.* ita & propter peſtem: optime enim refellitur hujuſmodi ſententia, diſcrimenque inter caſum, & caſum palam fit per ea, quæ Gratianus adnotavit poſt *Can. XLVIII. Adverſitas, cauſ. VII. quæſt. I. §. Hoc tunc ſervandum*, ibi. *Cum vero (Paſtor) ſpecialiter quæritur, fugiat exemplo Chriſti, quia ſævitie Herodis fugit in Ægyptum; fugiat exemplo Pauli, qui a fratribus per murum ſubmiſſus eſt in ſporta. Unde Aug. ait: Fugiat miniſter Chriſti, ſicut ipſe Chriſtus in Ægyptum; fugiat, & qui ſpecialiter quæritur, dum per alios firma eſt Eccleſiæ ſalus. Hinc etiam ait Dominus Diſcipulis: ſi vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Hinc etiam idem abſcondit ſe, & exivit de templo, quando Judæi lapides tulerunt, ut jacerent in eum. Cum vero non Prælato tantum, ſed generaliter periculum omnibus imminet, & animarum ſalus ſalva eſſe non poteſt; debet Prælatus animam ſuam ponere pro ovibus ſuis.*

Quam doctrinam, & rationem ſecutus eſt etiam S. Thomas 2. 2. *quæſt. 185. art. V.* & noviſſime Petrus Ballerini in Notis *ad Summam theologicam* S. Antonini *part. I. tit. V. cap. I. col. 358. edit. Veron. an.* 1740. ubi paucis complectens celebrem hac in re S. Auguſtini Epiſtolam CCXXVIII. *ad Honoratum Epiſcopum Thiavenſem*, ita ex illius mente diſtinguit „ Sanctus Doctor univerſim ſtatuit, Paſtoribus illicitum eo in periculo a ſuis gregibus recedere, idoneis licet Vicariis relictis; tum vero cum ſolum eaſdem fugæ approbat, ac ſupplendi per alios, cum periculum proprium ſolius Paſtoris eſt, uti cum Paſtor ipſe per ſe ad necem quæritur, non autem cum periculum commune eſt Paſtoris, & ovium “.

Quod autem Gregorius XIII. ex ſententia Congreg. indulſerit Parochis adminiſtrare poſſe tempore peſtis dicta Baptiſmi, & Pœnitentiæ ſacramenta etiam per alios, dummodo perſonaliter, & formaliter reſideant, licet Trident. illis injungat, ut per ſe ipſos Sacramenta adminiſtrent, id ita proviſum fuiſſet advertit Fagnanus *loc. cit. num. 47.* in favorem, & commodum parochianorum, quorum aliqui nondum peſti infecti nollent ea ab ipſis recipere, quos ſcirent eadem adminiſtraſſe aliis peſte laborantibus.

Non defuere Auctores, inter quos noviſſime Muratorius, qui *loco ſupra cit. pag. 355.* cenſet in praxi licere abſolutionem impertiri peſte infecto, quamvis integram peccatorum confeſſionem non expleverit, quoties ex diuturniori mora cum hoc confeſſarius probabiliter timeat, ne & ipſe morbum contrahat. Quam tamen opinionem acriter cum aliis non paucis oppugnat Marchinus *Tract. de Peſte parte III. cap. IV. num. 5. & ſeqq.* tum ad rectum efformandum judicium de ſtatu pœnitentis, quod haberi nequit ex dimidiata confeſſione; tum ad in tuto ponendam ſacramenti validitatem, juxta rei naturam, & Pontificum decreta. Et quamvis pœnitens excuſetur ab integritate confeſſionis, quando grave aliquod damnum, ſive ſibi, vel alteri probabili fundamento obventurum timeat, quando tamen pœnitens proximus morti integre confiteri cupit, non excuſatur confeſſarius ab onere audiendi integram illius confeſſionem, etiam cum periculo contrahendæ peſtis; quandoquidem ex officio propriam & ipſe vitam pro concreditarum ſibi animarum ſalute cuilibet periculo exponere tenetur.

Tenentur itidem Parochi, ut muneri ſuo ſatisfaciant, peſte infectis alia duo ſacramenta, Viatici nempe, & Extremæ Unctionis adminiſtrare; ut omnes fatentur; licet non ita ad ſalutem neceſſaria, ut eſt Baptiſmus, & Pœnitentia. Controverti dumtaxat ſolet, an ea adminiſtranda ſint eodem plane modo; quo bene valentibus adminiſtrantur; propriis ſcilicet Sacerdotis manibus, vel aliquo convenienti apto inſtrumento ad evitandum periculum contrahendæ peſtis.

Et quoad Viatici adminiſtrationem laudatus Bened. XIV. *loc. mox cit. n. 26.* qui fuerit Cong. Conc. ſenſus, his verbis refert. „ Poſt accuratum rei examen reſcriptum fuit poſtulatu Vicarii Apoſtolici Juliæ Cæſareæ; (nunc vulgo Algeri) videlicet advigilandum ipſi eſſe quam maxime, ut peſte correptis Sacramenta miniſtrarentur: quo vero ad modum adminiſtrandæ Euchariſtiæ, ſi Sacerdotes deprehendiſſet alienos, atque abhorrentes a miniſtratione ſuis manibus peragenda, modum ipſe ſtatueret, audito prudentum conſilio, atque præ oculis habito decore in tanti Sacramenti adminiſtratione ſervando, ut quidquid eidem repugnans deprehenderet, omnino uſurpari prohiberet “.

Qui autem modus adhibendus eſſet debitus reverentiæ tanti Sacramenti, & magis aptus ad conſulendum indemnitati miniſtrantium; poſtquam in Eccleſia catholica vetus uſitatus modus obſolevit, *quo* viri in nudas manus, mulieres vero in album pannulum illud accipiebant, ad ſe eo reficiendum, variant Auctores: alii enim ajunt, recipi poſſe Euchariſtiam ab ægroto propriis ſuis manibus inſertam in panem domeſticum, vel inter duas particulas non conſecratas, extrema illarum parte madefacta, ut ſibi invicem adhæreant, commonefacto ægroto inter illas deliteſcere SS. Euchariſtiæ Sacramentum. Alii admovendam ajunt illius ori vel forcipe argenteo,

vel

vel oblonga lamina, quæ in ſemicirculi formam deſinat. Alii tandem ajunt porrigendam a Sacerdote manu chirothea induta. Qui tamen modi communiter improbantur, tamquam minus decentes, & non ſatis tuti ad removendum periculum alicujus inconvenientis. Non reprobantur autem ſequentes, ſemper tamen approbandi ab Epiſcopo, non a miniſtrantibus pro eorum libito, ſcilicet, vel apponendi Euchariſtiam in menſula decenter parata, ex qua peſte infectus ore accipiat, abſumatque, vel eam immittendi in vaſculo cum hauſtu aquæ, vel vini.

Quoad modum autem adminiſtrandi extremam Unctionem peſte infectis, communi DD. calculo relatorum a d. Benedicto *loc. cit. num.* 29. *&* 30. approbatur uſus oblongæ virgæ, cujus extremæ parti alligatus ſit goloſſipi pugillus ſacro Oleo imbutus, eoque liniatur organum illius ſenſus, qui patentior, & magis unctioni expoſitus Sacerdoti ſe offerat.

Hactenus de onere Parochorum, quoad horum quatuor Sacramentorum adminiſtrationem tempore peſtis. Quod ſi quæratur, an ad ea adminiſtranda obſtringantur etiam Epiſcopi, laudatus Benedictus *loc. cit. num.* 6. ad quæſtionem ita reſpondet „ Hoc „ primum aſſerimus, Parochorum onus id eſſe pro„ prium, Epiſcopos vero ad hujuſmodi Sacramen„ ta peſte afflatis adminiſtranda minime obſtrictos „ eſſe, niſi cum nemo alius adeſſet, qui id præſtare „ poſſet. Epiſcopi namque ſe habent veluti univer„ ſales cauſæ, quæ proxime, & per ſe non operan„ tur effectus illos, qui a cauſis particularibus in„ duci debent, niſi cum rariores aliqui, urgentio„ reſque caſus uſitatum rerum ordinem immutarunt. „ Parochi vero tamquam particulares cauſæ ſunt „ conſtituti; ideoque proximi adminiſtri Sacramen„ torum, quæ populo miniſtrari oportet; quemad„ modum recte docet S. Thomas *Quodlibet I. art.* „ *XIV. in corpore, & Quodlibet III. art. XVII.* „ *Ad quintum*, ac in rem noſtram pergit Sylvius, „ *in ſupplemento, ſive Additionibus ad III. partem* „ *S. Thomæ, quæſt. XXXII. art. III. §. Priuſquam* „ *reſpondeatur*".

S E C T I O L X X X V I.

Eadem Seſſio XXIII. de reform. proſequitur idem cap. I. juncto cap. I. ſeſſ. VI. de reform.

NE vero ea, quæ de reſidentia ſancte, & utiliter jam antea ſub fel. rec. Paulo III. ſancita fuerunt, in ſenſus a ſacroſanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius decreti quinque menſibus continuis abeſſe liceat; illis inhærendo, declarat ſacroſancta Synodus, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, ac cathedralibus Eccleſiis quibuſcunque, quocunque nomine, & titulo præfectos, etiam ſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel diœceſi reſidentiam, ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur, neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſis, & modis infraſcriptis. Nam cum chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reip. utilitas aliquos nonnumquam abeſſe poſtulent, & exigant; decernit eadem ſacroſancta Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſas a Beatiſſimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel, eo abſente, Suffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas, niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reip. officium Epiſcopatibus adjunctum: cujus quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit: ad eumdem tamen cum Concilio provinciali ſpectabit judicare de licentiis a ſe, vel a Suffraganeo datis, & videre, ne quis eo jure abutatur; & ut pœnis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint diſceſſuri, ita ovibus ſuis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem, qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt; ſacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive continuum, ſive interruptum, extra prædictas cauſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere; & haberi rationem, ut id æqua ex cauſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento: quod, an ita ſit, abſcendentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore; cum Deo corda pateant; cujus opus non fraudulenter agere, ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, item, & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Paſtoris præſen-

ſentia oves debeant, ipſi ab Eccleſia ſua cathedrali ullo pacto abſint, niſi epiſcopalia munia in ſua diœceſi eos alio vocent.

Si quis autem, quod utinam nunquam eveniat, contra hujus decreti diſpoſitionem abſuerit, ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas adverſus non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri, aut, ipſo ceſſante, per Superiorem eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacunque conventione, vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur: non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, cujunque Collegio, aut fabricæ conceſſis.

His Decretis præcipientibus Epiſcopis reſidentiam ſub pœnis, prius latis a Pio IV. Conſtit. *De ſalute*, 4. *Sept.* 1560. & poſtea a Trident. *in cit. cap. I. ſeſſ. VI.* habitæ ſub Paulo III. declaratis, & ampliatis, & poſtremo repetitis in hoc *cap. I. ſeſſ. XXIII.* acceſſit.

I. Ejuſdem Pii IV. Conſtitut. *In ſuprema*, 25. *Novembr.* 1564. in qua ultra pœnas inflictas in dictis duobus Trid. decretis addita eſt altera, privationis ſcilicet a regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, ferendæ tamen ſententiæ, ac ammiſſionis facultatum teſtandi, & diſponendi, ſiquæ reſidentiæ transgreſoribus competere dignoſcantur, eorumque bona, tam mobilia, quam immobilia, jura, actiones &c. ſubjiciuntur ſpolio Cameræ Apoſtolicæ, ibi.

Nos.... omnibus, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis præfatis, ac aliis quibuſcunque etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, vel præeminentia præfulgentibus, dictas Eccleſias in commendam, vel adminiſtrationem, aut alio quovis nomine obtinentibus, & aliis quibuſcunque beneficiatis curam animarum habentibus, qui juxta decreti ſuper Reſidentia in Concilio prædicto promulgati tenorem, perſonalem in ſuis Eccleſiis reſidentiam facere tenerentur, in virtute ſanctæ obedientiæ, ultra pœnas in dicto decreto Concilii contentas, etiam ſub privationis eorum a regimine, & adminiſtratione Eccleſiarum ſuarum, ac aliis noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Succeſſoris noſtri arbitrio imponen. pœnis, diſtricte præcipiendo per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omni mora ceſſante, in eiſdem ſuis Eccleſiis, juxta formam, & tenorem dicti Concilii perſonaliter reſideant. Et nihilominus, ſi quos mandato noſtro hujuſmodi, quod abſit, non parere contigerit, ne etiam tales abſentes melioris in hac parte conditionis, quam cæteri in ſuis Eccleſiis reſidentes exiſtant, hac noſtra perpetuo valitura ſanctione per præſentes ſtatuimus, & ordinamus, quod deinceps omnia, & ſingula mobilia, & immobilia, etiam in Urbe, vel ejus diſtrictu exiſtentia, & ſemoventia, res, & bona, jura, & actiones cujuſcunque qualitatis, & valoris, ac ubicunque locorum conſiſtant, ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios quoſcunque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, & præeminentia præfulgentes, Eccleſias prædictas in titulum, vel commendam, ſive adminiſtrationem, aut alio quovis nomine obtinentes, & alios quoſcunque beneficiatos, curam animarum habentes, qui extra prædictas Eccleſias, ac dioec. etiam in Romana Curia, aut alibi degentes, & juxta decretum, & formam Concilii hujuſmodi non reſidentes deceſſerint, pertinentia, & per illos ſuarum Eccleſiarum, ac quorumcunque monaſteriorum, prioratuum, præpoſiturarum, & aliorum beneficiornm eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ſecularium, & regularium, quæ illi quomodolibet obtineverint, ac fructuum, reddituum, & proventuum eccleſiaſticorum, necnon penſionum annuarum ſibi ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & proventibus reſervatarum, & aſſignatarum occaſione quæſita, etiam ſi facultatem ſpecialem de illis, aut eorum parte teſtandi, & alias libere diſponendi, a nobis, & a quibuſcunque aliis Rom. Pontificibus Prædeceſſoribus, & Succeſſoribus noſtris, etiam cum clauſulis, quod facultates hujuſmodi revocari non queant, aliiſque irritantibus decretis, obtinuerint, & in vim illarum literarum deſuper confectarum, de rebus, & bonis hujuſmodi jamque diſpoſuerint, tanquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam legitime pertineant.

II. Ac-

II. Acceſſit decretum Conſiſtoriale Gregorii XIII. relatum ab Urbano VIII. Conſtit. *Sancta Synodus*, 12. *Decembris* 1634. in quo decreto.

Declaravit, decreta ejuſdem Concilii de perſonali reſidentia in Eccleſiis prædictis facienda, etiam in S. R. E. Cardinalibus locum habere, quocunque titulo illis præeſſent: ita ut a reatu, & pœnis in dicto Concilio ſtatutis non excuſarentur, niſi abſentiæ cauſa in ſcriptis approbata foret, ſcientiaque, vel tolerantia non excuſaret eoſdem Cardinales, nec alios Epiſcopos.

III. Item alterum Conſiſtoriale decretum Clementis VIII. relatum pariter in cit. Urbani Conſtit. in quo addita eſt pœna inhabilitatis ad majores dignitates, & Eccleſias obtinendas.

IV. Item acceſſit Regula IX. Cancellariæ, inter alias etiam innovatas, & approbatas a Benedicto XIV. 18. *Auguſti* 1740. qua non reſidentes privantur gratia alternativæ ſuper proviſione beneficiorum.

V. Item Urbani Conſtitutio *Sancta Synodus*, mox citata, in qua Pontifex ſtatuit. I. Non licere Epiſcopis, eiſque majoribus Prælatis, etiam Cardinalibus, a ſuis Eccleſiis diſcedere ſine licentia Papæ per Breve, vel per literas miſſivas, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ipſo facto incurrenda abſque alia declaratione, amiſſionis fructuum pro rata abſentiæ, & facultatis teſtandi, prout ſtatuit Pius IV. ut ſupra. II. Ut ſub eiſdem pœnis latæ ſententiæ morantes in Curia intra unum menſem a die promotionis, intra duos morantes in Italia, & intra quatuor morantes extra illam, teneantur ſe itineri committere, & ad reſidentiam ſe conferre. III. Ut ſub iiſdem pariter pœnis ſex Cardinales Epiſcopi ſuburbicarii reſidere teneantur non in his Epiſcopatibus, ſed in alio, ſiquem habeant. IV. Ut nulla cauſa ab abſentia excuſentur, quantumvis gravi, & publicum bonum reſpiciente, excepta cauſa Synodi provincialis, vel Aſſembleæ generalis, cui in aliquibus locis intereſſe ſolent: & ratione officii Epiſcopatui adjuncti: ſicuti & excepta cauſa viſitandi limina Apoſtolorum, limitato tamen tempore pro abſentia occaſione hujus viſitationis, quatuor ſcilicet menſium pro Epiſcopis exiſtentibus intra montes, vel mare, & ſeptem pro exiſtentibus ultra eoſdem montes, vel mare. V. Cardinalibus Epiſcopis ad Urbem accedentibus pro electione Summi Pontifici conceditur duorum menſium ſpatium in ea morandi poſt coronationem ejuſdem Pontificis; quibus elapſis, ſi ad reſidentiam non ſe contulerint, omnibus ſupradictis pœnis ſubjacere ſtatuitur.

VI. Tranſcripto Tridentini decreto acceſſit decretum Benedicti XIII. ut in Concilio Romano celebrato *an.* 1725. *tit. XVII. cap. II. de Cleric. non reſident.* in quo conceſſa eſt facultas Cardinali Urbis Vicario pro tempore prorogandi ad alios quadraginta dies, & ultra (juxta caſuum contigentiam, cauſa cognita) menſem indultum Epiſcopis in Curia promotis ab Urbano VIII. ut ſupra, computandum a die eorum promotionis in Conſiſtorio, quo elapſo, ad proprias Eccleſias ſe conferre deberent, ſtatuerat.

VII. Acceſſit tandem Conſt. Bened. XIV. *Ad univerſæ* 3. *Septembris* 1746. *in qua* §. *Primum itaque*, confirmatis, & innovatis omnibus ſuorum Prædeceſſorum legibus, & Conſtitutionibus ad Epiſcoporum reſidentiam ſpectantibus, hæc ſtatuuntur, &c.

I. Circa abſentiæ licentiam per tres menſes, a Concilio iis indultam §. *Cum vero*, ita Pontifex declarat.

Cum vero idem Urbanus declaraſſet, ſe per ea, quæ in ſuis præfatis literis conſtituerat, minime ſublatam voluiſſe dictam trium menſium licentiam a Concilio indultam, hinc plures ortæ quæſtiones, & varia condita ſunt decreta ab eodem Urbano, ejuſque Succeſſoribus approbata: cujuſmodi ſunt, non licere trimeſtrem abſentiam prædictam conjungere, ſive cum eo tempore, quo permittitur Epiſcopis poſt ſuam promotionem in Urbe commorari, ſive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum Viſitationem eiſdem conceſſum fuit: neque fas eſſe abſentiæ tempora ita diſponere, ut tres poſtremi menſes unius anni continuentur cum tribus prioribus menſibus anni ſubſequentis. Sicut etiam vetitum eſt prædictos menſes conjungere cum eo anni tempore, quo propter aeris inſalubritatem alicui Epiſcopo permittitur extra diæceſim degere, ne ſcilicet continuatis abſentiæ temporibus, vernos ſimul, & æſtivos menſes, ſive æſtivos una cum autumnalibus extra diæceſim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sac. Conc. per fraudem abuti poſſet, declaratum fuit, prædictam trium menſium vacationem intra cujuſque anni limites coerceri, ut qui uno anno uſus ea non fuerit, non ideo ſequenti anno diutius ab Eccleſia ſua abeſſe valeat.

II. Circa pœnas a Concilio, & dictis ſuis Prædeceſſoribus inflictas contra eoſdem Epiſcopos non reſidentes, §. *Secundo loco*, hanc addit.

Quibus omnibus hoc etiam ſuperaddimus, ut iidem tranſgreſſores omnibus, & ſingulis indultis, & privilegiis, quæ forſan ipſis, tamquam Pontificio Solio Aſſiſtentibus, conceſsa fuerint, ipſo facto privati eſse cenſeantur. Decernentes, ſub tranſgreſsorum nomine comprehendi non ſolum eos, qui præter tres menſes a Concilio toleratos, abſque legitima cauſa, & expreſsa Romani Pontificis licentia, extra proprias diœceſes commorantur, ſed eos etiam, qui hujuſmodi licentiam falſis, ſimulatiſve cauſis doloſe extorquere non dubitaverint; vel ea ſemel rite, recteque obtenta, præſcriptos in eadem limites, ac præfinitum tempus prætergreſſi fuerint. Quod ſi nihilominus aliqui non minus canonica ſtatuta, quam propoſitas hujuſmodi pænas contemnentes, in ſua contumacia obſirmati perſeverare præſumpſerint; volumus adverſus iſtos ad ulteriora cum effectu procedi, juxta mentem ejuſdem Conc. Tridentini, quod in citato *cap. I. ſeſſ. VI.* Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem hortatur, ut ſuæ ſupremæ Sedis auctoritate in hujuſmodi transgreſſores ad ſeveriorem Sacrorum Canonum normam animadvertat, atque etiam Eccleſiis ipſis de utilioribus Paſtoribus provideat, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire.

III. Ad §. *Denique*, uſque ad §. *Qui tandem*, in priſtinum redacta particulari Congregatione ſuper eorumdem Epiſcoporum reſidentia, prius ab Urbano VIII. inſtituta, huic certas leges præſcribit ad cognoſcendas, approbandaſque quaſcunque abſentiæ cauſas, Pontifici poſtea referendas.

IV. §. *Expediuntur*, circa abſentia Epiſcoporum, qui cum auctoritate Apoſtol. delegantur pro Proceſſuum in cauſis Beatificationum, aut Canonizationum compilatione, ita providet.

Quoniam vero non de re agitur, quæ duabus, tribuſve hebdomadibus perfici queat, ſed quæ plurium ſæpe menſium, aut etiam annorum operam requirit; volumus, ut Epiſcopi, qui ejuſmodi delegationem acceptaverint, neceſſariam licentiam abſcedendi a diœceſi, cauſam abſentiæ exprimendo, petere, & impetrare non omittant, ſub pœnis adverſus eos conſtitutis, qui abſque cauſa extra diœceſim commorantur. In hujuſmodi autem licentiis concedendis, ſtatuimus, ut conciliares menſes ſemper comprehendantur, & præter eos, triginta dumtaxat dies, ſi opus fuerit, adjiciantur; nàm & ad plura peragenda quadrimeſtre ſpatium ſufficiens eſt; &, ſi adhuc facienda ſuperſint, quatuor alii menſes ſequenti anno in idem opus inſumi poterunt.

V. Tandem §. *Ceterum*, declarat, ut jam declaravit Concilium, & Urbanus, his omnibus legibus obſtringi etiam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

Cæterum intendimus ſub præſentium literarum noſtrarum ordinatione, & diſpoſitione etiam ipſos Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, qui patriarchalibus, primatialibus, archiepiſcopalibus, & epiſcopalibus Eccleſiis prædictis ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtalica nunc præſunt, & in futurum præerunt, comprehendi, ac comprehenſos eſſe, & fore.

Nota I. Quod ſtantibus recenſitis Conſtitutionibus, & dicta Congregatione inſtituta ſuper reſidentia Epiſcoporum cum facultate cognoſcendi cauſas abſentiæ, & onere has ſummo Pontifici referendi pro earumdem approbatione, derogatum eſt allato Concilii Decreto, quo ſtatuit illas = *a Beatiſſimo Romano Pontifice, aut* (etiam ſine pontificia approbatione) *a Metropolitano, vel eo abſente, ſuffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas* = impertiendo eidem Metropolitano cum Concilio provinciali facultatem judicandi de licentiis, a ſe vel a Suffraganeo datis, & invigilandi, ne quis eo Jure abutatur.

Nota II. Quod citatæ Urbani Conſtitutioni in ea parte, qua præcepit, ut Cardinales Epiſcopi ſuburbicarii reſidere teneantur, non in his, ſed in alio, ſiquem habeant Epiſcopatum, & per conſequens adminiſtrationem utriuſque, derogatum eſt a Clemente XII. Conſtit. *Paſtorale officium*, in ordine la XX. tom. XIIII Bullarii novi Romani, ubi §. VII. Papæ reſervavit animadverſionem, & deliberationem = Utrum expediat eis concedere, adminiſtrationis, ſeu alio nomine, retentionem alterius Eccleſiæ, cui antea præerat = De qua re vide Benedictum XIV. *de Synodo diœc. lib. XIII. cap. VIII. edit. an.* 1755. *num.*4. *& ſeqq.* ubi etiam *num.*7. referuntur decreta conſiſtorialia ſub eodem Clemente circa retentionem plurium Epiſcopatuum reſpectu aliorum quorumcunque Epiſcoporum.

Nota III. Dictos ſex Cardinales Epiſcopos ſuburbicarios non teneri ad reſidentiam in his Epiſcopa-

ſcopatibus ex declaratione Urbani VIII. ut ex ſequenti ejus decreto *ſub die 28. Novembr. 1633.*

impreſſo poſt diſertationem Cardinalis Brancacii *de Optioue ſex Epiſcopatuum pag. 67.*

Inſuper Sanctitas ſua declaravit dubium hactenus nullo modo fuiſſe, nec eſſe debere, reſidentiam Cardinalium Archiepiſcoporum, ac Epiſcoporum extitiſſe, & eſſe apud alias Eccleſias metropolitanas, ſeu cathedrales ſibi commiſſas; non autem apud ſex Eccleſias cathedrales Titulares eorumdem Cardinalium, in quibus Cardinales ordine priores præeſſe ſolent &c.

Quod etiam infertur ex cit. Conſtit. Clem. XII. *Paſtorale officium*, in qua §. IX. aperte ſupponitur eorum reſidentiam eſſe in Romana Curia, ut Pontifici aſſiſtant. Ratio autem exemptionis ab hac materiali reſidentia ſatis probata viſa fuit, tum Brancacio *loc. cit.* tum Benedicto XIV. *lib. XIII. cap. VI. de Synod. diœc. num. 6.* propter continuam aſſiſtentiam, quam ibi Cardinales præſtare debent Pontificii, modica earumdem diœceſum diſtantia ab Urbe Roma, in qua reſidentes facile poſſunt illarum regimini invigilare, atque implere onera, quæ formali ſaltem reſidentiæ obnoxia ſunt. Quæ ratio viſa etiam eſt ſatis ſufficiens nonnullis Auctoribus relatis a *Theſauro de pœn. cap. I. verb. Reſidentia*, ad excuſandos ab incurſu pœnarum Epiſcopos non reſidentes, ſi reſideant prope diœceſim in loco non diſtanti ultra unum miliare, unde nullum præjudicium officio inferatur, cum parum diſtans, moraliter ſit præſens *L. Pro locis*, *L. Mediterraneæ*, *C. de ann. & trib. lib. X.*

Licet vero dicti ſex Cardinales eximantur a materiali reſidentia, non eximuntur tamen a viſitatione ſuarum Eccleſiarum, ut ex decreto conſiſtoriali Alexandri VII. relato a Brancacio *loc. cit. pag.* 53. ſubjungens = Poſt hæc ſcripta SS. D. noſter Alexander VII. Spiritu afflatus divino in Conſiſtorio, 5. idus Octobr. in quo ad optionem admiſſi fuimus, decreto ſanxit, ut omnes ſex Epiſcopi viſitare teneantur proprias ſuas diœceſes, ad præſcriptum ſacrorum Canonum, & Conc. Trident. = Et noviſſime ex allata Conſtit. Clementis XII. cit. §. IX. declaratur teneri.

= Eccleſias, & diœceſes ſuas ad præſcriptum ſacrorum Canonum, & decretorum Conc. Trid. viſitare per ſe ipſos, aut ſi legitime impediti fuerint, per ſuum Vicarium in ſpiritualibus generalem, aliumve probum, & ad id idoneum virum eccleſiaſticum.... etiamſi in dicta Curia, ut Romano aſſiſtant Pontificii, commorentur =.

Item tenentur ad viſitationem liminum Apoſtolorum, & ad relationem ſtatus dictarum ſuarum Eccleſiarum juxta Sixti V. Conſtitutionem. Quamvis enim exorta olim circa hoc controverſia, Cong. Conc. die 9. Januar. 1616. ſenſerit = Agendum eſſe cum Sanctiſſimo Domino noſtro, ne illos obſtringat; ſed potius benigne declaret, non teneri ejuſmodi onus ſubire, cum ſint quotidie in conſpectu Sanctitatis ſuæ = & ſummus Pontifex Paulus V. hujuſmodi declarationem edere noluerit, ſed dixerit = nec velle ſe illis id oneris imponere, ſi alias non teneantur: verum expedire, ſibique placere, ut & ipſi Conſtitutionem obſervent = prout legitur in actis ejuſdem Cong. *lib. XIX. Supplicum libellor. pag. 387.* Clemens tamen XII. in ſæpius cit. Conſtit. *Paſtorale officium*, expreſſe declaravit, ipſos omnino teneri ad obſervantiam Sixtinæ Conſtitutionis, ac etiam relationem ſtatus earumdem Eccleſiarum, & diœceſum, quibus præſunt, ipſi Pontifici, juxta Conſtitutionem ſan. mem. Sixti Papæ V. Prædeceſſor. quoque noſtri, quæ incipit *Romanus Pontifex*, exhibere =.

Nota IV. *Theſaurum de Pœnis, loc. cit.* ſentire, Epiſcopum abſentem non teneri in foro conſcientiæ reſtituere integros fructus pro rata temporis abſentiæ, ſed poſſe retinere partem ob alia munera, v. g. recitationis Horarum, & alia, quæ abſens pro grege ſuo obivit. Et quoad hanc partem aſſerit cum Bonacina, & Paſſarino, decretum pœnale *cap. I. Tridentini ſeſſ. VI.* non obligare in conſcientia ante ſententiam: ratione autem Horarum canonicarum ait = videtur poſſe ſibi retinere tertiam partem fructuum diebus ſingulis correſpondentem, ſecundum magis communem ſententiam modernorum, quos allegat Bonacina *tract. de Hor. Canonic. part. V. punt. III. num. 2.* =

Nota V. Cum eodem Theſauro, pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ inflictam tam a Pio IV. in ſupra cit. Conſtit. *De ſalute*, quam ab Urbano in Conſtit. *Sancta Synodus*, non eſſe reſervatam quoad abſolutionem.

SECTIO LXXXVII.

Eadem Seſſio XXIII. de Reform. proſequitur idem cap. I. juncto cap. II. ſeſſ. VI. de reform.

EAdem omnino, etiam quoad culpam, ammiſſionem fructuum, & pœnas, de curatis inferioribus, & aliis quibuſcunque, qui beneficium aliquod eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent, ſacroſancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen, ut, quandocunque eos, cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata, abeſſe

contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcendendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant.

Huic decreto pariter acceſſit jam allata Conſtitutio Pii IV. *In ſuprema*, eaſdem reſpective pœnas infligentis in Parochos, alioſque beneficiatos habentes animarum curam non reſidentes, ut videre eſt in ejuſdem Conſtit. textu ſupra tranſcripto poſt *§. His decretis*.

Nota quoad Vicarium relinquendum a Parocho ob legitimam ipſius abſentiæ cauſam, hunc non eſſe deputandum ab Epiſcopo, ſed ab ipſomet Parocho, prævio tamen Epiſcopi examine, & approbatione, ut declaravit Cong. Conc. *in Zamoren. 29. Septem.* 1591. & 23. *Julii* 1622. ut fuſius declaravit etiam Innoc. XIII. Conſt. *Apoſtolici miniſterii*, quam habes ſupra pag. 823.

Eidem Trid., & Pianæ ſanctioni quoad beneficiatos, ſeu dignitates, animarum curam annexam habentes acceſſit etiam Conſt. S. Pii V. *Cupientes*, 11. *Julii* 1568. eos pari modo ac ſimplices Parochos ad reſidentiæ legem obſtringentis, ut ſequitur.

Hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, omnes, & ſingulos Rectores parochialium Eccleſiarum cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ fuerint, in quibuſcunque Regnis, Provinciis, Civitatibus, diœceſibus, ac aliis chriſtiani Orbis partibus conſiſtentes, qui parochialem Eccleſiam, ac Canonicatum, aut dignitatem, etiam poſt Pontificalem majorem, ſeu principalem in quibuſvis patriarchalibus, aut metropolitanis, vel cathedralibus, ſeu collegiatis Eccleſiis, ſeu aliud quodcunque beneficium eccleſiaſticum, etiam quarumcunque diſpenſationum a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, ſeu etiam a nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac literarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum titulo, quas omnes hac præſenti Conſtitutione abolemus, & revocamus; ſeu quocunque alio prætextu obtinent, cum prima, & præcipua debeat eſſe cura animarum, eos ad reſidendum in Eccleſia parochiali, & ibi in divinis deſerviendum, debitoque eorum officio fungendum omnino teneri, & obligatos eſſe, ac ad id per Epiſcopos, & aliorum locorum Ordinarios, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatos, ſub ſententiis, & cenſuris eccleſiaſticis, ac pecuniariis, arbitrio eorum declarandis, ac etiam privationis dictarum parochialium, & aliorum quorumcunque beneficiorum pœnis, quacunque appellatione remota, cogi, & compelli poſſe, & debere auctorit. Apoſt. tenore præſentium ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus. Eos tamen ſic reſidentes in Eccleſiis parochialibus, omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus, etiam Canonicatus ſui, vel dignitatis, ſeu alterius cujuſcunque beneficii, exceptis dumtaxat quotidianis diſtributionibus, & aliis, quæ ex juſta cauſa abſentes percipere non ſolent, lucrari volumus.

Quoad eoſdem autem in Urbe commorantes, & ad ſuas Eccleſias redire negligentes, acceſſit Edictum Innocent. XIII. emanatum an. 1723. & innovatum a Benedicto XIII. *In Concilio Romano, tit. XVII. de Cleric. non reſid. cap. VII. ibique inſertum*, ut ſequitur.

Cæterum pro reliquis, etiam inferioris ordinis, Clericis, tam ſecularibus, quam regularibus, noſtra in hac Urbe exiſtentibus, qui alias in partibus parochias, dignitates, Canonicatus, vel alia quæcunque, quæ reſidentiam requirunt, eccleſiaſtica beneficia obtinent, quatenus hinc ſtatim diſcedere, & ad perſonalem in iis reſidentiam ſe conferre debeant, Edictum innovamus fel. rec. Innocentii XIII. cujus tenoris partem hic ſubnecti, & obſervari mandamus.

= Pari modo univerſis, & ſingulis Clericis beneficiatis, tam ſecularibus, quam regularibus, cujuſcunque conditionis, & gradus, dignitatis, & præeminentiæ in ea alma Urbe exiſtentibus, qui in ſuis Eccleſiis parochialibus, dignitatibus, Canonicatibus, vel aliis quibuſcunque beneficiis eccleſiaſticis de jure, vel conſuetudine perſonalem reſidentiam facere tenentur, de mandato ejuſdem SS. D. N. Papæ (revocando in primis omnes, & quaſcunque licentias ſupradictis omnibus quomodolibet conceſſas) ſtricte præcipimus, & mandamus, eoſque monemus, & requirimus, quatenus infra duodecim dierum ſpatium, quorum quatuor pro primo, quatuor pro ſecundo, & reliquos quatuor

pro

pro tertio, ultimo, & peremptorio termino eiſdem, & cuilibet eorum aſſignamus, debeant, & quilibet eorum debeat, omni mora, & cunctatione poſtpoſita, ab eadem Urbe, & Romana Curia diſcedere, & ad ſuas Eccleſias, ſeu beneficia rectis itineribus ſe conferre, ibique perſonalem facere reſidentiam. Quos ſi noſtris huiuſmodi, imo verius Apoſtoli monitionibus non parverint, ultra pœnas in ſacroſancti Concilii Tridentini decretis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus contentas, eo ipſo beneficiati ſeculares pœnam centum ſcutorum, applicandam pro medietate piis uſibus, pro altera ſecreto denunciatori; nec non tam ſeculares, quam Regulares prædicti pœnam carceris ad noſtrum arbitrium incurrant. Etsi aliquis prædictorum, elapsis terminis præfatis, per menſem neglexerit a Curia recedere, ad effectum ſe conferendi ad ſuam Eccleſiam, ibidemque reſidendi, ut ſuperius eſt mandatum, ex tunc fructus beneficiorum, reſidentiam, ut præfertur, requirentium, non faciat ſuos, nec tuta conſcientia, etiam alia declaratione non ſequuta, illos ſibi detinere poſſit: ſed teneatur illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare, aut, ipſo non erogante, per Superiorem eccleſiaſticum ad dictam erogationem faciendam compellatur. Lapſis vero ſex menſibus, & præmiſſis non adimpletis, ipſo facto, & abſque alia ſententia, eiſdem beneficiis, & dignitatibus ſit ipſo jure privatus, ita ut illa Sedes Apoſtolica tantum conferre valeat, eademque ab ea reſpective poſſint impetrari, & proviſiones per ipſam factæ debitæ exequutioni demandari debeant, quacunque appellatione poſtpoſita; verificato dumtaxat coram Executore literarum ſimplici facto contraventionis. Certificantes omnes, & ſingulos prænominatos, quod in moroſos, & contumaces irremiſſibiliter procedetur ad præfatarum pœnarum exequutionem, ſine tamen præjudicio pœnarum, jam incurſarum per eos, qui hactenus contravenerunt.

Nota I. Quod quamvis ex allegatis Concilii verbis perſpicue pateat, Parochum abeſſe non poſſe a ſua parochia etiam ex legitima cauſa, niſi hæc prius cognita, & approbata ſit ab Epiſcopo, non defuerunt tamen Theologi, & Canoniſtæ, qui ſenſerunt, cum per duos menſes abeſſe poſſe, dicta cauſa durante, abſque ſuorum Superiorum licentia. Hanc vero ſententiam Congregat. Conc. reprobavit anno 1573. ut ex ſequenti decreto, prout reperitur *lib. I. Decretor. ejuſdem Congr. pag.* 202. = Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini. Sunt multi Rectores in diœceſi Toletana, qui prætendunt juxta formam Conc. Trident. *ſeſſ. XXIII. cap. I. de reformat.* poſſe per aliquod tempus ſingulis annis a ſuis parochiis abeſſe abſque ſuorum Superiorum licentia, dummodo legitimæ abſentiæ cauſæ rationem proponant, & ita, quia quamplurimi graviſſimi Doctores tam Theologi, quam Canoniſtæ ſentiunt, aliqui ex prædictis Rectoribus auſi ſunt abſque Superiorum licentia pro ſuis negociis gerendis per aliquod tempus, non tamen ultra duos menſes, ſuas parochias relinquere, tradita tamen quoque prius alicui idoneo Sacerdoti cura animarum, & adminiſtrationis Sacramentorum, quibus non obſtantibus prædicti Rectores, quoties id faciunt, a Vicariis ſevere punjuntur. Quapropter, ne aliqua injuſta conſuctudo introducatur, ſupplicant humiliter ab Illuſtriſſimis DD. VV. Rectores præfati, quatenus prædictum dubium in Sacr. Congregat. Conc. Trident. proponere dignentur, ut, quod in præmiſſis tenendum ſit, pateſiat, ne amplius in præfata dubitatione verſentur = Sacra Congreg. cenſuit, non potuiſſe, niſi cauſa cognita, & probata ab Ordinario, & ab eodem in ſcriptis obtenta licentia =.

Imo nec poſſe per hebdomadam abeſſe, non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo, ab ipſo Ordinario approbato = ut declaravit *die 7. Octobr.* 1604. *lib. X. Decretor. pag.* 100. Et quidem licentia debet eſſe expreſſa, & non tacita, ut pariter declaravit dicta die 7. = Sacra Congr. cenſuit, ſolam diſtantiam loci etiam cum æqua cauſa diſcendendi non excuſare Parochum, ut poſſit abeſſe a ſua Eccleſia ſine licentia in ſcriptis obtenta, niſi talis neceſſitas repente ſe offerat, quæ non patiatur dilationem hujuſmodi licentiam petendi, quo caſu quamprimum de diſceſſu, & de neceſſitate Ordinarium certiorem faciendum eſſe, ut de cauſa cognoſcere poſſit =.

Si autem ageretur de abſentia modici temporis, refert Fagnanus *in cap. Relatum, de Cleric. non reſiden. num.* 32. quod non ſemel = Etiam S. Congr. permiſſit, ut in caſibus repentinis pro abſentia modici temporis ſufficeret licentia Vicarii forancii = Exceptis tamen repentinis caſibus, non licet Parocho abeſſe abſque expreſſa licentia ultra biduum, ut etiam declaravit Bened. XIII. *in Conc. Romano, cit. tit. XVII. cap. VI.* ibi.

Sacroſanctæ inſuper Tridentini Synodi decreto ſancitum eſſe novimus (*ſeſſ. XXIII. cap. I. de reform.*) ut quandocunque Parochos ab eorum cura abeſſe contigerit, cauſam ipſi coram Epiſcopo cognoſcendam, & per eum probandam exponant. Prohinde omnibus, & ſingulis Parochis, & animarum Rectoribus, qui, ſacro ut huic relatum eſt Concilio, per bimeſtre, abſque pœnarum, per ſacros Canones inflictarum metu, a cura, Epiſcopis inconſultis, abeſſe putant ſibi licere, præcipimus, ne ultra biduum, abſque Epiſcopi, ſive ejus Vicarii generalis licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, idoneo tamen œconomo relicto, ab epiſcopali Curia approbato, ullatenus ab illorum parochiali ſtatione diſcedant. Eos vero, qui contra hujuſce decreti diſpoſitionem abeſſe præſument, Epiſcopi, pro rata temporis abſentiæ, parochialium multent fructuum ſubtractione; & ſi in abſentia perſeveraverint, ad aliarum quoque pænarum executionem pro contumacia procedant.

Nec licet Parocho moram trahere in civitate, aut oppido, quamvis non longe diſtet a parochia extra illud ſito, etiamſi alium Sacerdotem ſubroget, qui, ſi forte aliquid contingeret, præſto eſſet ad operam ſuam impendendam, ut declaravit eadem Cong. 16. *Jannar.* 1638. *lib. XV. Decretor. pagina 649. & 24. Maii* 1670. *lib. XXVI. pag.* 346. ac magis perſpicue in reſponſis ad hæc dubia ſibi propoſita *ſub die* 10. *Maii* 1687. ab Epiſcopo Fulignatenſi, relata a Benedicto XIV. *Inſtitut. eccleſiaſt. XVII.* = Ad eliminandos plures abuſus, quos circa reſidentiam Parochorum in ſua diœceſi irrepſiſſe refert Epiſcopus, ſupplicat ab hac Sac. Congregat. declarari.

I. An Rectores Eccleſiarum parochialium a civitate diſtantium per duo, tria, aut quatuor milliaria circiter poſſint ſine expreſſa Epiſcopi licentia abeſſe a ſuis Eccleſiis parochialibus, relicto ibidem ſubſtituto ab eis deputato, & in civitate tam diurno, quam nocturno tempore jugiter commorari, exceptis ſolis diebus feſtis, in quibus ad dictas Eccleſias ſe conferunt, revertentes illico ad civitatem.

II. An Parochi, qui nocturno cæteroquin tempore reſident apud ſuas Eccleſias, poſſint, celebrata ſummo mane Miſſa in dictis Eccleſiis, ſe conferre ad civitatem, & in ea diurno tempore totius, vel majoris partis anni commorari, licet apud dictas Eccleſias adſint eorum ſubſtituti.

III. An dicti Parochi, qui cæteroquin diurno tempore reſident apud ſuas Eccleſias, poſſint nocturno tempore totius, vel majoris partis anni commorari in civitate, licet apud dictas Eccleſias adſint eorum ſubſtituti = Sac. Congr. reſpondit ad I. II. & III. negative =.

Imo tenentur nedum reſidere in parochia, ſed etiam in domo parochiali, ſi quam habeant = ſin ſecus in domo propinquiori juxta limites parochiæ =, ut reſpondit *dicta Congr. in Faventina menſe Decembr.* 1589. & *die* 10. *Febr. ac* 15. *Martii* 1618. *in Turritana* = reſpondit; Rectores, ſi domum parochialem non habent intra limites parochiæ, cogi poſſe domum ſibi conſtruere ex fructibus, & proventibus; aut ſaltem aliam conducere intra eoſdem limites =.

Non videtur tamen teneri ad reſtitutionem fructuum, ut tenetur Parochus non reſidens, ſi non reſederint in domo parochiali, aut intra limites parochiæ, ut cenſuit eadem Congr. 8. *Junii* 1624. concepto dubio his verbis = Cum jam decretum ſit Parochum teneri reſidere in ædibus parochialibus Eccleſiæ, ſeu intra limites parochiæ, an ad reſtitutionem fructuum teneatur ille Parochus, qui nunquam ſic reſedit, licet Eccleſiæ parochiali deſervierit = Congreg. cenſuit, non teneri, ſed cogendum eſſe in poſterum reſidere in domo Eccleſiæ, vel ſi Eccleſia eam non habeat, in alia propinquiori intra limites parochiæ =.

Parochi ad nutum amovibiles tenentur reſidere perinde ac perpetui, ut declaravit *in Elboren.* 26. *Maii* 1612. Et in propoſito dubio 6. *Novembris* 1620. = An Canonici, ſeu dignitates obtinentes parochiales in titulum, diſtantes a Cathedrali per dimidiam leucam, ſeu leucam, debant cogi ad reſidendum in ipſis parochialibus, an vero ſufficiat, ut diebus feſtivis accedant ad parochiales, ibique Sacramenta miniſtrent = cenſuit, cogendos eſſe ad reſidentiam.

Circa Coadjutores Parochorum attendenda ſunt laudatæ Congregationis reſponſa *ſub die* 6. *Novembi* 1620. *in Brixien.* ad ſequentia dubia.

Quæritur I. Utrum Coadjutores omnes quomodocunque ſint Capellaniæ inſtitutæ, teneantur ad reſidentiam perſonalem eadem lege Conc. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* qua Rectores ipſi parochialium tenentur = Congr. cenſuit, teneri =.

II. Quæritur, an ſaltem ab ea lege excipiantur ii, qui ex inſtitutione poſſunt per alium ſervire = Cong. cenſuit, hoſce dumtaxat excipi =.

III. Utrum Epiſcopus teneatur cogere ad reſidentiam illos etiam Coadjutores, quibus nulla expreſſa perſonalis reſidentiæ obligatio injuncta eſt = Congr. cenſuit, teneri cogere hos, ſicut ipſos Eccleſiæ Rectores =.

IV. Utrum poſſit Epiſcopus cum aliquo ex his Coadjutoribus diſpenſare ſuper reſidentia = Cong. cenſuit, non poſſe, prout nec cum Rectoribus ipſis poteſt =.

V. Utrum illi, qui ad beneficia hujuſmodi proponuntur admittendi, ſint eodem jure examinandi, quo Rectores ipſi earumdem parochialium examinari jubentur ad parochiales Eccleſias ipſas obtinendas ex *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. = Congr. cenſuit, ita eſſe examinandos =.

VI. Utrum Canonici cathedralis, vel aliarum Eccleſiarum, qui & beneficia hujuſmodi onus coadjuvandi annexum habentia obtinent, teneantur, & ſimiliter cogi debeant per Epiſcopum ad perſonali-

ter

Digitized by Google

ter deſerviendum in beneficiis prædictis dimiſſo ſervitio eiſdem Canonicis ratione Canonicatuum, & Præbendarum in Eccleſiis prædictis imminente, prout in Conſtit. fel. rec. Pii V. ſuper reſidentia in parochiali = Cong. cenſuit, ita eſſe cogendos =.

Non ſatis eſt autem, ut animarum curam habentes reſideant intra limites Parochiæ corpore tantum, leviora munera ſibi obeunda deſumentes, reliqua vero ſubſtitutis committendo, ſed inſuper requiritur, ut per ſe ipſos ea præſtent, ad quæ etiam cogendi ſunt, exceptis ſequentibus caſibus, ob rationabile impedimentum, ut declaravit eadem Cong. *in Spoletana 7. Octobris* 1604. =.

Item cenſuit, cogendos eſſe Rectores parochialium ad ſubeunda per ſe ipſos, & non per ſubſtitutos omnia munia, ad quæ Parochi tenentur: tollerandos autem, ut per ſubſtitutos ſuppleant in illis tantum caſibus, in quibus expreſſis verbis Canonum, decretorumque Conc. permiſſum eſt Parochis, ut per Vicarios Coadjutores, vel ſubſtitutos poſſint officio ſuo fungi, quales ſunt *ſeſſ. 5. cap. 2. verſ. Archipresbyteri, ſeſſ. 6. cap. 2. in fin. ſeſſ. 21. cap. 4. in princ. ſeſſ. 22. de Sacrific. Miſſ. cap. 8. in fin. ſeſſ. 23. cap. 1. verſ. Ad eadem omnino, Seſſ. 24. de reform. matr. cap. 1. verſ. qui aliter, & verſ. Præterea eadem, & eadem ſeſſ. de refor. cap. 4.*

Qui caſus contenti in citatis Tridentini locis ſunt.

I. Scilicet contentus *cap. 2. ſeſſ. 5.* eſt, plebem ſibi commiſſam paſcere, vel per ſe, vel per alios, juſto ceſſante impedimento, ſalutaribus verbis, & docere quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem.

II. Contentus *in cap. 2. ſeſſ. 6. & cap. 1. ſeſſ. 23. de refor.* eſt abſentia ab Epiſcopo approbata, & conceſſa.

III. Contentus *in cap. 4. ſeſſ. 21. de reform.* eſt inſufficientia ipſius Parochi pro adminiſtrandis Sacramentis ob popoli numeroſitatem.

IV. Contentus *in cap. 8. ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſ.* eſt expoſitio, & declaratio eorum, quæ in Miſſa leguntur, & potiſſimum myſterii, quod in ea peragitur, diebus præſertim dominicis, & feſtis peragenda.

V. Contentus *in cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* eſt aſſiſtentia in matrimoniis contrahendis, & benedictio nuptiarum.

VI. Denique caſus contentus *in cap. 4. ſeſſ. 24. de refor.* eſt prædicatio verbi Dei tempore, & diebus ibidem ſtatutis.

Quod autem ſpectat ad cauſas abſentiæ ab Epiſcopo cognoſcendas, & probandas ad præſcriptum allati Trident. decreti, harum cognitio, & approbatio ita eſt neceſſaria, ut S. Congr. Conc. die 7. Octobr. 1604. declaraverit = Nec Parochum habentem juſtam cauſam abeundi extra parochiam per duos menſes, aut tres ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, ſi petat licentiam, jurans gravem ſe habere cauſam, quam non expediat manifeſtare, ut ſic petita licentia abeſſe poſſit, licet Epiſcopus non concedat. Similiter abeſſe non poſſe in caſu, quo cauſam rationabilem expreſſit, quam vir bonus, & æquus rationabilem judicaret, licet rigidus Prælatus minus æquam judicat, & licentiam denegat, vel quia movetur ſuſpicione, quod ficta ſit, cum tamen ſit vera, ſed habere poſſe recurſum ad Superiorem =

Nec poſſe per hebdomadam abeſſe, non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipſo Ordinario approbato = Nec eſſe liberum a culpa, & a pœna amiſſionis fructuum, qui veluti per quatuor menſium ſpatium ex urgenti admodum cauſa ad curandam ſuam valetudinem morbo gravi inſtante receſſit, & ad hujuſmodi abſentiam non petiit licentiam ab Epiſcopo, quia bona fide putavit evidentiam cauſæ ſatis eſſe, niſi periculum fuiſſet in mora petendi licentiam, ut ſupra dictum eſt. Nec ſufficere licentiam tacitam, ſed oportere eſſe expreſſam juxta formam ejuſdem Concilii *ſeſſ. 23. cap. 1.* = ita reperitur *lib. X. Decretor. ejuſd. Cong. pag.* 100.

Et notandum, quod facultas tributa Epiſcopo cognoſcendi, & approbandi cauſas abſentiæ, competit etiam Prælatis inferioribus Nullius diœceſis, proprium territorium, & juriſdictionem epiſcopalem habentibus, ut declaravit eadem Cong. *in Nullius, 26. Januar.* 1625.

Quia vero inter cauſas abſentiæ annumerari ſolent. I. Aeris intemperies. II. Infirmitas corporis. III. Senectutis incommoda. IV. Inimicitiæ. V. Demum exiguus parochianorum numerus, quibus vicinus Parochus ſatis conſulere poteſt.

Quoad I. Congr. Conc. *die 7. Julii 1646. ut lib. XVIII. Decretor. pag.* 164. reſpondit = Aeris intemperiem non excuſare Parochum a reſidentia = etiamſi parochia ſub tanta cœli inclementia conſtituta ſit, ut nemo, niſi indigena ibidem abſque vitæ periculo immorari poſſit = ut reſpondit an. 1573. ad dubium ſibi propoſitum ab Epiſcopo Regienſi, prout *lib. I. Decretor. pag.* 51.

Quoad II. Licentiam recedendi a parochia ſic limitandam eſſe reſpondit eidem Epiſcopo, videlicet = Si tamen Rector infirmus eſſet, & in loco parochiali curari non poſſet defectu medicorum, vel medicinarum, tunc poſſe ab Ordinario dari dilationem trium, aut quatuor menſium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandæ ſanitatis cauſa, poſito interea ab ipſo Ordinario in parochiali idoneo Vicario cum congrua portione ex redditibus ejuſdem parochiæ =.

Quoad III. *die 6. Aprilis* 1647. reſpondit = Nec ætatem ſenilem, nec malam valetudinem excuſare Parochum a reſidentia perſonali = *ut lib. XVIII. Decretor pag.* 329.

Quoad IV. Conceditur quidem licentia, non ab Epiſcopo, ſed a S. Congr. Conc. ut eadem reſpondit menſe *Decem.* 1589. *in Faventina* = Prætextu inimicitiarum minime excuſandos eſſe (Parochos) niſi obtinuerint literas a Congr. Conc. quæ ubi petitæ fuerint, dabuntur juxta formam conſuetam =.

Quoad V. Ob parvum numerum parochianorum non excuſatur Parochus a reſidentia: cum enim *die 3. Octobr. an.* 1671. Bernardus Monuzai Parochus Fogniani petierit = eximi a reſidentia, ſtante parvo numero familiarum, cui vicinus Parochus ſupplebit, S. Congr. cenſuit, non eſſe annuendum, *ut lib. XXVII. Decretor. pag.* 229. Idem confirmat Fagnan. *in cap. Extirpandæ, §. Qui vero, num. 13. de Præben.* his verbis = S. Congr. conſulta, an Parochus teneatur reſidere, etiamſi eſſent in illa parochia

rochia tres tantum, vel quatuor incolæ, reſpondit teneri =.

Erat olim & alia cauſa concedendi Parocho licentiam non reſidendi per ſeptennium ratione ſtudiorum S. Scripturæ, & juris canonici in publicis Univerſitatibus ex *cap. Cum ex eo* XXXIV. *de Electãion. in VI.* Verum poſt Tridentinum hac facultate Epiſcopi amplius uti nequeunt, ex pluribus declarationibus laudatæ S. Congr. & præſertim *ſub die* 1. *Decembr.* 1594. per hæc verba = Congr. cenſuit, nec etiam cauſa ſtudiorum licere poſt Concilium Parochis abeſſe ab eorum curis, & quoad hoc revocata eſſe omnia privilegia tum a jure, tum etiam ſpecialiter conceſſa, ideo Epiſcopum poſſe contra abſentes procedere juxta formam traditam a Concil. Trid. *cap.* 1. *ſeſſ.* 23.

SECTIO LXXXVIII.

Eadem Seſſio XXIII. de Reform. proſequitur idem cap. I.

Quod ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere.

Citatio per editum, quam hic Concilium faciendam præcepit contra Parochos ſine licentia non reſidentes, antequam Epiſcopus deveniat ad ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, ita neceſſaria eſt, ut ea non præmiſſa, hujuſmodi ſequeſtratio, & ſubtractio nulla omnino ſit, prout declaravit Congr. Conc. *in Sabinen.* 2. *Septembr.* 1581. = Congr. cenſuit, ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum ex Concilio non potuiſſe fieri, Rectore non citato ad reſidendum, ideo fructus relaxandos, & reſtituendos = Hac autem præmiſſa, quæ regula in dicta ſubtractione ſervanda ſit ab Epiſcopo, palam facit ſequens ejuſdem Congr. Decretum *ſub die* 9. *Auguſti* 1602. = Congr. cenſuit, Epiſcopum, quoties in pœnam omiſſæ reſidentiæ vult Parochis ſubtrahere partes, quas reſidendo ſuas fecerunt, debere ſervare quoad intervalla, & quoad quotas præſcriptum S. Conc. *cap.* 1. *ſeſſ.* 6. In executione autem facienda ſuper illis fructibus, quos quidem Parochi pro rata temporis abſentiæ ſuos non fecerunt, nec tuta conſcientia retinere poſſent, ex decreto *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. §. *Si quis autem*, Epiſcopum non debere ſequi intervalla, de quibus in *cap.* 1. *ſeſſione* 6. =

Nec dictos fructus, ita ſubtractos poteſt Ordinarius pro libito applicare in alios pios uſus, quam a Concilio præſcriptos, fabricæ ſcilicet Eccleſiæ, aut pauperibus loci, ut eadem Cong. *die* 8. *Junii* 1624. reſpondit ad dubium = Cum Concilium *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. voluerit Parochos non reſidentes non facere fructus ſuos pro rata temporis abſentiæ, eoſque fructus fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci erogari, quid agendum de hujuſmodi fructibus, ſi nec fabrica parochialis egeat, nec pauperes intra ejus limites reperiantur, & an Ordinarius fructus ipſos ejus arbitrio in alios pios uſus erogare poſſit = Cong. cenſuit, debere applicare fabricæ Eccleſiæ, quæ licet nunc non egeat, poteſt tamen in dies indigere, ſaltem quoad ornamenta =.

Et quod ſpectat ad privationem parochiæ pro omiſſione reſidentiæ, *die* 26. *Aprilis* 1621. = Cenſuit, Epiſcopum poſſe contra Parochum, ut proponitur, abſentem, ad privationem procedere, dum tamen tria edicta publica præceſſerint, & lapſi ſint ſex menſes ad præſcriptum Conſt. Innoc. III. quæ incipit *Ex tua* = Ac *die* 8. *Junii* 1624. cum quæſitum fuerit = An Epiſcopus, præmiſſis tribus monitionibus ad revocandum Parochum ad reſidentiam, poſſit procedere ad privationem dictæ parochialis, & ſic, an verba, *etiam uſque ad privationem*, intelligantur incluſive, vel excluſive = Cong. cenſuit, intelligenda eſſe incluſive, dum tamen præceſſerint tria edicta publica, & lapſi ſint ſex menſes, juxta *cap. Ex tua*, *de Cleric. non reſideat.* =

SECTIO LXXXIX.

Eadem Seſſio XXIII. caput II. juncto cap. II. ſeſſ. VII. de reformatione.

Eccleſiis cathedralibus, ſeu Superioribus, quocunque nomine, ac titulo præfecti, etiamſi S. R. E. Cardinales ſint, ſi munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur. Si intra totidem menſes poſtea id facere neglexerint, Eccleſiis ipſo jure ſint privati.

Tenor decreti contenti *in cap. IX. ſeſſ. VII.*

Ad

Ad majores Eccleſias promoti munus conſecrationis infra tempus a jure ſtatutum ſuſcipiant, & prorogationes ultra ſex menſes conceſſæ nulli ſuffragentur.

His Decretis acceſſit prius Breve Urbani VIII. pro reformatione Tribunalis S. Pœnitentiariæ, in quo prohibitum fuit majori Pœnitentiario, cæteriſque dicti Tribunalis officialibus diſpenſare ſuper pœnis hic a Concilio inflictis contra Epiſcopos differentes ultra præſcriptum tempus conſecrationem, ſcilicet, ut non valeant titulum revalidare, vel fructus cundonare: ac noviſſime Conſtitutio Benedicti XIV. *Paſtor bonus*, 13. *April.* 1744. in qua §. XXI. ita legitur.

= Verum a convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abſtineant quoad illos, qui de Eccleſiis cathedralibus proviſi, munus conſecrationis intra præfinitum tempus non ſuſceperint =.

Nota I. Quod per hæc Conc. decreta partim ampliata eſt antiqua SS. Canonum diſpoſitio, partim eidem derogatum. Ampliata quidem, quia tam in *Can. II. Quoniam quidam, relato in diſtinct. LXXV.* excerpto *ex cap. XXV. Conc. Chalcedonenſis*, quam in *Can. I. Quoniam quidam*, qui eſt Pelagii Papæ, & relato in *diſtinct. C.* hujuſmodi pœnæ erant ſententiæ ferendæ; nunc autem ex Tridentino eo ipſo incurruntur. Derogatum vero, quia Pelagius in *cit. Can.* ſtatuit, Epiſcopum privandum eſſe Epiſcopatu, ſi negleſiſſet ſuam conſecrationem ultra quinque menſes: vice verſa Tridentinum declaravit, ipſo jure privatum eſſe, ſi ultra tres menſes, juſto ceſſante impedimento, eam diſtulerit.

Nota II. Quod onus reſtituendi fructus ligat in foro conſcientiæ ante omnem declarationem: cum enim ſit pura pœna, & ex cit. Urbani, & Benedicti Conſtitutionibus dicti fructus condonari nequeant a majori Pœnitentiario, clare infertur, non opus eſſe ſententia declaratoria; quidquid nonnulli Auctores in contrarium ſenſerint. Ad incurrendam vero pœnam privationis Epiſcopatus, requiri declaratoriam docet *Theſaurus de Pœnis cap. II. verb Epiſcopus*, ea ductus ratione, quod non ſit pura pœna, ſed privatio, ſeu caducitas ob defectum debitæ impletionis modi, ſeu conditionis pertinentis ad formam collationis Epiſcopatus.

S E C T I O X C.

Eadem Seſſio XXIII. caput III. de Refor.

EPiſcopis per ſemetipſos Ordines conferant: quod si ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quam jam probatos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.

Cum circa hoc decretum *menſe Decem.* 1587. ortum fuerit dubium = An Epiſcopus poſſit examinare ordinandum jam examinatum, & approbatum per ſuum Ordinarium ad formam hujus *cap. III.* de qua approbatione conſtat in literis dimiſſoriis ordinandi, cum ex diſpoſitione *cap. XI. ſeſſ. VII. de refor.* exteri ordinandi non ſint ab Epiſcopis, niſi diligenti prævio examine, & an d. *cap. XI.* loquatur tantummodo de iis, qui obtinent a S. Sede Apoſt. facultates de promovendo a quocunque, vel etiam de iis, qui literas dimiſſorias obtinent a ſuis Epiſcopis = Cong. reſpondit non poſſe, ne a diverſis Epiſcopis approbari, & reprobari contingat; *cap. XI. ſeſſ. VII.* intelligendum de facultatibus promovendi conceſſis a Sede Apoſt. non ab Ordinario, quæ dimiſſoriæ appellantur = Die tamen 16. *Jan.* 1595. *in Nullius*, propoſito iterum eodem dubio his verbis concepto = An Epiſcopus ordinans alienos ſubditos ſeculares cum dimiſſoriis proprii Epiſcopi, aſſerentis eos examinatos fuiſſe, & idoneos repertos, teneatur hujuſmodi atteſtationi deferre, vel etiam poſſit eoſdem ordinandos examinare, *reſponſum fuit*, poſſe Epiſcopum ordinantem, ſi voluerit, atteſtationi proprii Epiſcopi deferre, ſed non teneri = *ut lib. VII. Decretor. ejuſdem Cong. pag.* 80. *a tergo*: quod decretum etiam refertur *tom. II. Reſolutionum dictæ Cong. pag. 67. in Elboren.* cui concordat alia reſolutio habita *ſub die* 17. *Jan.* 1593. *ut lib. XLIII. Decretor. pag.* 71.

Non videtur tamen conveniens, ut Epiſcopus, ad quem remiſſus eſt ordinandus cum hujuſmodi atteſtatione, utatur facultate eum iterum examinandi, tum ad evitandum abſurdum, de quo in allato Decreto an. 1587. tum ad conſulendum honori proprii Ordinarii.

Si vero agatur de Epiſcopo ſuffraganeo, vel auxiliario deputato ad ſupplendas vices Epiſcopi diœceſani, Congr. Conc. *die* 23. *Auguſti* 1721. *in cit. Elboren. dubiorum*, ad III. declaravit non teneri iterum examinare eos, quorum ordinatio ab eodem Diœceſano illi committitur, ſi ab ipſo jam examinati fuerint = ſed poſſe, & debere, juxta ſubſiſtente cauſa, ſe abſtinere ab Ordinatione =.

Cæterum poteſt Epiſcopus proprius = tum dare literas dimiſſorias, & ordinandum ſubjicere ſuo examini, ſi ita ſibi videbitur: & ſi (ordinandi) abſentes ſint, examinis cauſa ad ſe vocare: tum ſi, commodum id non erit, eorum examen committere Ordinario loci, in quo illi degunt, & ordinandi ſunt = ut eadem Cong. declaravit dicto *menſe Decembri* 1587.

SECTIO XCI.

Eadem Seſſio XXIII. cap. IV. de Reform.

PRima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & Fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant.

Stante hoc Trident. præcepto, propoſita fuerunt S. Congr. Conc. ſequentia dubia = *in Anguſtana die 27. Septemb.* 1601.

I. Quæritur, an Primam Tonſuram, & quatuor minores Ordines male, vel per ſaltum ſuſcepiſſe dicatur, qui Sacramento Confirmationis ſolum poſt illos ſuſceptos fuit perunctus.

II. Quæritur, an idem, ut ſupra ordinatus, & proviſus de ſimplicibus beneficiis ante Sacramentum Confirmationis, legitime dicta beneficia acquiſiverit, ita ut nulla indigeat nova proviſione.

III. An idem poſſit ad ſacros Ordines aſcendere, nulla petita abſolutione, vel diſpenſatione.

Congr ad I. Reſpondit eſſe male promotum.

Ad II. Minus legitime acquiſiviſſe, atque egere nova proviſione.

Ad III. Non poſſe, niſi prævia Sedis Apoſtol. diſpenſatione.

Cum ergo ita declaraverit S. Congr. cui ſoli a Summis Pontificibus facultas interpretandi Concilium tributa eſt, corrigendi omnino ſunt Canoniſtæ quamplurimi, præſertim Sayrus *in Theſauro Theologiæ Moralis* lib. *VII. cap.* X. *num.*42. & Navarrus *in Manuali, tit. de Sacram. Confirm. num. 9. verſ. Quinto peccat*, ac Bellarminus, ad hoc idem caput, ſentientes, initiatum Prima Tonſura, non recepto prius Sacramento Confirmationis, peccare quidem, ſed non mortaliter, niſi ex contemptu illud omittat; nullam tamen incurrere cenſuram, & Fagnanus, cui præſto erant laudatæ Congr. declarationes, quamvis non indicet quo menſe, & anno emanaverint *in cap. XI. Cum contingat, de Ætat. & qualit. præficend. n. 96.* reprehendit Navarrum circa hoc tamquam incaute ſcribentem. Sayrum, & Navarrum ſecutus eſt etiam *Theſaurus de Pœnis cap. XIII. verb. Ordo limita ſecundo*, cujus contrariam aſſertionem fateor me cenſura præteriiſſe in meis Notis, & acceſſionibus ad eumdem.

Non prohibetur tamen quis tam Prima Tonſura, quam Ordinibus initiari, ſi in manibus Ordinarii juramentum præſliterit, ſe reminiſci, collatum ſibi fuiſſe Sacramentum Confirmationis, ut eadem Congregat declaravit *in Interramnen. 6. Maii* 1617.

Nota, quod hic Concilium nullam præfixit ætatem pro receptione Primæ Tonſuræ neque in cap. XI. ejuſdem ſeſſ. pro receptione Ordinum minorum, ut hanc etiam fuiſſe mentem Cong. Conc. refert Fagnanus ad *cap.* XXXV. *Super inordinata, de Præbend. n. 21. & 41.* hæc tamen quoad Primam Tonſuram ad ſupplices libellos ſibi porrectos, in quibus expetebatur declarari, an ſufficeret ætas ſeptem annorum inceptorum in cauſa Toletana, & Gaurienſi reſpondit, requiri ætatem ſeptem annorum completorum juxta diſpoſitionem Zozimi Papæ, relatam *in Can. II. In ſingulis, diſtint. LXXVII. ut ex lib. Memorialium XI. pag.* 232. *& lib. LIX. pag.* 10.

Quoad ætatem vero pro minoribus Ordinibus ſuſcipiendis nihil certi ex mente SS. Canonum, in examen revocatorum a Fagnano *loc. cit. num.* 22. *& ſeqq.* ervi poteſt, utpote nimis confuſa, & incerta; ideoque attendenda eſt hodie generalis Eccleſiæ obſervantia, ut conferri poſſint quandocumque poſt ſeptennium completum, nulla, niſi pro voluntate Ordinantis annorum, aut Ordinum diſtinctione ſervata. Cui obſervantiæ ſuffragatur Pontificale Romanum, ubi *in Rubrica de Ordinibus conferendis* ita ſtatuitur = Prima Tonſura, & minores Ordines ante ſeptimum annum completum dari non debent =.

Per quod derogatum etiam eſt Decretali Bonifacii VIII. relata *in cap. IV. Nullus Epiſcopus, de Tempor. Ordinat. in VI.* in qua indulgetur, initiari poſſe Prima Tonſura minorem ſeptem annorum, ſi eſt Ordinem regularem ingreſſurus, ſaltem per oblationem parentum, vel tutorum, ut Gloſ. *in verbo Intraret*. De qua oblatione, quæ per plura ſecula viguit, cumulatiſſime, æque, ac erudite verba facit Bened. XIV. in Epiſtola ad R. P. Petrum Hieronymum Guglielmi Cong. S. Officii Aſſeſſorem, incipien. *Probe te, 15. Decemb.* 1751. *§. III. ad totum VIII.*

Neque hic obiici poteſt, quod Trident. præfixerit ætatem pro Prima Tonſura, & Ordinibus minoribus ex teſtimonio Sixti V. in ejus Conſtitutione, *Sanctum, & ſalutare*, aſſerto = Prima Tonſura non initientur, de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſecularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe, his verbis *ante ætatem per S. Trid. Conc. decreta Primæ Tonſuræ, & cuique Ordini, præſcripta* = hæc enim verba ex incuria miniſtrorum irrepſerunt, ut animadvertit laudatus Fagn. *n.* 41. Cæterum citata Conſt. abrogata eſt, & redacta ad terminos juris communis, Conſt. Pii II. & Conc. Trid. a Clem. VIII. Conſt. *Romanum Pontificem, pridie Kal. Mart.* 1595. exceptis pœnis contra ſimoniace Ordinantes, & ordinatos, ut alibi dixi.

SECTIO XCII.

Eadem Seſſio XXIII. caput VI. de Reform.

Nullus prima Tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, ante decimum quartum annum beneficium poſſit obtinere.

Attenta hac ætatis præfixione a Conc. præſcripta, pro obtinendo beneficio eccleſiaſtico, & quidem ſimplici pluries exortum eſt dubium, an annus XIV. intelligendus ſit de incepto, vel completo, S. Congr. Conc. menſe Decembr. 1587. reſpondit = intelligendum eſſe de incepto, non completo, *ut lib. V. Decretor pag 72.* Idem reſpondit *menſe Septembr. in Aſculana, & 16 Maii 1596. in Nullius.*

Ætas XIV. annorum ſufficit etiam ad obtinendum Canonicatum in Eccleſiis collegiatis = Siquidem Conc. Trident. hac in re quoad collegiatas Eccleſias nihil novi Juris induxit = ut eadem Congr. declaravit 12. *Feb.* 1601. ſicuti nec ad obtinendas penſiones, pro quibus ſufficit ætas ſeptem annorum, quemadmodum ante Concilium ſufficiebat, ut declaravit *in Mediolanen. 11. Auguſti 1595. lib. VIII. Decretor. pag. 141. & 6. Feb. 1611.*

Ætas tamen XIV. annorum nullatenus requiritur pro obtinendo beneficio ſimplici de Jure patronatus laicorum, ſi in illius fundatione cautum ſit, ut minor ætas ſufficiat, prout ex ſequentibus Decretis ejuſdem Congreg. = *die 7. Maii 1597.* Cong. cenſuit, Conc. *cap. VI. ſeſſ. XXIII.* non derogaſſe fundationi legitimæ, minorem ætatem quatuordecim, & majorem ſeptem requirenti = *die 15. Novembr. 1601. in Senen.* = Cenſuit, decretum *cap. VI. ſeſſ. XXIII.* ejuſdem Conc. requirens ætatem XIV. annorum ad obtinendum beneficium ſimplex, non procedere in beneficio Juriſpatronatus laicorum, in cujus fundatione caveatur, ut minor ætas ſufficiat = *& in Regien. 8. Martii 1625. ut lib. XII. Decretor. pag. 264* = Thomas de Spinellis inſtituit beneficium Jurispatronatus deſcendentium Balthaſaris, & fratrum de Spinellis, cum declaratione, quod Rector eligendus ſit Sacerdos, his tamen demptis, qui forent de ſtirpe, & progenie prædictorum de Spinellis, quos eligi poſſe voluit in Rectores, etiamſi non eſſent niſi in minoribus, & puri Clerici. Quæritur, an Patronus beneficii poſſit præſentare ſuum filium Clericum ætatis annorum decem circiter, non obſtante Conc. Trident. *ſeſſ. XXIII. cap. VI.* = Sac. Congreg. cenſuit, ex lege fundationis hujuſmodi, quam non ſuſtulit illius Conc. decretum *cap. VI. ſeſſ. XXIII.* ad beneficium prædictum præſentari poſſe Patroni filium, qui Clericus in aliquo ſaltem ex minoribus Ordinibus conſtitutus, & alioquin idoneus reperiatur, etiamſi decimum ſuæ ætatis annum non exceſſerit =.

Dubitatum olim fuit, an ætas a Trident. hic requiſita computari debeat a die nativitatis, non autem a die ſuſcepti baptiſmi S. Congr. Conc. cenſuit, computandam eſſe a die nativitatis *in Spoletana 18 Decembr. 1627. Decretor. lib. XIII. pag. 364.*

SECTIO XCIII.

Eadem Seſſio XXIII. de Reform. proſequitur idem caput VI.

Is etiam (Tonſuratus nempe, vel Minoriſta) fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum, & Tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel Univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur. In Clericis vero conjugatis ſervetur Conſtitutio Bonifacii VIII. quæ incipit, *Clerici, qui cum unicis*; modo hi Clerici alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſerviant, vel miniſtrent, & clericali habitu, & Tonſura utantur: nemini, quoad hoc, privilegio, vel conſuetudine, etiam immemorabili, ſuffragante.

Circa hoc Decretum plura exorta fuerunt dubia, &.

I. An Clericus non deferens habitum, & Tonſuram, eo ipſo, etiam nulla præcedente monitione, remaneat ſpoliatus fori privilegio.

II. An eo potiatur, ſi habitum a ſe geſtari ſolitum ad breve tantum tempus deponat.

III. An præter amiſſionem dicti privilegii intelligatur privatus, etiam privilegio Canonis, & beneficio capituli *Odoardus*.

IV. An amittat, ſi clericatui omnino renunciaverit animo v, g. contrahendi matrimonium, vel dan-

danpo nomen militiæ; & poſtea mutato conſilio habitum clericalem reaſſumat.

V. An, ſi inſerviat alteri Eccleſiæ, quam ei, cui ex mandato Epiſcopi fuit adſcriptus, gaudeat eodem privilegio fori.

Quibus dubiis Congregationi Conc. propoſitis, eadem cenſuit.

Ad I. *in Mediolanen. die 11. Auguſti 1595. ut lib. VIII. Decretor pag.41.* Nullam requiri monitionem, ut illud amittat.

Ad II. *die 6. Octob. & 1. Decemb. 1612.* potiri = Et ſi beneficiatus ſit, nequaquam incidiſſe in pœnam privationis a Sixti V. Conſtitutione impoſitam. Quemadmodum declaravit etiam Innoc. XIII. Conſtit. *Apoſtolici miniſterii*, 13. *Maii* 1723. ſuper eccleſiaſtica diſciplina in Regnis Hiſpaniarum; quam Benedictus XIII. confirmavit Conſtit. *In ſupremo* 23. *Septembris* 1724. in dicta enim Innoc. Conſt. §. VI. ita legitur.

Decernimus, quod, ſi qui ſunt Clerici, aut Prima Tonſura, aut Ordinibus minoribus initiati, nullumque eccleſiaſticum beneficium poſſidentes, qui, neglectis Concil. Trident. decretis, habitum clericalem, ac Tonſuram non deferant, vel ſi etiam deferant, non tamen certæ Eccleſiæ, aut loco pio, cui ex mandato Epiſcopi adſcripti fuerint, inſerviant, ſive in ſeminario eccleſiaſtico, vel in aliqua ſchola, aut Univerſitate de licentia ſui Ordinarii non verſentur; Epiſcopi, nulla etiam præmiſſa monitione, eos privilegio fori privatos declarent, eorumque adſcriptionem ſervitio certæ Eccleſiæ antea factam deleri jubeant.

Ad III. *in Aquen. menſe Feb. 1589. ut lib. V. Decretor. pag. 257.* = Non intelligi privatos privilegio Canonis = Et *die 15. Septem. 1595. in Nullius* = gaudere privilegio cap *Odoardus* = & clarius, cum die 3. *Decemb. 1622.* quæſitum fuiſſet = An, ut Clericus uti poſſet beneficio capituli *Odoardus*, requirerentur conditiones præſcriptæ a S. Conc. *ſeſſ. XXIII. cap. VI. reſponſum fuit* = Decretum Concilii non ademiſſe Clericis non habentibus qualitates, quæ exprimuntur *cap. VI. ſeſſ. XXIII.* niſi privilegium fori; & cætera firma remanere ſub diſpoſitione juris = *lib. XII. Decretor pag. 115.*

Ad IV. *in Neapolitana menſe Junio 1587. & in Meliten. fori 7. Maii 1672. ut lib. XXVII. Decretor. pag. 379.* gaudere.

Quod ſi quæras, an Clericus, tam celebs, quam conjugatus non implens conditiones a Concilio hic præſcriptas, declinare poſſit forum ſeculare, & an a judice laico comprehenſus propter aliquod delictum, eo tempore commiſſum, quo laicorum more indutus incedebat, repeti poſſit ab Epiſcopo, debitiſque in eum pœnis animadvertere; pro reſponſo ad utrumque dubium Benedictus XIV. *de Synodo diœc. lib. XII. cap. II. num. 4.* ſequens refert decretum, alias editum, & Archiepiſcopo Neapolitano, Sacra limina viſitanti datum „ *Ad tertium facta relatione SS. D. noſtro* (Urbano VIII.) *ſuper cauſa Leodien. die prima ejuſdem in S. Congr. Conc. propoſita, & reſolata, Sanctitas ſua approbavit opinionem eorum, qui majores numero fuerunt in voto, Clericos, etiam non habentes requiſita* cap. VI. ſeſſ. XXIII. de reform. *licet ipſi tamquam contravenientes ordinationi S. Conc. non poſſint pro ſe allegare privilegium fori, nihilominus ſubeſſe juriſdictioni Epiſcoporum, ſeu Ordinariorum, illorumque cognitioni, nedum in cauſis, in quibus iidem Epiſcopi, ſeu Ordinarii prævenerint, verum etiam in quibus non prævenerint, ſed illos e manibus Judicis laici repetunt, quando Clerici adhuc Clerici permaneant, videlicet, ſi neque a jure, neque ab homine, per declarationem, ſervatis ſervandis, factam, privilegiis clericalibus denudati, ſeu privati ſint; die 9. Novembr. 1630.* lib. XIV. Decretor. pag. 346. = Die vero (proſequitur Benedictus) 1. Auguſti 1634. *occaſione propoſitionis facta relationis ſtatus Eccleſiæ Neapolitanæ, Sanctitas ſua, ad removendam omnem difficultatem, juſſit, omnino ſervari ſupradictam opinionem* = Id ipſum fuerat antecedenter concluſum *die 18. Decembr. 1595. lib. VIII. Decretor. pag. 153. die 12. Junii 1608. lib. II. Decretor. pag 35. & die 14. Martii 1620. lib. XII. Decretor. pag. 37.*

Quod vero ſpeciatim attinet ad Clericos conjugatos, extat reſponſum ejuſdem Sac. Congregationis *in Alatrina juriſdictionis, die 17. Martii 1683.* cujus verba ſunt = *In carceribus Fruſinonis detinetur, nomine Curiæ epiſcopalis Alatrinæ, Dominicus Colacicco Clericus conjugatus, ut prætenſus homicidii reus. At prætendente Fiſco Curiæ ſecularis, carceratum eſſe ad hanc remittendum, tamquam non habentem requiſita Sacri Concilii ad effectum gaudendi privilegio fori; controverſia delata fuit ad Sac. Congr. Immunitatis, & cujus decreto reſolvendum proponitur dubium: An, præveniente Epiſcopo, vel volente vendicare Clericum, poſſit, licet non habeat requiſita, Sacra &c. reſpondit: Affirmative.*

Advertendum tamen eſt, ne Clericus reaſſumat habitum, & Tonſuram in fraudem; alias privilegium fori ei non ſuffragatur, ut ſæpius declaravit eadem Congr. & ſignanter *in Nuſcana, 19. Decembris 1584.* ſequenti decreto, relato a laudato Benedicto *loc. cit. cap. III. num. 1.* = Sacra &c. reſpondit, Clericum conjugatum, qui poſt dimiſſum habitum, & Tonſuram clericalem, deliquit, quamvis pro eo delicto in curia laicali citatus, & in contumaciam condemnatus fuerit, ſi deinde, modo, non in fraudem, reaſſumpto habitu, & Tonſura Eccleſiæ inſerviat, juxta decretum Sac. Conc. *cap. VI. ſeſſ. XXIII.* non poſſe a Judice laico propter idem delictum in carcerem conjici, aut perſonaliter diſtringi = Idem reſpondit *in Nullius, 19. Decembris 1596.*

Reaſſumere autem in fraudem præſumitur =

„ Cum

Digitized by Google

,, Cum (ita proſequitur Benedictus) illum induit,
,, poſtquam a poteſtate ſeculari comprehenſus, at-
,, que in carcerem conjectus, ex eo ſe per fugam
,, ſubtraxit, aut poſtquam e carceribus, præſtita
,, cautione parendi Judicis ſententiæ, dimiſſus fuit,
,, inquit Fagnanus, *in cap. Magnus, num. 73. de
,, Oblig. ad ratioceln.* in quo tamen rerum eventu,
,, non ſecularis, ſed eccleſiaſtici judicis eſſe inſpi-
,, cere, ac decernere, an revera fraus adfuerit,
,, docet ibidem Fagnanus *num.* 74. & reſpondit Sac.
,, Congregatio in una *Aquilana*, apud Pignatellum
,, *ead. conſult. XLV. num.* 6. & *num.* 2. ait = Diſpu-
,, tatur dumtaxat, num de fraude conſtare debeat,
,, etiam, ut Judex laicus poſſit contra præfati Cle-
,, rici bona *realiter* procedere, vel ſolum, ut in ejuſ-
,, dem perſonam animadvertere queat. Non enim,
,, quoad hoc ſemper in eadem ſententia perſtitiſſe
,, viſa eſt S. Congr. Ea quippe quandoque propen-
,, dere viſa eſt in opinionem, quæ fraudem neceſſa-
,, riam putat, ut poteſtas ſecularis poſſit manum
,, injicere in perſonam Clerici, qui poſt patratum
,, delictum clericalem habitum reſumpſit; ſed de
,, fraude nequaquam inquirendum autumat, ut con-
,, tra delinquentis bona libere procedat, ad quod ſa-
,, tis eſſe arbitratur, clericalem habitum fuiſſe
,, poſt delictum reſumptum, quin ſit inveſtigan-
,, dum quo animo id factum fuerit: uti videre eſt
,, apud Fagnanum *cit. loc.* Paſſerinum *in cap. unic.
,, de Cleric. conjugat. in VI. & Orll. in Obſerv. ad
,, reſolution. IV. Campanæ num.* 18. Aliquando au-
,, tem eadem viſa eſt fraudem exigere in utroque
,, caſu; itaut, ea ſecluſa, nequeat Judex laicus,
,, neque in perſonam, neque in bona procedere
,, Clerici, qui habitum reſumpſit. Ita quippe col-
,, ligitur ex ejuſdem reſponſo dato in cauſa *Papien.
,, 23. Maii 1626. lib. XIII. Decretor. pag.* 7. quod
,, allegant etiam del Bene *de Immunitate tom. I.
,, cap. IV. dub. XXV. num.* 11. & Tondut *de Præ-
,, ventione part. II. cap. LIII. num.* 5. Quamvis, ſi
,, contra Clericum agatur tantum civiliter, ſeu ad
,, ſolam pœnam pecuniariam, longe facilior admit-
,, tatur fraudis probatio: ſi enim ipſe habitum re-
,, ſumat, poſtquam citatus fuit ad tribunal ſeculare,
,, cenſetur illum reſumere in fraudem, & propterea
,, non poteſt in eo judicio civili forum declinare lai
,, cale, quod docent Orll. ubi ſupra *num.* 27. Fer-
,, moſin. *in cap. Propoſuiſti, quæſt. VII. per tot.* &
,, ſignanter *num. 7. de Foro competenti*, cenſuitque.
,, S. Cong. Conc. *in Sabinen. privilegii fori*, 30.
,, *Martii* 1686. "

Advertendum eſt etiam ſequens monitum, quod idem Benedictus ad evitandas Clericorum fraudes in hujuſmodi reaſſumptione *num.* 4. ſuggerit Epiſcopis ,, Præcipiant itaque Clericis, vel per publicum
,, edictum, vel per citationem ſingulis factam, ut
,, incedant in habitu, & Tonſura, atque alicui in-
,, ſerviant Eccleſiæ, præfinito congruo tempore ad
,, utrumque preſtandum: hoc autem elapſo, ter
,, illos commoneant, ut præcepto obtemperent, ad
,, normam textus *in cap. Contingit II. de Sentent.
,, excommunic.* advertant tamen, hac in re non ſa-
,, tis eſſe unicam monitionem, quæ tribus æquiva-
,, leat, ſicuti obſervat Gloſſa *in Clementina I. verb.
,, Tertio*, ſed requiri tres diſtinctas, ut, aliis cita-
,, tis, docet Fagnanus *in eod. cap. Contingit. n.* 8.
,, Poſt trinam vero monitionem, adverſus inobe-
,, dientes, in ſua perſiſtentes contumacia, ſenten-
,, tiam ferant, qua declarent, eos propria culpa
,, excidiſſe clericalibus juribus, neque deinceps re-
,, ſtituendos fore ad privilegia, quorum, ſua per-
,, vicacia ſe præbuerunt indignos. Quod ſi, poſt
,, hanc ſententiam, clericales veſtes iterum indue-
,, re præſumant, non propterea tamen a ſeculari
,, foro ſe ſubtrahent, ſed remanebunt eidem ſub-
,, jecti, perinde ac laici: quemadmodum tradit
,, Fagnanus *loc. cit.* atque ex ſententia S. Congreg.
,, Immunitatis confirmat Monacell. *in Formul. legal.
,, pract. tom. 2. tit. XV. formul. IV. cum tribus ſeq.*

Quod vero ſpeciatim ſpectat, ad Clericos conjugatos, adnectimus ſequentia laudatæ Cong. Conc. decreta, *die 7. Maii* 1597. ,, Congr. cenſuit, Cle-
,, cum Prima Tonſura, & altero ex minoribus
,, Ordinibus initiatum, qui contracto matrimonio
,, habitum clericalem dimiſit, ac deinde reaſſum-
,, pto habitu, & Tonſura Eccleſiæ de mandato Epi-
,, ſcopi inſervivit, debere utique in cauſis crimina-
,, libus gaudere fori privilegio, niſi in fraudem ha-
,, bitum reaſſumpſerit, quod Judex eccleſiaſticus
,, deſpicere debebit, ac præterea ſi de hujuſmodi
,, fraude conſtiterit, Judicem ſecularem eatenus in
,, eum juriſdictionem habere, quatenus a ſacris
,, Canonibus permiſſa eſt illi juriſdictio in eos, qui
,, poſt delictum in fraudem Ordinibus initiati ſunt.
,, Cœterum, an eodem privilegio gaudeat in civi-
,, libus, ubi de crimine non agitur, maturius eſſe
,, deliberandum, *in Alatrina juriſd. 17. Martii* 1683.

Ad V. Dubium quod ſpectat, an ſcilicet Clericus inſerviens alteri Eccleſiæ, cui ex mandato Epiſcopi non fuerit adſcriptus, gaudeat privilegio fori, opportunum duco tranſcribere animadverſa a dicto Benedicto *loc. cit. lib. XII. cap VI. n. 5. &
6. ibi* ,, Sacra quippe Congr, Conc. jam alias deci-
,, dit, Clericum fori privilegium non amittere,
,, etiamſi Eccleſiæ inſerviat ſine mandato Epiſcopi,
,, aut non illi, quam Epiſcop. deſignavit, ſed alteri fa-
,, muletur Eccleſiæ: quamvis enim Tridentin. vo-
,, luerit, eum inſervire Eccleſiæ *ex mandato Epi-
,, ſcopi*; hæc tamen conditio *mandati Epiſcopi*;
,, adeo levis viſa eſt S. Congregationi, ut illius de-
,, fectus non ſatis ſit ad ſpoliandum fori privilegio
,, Clericum, cætera, quæ potiora ſunt, ab eodem
,, Trid. præſcripta exacte adimplentem: uti videre
,, eſt apud Fagnan. *in cap. Si quis, num.* 21. *& ſeqq.
,, de Foro competenti*, & adhuc clarius conſtat ex
,, reſponſo ab eadem S. Congr. dato *in Senogallien.
,, die 23. Januar. 1603. lib. X. Decretor. pag.* 54.
,, cujus verba ſunt = Sacra &c. cenſuit, oratorem,
,, clericalem habitum, & Tonſuram deferentem,
,, quamvis alteri Eccleſiæ, quam illi, cui ex man-
,, dato Epiſcopi ad inſerviendum adſcriptus fuit,
,, inſerviat, nihilominus privilegio fori gaudere ".
Atque iterum *in Neapolitana, die 1. Feb. 1614.
lib. XI. Decretor. pag.* 139. cum eadem Congregat. fuiſſet conſulta = An Clericus in minoribus Ordinibus conſtitutus, clericalem habitum, & Tonſuram deferens, atque Eccleſiæ inſerviens, gaudeat privilegio fori, ſi alicui Eccleſiæ ab Epiſcopo adſcriptus non ſit = reſpondit, *Gaudere*.

VI. Na-

„ VI. Neque hæc ſacræ Congr. reſponſa al„ teri adverſantur Triden. decreto *ejuſd. ſeſſ. XXIII.* „ *cap. XVI.* de quo nos ipſi ſuperius egimus *lib. XI.* „ *cap. II.* ubi nimirum veſtigiis inhærens ſexti Ca„ nonis Conc. Chalcedonenſis ; neminem in poſte„ rum Ordinibus initiandum decrevit = *qui illi Ec„ cleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut „ utilitate aſſumitur, non aſcribatur, ubi ſuis fun„ gatur muneribus* = ſimulque ſacris interdicendum „ præcepit, qui, inconſulto Epiſcopo, ab Eccleſia „ ſe proripit, cui fuit alligatus. Aliud ſiquidem eſt, „ Clericum poſſe compelli ad inſerviendum Eccle„ ſiæ ab Epiſcopo deſignatæ; aliud, poſſe fori privi„ legio ideo privari, quod non illi, ſed alteri Ec„ cleſiæ ſuum ſervitium impendat. Primum certe, „ non itidem alterum, ex allegato Trid. textu con„ ſequitur, quinimo ex hoc aperte conficitur, ſola „ ſuſpenſione a Divinis, aut interdictione aſcenſus „ ad ſuperiores Ordines, ejus eſſe puniendam con„ tumaciam, qui, inconſulto Epiſcopo, ab Eccle„ ſia recedit, cui in ſui Ordinatione fuit mancipa„ tus; uti in ſuis ſuffragiis hac ſuper re diligenter „ elucubratis concluſerunt Carolus de Vecchiis, & „ Proſper Fagnanus, celebres olim ſacræ Congr. „ Conc. Secretarii, quæ extant *lib. Memorialium* „ *LII. pag. 16.* “

S E C T I O   X C I V.

Eadem Seſſio XXIII. caput VII. de Reform.

SAncta Synodus, antiquorum Canonum veſtigiis inhærendo decernit, ut, quando Epiſcopus ordinationem facere diſpoſuerit, omnes, qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, feria quarta ante ipſam ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Epiſcopus autem Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis, ſibi aſcitis, ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtiget, & examinet.

Scrutinium, quod hic Trident. ab Epiſcopo peragendum præcepit de promovendis ad Ordines ſacros, totidem fere verbis præceptum legitur *in Can. Quando V. diſtin.* XXIV. excerpto *ex cap.* XI. *Conc. Nannatenſis* (quod, an fuerint primum celebratum anno 656. vel 658. an ſecundum, celebratum an. 890. diſſident Eruditi. Quæ ſalutaris ſcrutinii faciendi inſtitutio, cum temporum malitia, & Epiſcoporum incuria deſuevisſet, eam, etiam ante Triden. inſtaurandam curaverat Paulus III. cum enim delegiſſet) ita refert. Benedictus XIV. *lib. V. cap.* III. *de Synod. diæc. n. 3.*) „ Cardinales, & Præſules, ut „ nimirum collato ſtudio ea ipſi ſuggererent, quæ „ ad reformandam Eccleſiam neceſſaria reputarent, „ in celebri conſilio, anno 1538. eidem Pontifici „ in ſcriptis exhibito, inter cæteros corrigendos „ abuſus, hunc, tamquam graviſſimum, primo lo„ eo recenſuere = *Primus abuſus in hac parte eſt „ Ordinatio Clericorum, & præſertim Presbyte„ rorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla ad„ hibetur diligentia, quod paſſim quicumque ſint, „ imperitiſſimi ſint, viliſſimo genere orti ſint, mali „ moribus ornati ſint, adoleſcentes admittantur ad „ Ordines ſacros, & maxime ad Presbyteratum, „ ad characterem inquam Chriſtum maxime expri„ mentem: hinc innumera ſcandala, hinc con„ temptus Ordinis eccleſiaſtici, hinc divini cultus „ veneratio non tantum diminuta, ſed etiam prope „ jam extincta* “.

Hæc eadem Tridentina ſanctio luculentius explicata, religioſe cuſtudiri præcipitur a Clemen. VIII. Conſtit. *Dives in miſericordia*, 20. *Auguſti* 1599. §. VII. ibi.

Hinc illa veterum SS. Patrum, & ſacrorum Conciliorum tam exquiſita diligentia, & veluti anxietas, quam in hac ipſa ordinandorum materia, ab omni Eccleſiæ antiquitate obſervare licet, ut ſtatutis anni temporibus, quando Spiritus Sancti gratia per totius fidelis populi orationem, & jejunium præcipue imploratur, ordinationes habeantur; ut in cathedrali, & primaria Eccleſia a proprio Epiſcopo publice ritu ſolemni celebrentur, ut non niſi probati, & examinati initientur, ita ut Epiſcopus ipſe piis, & prudentibus Sacerdotibus, & divinæ legis peritis, atque in eccleſiaſticis functionibus exercitatis, ſecum adhibitis, de ordinandorum genere, natalibus, ætate, inſtitutione, vita, moribus, doctrina, & fide diligenter inquirat, atque inveſtiget, ut non niſi digni, & probati, bonum teſtimonium habentes, qui, Deo auctore, ſperent ſe continere poſſe, qui pie, & fideliter in miniſteriis ante actis ſe geſſerint, paulatim, & per temporum intervalla ad altiores gradus aſſumantur, & ad ſacratiſſima myſteria, quibus nihil eſt divinius merito admittantur.

Ab

Ab Alexandro vero VII. certis aliis conditionibus ampliata legitur in ejus Conſtit. *Apoſtolica ſollicitudo*, 7. *Aug.* 1662. pro promovendis ad Ordines in Urbe, & in ſex Epiſcopatibus ſuburbicariis Cardinalitiis, ibi.

Motu, . . . mandamus, & ordinamus, ut quicunque in eadem Urbe ratione originis, vel beneficii eccleſiaſtici, aut domicilii, vel cum literis dimiſſoriis proprii Ordinarii, ad minores, vel ſacros Ordines promoveri volent, per menſem ante generales ordinationes dilectum filium noſtrum, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarium in ſpiritualibus generalem adeant, & de ipſius mandato ab Examinatoribus ad hoc deputatis, non paucioribus, quam tribus, ac ſimul congregatis, ſuper ſcientia ad unumquemque Ordinem requiſita ſedulo examinentur, & peracto examine, renuncientur quotcunque ab his idonei judicati fuerint.

Deinde ad minores quidem Ordines promovendi bonum a Parocho, & a Magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant, de quo publicum eidem Vicario exhibeant documentum. Pro iis vero, qui ad ſingulos majores Ordines erunt aſſumendi, idem Vicarius Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Baſilica Lateranenſi, & in propria cujuſque parochiali Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, genere, ætate, moribus, & vita, Ordinibus ante ſuſceptis, titulis, ad quos promoti ſunt, vel promoveri cupiunt, cæteriſque qualitatibus requiſitis juxta ſacrorum Canonum, & Conc. Trid. diſpoſitionem a fide dignis diligenter inquirat, & literas teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Vicarium quamprimum tranſmittat.

Et nihilominus, quoties aliquem ex ſacris Ordinibus ſuſcipere voluerint, ad Sacerdotes, in id deputatos perſonaliter ſe conferant, a quibus decem ſaltem dierum ſpatio ante ordinationem in eorum domo incluſi de omnibus ad digne ſuſcipiendos, & rite exercendos Ordines requiſitis erudiantur, & de hoc teſtimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipſum Vicarium deferant, nec ſine hujuſmodi literis quiſquam ad ullum ſacrum Ordinem promoveatur, nec cum aliquo ſuper examine, & incluſione hujuſmodi diſpenſari poſſit, niſi conſultis Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente.

Denique in ſex Epiſcopatibus prope Urbem, in quibus non ſunt Suffraganei, quicunque ad minores, vel ſacros Ordines volent promoveri, cum literis dimiſſoriis ſui Ordinarii ad memoratum Vicarium, & non ad alium Antiſtitem directis, ad Urbem accedant, ibique, & non alibi ordinentur, ſervata in omnibus forma ſuperius præſcripta. Ubi vero ſunt Suffraganei, nemo ad aliquem ex majoribus Ordinibus aſſumatur, niſi prius, præter ea, quæ a ſacris Canonibus, & ejuſdem Conc. decretis ſancita ſunt, ad minus per decem dies a dictis Sacerdotibus in Urbe deputatis in eorum ædibus incluſus, ut ſupra, fuerit eruditus, ac literas teſtimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipſum Suffraneum detulerit. Suffraganeus autem, qui contrafecerit, ab exercitio Pontificalium per annum; promoti vero tam ab eiſdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe, non ſervata forma præſentis Conſtitutionis, ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec Nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.

Ampliata eſt tandem laudata tridentina ſanctio ab Innocentio XIII. in Conſtit. *Apoſtolici miniſterii*, ſupra jam relata, in qua §. IV. circa examen promovendorum ad Presbyteratum hæc præſcribuntur, ibi.

Qui vero ad Presbyteratum erunt aſſumendi, idonei prius per accuratum ſimiliter examen comprobentur ad miniſtranda Sacramenta, & ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: quod quidem, ut recte præſtari poſſit, eoſdem Epiſcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri poteſt, eos tantum ad Sacerdotium aſſumant, qui ſaltem Theologiæ moralis competenter periti ſint,

Eadem totidem fere verbis ſancita leguntur in Conc. Romano celebrato ſub Bened. XIII. an. 1725. *titulo VI. de Ætate, & qualitat. Præficendor. cap. III.* ibi.

Quapropter Epiſcopi nonniſi illos ad ſacros Ordines promoveant, quam quos vere dignos, & habiles, requiſita etiam habentes, a ſacra ipſa Trident. Synodo præſcripta, per diligentem inquiſitionem compererint. Verum, qui ad Presbyteratum erunt aſſumendi, idonei prius ad Sacramenta miniſtranda per diligens examen comprobentur, & ad ea populum docendum, quæ ſcire omnibus pertinent ad ſalutem: quod quidem, ut recte præſtari poſſit, eoſdem Epiſcopos in Domino exhortamur, & quantum fieri poteſt, eos tantum ad Sacerdotium aſſumant, quos ſaltem Theologiæ moralis competenter peritos agnoſcant.

Prædictum ad ſacros Ordines promovendorum ſcrutinium, quod hodie ex præſcripto laudati Concilii Nannatenſis, & Trident. ab Epiſcopo fieri debet ope Examinatorum a ſe delectorum, olim committebatur Archidiacono, quod quidem incepit uſque e ſeculo IV. ut ex Epiſtola D. Hieronymi ad Evangelum *tom. 1. Oper. col.* 1077. atque in actu Ordinationis interogabatur ab Epiſcopo, an ſciat eſſe dignum, quem ordinandum exhibet Cujus antiquiſſimæ diſciplinæ (de qua etiam teſtatur D. Cyprianus *diſt.* XXXIII. & Lampridius in Alex.) ut veſtigium aliquod remaneret, adhuc in præſens Epiſcopus Diaconatum, & Presbyteratum collaturus, prius populi teſtimonium his verbis exquirit: *Quid de eorum actibus, aut moribus noveritis, quid de merito ſentiatis, libera voce pandatis..... Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat* = Poſtea Archidiaconum, an ſciat eſſe dignum, quem ordinandum exhibet, cui Archidiaconus reſpondet = *Quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor, ipſum dignum eſſe ad hujus onus officii* =. Quæ atteſtatio, attento hodierno ſcrutinii modo antea per Epiſcopum habiti, nunc eſt merus ritus, & cæremonia. Nec propterea Archidiaconus, ita reſpondendo, culpæ reus habendus eſſet, quamvis ignoraret, an Ordinandus revera dignus exiſteret, = dum hoc modo contra conſcientiam non loquatur, quia non ſimpliciter illum aſſerit eſſe dignum = ut reſpondit Innocentius III. ad Aurienſem Epiſcopum *Epiſtola XXXIII. lib. IX.* ex qua excerpta eſt Decretalis relata in *cap. unic. Ex parte, tit. de Scrutin. in Ordine facieud.* quam habes *part. I. pag.* 62.

S E C T I O X C V.

Eadem Seſſio XXIII. cap. VIII. de Reform.

ORdinationes ſacrorum Ordinum ſtatutis a jure temporibus, ac in cathedrali Eccleſia, vocatis, præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis, publice celebrentur: ſi autem in alio diœceſis loco, præſente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur.

Huic Decreto de conferendis ſacris Ordinibus, nonniſi ſtatutis a jure temporibus (videlicet in ſabbatis quatuor temporum, aut ſabbato ante Dominicam Paſſionis *cap. De eo III. de Tempor. Ordinat.*) acceſſerat Conſtitutio Sixti V. *Sanctum, & ſalutare,* 5. *Januar.* 1588. in qua §. II. & III. has pœnas, tam in dictos Ordines extra tempora conferentes, quam in recipientes inflixerat, ibi.

Statuimus, & ordinamus, ut ſi in poſterum Antiſtes aliquis, epiſcopali, archiepiſcopali, primatiali, vel etiam patriarchali dignitate præfulgens, aut Abbas ad Primam Tonſuram, minoreſque Ordines ſuis ſubditis conferendos a Sede Apoſtolica auctoritatem habens, quemcunque ſecularem, vel cujuſvis Ordinis, aut militiæ Regularem, ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, ſeu alias inhabilem, vel irregularem exiſtentem, vel extra tempora a jure ſtatuta, vel abſque veris dimiſſoriis ſui Ordinarii literis, aut per ſaltum, vel furtive, aut, quoad ſeculares, ſine titulo ſufficientis beneficii, vel patrimonii, aut ante ætatem per ſacri generalis Trid. Concilii decreta, Primæ Tonſuræ, ac cuique Ordini præſcriptam, aut non ſervatis temporum interſtitiis; ita ut aliquis unico die, ſeu continuatis diebus, ad plures Ordines ſacros, vel poſt unum Ordinem ſuſceptum ſine cauſa rationabili antequam tempus ad eodem Concilio Tridentino præfixum

xum elabatur, ad alium Ordinem promoveatur ſine diſpenſatione, aut indulto Apoſtolico, clericali charactere non legitime inſigniverit, aut ad Ordines minores, vel ſacros, ut præfertur, vel alias male promoverit, ſive id ſcienter, ſive ignoranter fecerit, niſi debita diligentia adhibita juſtus error, & probabilis facti ignorantia eum excuſet, ut in quo deliquit, in eo puniatur, a quorumcunque Ordinum, atque adeo ipſius Tonſuræ, & ab executione omnium munerum pontificalium eo ipſo ſuſpenſus, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus exiſtat, aliiſque gravioribus pœnis, noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio puniatur. Quod ſi ſpreta hujuſmodi ſuſpenſione, & interdicto, in præmiſſis ſe temere ingeſſerit, etiam a regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, ſeu monaſterii, & a perceptione fructuum menſæ ejuſdem, ac quorumcunque beneficiorum per eum, in titulum, vel Commendam, ſeu alias obtentorum ſuſpenſionem eo ipſo incurrat, ejuſque interdicti, aut ſuſpenſionis relaxationem, aut pœnarum remiſſionem ab alio, quam a Romano Pontifice pro tempore exiſtente nequeat obtinere.

Et nihilominus fel. record. Pii II. & aliorum Romanorum Pontificum noſtrorum Prædeceſſorum, qui per ſuas Conſtitutiones, aut in Cancellaria Apoſtol. publicatas regulas, contra hujuſmodi Clericos male promotos, diverſas pœnas inflixerunt, veſtigiis inhærentes, eoſdem Clericos poſthac male promotos ab executione, miniſterio, & exercitio Ordinum ſuſceptorum, & ab omni ſpe, & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuo ſuſpenſos declaramus. Et ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, illos ſic irregulares effectos, omnibus, & quibuſcunque per eos, in titulum, Commendam, aut alias obtentis dignitatibus, officiis, & beneficiis eccleſiaſticis, cum cura, & ſine cura, quomodocunque qualificatis, ſecularibus, vel cujuſvis Ordinis, aut Militiæ regularibus, ac etiamſi ipſi Clerici regulares fuerint, activa, & paſſiva voce, ipſo facto privamus, & iis privatos, eoſque ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia in poſterum obtinenda in perpetuum inhabiles, & incapaces eſſe decernimus, & declaramus: dignitatum, officiorum, & beneficiorum hujuſmodi, ſic pro tempore vacantium diſpoſitionem nobis, & Apoſtol. Sedi perpetuo reſervantes.

Hæc Conſtitutio moderata fuit, quoad hoc a Clemente VIII. Conſtit. *Romanum Pontificem*, 28. *Febr.* 1595. & redacta ad terminos juris communis, Bullæ Pii II. *Cum ex ſacrorum*, & Concilii Tridentini, ibi.

Nos animadvertentes in dictis literis nihil fere, quoad ea, quæ in Ordinum collatione ſervanda ſunt, diſponit, ultra id, quod in ſacris Canonibus, & in Conc. Trident. decretis, ac aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus diſpoſitum fuit, ſed diverſas pœnas, & cenſuras eccleſiaſticas contra Epiſcopos, & alios Prælatos in Ordinum collatione peccantes, & ſimiliter contra Clericos, tam ſeculares, quam cujusvis Ordinis, Inſtituti, & Militiæ Regulares male promotos conſtitui, abſolutionemque, & diſpenſationem Sedi Apoſtolicæ reſervari, & alias, ſicut in præfatis literis continetur: conſiderantesque, tam promoventes, quam eos, qui ad dictos Ordines promoventur, ſæpe cenſuris, & pœnis hujuſmodi, ob illarum multiplicitatem in eorum pernicem animarum, variis modis illaqueari, nonnullos ex Prælatis, & Epiſcopis in conferendis hujuſmodi Ordinibus nimis ſcrupuloſe procedere, multoſque metu pœnarum, & cenſurarum præfatarum, ab Ordinum collatione prorſus deterreri, adeo, ut Clericorum, & Sacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde imminutus ſit, omnium in præmiſſis ſecuritati, ac animarum ſaluti, paterna charitate proſpicere volentes, motu proprio, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſupradictas literas ad terminos ſacrorum Canonum, ac Conſtitutionis rec. mem. Pii Papæ II. etiam Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Cum ex ſacrorum Ordinum*, ſub dat. videlicet XIV. Kal. Decembris, Pontificatus ſui Anno IV. cujus tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, & ad diſpoſitionem decretorum ſacri Trident. Conc. reſtringimus, & reducimus, necnon cenſuras, & pœnas in eiſdam Sixti Literis contra quoſcunque, præterquam contra ſimoniace ordinantes, & ordinatos inflictas, quas volumus in ſuo robore permanere (aliis etiam

pœnia, & cenſuris per eoſdem Canones, ac Conſtitutionem Pii II. Conciliumque Trid. injunctis ſalvis, & firmis remanentibus) moderamur, & abolemus.

Si autem quæras, quas pœnas de jure communi incurrat promotus extra ſtatuta tempora ſine Apoſtolica diſpenſatione, ad ſacros Ordines, ex Decretali Alexandri III. ad Epiſcopum Hesfordenſem in Brittannia, relata *in cap.* II. *Sane*, *de Tempor. Ordinat.* non erat permittendus in ſuſceptis miniſtrare. Et olim ex poſteriori Decretali Urbani III. ad Piſanum Archiepiſcopum, relata *in cap.* VIII. *Cum quidam*, *eod. tit.* ſuſpenſus permanebat, donec a Sede Apoſtolica reſtitutionis gratiam meruiſſet obtinere. Verum poſtea ex Decretali Gregorii IX. ad Archiepiſcopum Barenſem, relata *in cap.* XVI. *Conſultationi, dicto tit.* indultum fuit, ut diſpenſari poſſet ab Epiſcopo poſt pœnitentiam peractam, quatenus in ſuſceptis Ordinibus ei miniſtrare liceret. Quod tamen indultum *Theſaurus de Pœnis cap.* XIV. *verb. Ordo*, cùm DD. ibi cit. docet, intelligendum eſſe reſpectu Epiſcopi, qui non fuerit culpabilis in tali Ordinatione.

Diſſidebant etiam DD. ab eodem Theſauro relati, an dicta ſuſpenſio eſſet latæ, vel ferendæ ſententiæ: ſed hodie ex cit. Conſtit. Pii II. edita 17. *Novemb.* 1461. dirempta eſt controverſia; in ea enim declaratur, eſſe latæ ſententiæ: & ſi in tali ſuſpenſione in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerit, eo ipſo irregularitatem incurrit, eccleſiaſticiſque beneficiis privari poteſt, ibi,

Nos..., ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora, a jure ſtatuta, ſive ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſoriis literis, etiam Citramontanis (præterquam, ſi in hoc ultimo caſu per Cameram Apoſtol. juxta illius ſtylum ordinati fuerint) ad aliquem ex ſacris Ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint; & ſi, hujuſmodi ſuſpenſione durante, in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant. Præterea, ultra alias pœnas in tales generaliter a jure inflictas, beneficiis eccleſiaſticis poſſint jure privari.

Nota I. Hanc ſuſpenſionem eſſe tantum ab Ordine, ſic male ſuſceptum, ejuſque abſolutionem hodie non eſſe amplius Papæ reſervatam, ut animadvertit idem Theſaurus *loc. cit.*

Nota II. Ordines ſacros extra tempora conferentem, nec ex jure communi, nec ex jure novo ullam cenſuram ipſo facto incurrere. Non ex jure communi, quia, tam in mox *cit. cap. Sane*, quam *cap. Cum quidam* præcipitur, ſuſpendendum eſſe a poteſtate Ordiues conferendi. Non ex jure novo, cum ſuperius allata Sixti Conſtitutio, etiam quoad ſic ordinantem moderata ſit, ut jam dixi.

Nota III. Quod conceſſo etiam, Epiſcopatum eſſe Ordinem ſubſtantialiter diſtinctum a Sacerdotio, & non tantum extenſive, ac per modum complementi, ut verior eſt ſententia, fundata in Tridentino, ſeptem dumtaxat Ordines enumerante in *cap.* II. *ſeſſ.* XXIII. *de Sacram. Ord.* inter quos nulla mentio fit de Epiſcopatu, certum eſt conferri poſſe quocunque die Dominico. Et quamvis S. Leo Papa, in Epiſtola ad Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum, relata a Gratiano *in Can. V. Quod die, diſtin.* LXXV. ſtatuerit, conferendum eſſe die dumtaxat de Dominicæ Reſurrectionis; hodie tamen ex uſu ab Eccleſia ubique recepto, quocunque die Domiuico conferri poteſt; ea potiſſimum ratione invecto, quod cum maxima ſemper fuerit SS. Patrum ſolertia, ut vacantibus Eccleſiis, quamcitiſſime conſuleretur, id ſane præſtari non potuiſſet, ſi ſolo die Paſchatis Epiſcoporum conſecrationes celebrandæ fuiſſent.

Nota IV. Circa dubium, an Regulares habentes privilegia recipiendi Ordines extra tempora, attendenda eſſe tradita a P. Gaudentio a Janua, ibi,
„ His itaque, aliiſque rationibus circa præſens du-
„ bium, mature perpenſis, Congregatio ſpecialis
„ plurium Eminentiſſimor. Ottoboni, Laurentii
„ Corſini, adhuc Cardinalis, Ptolomei, de Marinis,
„ Pipiæ, & Pereyro, cum interventu item
„ D. Tedeſchi S. Congregationis Rituum tunc Secre-
„ tarii; nec non plurium Theologorum, a piæ me.
„ Benedicto XIII. Pontifice maximo ſuper hoc ſpe-
„ cialiter deputata, clariſſimum, & indubium de-
„ cretum edidit ſub expreſſis, quæ ſequuntur,
„ verbis.

„ *Privilegia a ſummis Pontificibus tam ante,*
„ *quam poſt Tridentinum, ſive expreſſe, ſive via*
„ *communicationis Regularibus conceſſa ſuſcipien-*
„ *di ſacros Ordines extra tempora, perſiſtere in ſuo*
„ *robore, nec iis fuiſſe unquam derogatum, ac pro-*
„ *inde tuto poſſe Regulares ordinari extra tempora*
„ *abſque novo indulto Apoſtolico*: *die* 16. *Maii*
„ 1725. Ex voto typis edito Eminentiſſimi de Ma-
„ rinis in fine.

„ Ac ſubinde incohato Lateranenſi Concilio,
„ præſidente, & aſſiſtente eodem S. M. Bened. XIII.
„ *tit. V. de Temporibus Ordinationum*, *cap.* II. cui
„ titulus pariter fuit abſolute appoſitus, ibi = Re-
„ gulares vigore ſuorum privilegiorum tuto abſque
„ novo indulto Apoſtolico extra tempora ſacris ini-
„ tiantur, prodiit Decretum ſequens. =

„ *Quo vero ad Regulares, privilegia a ſummis*
„ *Pontificibus habentes, ſive expreſſe, ſive per*
„ *viam communicationis conceſſa, ſacros videlicet*
„ *Ordines extra tempora ſuſcipiendi*: *cum privile-*
„ *gia ipſa in ſuo robore perſiſtant, nec iis deroga-*
„ *tum fuiſſe conſtet, decernimus proinde, Regula-*
„ *res eoſdem abſque novo indulto Apoſtolico tutò*
„ *poſſe extra tempora ordinari.*

„ Ex

„ Ex quibuaomnibus mirum pro certo apparet, „ quomodo adhuc ſuper exiſtentia, & ſubſiſtentia „ ejuſdem privilegii pro Regularibus omnibua apud „ aliquos, tum opinantes peculiares, tum Aotiſti „ tea ſcrupuloſos poſſit cadere dubinm “.

Laudato huic Auctori & ipſe ſubſcribo: & quamvis in Additionibus meis ad *Inſtit. Canonic. Remigii Maſchat: tit. de Temporib. Ordinat.* §. II. *poſt quæſt.* 8. itidemque in Additionibus *ad Theſaurum de pænis eccleſiaſt. poſt cap. XIV. verb. Ordo*, notaverim ex Conſtit. Bened. XIV. *Impoſiti*, 27. *Septem.* 1747. referendo verba hujus Conſtit. = Illis ſolia Regularibus (hæc privilegia) ſuffragari, quibus poſt Trident. nominatim, atque directe, non vero per communicatiouem conceſſa fuerint, & hæc indulta non cenſeri, niſi vel poſt ipſiua Trid. confirmationem re ipſa fuerint conceſſa; vel quatenus antea conceſſa, & poſtea confirmata eſſe aſſerantur, hujuſmodi confirmationes in forma ſpecifica cum literali veteria indulti inſertione, ejuſque expreſſa innovatione factæ dignoſcantur: ac .... alterius generia confirmationes, quæ in forma communi nuncupantur, nemini ad prædictum effectum ſuffragari = re meliua conſiderata, inſpectoque integro d. Conſtit. contextu, animadverti, hanc Benedicti declarationem relationem habere ad privilegia, quibus fruuntur Regulares, ut promoveri poſſint ad Ordines a quocunque Epiſcopo in caſu impedimenti, vel abſentiæ Epiſcopi diœceſani, non ad privilegium recipiendi Ordinea extra tempora.

Quod quamvis firmum remaneat, eo tamen Epiſcopos diœceſanos non arctari ad eoſdem Regulares ordinandos extra tempora, Benedictua in cit. Conſtit. declaravit §. *Præterea* = Hoc enim expreſſe declarari opus eſt, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui cum privilegio gaudeant ſuſcipiendi Ordinea extra tempora, exiſtimarunt, Epiſcopos ipſorum voluntati adeo addictos eſſe debere, ut ſi, quandocunque ipſis placuiſſet ad Ordines promoveri, non ſtatim, ipſoque die ab ipſis deſignato, voti compotes fierent, jam dici poſſet, Ordinationem ab Epiſcopo non haberi, proindeque alius Epiſcopua pro ſuſcipiendis Ordinibus adeundus eſſet =.

Idem etiam declaravit Innocentius XII. reſpectu aliorum quorumcunque, cum hujuſmodi Indulta a Sede Apoſtolica obtineri contigerit, ut ex ſequentibus decretis.

DECRETA CONGREGATIONIS

A Sanctiſſimo Domino noſtro ſpecialiter deputatæ

SUPER MODERATIONE INDULTORUM SUSCIPIENDI ORDINES EXTRA TEMPORA, A JURE STATUTA.

Sanctiſſimua Dominus noſter Innocent. Papa XII. pro paſtorali ſuo in commiſſum ſibi gregem dominicum zelo, ac tuendæ diſciplinæ eclaſiaſticæ ſtudio proſpicere volens, ne Indulta ſuſcipiendi extra tempora a jure ſtatuta Ordinea nimis facile concedantur, Congregationi particulari EE. DD. Cardinalium Carpinei, Caſanatis, Mareſcotti, Colloredi, Paneiatici, & Albani, necnon Illuſtriſſimorum DD. Sperelli, Ciampini, Sacripantis, meique Secretarii infraſcripti ſpecialiter deputatæ, expendendaa commiſit cauſas, ex quibua præfata Indulta tribui ſolent, ut Sanctitati ſuæ referri poſſent, quæ ratio deinceps ineunda, moduſque adhibendus videretur in conceſſione ſimilium Indultorum.

Quæ quidem Congregatio in ædibus præfati Eminentiſſimi Carpinei die 10. Novem., atque iterum 7. Decem. anni currentis habita, re mature diſcuſſa, cenſuit, Indulta hujuſmodi, ſi Sanctiſſimo placuerit, concedi poſſe ex cauſis infraſcriptia, videlicet.

Ut quis beneficio, vi cujus arctatur ad presbyteralem Ordinem ſuſcipiendum, vel alteri etiam perpetuo beneficio, quod obtinet, vel Cappellaniæ ad vitam ſibi conceſſæ per ſe ipſum inſervire poſſit. Ob penuriam Sacerdotum in illis partibus, vel in monaſterio pro Regularibus. Ob ſolatium patris, vel matris, dummodo quinquaginta ætatis annos excedant, & Orator ſaltem per triennium in clericali habitu honeſte, & laudabiliter vixerit. Item concedi poſſe cenſuit eadem Indulta Referendariis utriuſque Signaturæ, Familiaribus Summi Pontificis, Canonicis cathedralis, vel etiam collegiatæ Eccleſiæ, eorumque Coadjutoribus, Magiſtris, ſed etiam Baccalaureis in ſacra Theologia: Doctoribus utriuſque, vel ſaltem canonici juris, ſeu Licentiatis, dummodo ſingulos præfatos gradus in publica, & approbata Univerſitate obtinuerint: Iis etiam, qui ſaltem per triennium ſedulam Theologiæ ſtudiis operam navaverint, ac tandem XXVI. ætatis annum excedentibus, ſi per triennium in clericali habitu honeſte, & laudabiliter vixerint.

E contra cenſuit, non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quod quis Diaconus, Subdiaconus, literarum Apoſtolicarum ſcriptor ſit, ſeu Magiſter in artibus, nobilis, aut præſens in Curia, vel quod Philoſophiæ curſum abſolverit, aut alicui Eccleſiæ adſcriptus fuerit, ad cujus ſervitii titulum ex Apoſtolico Indulto Clerici ordinari poſſunt, aut onus Miſſarum, non tamen ex beneficio eccleſiaſtico proveniens, habere ſe doceat.

Inſuper cenſuit, Indulta hujuſmodi deneganda eſſe iis, qui aliqua diſpenſatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis, & Sede epiſcopali vacante, infra annum a die vacationis minime danda iis, qui beneficii eccleſiaſtici recepti, ſeu recipiendi occaſione arctati non fuerint.

Item numquam concedenda pro feſtivis diebus continuis, ſed ſemper pro interpoſitis aliquo temporis ſpatio, arbitrio Epiſcopi definiendo.

Denique cenſuit, Epiſcopos omnes, ac etiam Apoſtolicos Nuncios, & Legatos literis in forma Brevis circularibus admonendos, decreviſſe Sanctitatem ſuam, Indulta prædicta non ita paſſim, ſed ex certis tantum, legitimiſque cauſis concedere, nec Epiſcopos ad eorum exequutionem adſtringere, ſed illam ſemper ipſorum arbitrio, onerata eorumdem conſcientia, relinquere. Item per eadem Indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad patrimonii titulum, niſi ad normam Conc. Trident. *ſeſſ.* XXII. *cap.* II. Eos vero omnes, qui ab Apoſtolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extra tempora, vel aliis reſpective tribuendi licentiam, ut conferant, maxime cavere debere, ne præſcriptos ſibi in iiſdem facultatibus limites, cujuſvis conſuetudinis, aut exempli prætextu transgrediantur.

Hæc autem omnia, & ſingula ſupraſcripta decreta, audita ex me integra eorum relatione, SS. D. N. laudavit, & approbavit, ac tam in Dataria, & Secretaria Brevium, quam a cæteris omnibus miniſtris, & officialibus Curiæ, ad quos pertinent, perpetuo, & inviolabiliter ſervari mandavit, ſublata omnibus quacunque facultate prædicta Indulta aliter, quam ad formam eorumdem decretorum in poſterum expediendi. Hac die 14. Decembr. 1693.

Carolus Auguſtinus Fabronus Secr.

Quod autem ſpectat ad præceptum publice peragendi Sacror. Ordinum collationem in Eccleſia cathedrali, vel in alio diœceſis loco, ut injungitur in mox tranſcripto *cap.* VIII. *Tridentini*, Sac. Congr. Conc. *in Meliten.* 20. *Novembr.* 1592. = Cenſuit, ſi non fuerit Ordinatio generalis, ſed tantum aliquarum perſonarum, poteſt ubique Epiſcopus eam habere etiam in Capella ſua privata = *ut lib.* VII. *Decretor. pag.* 96.

SECTIO XCVI.

Eadem Seſſio XXIII. de Reform. proſequitur idem cap. VIII.

Unuſquiſque autem a proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus, permittatur, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus,

Hoc Decretum, quo præcipitur, neminem ordinandum eſſe, niſi a proprio Epiſcopo, explicatum eſt ab Innocentio XII. Conſtitutione *Speculatores*, 4. *Novembr.* 1694. declarante, illum eſſe proprium Epiſcopum ordinandi, qui ei ſubditus ſit, vel ratione originis, vel ratione domicilii: de ſubjectione enim juriſdictioni alterius Epiſcopi ratione beneficii obtenti in illius diœceſi, de qua idem Pontifex in hac Conſtitutione agit, ſermonem jam inſtituimus, *pag.* 873. & 874. *ad capue* II. *ſeſſ.* XXI. *de refor.*

Quod igitur ſpectat ad ſubditum ratione originis, ita declaravit.

Cæterum ſubditus ratione originis, is tantum ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda. Quod ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas teſtimoniales, ut ſupra obtinere, illaſque Epiſcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum teſtimonio ſimiliter recenſendas præſentare teneatur. At ſi pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiù, ac eo animo permanſerit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, ſed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum pro ordinatione ejuſdem filii attendi debet.

Quod vero ſpectat ad ſubditum ratione domicilii, quis is dumtaxat cenſeatur, palam faciunt ſequentia ejuſdem Conſtitutionis verba.

Sub-

Subditus autem ratione domicilii, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is dumtaxat cenſeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem, cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi tranferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis, ſuperque ſuum perpetuo ibidem permanendi animum demonſtraverit: & nihilominus ulterius in utroque caſu, ſe vere, & realiter animum hujuſmodi habere, jure jurando affirmet. Si quis autem a propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii ſuæ originis teſtimoniales literas, ut ſupra, afferre debebit, ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum literis facienda erit.

Si autem aliquem ſubditum ratione tam originis, quam domicilii ordinari contigerit ab alieno Epiſcopo de licentia proprii Epiſcopi, hæc omnino ſervanda præcepit ſub pœnis expreſſis §. VII. ibi.

Porro, ut quibuſcunque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, atque decernimus, ut Epiſcopus quilibet ſuos ratione originis, ſeu domicilii ſubditos Clericos quoſcunque, ab alienis Epiſcopis, quavis auctoritate, etiam cum ſuis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Conc. Trident. ſupradicti, *ſeſſ. XIV. cap. III. de reform.* quoad ſcientiam examinare valeat; verum etiam Ordinum eis collatorum teſtimoniales literas, gratis tamen, recognoſcere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præſentis Conſtitutionis forma, & diſpoſitio adimpleta fuerit, aſſignato ſic promotis termino competenti ei magis beneviſo, ad docendum de ejuſmodi adimplemento, ita, ut quos, eo termino elapſo, id minime præſtitiſſe compererit, a ſuſceptorum Ordinum exercitio, ſi ita, & quandiù ei expedire videbitur, ſuſpendere, illiſque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

Nota I. circa ſubditum ratione originia, quod quando dubitatur, an in loco, ubi filius natus eſt, pater domicilium continuaverit, ibique dictus filius baptizatus fuerit, dici poſſet originarius loci baptiſmi, ad tradita per *Morenum in tract. moral. tit. Orig. q.* 11. *dub. IV. n.* 128. eum præſumi debeat, baptizatum fuiſſe in loco paterni domicilii. Si vero pater tempore nativitatis filii nullibi domicilium contraxerit, hic tunc erit originarius loci, ubi pater naturalitar ortus eſt. Probabilie eſt etiam juxta *Lamperez num.* 400. quod filius natus ex Judæis, & Turcis dici poſſit originarius loci, in quo baptizatus eſt.

Nota II. Probabile itidem eſſe, ut dici poſſit originarius loci matris catholicæ, ſi natus ſit ex accidenti in loco, ubi pater nondum contraxit domicilium, & locus, in quo hic natus eſt, vel Epiſcopo careat, vel idem Epiſcopus ſchimaticus ſit; eo pari modo, quo attendendus eſt locus originis matris, quando filius eſt illigitimus, ut mox dicetur. Si vero mater ſchiſmatica fuerit, recurrendum eſſet ad S. Cong. Conc. pro aſſignatione Epiſcupi originis, ſi filius promoveri vellet ad Ordines.

Circa locum originis illegitimorum placet hic per extenſum referre tradita a Canonico Romualdo Honorante *in Praxi Secretariæ Urbis Vicarii cap.* 1. *Nota IX. §. Dupliciter pag.* 17. ibi.

Secundum Dubium. Quenam erit origo illegitimorum.

„ Dupliciter horum nativitas contingere valet, vel enim ipſorum ortus, in loco domicilii parentum accidere poteſt, vel extra, ita ut parentes nullibi domicilium habeant, vel ſi habeant, diverſum ſit, patris ſcilicet in una diæceſi, matris in alia. Item pater poteſt eſſe notus, aut ignotus; in his ergo, & ſimilibus eventibus, quæritur, quis ſit prædictorum illegitimorum locus originis, ut promoveri valeant.

„ Pro quo adnotandum, in præmemorata Conſtitutione (*ſpeculatores*) duplicem diſpoſitionem legi, aliam pro nativitate filii propria, aliam pro fortuita, ac caſuali, diverſamque originem ad Ordines pro diverſitate nativitatis aſſignari. Item in dicta Conſtitutione ſtatuitur, quod ſi pater in loco, ubi filius ex accidenti natus eſt, domicilium contraxerit, filius originarius ſit loci novi domicilii paterni. Difficultas ergo eſt, an omnes iſtæ diſpoſitiones comprehendant in ſuo reſpective caſu illegitimos filios.

„ Reſponſio hujus difficultatis ab alia pendet, ſcilicet, an quando leges aliquid circa filios diſponunt, nomine filiorum intelligantur illegitimi, de qua Barboſ. *de appellat verb; appellat* XC. *numer.* 35. *&* 36. ubi in affirmativam inclinat, quando ratio legis certa eſt, & omnibus filiis æqualiter convenit. Unde in præſenti triplex erit quæſtio. I., an quando illegitimus oritur in loco, ubi parentes habent domicilium, originarius ſit ejuſdem loci. II., an deficente in parentibus domicilio, illegitimus ſequatur originem paternam, an maternam. III., an ſi pater, & mater illegitimi domicilium contrahant in loco, ubi dictus filius natus eſt, ratione iſtius domicilii ſit originarius loci novi domicilii parentum.

„ Re-

,, Reſpondetur I., quod illegitimus natus in loco, ubi ejus parentes habent domicilium, eſto de patre certo conſtet, eſſe originarium loci domicilii materni; ita Joannes Præpoſitus apud Dianam *part.* VIII. *tract.* II. *reſolut.* XVIII, cujus ſententia, etiam in terminis dictæ Innocentianæ Conſtit. tenenda videtur, quia leges, cum de filiis loquuntur, non comprehendunt illegitimos, quando eorum ratio æqualiter non convenit legitimis, & illegitimis; at ſic eſt in præſenti; nam in legitimis eorum parentes idem habent domicilium, cum pro eadem perſona reputentur propter unionem matrimonii: non ſic in fornicariis, quilibet enim eorum habere poſſet diverſum domicilium, & in diverſa diœceſi: ex quo fieret, quod ſi illegitimus domicilium utriuſque parentis ſequeretur, duplicem haberet originem ad Ordines, contra Innocentianam Conſtit., quæ duplicem originem non admittit.

,, Unde ſi mater, tempore, quo illegitimus naſcitur, nullibi domicilium haberet, cenſetur natus ex accidenti, etiamſi de patre certo conſtet, habeatque domicilium; quia ex dictis conditionem matris ſequitur. Similiter ſi mater illegitimi domicilium in aliqua diœceſi habens, extra illam eum in lucem daret, originarius erit ad Ordines loci materni domicilii.

,, Reſpondetur II., illegitimum natum ex accidenti, eo quod mater nullibi habeat domicilium, originarium ad Ordines eſſe loci naturalis maternæ originis, etiam ſi de patre certo conſtet, quia Jus civile, *leg.* 1. *in fin. ff. ad municip. & leg. ejus, qui ff. eodem*, illegitimos filios, matris filios agnoſcit, eo quod ab illa certius procedant. Nec obſtat, quod Conſtit. Innocentiana pro origine filii cauſaliter nati, locum naturalis paternæ originis aſſignet; nam ly *patris*, late ſumitur, & comprehendit matrem in caſibus, quibus ſecundum jus ad patrem nequit recurri; & hanc ſententiam tenet Barboſa *de Poteſt. Epiſc. alleg.* IV. *num.* 15. Diana *part.* VIII. *tract.* II. *reſolut.* XII. Trullench *tom.* III. *lib.* IV. *cap. unico*, *dubio* VI. *n.* 7. & alii ab illis citati.

,, Ad III. difficultatem, an ſcilicet, ſi mater domicilium de jure contrahat in loco, ubi illegitimus natus eſt, amittat iſte originem loci maternæ originis, fiatque originarius loci novi materni domicilii? Negative reſpondendum cenſeo, quia Conſtit. Innocentiana de ſolo patre domicilium, nato filio, eligente loquitur, valdeque dubium in jure eſt, quod domicilium, matris tribuat filiis natis domicilium, eſto cum illa morentur, animo perpetuo ibidem habitandi, ut allegat Navarrus *lib* I. *conſil. de temporibus* Ordin. *Conſil.* II. *n.* 5. & 6. ,,

Nota III. locum originis expoſitorum, quorum ſcilicet parentes; & nativitatis locus ignoratur, quique hoſpitali pro ipſis deſignato conſignantur, eſſe ipſumet locum, in quo expoſiti fuerunt, ad hoc, ut promoveri poſſint ad Ordines, *Barboſa de Poteſt. Epiſc. allegat.* IV. *n.* 37. & clarius Campanil. apud *Trullench. tom.* VIII. *lib.* IV. *cap. unic. dub.* VI. *n.* 12. *ibi*. = Expoſiti ordinari poſſunt ab Epiſcopo, qui eſt ordinarius loci, in quo expoſiti ſunt: nam eo quod parentes ignorantur, ſine dubio illius loci effecti ſunt cives. = Quod ſi pluribus in locis expoſiti fuerint, attendendum erit, non locus, ubi primo expoſiti, & baptizati fuerunt; cum in iſto quaſi ex accidenti fuerint expoſiti, ſed locus hoſpitalis, cui alendi, & educandi conſignati fuerint. Qui locus itidem attendendus erit, licet conſtet de loco, ubi orti ſunt, & non de eorum parentibus; quia horum ignorantia magnam inducit præſumptionem, ibi natos eſſe ex accidenti: cum cæteroqui impoſſibile videretur eoſdem parentes ignorari, ſi in eo loco domicilium contraxiſſent. Si vero conſtet de loco originis, vel domicilii ſolius matris, hic attendendus erit, Honoranti *loc. cit.* §. *Tertium dubium*.

Quamvis autem expoſitorum originarius locus attendendus ſit in terminis, & caſibus ſupra expreſſis, non inde ſequitur, eos promoveri poſſe hoc titulo ad Ordines, niſi obtinuerint diſpenſationem: cum enim, ſi non conſtet de eorum parentibus, communiter apud Amoſtaz de cauſis piis *lib.* IV. *c.* XI. *n.* 73. pro ſpuriis, & illegitimis, habeantur ſunt irregulares, & ut tales repellendi ab Ordinibus juxta Decretalem Bonifacii VIII. relatam in *cap.* I. *Is, qui in* VI. Quidquid in contrarium ſentiant Menochius, Gonzales, & alii, aſſerentes, præſumendos eſſe potius legitimos, quam illegitimos: ajunt enim, frequenter ſolere exponi etiam legitimos ob egeſtatem, vel aliam cauſam; & ſic illorum legitimatio eſt dubia, & in dubio attendenda eſt præſumptio, & conditio, proli favorabilis, *cap.* XIV. *Ex tenore, qui filii ſint legitimi*. Quam opinionem refellunt Covarrujas, Suares, Garzias, & noviſſime Cardinalis Petra *in Commentar. ad Conſtit.* XXII. *Sixti* IV. *n.* 2. probans, tenendam eſſe tutiorem; proindeque ſaltem quoad Ordines ſuſcipiendos indigere diſpenſatione, cum requiratur probatio legitimitatis, pro qua non ſufficit præſumptio, Diſpenſatio autem quoad Ordines minores obtinendam eſſe ab Epiſcopo; quoad majores vero a Papa, prout ſtatuit cit. Bonifaciana Decretalis.

Nota IV. Derelictos, qui ſcilicet parentum nomen, & patriam ſemper ignorarunt, propterea quod hi mortui ſint, vel peregrinando, vel militando, eſſe originarios loci, in quo domicilium primo contraxerunt, licet poſtea ad aliam diœceſim illud transferant; cum illud primum ſit veræ originis, quod ex ſui natura eſt invariabile, *Lamperez n.* 404. Quod ſi nullibi domicilium elegiſſent, recurrendum eſſet ad S. Cong. Concilii pro deſignatione loci.

Nota V. Libertos manumiſſos, nempe poſtquam fuerunt ſervi, ſive nati fuerint in loco, ubi Epiſcopus non extat, vel eſt Titularis tantum, qui ex Trident. *Seſſ.* XIV. *cap.* II. *de Refor.* ad Ordines promovere nequit, vel in locis catholicorum, ſed ex accidenti, v. g. ratione itineris, eſſe originarios loci, ubi Patronus habet veram, & naturalem originem, non vero domicilium, *Trullench n.* 12. ibi: = Libertus, quando poteſt promoveri, ordinandus eſt ab Epiſcopo loci, a quo Patronus trahit originem, quia illius loci eſt libertus, municeps, & non ab Epiſcopo, ubi Patronus habet domicilium. = Et ratio eſt, (ut animadvertit laudatus Honoranti §. *Quartum dubium*,) quia cum liberti parentes, nullibi domicilium, utpote ſervi, acquirant, filii cenſentur ex accidenti nati, & cum alias naturalis origo parentum nequeat ſuffragari, ſupponitur ,, enim

enim inibi Epiſcopo carere; recurrendum eſt ad originem naturalem Patroni, quæ invariabilis eſt. =

Nota VI. Libertinos, procreatos videlicet ex parentibus a ſervitute manumiſſis, antequam naſcerentur, & numquam ſervierunt, eſſe originarios quoad Ordines ſuſcipiendos loci paterni, ubi eorum parentes tempore nativitatis domicilium contraxerunt. Si vero tunc iidem parentes domicilio carebant, attendendus erit locus originis Patroni eorumdem parentum; non vero locus originis accidentalis; *Pax Jordan. votum.* I. *lib.* III. *tit.* VI. *n.* 43.

Nota VII. Neophytos, recens nimirum ad Fidem converſos, ſive ex Gentilibus, ſive ex Judæis orti ſint, eſſe originarios loci, in quo baptizantur ex Conſt. Pauli III. *Cupientes 21. Mart.* 1542. §. III. ibi.

Et quoniam per gratiam baptiſmi cives ſanctorum, & domeſtici Dei efficiuntur, longeque dignius exiſtit regnare ſpiritu, quam naſci carne, eadem Conſtitutione ſtatuimus, ut civitatum, & locorum, in quibus ſancto baptiſmate pro tempore regenerabuntur, vere cives ſint, & privilegiis, ac libertatibus, & immunitatibus, quæ alii ratione nativitatis, & originis dumtaxat conſequuntur, gaudeant.

Qui tamen Neophyti, ut promoveri poſſint, indigent diſpenſatione Apoſtolica propter irregularitatem inductam a *Can.* II. *generalis Concilii Nicæni* I. relato a Gratiano *Diſt.* XLVIII. *Can.* I. *Quoniam*, & *Can.* III. *Non oportere*, Synodi Laodicenæ ſub Damaſo Papa celebratæ. Et quamvis recenſiti Canones prohibeant dumtaxat, ne promoveantur ad Presbyteratum, & Epiſcopatum (quemadmodum, etiam legimus I. *ad Timotheum* III. ubi Apoſtolus vetuit in Epiſcopum ordinari Neophytum, = *ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli* = ex communi tamen Canoniſtarum ſententia, & conſtanti Eccleſiæ praxi hujuſmodi prohibitio extenditur ad quoſcunque Ordines, & etiam Primam Tonſuram.

Et hic obiter monitos velim Epiſcopos, dictam prohibitionem non extendi ad deſcendentes, ſive per paternam, ſive per maternam lineam a Judæis, & aliis Infidelibus; multoque minus ad eorum nepotes, pronepotes, & abnepotes, quos SS. Canones nequaquam dixerunt irregulares: imo eoſdem expreſſe declararunt capaces, tum Ordinum, tum beneficiorum, ut ex claro textu Decretalis Alexandri III. ad Epiſcopum Tornacenſem Provinciæ Belgicæ, relatæ in *cap. VIII. Eam te de Reſcript.* & quemadmodum etiam declaravit S. Cong. Conc. 13. *Feb.* 1683. *&* 13. *Jan.* 1685. ut refert Bened. XIV. *de Synod. Diæc. edit. an.* 1755. *lib. XII. cap. I. num.* 5. quamvis non ſine magno delectu ſint admittendi. Secus eſt de filiis Hæreticorum; cum limitatione tamen ut alibi notavi, & de filiis Patroni, occidentis Rectorem Eccleſiæ, cujus juſpatronatum obtinebat, ut pariter alias notavi.

Excipiuntur tamen a mox allata juris communis diſpoſitione favente deſcendentibus a Judæis, & aliis Infidelibus, deſcendentes a judæis Nationis Portugalliæ ob Conſtit. Sixti V. ſub die 15. Jan. 1588. confirmatam a Clemente VIII. id prohibentis. Cujus Conſtit. executionem obſervandam etiam præcepit Congregatio S. Officii, Epiſtola ad Collectorem ejuſdem Regni, data an. 1611. prout refert laudatus Benedictus loc. cit. n. 4.

Diximus Neophitos, ſeu recens converſos, ut promoveri poſſint ad Ordines indigere diſpenſatione; ſed hæc indulgeri non ſolet, niſi juxta cit. Canonem II. Concilii Nicænii, poſt longam probationem, & experimentum in Fidei conſtantia. Quod ſi quæras, quantum temporis huic probationi ſit remittendum; reſpondeo cum mox laudato Bened. n. 6. = Non conveniunt DD. Alii unum annum ſatis eſſe putant, quia miles in jure civili, exacto militiæ anno, dicitur *veteranus*: alii biennium requirunt; quia Gregorius Magnus *Oper. tom.* II. *col.* 1056. *lib.* X. *Indict.* III. *epiſt.* XXIV. relata *in Can.* VI. XIX. *quæſt.* III. converſos ad Religionem vetuit ordinari, *priuſquam biennium in converſione compleant*: alii exigunt decennium, quoniam decennium in jure dicitur longum tempus, & infra illud non reputatur, *l. ſuper longi*, *Cod. de præſcript., long. temp.* ubi Interpretes: alii demum cum Covarruvia, & Gibalino *de irregul. cap.* III. *quæſt.* III. cum nullum hac de re ſit certum tempus definitum a jure, id relinqui autumant arbitrio Epiſcopi, cujus eſt perpendere, an recenter ad Fidem converſi tantæ ſint virtutis, atque in Fide conſtantiæ, ut eccleſiaſtica miniſteria illis tuto committi valeant. =

Cum non minus ſeculares a proprio Epiſcopo, quam Regulares promoveri debeant ad Ordines ab Epiſcopo, intra cujus diæceſim eorum monaſteria ſita ſunt, & in quibus de familia degunt, ne errent in uſu privilegii, quo fruuntur, ut promoveri poſſint a quocunque catholico Antiſtite, tranſcribimus hic pro norma noviſſimam Conſtitutionem Benedicti XIV. dat. ſub die 27. Februarii 1747. =

Olim de Ordinationibus Regularium controverſia viguit, an ſcilicet Regulares a quocunque catholico Antiſtite indiſtincte ordinari poſſent, an vero id juris privative pertineret ad Epiſcopum illius diæceſis, intra quam ſita eſt religioſa domus, quam Regularis ad Ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, & declarationibus jamdudum ſublata fuit. In qua quidem controverſia Epiſcopi locorum Ordinarii jura ſua fundantes in generalibus Canonum ſtatutis, & in ipſis exemptionum privilegiis, quæ Regularibus indulta ſunt, ajebant, ipſorum Ordinationes, utpote diæceſanis Epiſcopis expreſſe reſervatas, neque ſpectare poſſe ad Ordi-

narios

narios eorum originis, quam Regulares a ſe abdicant, dum ſeculo nuntium remittunt; neque porro ad Ordinarios beneficii, quoniam ipſi ad titulum beneficii non promoventur; proindeque unice ſpectare ad Epiſcopos ordinarios eorum domicilii, nimirum illius diæceſis, ac loci, in quo ipſi Ordinandi commorantur. Contra vero Regulares Apoſtolicis privilegiis innixi, quæ certis Ordinibus recentius elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extenſa fuerant, licitum ſibi eſſe contendebant ſacros Ordines a quocunque catholico Antiſtite, juxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio ſuſcipere.

Verum cum fel. record. Prædeceſſor noſter Gregorius Papa XIII. per ſuam Apoſtolicam Conſtitutionem, quæ incipit = *In tanta rerum* = datam apud S. Petrum anno Incar. Domin. MDLXXIII. Kalendis Martii, juſtis, gravibuſque de cauſis, alteram Conſtitutionem ſui, noſtrique pariter Prædeceſſoris S. Pii Papæ V., cujus initium eſt = *Et ſi Mendicantium* = ad juris communis, & Sac. Conc. Trident. terminos reduxiſſet; eodem quoque anno in cauſa Monachorum Ordinis Chartuſiani decretum edidit, quo ipſos ab Epiſcopis diæceſum, in quibus eorum monaſteria reſpective ſita ſunt, vel nonniſi de iſtorum licentia, ab aliis quibuſque Epiſcopis ordinandos eſſe declaravit; quemadmodum legitur lib. I. Decretor. Congr. Conc. pag. 75. a terg. Dub. = An noſtri Ordinandi obligentur habere expreſſam licentiam Ordinarii, in cujus diæceſi ſunt, pro Ordinibus conferendis ab Epiſcopo alterius diæceſis: Sanctiſſimus Dominus Noſter, etiam ex ſententia Sacr. Congr. Conc., declaravit, obligari.

Contigit autem, ſub illius ſucceſſore Sixto Papa V. eamdem quæſtionem retractari, inſtante univerſo Ordine Fratrum Prædicatorum. Qua de re idem Prædeceſſor, poſt maturum cauſæ totius examen in præfata Congr. Conc. habitum, conſtituit, licere Superioribus Regularibus literas dimiſſioriales concedere ſuis reſpective ſubditis ad Ordines ſuſcipiendos; ſed eas tamen diæceſano dumtaxat Epiſcopo directas, nec alteri unquam, niſi cum forte is a diæceſi abfuerit, aut quatenus in diæceſi extiterit, Clericorum tamen Ordinationem non ſit habiturus. Ita relatum habemus lib. IV. prædictor. Decretor. pag. 108: Sanctiſſimus Dominus noſter Xiſtus V. ex ſententia Congregationis reſpondit = Regulares poſſe concedere Dimiſſorias ad Epiſcopum diæceſanum, eoque abſente, vel etiam præſente, & Ordinationem non tenente, ad quemcunque; dummodo ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.

Demum a ſan. mem. Prædeceſſore quoque noſtro Clemente Papa VIII., ad hujuſmodi controverſias perpetuo extinguendas ſequens decretum editum fuit = De mandato Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis Divina Providentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcunque Regularium Superioribus, ut de cætero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ in decreto Sacræ Cong. Conc. Trident. continentur, cujus tenor eſt talis: Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen diæceſanum, nempe illius monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis poſitus fuerit; & ſi Diæceſanus abfuerit, vel non eſset habiturus Ordinationes, ad quemcunque alium Epiſcopum; dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem Dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus diæceſanus, vel abſuturus, vel nullas eſſet habiturus Ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Epiſcopo diæceſano abſente, vel Ordinationes non habente, literæ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ diæceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ reſervatas pænas incurrant. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. Menſis Martii 1596.

Hoc emanato Pontificio decreto, eoque tam claris verbis concepto, jure ſperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri; ſed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Epiſcopi ultra montes conſtituti contendere cæperunt, neceſſarias eſſe Regularibus Dimiſſorias etiam Ordinariorum eorum originis, quo poſſent ab Epiſcopis aliorum locorum ad ſacros Ordines promoveri; ex altera vero Regulares obtendentes, in

præ-

præſato Clementis VIII. decreto derogatum non fuiſſe Apoſtolicis privilegiis, quæ eorum Ordinibus, ſive directe, ſive per communicationem indulta fuerant, ut ſcilicet a quocunque catholico Antiſtite ordinari poſſent, hujuſmodi decreti vim, & obſervantiam declinare ſe poſſe putarunt.

Verum, quod attinett ad Epiſcopos, ipſa Congregatio Concilii die 28. Febr. anni MDCLIV., ut notatum reperitur libro XIX. ipſius Decretor. pag.316: ita reſcripſit = Regulares volentes ſe promovere ad Ordines, non teneri oſtendere Dimiſſorias Ordinariorum propriæ originis, ſed ſufficere, ut obſervent formam præſcriptam in decreto ſan. mem. Clementis VIII. = Quod etiam ampliſſime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17. Martii anni MDCLXXIV. Decretor. Lib. XXVIII. pag.261. & ſeqq.

Quod vero ſpectat ad Regulares; cum eorum præſumptum jus, una cum rationibus ab ipſis pleniſſime deductis in quadam Congregatione particulari nonnullorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium a fel. recor. Prædeceſſore noſtro Innocentio Papa XIII. deputata, cui nos.... diligenter expenſum, & examinatum fuiſset; cumque ad hujuſmodi quæſtionem definiendam, id potiſſimum viſum eſſet in jure ſtatuendum, an ad effectum eximendi Regulares a præfati decreti Clementini obſervantia ſufficeret, quod privilegia ſuſcipiendi Ordines a quocunque, ipſis conceſſa fuiſſent poſt Concilium Trident., a quo hujuſmodi antiqua privilegia abrogata fuiſſe ſatis conſtat; an vero oporteret eadem conceſſa fuiſſe poſt ipſum Clementis Prædeceſſoris decretum: ac præterea an hujuſmodi privilegia æque ſuffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extenſa dicerentur; ac iis, quibus directe, & expreſſe indulta fuerunt; idem Innocentius Prædeceſſor, audito præfatæ Congregationis particularis conſilio, decrevit, ſatis eſſe ad ſupradictum effectum, quod hujuſmodi privilegia poſt Conc. Trident. conceſſa fuerint, quamvis præfato Clementino decreto poſteriora non ſint; dummodo tamen directe conceſſa fuiſſe conſtet, non vero in communicationem privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata aſſerantur; quemadmodum ipſe Innocentius in ſuis Apoſtolicis literis, incipientibus *Apoſtolici Miniſterii*, die 30. Maji anno MDCCXXIII. datis, ac deinde confirmatis a ſan. mem. Prædeceſſore pariter noſtro Benedicto Papa XIII. per alias ſimiles literas datas die 23. Septembris anni MDCCXXIV., quarum initium eſt = *In ſupremo* = aperte declaravit, his verbis: Quoties ergo Regulares ad Ordines erunt promovendi, ſervetur omnino decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a piæ mem. Clemente VIII. Prædeceſſore etiam noſtro confirmatum die 15. Martii 1596: quo ſancitur ad Epiſcopum diæceſanum literas dimiſſorias pro eorumdem Ordinum ſuſceptione a ſuis Superioribus eſſe dirigendas, præterquam in caſu, quo Diæceſanus a diæceſi abeſset, vel Ordinationes non eſset habiturus, quo etiam caſu in literis dimiſsoriis ad alium Epiſcopum dirigendis expreſsa fieri debeat mentio, vel de prædicta Epiſcopi diæceſani abſentia, vel de illa alia cauſa, videlicet quod Ordinationes non ſit habiturus: exceptis tamen, quoad prædicta, Regularibus illis, quibus per ſpeciale privilegium a ſede Apoſtol. poſt Concilium Tridentinum fuerit conceſsum, ut a quolibet catholico Antiſtite Ordines ſuſcipere poſſiut, ſuper quo indulto nihil per præſentes innovare intendimus.

Porro, ſi aliqui vigilias, laboreſque ſuos, non tam in extricandis inutilibus quæſtionibus, vel forte in rebus profanis, & ab eccleſiaſtica profeſſione alienis addiſcendis conſumerent, quam in ſtudio ſacrarum legum, quibus eccleſiaſtica diſciplina continetur, utiliter collocarent; ac niſi aliquibus arbitrium pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clariſſimarum interpretatione, ſuus cuique ſenſus pro auctoritate eſſet; nec olim nobis in noſtro Bononienſi Archiepiſcopatu reſidentibus contigiſſet, ut Regularis quidam ex ea Urbe repente digreſſus, ſuique Superioris Dimiſſorias ad Epiſcopum finitimum deferens, tametſi nullo pacto docere poſſet, nos Clericorum Ordinationem non habituros, ſacrum Presbyteratus Ordinem ſuſciperet, nullaque interjecta mora Bononiam ad primum Sacrificium non ſine pompa offerendum reverteretur. Quam tamen intolerandam audaciam nos ad canonicarum ſanctionum rigorem exigere, atque etiam, ſervata paſtorali manſuetudine, vindicare non prætermiſimus, ut videre eſt in Monito paſtorali a nobis tunc edito, inter impreſs. Monit.3. lib. II. Neque rurſus, ex quo ad univerſalis Eccleſiæ regimen, Deo ſic diſponente, aſſumpti fuimus, plurium Epiſcoporum

Fratrum noſtrorum querelæ ad Apoſtolatum noſtrum delatæ fuiſſent; qui nimirum, non ſine magno animi noſtri dolore, apud nos expoſtulare non deſinunt, a pluribus ſæpe Regularibus in eorum diæceſibus reſpective commorantibus ſimilia perpetrari, in ſpretum eccleſiaſticarum legum, atque pænalium ſanctionum, quibus ipſo facto adſtringuntur, (ſiquidem in authographo ſupra relati Clementis decreti diſtincte legitur, *incurrunt*, non autem, quod falſo nonnemo aſſeruit, *incurrent*), dum ſcilicet Superiores Regulares, qui ſubditis ſuis non ad præſcriptum ejuſdem decreti dimiſſorias literas concedunt, ſuorum officiorum, ac dignitatum, & vocis activæ, atque paſſivæ amiſſione multantur, Ordinati vero ſuſpenſionis pænam, atque etiam, ſi in ſuſcepto Ordine miniſtraverint, irregularitatem incurrunt; ac denique Antiſtites, qui ipſis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas pœnas adverſus eos propoſitas, qui alienos ſubditos abſque ſufficientibus Dimiſſoriis ordinare præſumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, cum ex uſu rerum intelligere poſſint, complures Regulares non alia de cauſa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut ſe ſubducant examini Epiſcopi diæceſani, cujus hac in re juriſdictionem, aut nimium rigorem perhorreſcunt, aliumque inveniant, qui vel nullo, vel admodum levi præmiſſo examine, Ordines ipſis impertiatur; quoties hujuſmodi facilitate erga illos utuntur, toties adverſus conſultiſſima Tridentinæ Synodi decreta delinquant: Ea ſiquidem *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. de reform., ſic ſtatuit: Regulares quoque, nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuſcunque quoad hoc penitus excluſis.

Nos autem conſueta ſedis Apoſtol. clementia uti volentes, libenter abſtinemus a deſignandis, aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum exceſſibus in hoc rerum genere graves Epiſcoporum querimoniæ ad nos delatæ fuerunt. Quæcunque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admiſſa ſunt, a diſtrictioris judicii inquiſitione liberamus. Quin immo omnes, & ſingulos in hoc delinquentes, ſive Superiores Regulares, ſive Regulares ad Ordines promotos, ſive Antiſtites, qui eos ordinaverint, a quibuſcunque ſententiis, cenſuris, & pænis eccleſiaſticis, quas hac de cauſa reſpective antehac incurrerint, quibuſque innodati forſan exiſtant, auctoritatis noſtræ plenitudine, ac de Apoſtol. benignitate, tenore præſentium abſolvimus, & abſolutos eſſe cenſeri decernimus, & cum iiſdem ſuper quacunque irregularitate per eos forſan, cauſa, & occaſione præmiſſis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam ſacros, & Presbiteratus Ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia, & ſingula eorum reſpective Religionum munera, pari auctoritatis plenitudine diſpenſamus. De cætero tamen infraſcriptas leges in poſterum omnino obſervandas, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac matura deliberatione præmiſſa edicimus atque ſtatuimus.

Quæcunque nimirum hac in re a præfatis Prædeceſſoribus noſtris Gregorio XIII; Sixto V., Clemente VIII., & Innocentio XIII. in ſupra citatis ipſorum literis, ſeu decretis ſtatuta, mandata, definita, atque ſancita fuerunt, ea omnia, & ſingula, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine præfatis, eorumdem præſentium ſerie, confirmamus, roboramus, & innovamus; atque ab omnibus, ad quos ſpectat, ſeu quandocunque in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari præcipimus & jubemus; tranſgreſſores quoque omnibus pænis in præmiſſis contentis, aliiſque per Apoſtol. Conſtitutiones, & per ſacros Canones latis, atque ſtatutis, cum effectu ſubjacere, eaſque ipſo facto, & abſque aliqua declaratione incurrere decernimus; Superiores nimirum Regulares eas omnes, quas, ut præfertur, ſupradictus Clemens VIII. Prædeceſſor conſtituit, & ſanxit; Regulares autem, qui contra illius decreti præſcriptum promoti fuerint; & Antiſtites eos promoventes, canonicas pænas, atque cenſuras, quæ adverſus ſacram Ordinationem ſuſcipientes ab Epiſcopo, qui proprius ad hunc effectum dici, & haberi nequit, necnon adverſus Epiſcopos, alienos ſubditos indebite ordinantes, in jure canonico, & in Conſtitutionibus Apoſtol. ſtatutæ habentur.

Præterea volumus, atque decernimus, ut Superiorum Regularium Dimiſſoriæ, quæ ideo ad alium Antiſtitem directæ fuerint, propterea quod Epiſcopus diæceſanus extra diæceſim commoretur, vel Ordinationem non ſit habiturus, nullius ſint roboris, & momenti, niſi illis juncta fuerit authentica atteſtatio Vicarii generalis, vel Cancellarii, aut

Secre-

Secretarii ejuſdem Epiſcopi diæceſani, ex qua conſtet, vel ipſum a diæceſi abeſſe, vel Clericorum Ordinationem habiturum non eſse proximo legitimo tempore, per eccleſiaſticas leges ad hunc effectum ſtatuto. Hoc enim expreſſe declarari opus eſt, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui cum privilegio gaudeant ſuſcipiendi Ordines extra tempora, exiſtimarunt Epiſcopos ipſorum voluntati adeo addictos eſſe debere, ut ſi, quandocunque ipſis placuiſset ad Ordines promoveri, non ſtatim, ipſoque die ab ipſis deſignato, voti compotes fierent, jam dici poſset, Ordinationem ab Epiſcopo non haberi, proindeque alius Epiſcopus pro ſuſcipiendis Ordinibus adeundus eſset. Quod ſi aliquis Antiſtes regularem virum, in ſua diæceſi proprium domicilium non habentem, ſolis ipſius Superioris dimiſsorialibus literis contentus, ſine adjuncta præfata atteſtatione in forma probante, ad Ordines promovere præſumpſerit; decernimus, & declaramus, hunc ipſo facto incurrere in pænas canonicas adverſus eos conſtitutas, qui alienum ſubditum legitimis dimiſsoriis deſtitutum ordinaverint.

Quemadmodum vero eorum Ordinum Regularium privilegia firma, & rata eſſe volumus, quibus ab Apoſtol. ſede reperitur indultum, ut eorum Alumni a quolibet catholico Antiſtite ipſius Sedis gratiam, & communionem habente ordinari valeant; dummodo hujuſmodi privilegia poſt Trident. Conc., & ipſis Ordinibus nominatim, atque directe, non autem per communicationem conceſsa fuerint; ita porro omnia ſimilia privilegia, quæ aliis Ordinibus ante præfatum Conc. Trident., ab ipſa etiam Apoſtol. Sede, & ſub quibuſcunque tenoribus, & formis indulta ſint, vel etiam poſt ipſum Concilium non ipſis directe conceſsa, ſed per communicationem ad eos extenſa eſſe dicantur, iiſdem auctoritate, & tenore, nulla, & irrita, omnique vigore, ac robore, ad effectum, de quo agitur, penitus deſtituta, & vacua eſſe volumus, & ſtatuimus. Decernentes hujuſmodi privilegia nequaquam poſt Conc. Trident. indulta cenſeri, niſi, vel poſt ipſius Concilii confirmationem reipſa fuerint conceſsa, vel quatenus antea conceſsa, & poſterius confirmata eſſe aſserantur, hujuſmodi confirmationes in forma ſpecifica cum literali veteris indulti inſertione, ejuſque expreſsa innovatione factæ dignoſcantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quæ in forma communi nuncupantur, nemini ad præmiſsum effectum ullo pacto ſuffragari. Quod vero ſpectat ad eorumdem privilegiorum uſum, & exercitium, monendi ſunt ii, quibus eadem, juxta præmiſsa, pleno jure competere dignoſcuntur, ut non ſine juſta cauſa, nec extra debitas circumſtantias, pro libito ipſis utantur, minime vero ad oſtentandam dumtaxat ipſorum privilegiorum ſingularitatem; quemadmodum aliquibus in more poſitum eſſe novimus, qui pridie illius diei, quo ab Epiſcopo diæceſano Clericorum Ordinationes publice habendæ ſunt, ad alterius Epiſcopi diæceſim conſulto migrant, moxque ſuſcepto ibidem Ordinationis munere, ad priſtinum domicilium redeunt; idque ſe facere ajunt, ut jurium ſuorum indemnitati conſulant; quaſi vero Apoſtolica privilegia, nonniſi cum aperto Epiſcopi diæceſani contemptu, ſuam vim, & robur habitura forent.

Denique tam Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quam dilectos filios omnium Regularium Ordinum Profeſsores, quam maximo poſsumus Apoſtolicæ voluntatis ſtudio, per miſericordiam Dei noſtri, & per charitatem Sancti Spiritus hortamur in Domino, & obteſtamur, ut tam in hoc negocio, quam in cæteris omnibus, ſoliciti ſint unitatem ſpiritus, & ſinceræ dilectionis concordiam ſervare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus Sanctus poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei: quod ipſis a ſacroſanta Æcumenica Lateranenſi Synodo ſub Leone X. habita, inculcatum fuit, per hæc verba = Eoſdem inſuper Fratres in virtute S. obedientiæ, ut eoſdem Epiſcopos loco SS. Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita, & noſtra, ac Apoſtolicæ Sedis reverentia, congruo honore, & congruenti obſervantia venerentur = Neque obliviſcantur Epiſcopi, regulares viros ipſis datos eſſe adjutores in dominicæ vineæ cultura (ſubdit enim eadem S. Synodus) = Ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri requirimus, ut Fratres ipſos affectu benevolo proſequentes, charitative tractent, ac benigne foveant &c., & tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant = Demum & Epiſcopi, & Regulares ſimul animum advertant ad id, quod ibidem ſubjicitur: = Una eſt Regularium, & ſecularium Prælatorum,

Eeeeee 2 & ſub-

& ſubditorum, exemptorum, & non exemptorum univerſalis Eccleſiæ, extra quam nullus omnino ſalvatur: eorumque omnium unus Dominus, una Fides, & propterea decet eos, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam eſſe voluntatis. =

Hæc profectò chriſtianæ veritatis, & charitatis documenta cum utrimque ſervata fuerint omnibus in rebus, adeoque in hac etiam Ordinationum materia importunæ partium querelæ penitus conticeſcent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod recuſantibus Epiſcopis ſacram Ordinationem adminiſtrare, præterquam in temporibus ab Eccleſia ſtatutis, eorum privilegia de Ordinibus extra tempora ſuſcipiendis effectu vacua remaneant; Epiſcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis Regularibus facile invenient. Epiſcoporum autem ceſſabunt querelæ, quod Superiores Regulares ad eludendam decreti Clementini obſervantiam, advenientibus Ordinationum temporibus, ſubditos ſuos domicilio moveant, eoſdemque ſtatim poſt ſuſceptos Ordines, falſis de cauſis ad priſtinum monaſterium reverti jubeant; ſiquidem Regulares hujuſmodi agendi rationem (quam & alias in foro externo graviter vindicatam fuiſſe, & in poſterum diſtrictè coercendam fore noverint), tum a probi viri honeſtate, & fide alienam, tum etiam debitæ erga ſacros Eccleſiarum Antiſtites obſervantiæ contrariam eſſe, ipſi per ſe facile cognoſcent &c.

S E C T I O X C V I I.

Eadem Seſſio XXIII. cap. IX. de Reform.

Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus; & beneficium, quacunque fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat: conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.

Hoc decretum declaratum, & ampliatum eſt ab Innocentio XII. cit. Conſtit. *Speculatores*, in cujus §. VI. ita diſponitur.

Ad hæc nullus Epiſcopus alienæ diæceſis ſubditum familiarem ſuum ad aliquos ſacros, ſeu minores Ordines, vel etiam Primam Tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat, abſque ejus proprii, originis ſcilicet, ſeu domicilii, Prælati teſtimonialibus literis, ut ſupra, & niſi ad præſcriptum Conc. Trident. præfati familiarem prædictum, per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus alverit. Beneficium inſuper, quod ei ad vitam ſuſtentandam, juxta modum ſuperius præfinitum, ſufficiat, quacunque fraude ceſſante, ſtatim, hoceſt ſaltem intra terminum unius menſis a die factæ Ordinationis, re ipſa illi conferat, ac in Ordinationis hujuſmodi teſtimonio expreſſam itidem familiaritatis, ac literarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Nota I. Literas teſtimoniales Epiſcopi originis, aut domicilii, de quibus in allato Conſtit. textu, (quæ requiruntur etiam pro Prima Tonſura, & minoribus Ordinibus conferendis) exarandas eſſe juxta ſequentem formulam.

Univerſis, & ſingulis &c. (vel Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo N.) Dilectus nobis in Chriſto filius N. oriundus ex oppido N. hujus noſtræ diæceſis, nobis expoſuit, (vel exponi nobis fecit,) quod ipſe eſt in actuali ſervitio Illuſtriſſimæ dominationis veſtræ, ac Prima clericali Tonſura, Ordinibuſque inſigniri pro arctiori Dei famulatu deſiderat; cumque ad effectum hujuſmodi conſequendum, noſtris teſtimonialibus literis, ad præſcriptum Bullæ S. M. Innocentii Papæ XII. quæ incipit *Speculatores*, indigeat, ſuppliciter exoravit, ut eas ipſi concedere dignaremur. Hinc nos, quia veritatis teſtimonium proferre juſtum, & congruum eſſe ducimus, ejus precibus humiliter porrectis, ac pio deſiderio annuentes, legitima informatione præmiſſa, notum facimus, & atteſtamur, ſupradictum N. eſſe filium legitimum, & naturalem N. & N. incolarum dicti oppidi de N. hujus noſtræ diæceſis, ex chriſtianis, & honeſtis (vel nobilibus) parentibus eſſe procreatum, & in ætate .... annorum conſtitutum, Primaque Tonſura, (vel Acolytatus Ordine) rite, & recte inſignitum, nec non pro tempore, quo in hac noſtra diæceſi moras duxit, nempe a nativitate, uſque ad menſem N. anni N. ſemper fuiſſe virum bonæ vitæ, honeſtæ famæ, ac converſatio-

ſationis, nec unquam in noſtra Curia fuiſſe proceſſatum, ſuſpenſum, interdictum, excommunicatum, alioque canonico impedimento (quod nobis conſtet) irretitum, quominus ad ulteriores Ordines, ſervatis alias, juxta Sac. Concil. Trid. & præfatæ Bullæ decreta ſervandis, promoveri poſſit, prout de prædictis omnibus, nobis conſtitit, & conſtat. In quorum fidem &c. Datum &c.

Nota II. hoc privilegio promovendi ad Primam Tonſuram, & Ordines familiarem gaudere Epiſcopos dumtaxat, Clerum, & populum habentes, non Titulares, quibus hujuſmodi facultas expreſſe ſublata eſt a Trident. Seſſ. XIV. cap. II. de Refor.

An autem hæc eadem facultas competat S.R.E. Cardinalibus, placet hic referre, quod legitur in libro LXXXVII. Memorialium penes regeſta Cong. Conc. pag. 453.

= An S. R. E. Cardinales eorum familiaribus triennalibus dimiſſorias, ad Ordines ſuſcipiendos concedere poſſint, tametſi illis, nec ante, nec ſtatim poſtea conferant beneficium.

Die 22. Januarii 1604. cum hoc dubium, de quo Sac. Congr. Epiſcoporum conſulebat, ut propoſitum eſſet in Congregationi Concilii, adducebatur deciſio Rotæ, quæ habetur in impreſſis *part.* I. *deciſ.* 731. quæ ſi vera eſſet, facultas Cardinalium quoad conceſſionem dimiſſoriarum ad nihilum redigeretur. Nam ſi Cardinales tenerentur ſtatim conferre beneficium familiari triennali, hoc beneficium deberet eſſe aliquod ex his, quæ habent in ſuo titulo, ut ejus ratione familiaris de ſuo foro efficiatur juxta notata in *cap. Si nullus de tempor. ordinat. in* VI. Pauca autem ſunt beneficia Cardinalium in titulis. Itaque cum materia videretur valde præjudicialis, Congregatio ſuperſedit a dubii diſputatione, voluitque conſiderare, an hic caſus eſſet deciſus in intra notata deciſione, ſcripta manu bo. me. Cardinalis Caraffæ, & deſumpta ex lib. Congregationis confecta tempore bon. me. Cardinalis Aleiati, in quo eſt pagina, habens hanc inſcriptionem. Videlicet.

Examinata in Congregatione Officialium coram Illuſtriſſimis Simonetta, & Vitellio, & inde etiam in Congr. coram Illuſtriſſimis Cardinalibus, pro expeditione negociorum, & pro executione decretorum Concilii.

Et poſtea in eadem pagina ſubjungitur hæc declaratio = Quicunque per decem annos, ſive in Curia, ſive alibi reſederit, poſſit ibidem a Vicario SSmi, ſive ab Ordinario loci de licentia SSmi ordinari. Familiares vero, ſeu Officiales Papæ, ac familiares Cardinalium, atque etiam Epiſcoporum in Curia reſidentium, qui ſaltem per triennium habitaverint in Urbe, cum illis poſſint de licentia ipſorum dominorum, ab eodem Vicario SSmi promoveri, dum tamen ſupradicti omnes ſufficientem titulum, & alia habeant a jure requiſita.

Itaque Illuſtriſſimi DD. mandarunt agi cum SS. D.N. (Clemen. VIII.) ut ſupra notata ſive deciſio, ſive decretum debeat obſervari, abſque alia diſputatione.

Die 27. Januar. 1604. Illuſtriſſimus D. Card. S. Marcelli ſupradicta omnia retulit S. D. N. ponderavitque, quod in ſupradicto decreto non attribuitur facultas ordinandi Cardinalibus, ſed Vicario Urbis de licentia Cardinalium, & Sanctiſſimus mandavit inveſtigari decretum, an ſupradictum fuerit in uſum inductum ſtatim ab initio, quo editum fuit. Quod ſi conſtiterit, dixit ſe velle, ut etiam in futurum debeat obſervari. =

Nota III. ex ſequentibus decretis Cong. Conc. in triennio familiaritatis, tam a Trident., quam ab Innocentio præſcripto computari poſſe tempus, quo familiaris commoratus fuerit cum Epiſcopo, antequam ad Epiſcopatum eſſet promotus. = *Catha-nien. 9. Novembris 1589.* = Epiſcopus non poteſt juxta cap. IX. ſeſſ. XXIII. familiarem ſuum non ſubditum ordinare, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus. Oritur difficultas, an in hujuſmodi triennio poſſit computari tempus, quo ſecum fuerit commoratus, antequam ad Epiſcopatum eſſet promotus, Ideo ſupplicat pro reſolutione. Congr. Conc. reſpondit, utique computari. =

In Brugniaten. 28. Julii 1580. = Quæritur, an ſufficiat, quod quis inſerviverit per triennium Epiſcopo, computato tempore, quo ipſi inſervivit ante adeptum Epiſcopatum, Cong. cenſuit ſufficere. =

In antiquo Codice reſolutionum ejuſdem Congreg. *ad Seſſ.* XXIII. *cap.* IX. *de Refor.* aliud decretum his verbis conceptum legitur = Cum Epiſcopus Cephaluden. creatus Epiſcopus confeſtim quemdam familiarem ſuum, qui per decennium ſecum commoratus fuerat antequam eſſet Epiſcopus, ordinaſſet, dubitatum fuit in S. Cong. Conc., an illum ordinare potuerit vigore *cap.* IX. *Seſſ.* XXIII. *de Refor.* licet poſtquam erat Epiſcopus ſecum per triennium non eſſet commoratus. S. Cong. cenſuit, potuiſſe: & facta relatione Sanctiſſimo, approbavit Sanctiſſimus ſententiam Congr. ob identitatem rationis, & firmant communiter DD., etiam in terminis Conſtitutionis Innocentianæ, ut diffuſe refert = Riganti *in Regul. Cancel. Regul.* XXIV. §. III. *fol.* 398. *n.* 140. contra Lamperez, & alios, ſentientes dictum tempus non eſſe computandum, ea ductus ratione, quod hujuſmodi privilegium ſit conceſſum dignitati, non perſonæ. Verum cum eorum opinio privata ſit, non eſt præferenda declarationi Sac. Cong. quæ auctoritate Papæ Concilium Trident. interpretatur.

Nota IV. non deeſſe Auctores affirmantes, non requiri, ut hoc triennium ſit continuum, dummodo fuerit integrum, v. g. ſi familiaris ob aliquam cauſam familiaritatem intermiſerit, & poſtea reaſſumpſerit, puta ob infirmitatem, vel quia dimiſſus eſt ab Epiſcopo, & deinde in familiarem iterum receptus: tum quia hoc privilegium conceſſum eſt in favorem Epiſcopi, non familiaris; tum quia intermiſſio non facit, quin triennium non ſit integrum, ſeu completum; potiſſimum, cum nec Trident. diſtinguat, an debeat eſſe continuatum, aut interpolatum: ideoque neque dicti privilegii Interpretes diſtinguere debent.

Nota V. illum dici familiarem Epiſcopi ad effectum gaudendi hoc privilegio, qui degit intra ædes ipſius Epiſcopi, ejuſque ſumptibus alitur: alias non verificaretur illa clauſula, tamquam conditio, ſine qua non, appoſita, tam a Trident., quam ab Innocentio = *niſi per triennium ſecum fuerit commoratus*, = & altera addita a dicto Innoc., = *ac ſuis ſumpti-*

ſumptibus aluerit. = Quapropter Nepotes Epiſcopi, qui ſunt alterius diæceſis, nequeunt ab eo ordinari, etiamſi per triennium ſecum commorati fuerint, = niſi illi inſervierint, itaut ſint familiares, ut declaravit Cong. Conc. *in Brixien.* 11. *Septembris* 1608.

Nota VI. ex declaratione ejuſd. Congreg. 29. *April.* 1604. Epiſcopum Sacros Ordines conferentem in aliena diæceſi de licentia Ordinarii, poſſe etiam ibidem ad Ordines promovere familiarem ſibi non ſubditum; in quo tamen alioqui requiſita ex diſpoſitione Tridentini concurrant. Quæ Congregatio, *in Camerinen. die* 22. *Junii* 1613. etiam = Cenſuit, Epiſcopum poſſe familiari ſuo triennali, alias ad titulum patrimonii ad Subdiaconatus Ordinem legitime jam promoto reliquos Diaconatus, & Presbyteratus Ordines conferre, ſervata tamen forma ab ejuſdem Concilii decretis præſcripta.

Nota VII. ſatis eſſe, quod beneficium conferendum familiari intra menſem, ſit etiam ſimplex; cum tam Trident., quam laudata Conſtit. *Speculatores* nullam limitationem faciat de qualitate beneficii; dummodo ſit ſufficiens ad honeſte vivendum, juxta taxam diæceſis Epiſcopi ordinantis; vel ea deficiente, juxta morem regionis: quin ſuppleri poſſit, ſi inſufficiens eſſet, additione patrimonii, vel penſionis, tam intra illam eamdem diæceſim, quam extra: ſufficientia enim ex cit. Conſtit. commenſuranda eſt ex redditibus beneficii, non patrimonii, aut penſionis. Inſuper ex eadem Conſtit. hujuſmodi beneficium eidem familiari intra menſem conferendum eſt, etiamſi jam ſit proviſus beneficio in alia diæceſi; & etiamſi promoveretur ad ſolam Primam Tonſuram, & Ordines minores, ut ex clariſſimo illius textu quin ſuffragetur familiari diſpoſitio *cap.* II. *Seſſ.* XXI. *de Reform.* exigens congruam dumtaxat pro Ordinandis in Sacris; cum jus hoc novum hujuſmodi regulæ exceptionem inducat.

Quod ſi quæras, an familiaris ſic ordinatus remaneat ſuſpenſus, ſi ante collatum beneficium, menſe nondum elapſo, moriatur Epiſcopus; reſpondendum omnino crederem, non eſſe ſuſpenſum in foro conſcientiæ, cum ex nulla illius culpa id provenerit; eo pari modo, quo communiter a DD. relatis a Theſauro *de Pœnis cap.* XI. §. *Limita pœnam hanc* verb. *Ordo* omnino excuſatur a ſuſpenſione, qui poſtquam ordinatus eſt bona fide, putans, ſe habere titulum validum, hic poſtea detegeretur nullus, v.g. ſi beneficium, vel patrimonium evictum eſſet. Verum tamen eſt, quod ſi promotus fuiſſet ad minores tantum Ordines non poſſe promoveri ad Sacros ſine titulo. Si vero promotus fuiſſet ad ſacros, praxis eſt pro foro externo, ut recurratur ad ſacr. Pœnitentiariam, quæ juxta caſuum circumſtantias benigne, indulgere ſolet, ut miniſtret in iiſdem addita conditione, ut interim curet ſibi providere de titulo.

Nota VIII. quod, non obſtante allata Trident., & Innoc. limitatione de ordinando familiari cum ſolius beneficii titulo, poteſt Epiſcopus illum ordinare etiam ad titulum penſionis, vel patrimonii, ſi judicaverit, ita expedire neceſſitati, vel commoditati ſuarum Eccleſiarum, eumdemque illis adſcribat; ut ex tribus ſequentibus, & quidem conformibus, laudatæ Cong. Conc. reſolutionibus. = Menſe *Decem.* 1584. *in Hieracen.* Cong. cenſuit Epiſcopum juxta terminos *cap.* IX. *Seſs.* XXIII. familiarem ſuum ad titulum penſionis ordinare poſſe, ſi modo ordinandum illum judicaverit pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum juxta præſcriptum *Concil. Seſſ.* XXI. *cap.* II. Quibus Eccleſiis adſcribere eum debebit, ut in iis ſuo fungatur munere, quemadmodum ſancitum eſt alio Conc. decreto *Seſſ.* XXIII. *cap.* VI. = *Menſe Jan.* 1585. Cong. cenſuit, Epiſcopos juxta terminos *cap.* IX. *Seſſ.* XXIII. familiarem ſuum ad titulum penſionis ordinare poſſe, ſi modo ordinandum illum judicaverit pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum, juxta præſcriptum *Decr. Conc. Seſs.* XXI. *cap.* II. Quibus Eccleſiis adſcribere eum debebit, ut in eis ſuo fungatur munere, quemadmodum ſancitum eſt alio Concilii decreto *Seſſ.* XXIII. *cap.* VI. = In Cajetana 24. *Septem.* 1592. Congr. ſcripſit ad Epiſcopum Alatrinum. Epiſcopum familiarem ſuum, qui per triennium ſecum commoratus fuerit, ad titulum patrimonii ordinare poſſe, ſi modo Epiſcopus judicaverit illum pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, *juxta cap.* II, *Seſſ.* XXI. ordinandum eſſe, quibus Eccleſiis eum adſcribere debebit, ut in eis ſuo fungantur munere, ſicuti *cap.* XVI. *Seſſ.* XXIII. diſpoſitum reperitur. =

Nec hujuſmodi reſolutiones adverſantur poſteriori Innocentianæ Conſtitutioni: hæc enim decreto Tridentini (quod S. Cong. in his edendis præ oculis habuit), quoad hoc addidit dumtaxat declarationem I. Ut dictum decretum locum habeat etiam in collatione Primæ Tonſuræ, & quorumcunque Ordinum. II. Ut triennium ſit integrum, & completum: III. Ut tam Prima Tonſura, quam Ordines non conferantur ſine litteris teſtimonialibus proprii Prælati, ſive originis, ſive domicilii. IV. Ut beneficium conferatur infra menſem poſt Ordinationem. V. Ut hoc ſit ſufficiens ad vitæ ipſius ordinandi ſuſtentationem, juxta taxam ſynodalem, (& hic intellige diæceſis Ordinantis, ut ſupra dictum eſt, (vel, ea defficiente, juxta morem regionis, VI. Demum, ut in Ordinationis teſtimonio expreſſa familiaritatis, ac litterarum teſtimonialium proprii Prælati mentio fiat. Aliud enim eſt ordinare familiarem ad titulum patrimonii, vel penſionis pro neceſſitate, & utilitate Eccleſiæ, ejuſque ſervitio illum addicere: aliud ſine ulla neceſſitate, aut utilitate, & abſque onere eidem Eccleſiæ inſerviendi. quod quidem tam a Tridentino, quam ab Innocentio inhibitum eſt Epiſcopo, ut etiam eadem Cong. reſpondit ad dubium ſibi propoſitum die 10. *Novem.* 1605. = An Epiſcopus familiarem ſuum triennalem, non ſubditum ordinare poſſit ad penſionem, quod obtinet in diæceſi, vel beneficii titulum, quod poſſidet in aliena, abſque Ordinarii ſui litteris dimiſſoriis. Cong. cenſuit, neutro caſu poſſe, neque ad titulum penſionis, neque ad titulum beneficii ſibi ab Epiſcopo non collati. = *Et die* 6. *Aug.* 1611. = Item cenſuit, familiarem utcunque triennalem non potuiſſe ab Epiſcopo ad titulum patrimonii ordinari, & ſic ordinatum eſſe ſuſpenſum, quamdiu videbitur ejus Epiſcopo diæceſano, nec ullam hac de re diverſam deciſionem extare in libris authenticis Congregationis.

SE-

SECTIO XCVIII.

Eadem Seſſio XXIII. cap. X. de Reform.

Abbatibus, ac aliis quibuſcunque, quantumvis exemptis, non liceat in poſterum, intra fines alicujus diæceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius diæceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre.

Cum hoc decretum comprehendat nedum Abbates regulares, ſed etiam quoſcunque alios, quorum quibuſdam ex jure antiquo licebat omnibus indiſtincte, & promiſcue conferre Primam Tonſuram, & minores Ordines, antequam referamus pontificias declarationes, quæ huic eidem decreto acceſſerunt; pro majori claritate præmittendam duximus notionem de Abbatum, ſeu Prælatorum inferiorum ſpeciebus, prout illas diſtinguit Benedictus XIV. de *Synod. Diæc. edit. an. 1755. lib. 77. cap.* XI. *pag.* 43. *col.* I. *ibi*. =

„ Prima eſt eorum, qui certo præſunt generi „ perſonarum exiſtentium intra ſepta alicujus Eccleſiæ, monaſterii, ſeu conventus, cum paſſiva „ exemptione a juriſdictione Epiſcopi. Ejuſmodi „ ſunt Superiores regulares, & nonnulli Prælati ſeculares, qui una cum Eccleſia, ejuſque Eccleſiæ „ Clericis & Adminiſtris, quibus præficiuntur, „ ſubſunt immediate Romano Pontifici.

„ Secunda ſpecies eſt Prælatorum habentium „ juriſdictionem activam in Clerum, & populum „ certi loci, qui tamen locus eſt intra Epiſcopi diæceſim, a qua undique circumſcribitur. Et ejuſmodi Prælati, improprio tantum, & lato quodam loquendi modo, dicuntur eſſe *Nullius*.

„ Tertia ſpecies eſt Prælatorum, qui juriſdictionem activam habent in Clerum, & populum „ alicujus loci, ſeu oppidi, aut plurium locorum, „ & oppidorum, quæ omnino avulſa, & ſeparata „ ſunt a cujuslibet Epiſcopi diæceſi; quapropter „ dicuntur conſtituere quamdam quaſi diæceſim, ubi „ Prælatus, iis exceptis, quæ Ordinis epiſcopalis „ ſunt, omnia exercet, quæ cæteroquin ad epiſcopalem juriſdictionem pertinerent. Hujus generis Prælati inter inferiores nobiliſſimi ſunt; dicuntur vere, & proprie *Nullius*; & veris annumerantur Ordinariis locorum. =

His prænotatis, vigore allati Tridentini decreti, complectentis omnes Abbates, ſeu Prælatos inferiores, etiam ſeculares, licet ſint tertiæ ſpeciei, habentes videlicet proprium territorium ſeparatum a cujuſcunque Epiſcopi diæceſi, cum Clero, & populo, in quem pleno jure exercent juriſdictionem activam, & quaſi epiſcopalem, adempta eſt eis facultas, ſiquam olim habebant, conferrendi Tonſuram, & minores Ordines ſuis ſubditis ſecularibus: ita ut horum ordinatio ſpectet ad Epiſcopum viciniorem; & ad Epiſcopum diæceſis, ſi Abbatia, ſeu territorium Abbatis, quantumvis exemptum, ſitum ſit intra fines ejuſdem diæceſis: niſi forte hujuſmodi poteſtatem iterum poſt Tridentinum impetraverint a Sede Apoſtolica cum expreſſa ejuſdem Concilii derogatione.

Item adempta eſt Abbatibus regularibus, qui hodie ſolis ſuis regularibus ſubditis, & quidem profeſſis, dictos Ordines, & Tonſuram conferre poſſunt, ut ex clariſſimo allato Tridentini textu, & ex declaratione Cong. Conc. relata a Fagnano in *cap. Significaſti, de Offic. Archid.* quæ comprehendit Abbates, tam ſeculares, quam regulares; qua ſtante = Nullus (ita concludit Fagnan. loc. cit. *n.* 24.) Prælatus inferior regularis, aut ſecularis hodie reperitur, cui liceat Tonſuram, & minores Ordines conferre perſonis ſecularibus, tametſi omnimodam jurisdictionem ordinariam, & quaſi epiſcopalem, ac etiam temporalem habeat in Clerum, & populum, excluſis Epiſcopis, & ſive illorum territorium ſit intra fines alicujus diæceſis, ſive extra. =

Inſuper iiſdem Abbatibus regularibus interdictum eſt præfatos Ordines, & Tonſuram conferre Regularibus alterius Ordinis, licet habeant dimiſſorias ſuorum Superiorum, & conſenſum Ordinariorum, intra quorum diæceſim fines ipſi Regulares ordinandi exiſtant: & multo minus ſecularibus, etiam cum dimiſſoriis ſuorum Ordinariorum; quamvis enim olim id facere potuiſſent ex declarationibus dictæ Cong. Conc. in *Bononien.* II. *Julii* 1572. *ut lib. Memorialium* 10. *pag.* 490. *& lib.* I. *Literarum laudatæ Cong. pag.* 456. *ac* in *Parmen. Menſe Aug.* 1586. *ut lib. IV. decretor. pag.* 171. *ad* I. verum eadem Cong. contrarium poſtea tenuit *in Papien.* 30. *Martii* 1594. *ut lib.* VIII. *decretor. pag.* 29. Imo, ſtantibus multiplicibus Ordinationibus hoc modo factis ab hujuſmodi Abbatibus, ſequens decretum edidit in *Catanien.* 15. *Feb.* 1640. *prout videre eſt lib. decretor.* XVII. *pag.* I. *ibi*.

= In cauſa Catanien. Juris conferendi Ordines minores inter Epiſcopum Catanien ex una, & Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, ac aliis, ex altera *die* 23. *Novemb.* 1641. S. Cong. Conc. utraque parte informante ore, & ſcriptis, ac rationibus hinc inde deductis mature examinatis, inhærendo deciſioni Rotæ Romanæ ſub die 27. *April.* 1592. *coram bo. me. Cardinali Seraphino* factæ, nec non declarationibus ejuſdem S.Congregationis dictæ deciſioni conformibus ſubſecutis, cenſuit, improbata opinione contraria, Abbates regulares benedictus ejuſdem Congregationis Caſſinenſis, ſeu alterius Cong., vel Ordinis, aut Inſtituti, habentes etiam jura epiſcopalia, uſumque Mitræ, Baculi, & benedicendi, ac facultatem Primam Tonſuram, & minores Ordines conferrendi, non poſſe dictam Primam Tonſuram, & minores Ordines niſi ſuis ſubditis regularibus conferre,

non

non autem Regularibus alterius Ordinis, Congregationis, aut Inſtituti, etiamſi habeant dimiſſorias ſuorum Superiorum regularium, & conſenſum Ordinariorum, intra quorum diœceſum fines ipſi Regulares ordinandi exiſtunt, & multo minus perſonis ſecularibus, & habentibus literas dimiſſorias a ſuis Ordinariis: ac propterea inhibuit Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis inferioribus, tam ſecularibus, quam regularibus, ut in futurum concedere non audeant literas dimiſſoriss ſupradictas, hujuſmodi Abbatibus directas, nec ab ipſis recipi; Quod ſi ſecus fiat, tam concedentes, quam Ordinantes a collatione Ordinum ſuſpenſi ipſo jure remaneant, præter aliss pœnas arbitrio ejuſdem S. Cong. reſervatas. Quam declarationem Urban. VIII. *die* 17. *Jan.* 1642. ad ſe delatam approbavit, & inviolabiliter obſervari juſſit, convalidando Ordinationes Primæ Tonſuræ, & Ordinum minorum hucuſque factas ab hujuſmodi Abbatibus cum literis dimiſſorialibus Ordinariorum, & abſolvendo s quibuſcunque pœnis hac de cauſa incurſis. =

Die 15. *Januar.* ejuſdem anni, S. Congregat. cenſuit ſupradictum decretum eſſe publicandum, facto iterum verbo cum SSmo D.N. cui prælecto eodem decreto, approbavit, convalidavit, & obſervari mandavit, ut ſupra.

Die 15. *Feb.* 1642. facto iterum verbo in Sac. Cong. de omnibus ſupradictis, juſſit omnino publicari, & inviolabiliter obſervari debere.

Ad formam ſupradicti decreti ſucceſſive reſpondit in *Conimbricen.* 26. *Jun.* 1655. *dicif.* 19. 484. *& in dubio* 11. *Maji* 1658. *dicif.* 21. 249. =

Si autem quæras, an Ordinatio facta a prædictis Abbatibus contra tenorem dictæ declarationis Catanienſis ſit illicita tantum, aut etiam invalida, pro reſponſo tranſcribimus allegata cum debita diſtinctione a Benedicto XIV. *lib.* II. *cap.* XI. *de Synod. Diœc. n.* 13. *ibi*. =

,, Quod autem ad alteram pertinet quæſtio-
,, nem de Ordinationis validitate, jam plerique
,, DD. ſuſtineri docuerant, primam Tonſuram, Mi-
,, noreſque Ordines a prædictis Abbatibus colla-
,, tos, aut Regularibus ſibi non ſubjectis, aut ſe-
,, cularibus in ſuis privilegiis non comprehenſis.
,, Ita quippe diſerte aſſeruere *Tambur. de Jur.*
,, *Abbat. tom.* II. *diſp.* II. *quæſt.* VIII. *per tot. Suarez*
,, *de Relig. tom.* IV. *tract.* VIII. *lib.* II. *cap.* XXIX.
,, *n.* 21. *Peirin. Oper. tom.* II. *quæſt.* III. *cap.* VII. *n.* 23.
,, *FERMOSIN. in cap. Cum contingat, part.* II. *n.* 9.
,, *& ſeqq. de ætat. & qualit. Faguan. in cap. Sta-*
,, *tuimus, a n.* 11. *de ſuppl. neglig. Prælator.* Huic
,, vero ſententiæ calculum ſubinde adjecit S. Cong.
,, Conc., quæ illicitam quidem babuit, ſed vali-
,, dam ſemper pronuntiavit Ordinationem, de qua
,, diſſerimus: etenim, cum in cauſa = *Conimbri-*
,, *cen.* 26. *Junii* 1655. quæſitum fuiſſet = An Ab-
,, bates Congr. S. Bernardi, & S. Benedicti confer-
,, re potuerint Ordines minores Regularibus (ſibi
,, non ſubditis, nec non ſecularibus etiam habenti-
,, bus literas dimiſſorias ſuorum Superiorum, =
,, reſpondit ſane, id fieri nequaquam potuiſſe, ſed
,, ſimul addidit: = Promotos ab illis non indigere
,, alia collatione dictorum Ordinum, ſed abſolutio-
,, ne, & rehabilitatione a Sanctiſſimo obtinenda =
,, quod habetur *lib.* XIX. *Decretor. pag.* 484. Simi-
,, liter in cauſa *Panormitana collationis Ordinum*,
,, *die* 16. *Martii* 1647. diſceptato articulo = An
,, Ordines minores per Abbatem regularem non be-
,, nedictum collati non ſuis ſubditis, ſint validi, ſi
,, Abbas habeat privilegium illos ſuis ſubditis con-
,, ferendi = prodiit deciſio alteri conformis, quæ
,, antea emanaverat *in cauſa Catanien.* 23. *No-*
,, *vembris* 1641. cujus verba ſunt = Collationem
,, autem Ordinum ſupradictis non ſuis ſubditis,
,, etiam Regularibus, factam, ſi fuerit de Ordini-
,, bus etiam minoribus, & dictus Abbas non bene-
,, dictus non habeat privilegium Apoſtolicum, Or-
,, dines collatos remanere invalidos, & Ordinatos
,, indigere alia Ordinatione: ſi vero Abbas, non
,, benedictus habeat dictum privilegium, & Ordi-
,, nes minores tantummodo contulerit ſuis non ſub-
,, ditis, Ordinatos non indigere alia Ordinatione,
,, ſed ſolummodo abſolutione, & rehabilitatione
,, a Sede Apoſtol. obtinenda = uti habetur l. XVIII.
,, *Decret. pag.* 311. Denique, cum in cauſa *Luca-*
,, *na*, propoſita 16. *Martii* 1726. diſputaretur de
,, privilegiis conceſſis Abbati S. Barbaræ civitatis
,, Mantuanæ, & ſpeciatim res eſſet de Clerico, ab
,, eodem Abbate ad minores Ordines promoto,
,, quamquam promotus non recenſeretur inter per-
,, ſonas in Abbatis privilegio expreſſas, S. Congr.
,, Ordinationem illicitam dixit, Clericumque Mino-
,, ribus initiatum, ſuſpenſione irretitum declaravit;
,, non tamen Ordines eidem iterum conferendos
,, juſſit, *Theſaur. Reſol. tom.* III. *pag.* 283. *&* 296.
,, Quare, ut, quam verſamus, controverſiam pau-
,, cis abſolvamus, aut Abbas nullo fruitur privile-
,, gio conferendi Primam Tonſuram, & minores
,, Ordines, aut privilegio potitur illos conferendi
,, certo perſonarum generi. Si primum, nec licite,
,, nec valide poteſt quemquam ad Primam Tonſu-
,, ram, minoreſque Ordines promovere. Si alte-
,, rum, illicite profecto, attamen valide Primam
,, Tonſuram, minoreſque Ordines etiam aliis con-
,, fert, qui cæteroquin inter perſonas non nume-
,, rantur in privilegio deſignatas. =

De Benedictione recipienda ab Abbatibus, antequam munia eis competentia exerceant, jam egimus *part.* I. *pag.* 48.

SECTIO XCIX.

Eadem Seſſio XXII. de Reformat. proſequitur idem cap. X.

NEc ipſi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcunque, etiam Eccleſiarum cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſecularibus, ut ab

alii

aliis ordinentur, concedant, ſed horum omnium ordinatio, ſervatis omnibus, quæ in hujus S. Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum diæceſis fines exiſtant, pertineat: non obſtantibus quibuſvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Attento hoc clariſſimo Trident. textu, nemo unquam in dubium revocavit prohibitionem concedendi dimiſſorias Clericis ſæcularibus, ut ab alio Epiſcopo ad Ordines promoveantur, comprehendere Abbates, ſeu Prælatos primæ, & ſecundæ ſpeciei, quorum Abbatia, ſeu territorium, etiam cum qualitate *Nullius*, ſitum eſt intra fines alicujus diæceſis. Verum cum Concilium de his tantum hic loquatur, orta eſt controverſia, an comprehendat etiam Abbates tertiæ ſpeciei, nempe cum qualitate vere *Nullius*, quorum territorium, in quod exercent juriſdictionem quaſi epiſcopalem, a qualibet diæceſi eſt omnino ſejunctum, & ſeparatum. Et quamvis ex his quamplurimi ſe ab hac prohibitione immunes exiſtimaverint, ea ducti ratione quod eorum territorium ſitum ſit non intra, ſed extra fines cujuſcunque diæceſis, allegantes in ſui favorem duas poſſiſimum S. Rotæ Deciſiones, in *Caven.* nempe *Collationis Ordinum 26. Junii 1659. coram Veroſpio Deciſ.* XXXI. & in *Marſican., ſeu Nullius juriſdictionis coram Muto poſt Tondutum de Penſion.* ex poſterioribus tamen ejuſdem Rotæ Deciſionibus, & plurimis declarationibus Cong. Conc. cumulatiſſime relatis, tum a Pagnano *in cap. Significaſti de Offic. Archid. a n.27. ad* 34. tum a Card. Petra *ad Conſt.* IV. *Cæleſtini* III. *a n. 67. ad 72.* & noviſſime a Benedicto XIV. *de Synod. Diœc. lib.* II. *cap.*XI. *n.* 15. comprehenduntur & ipſi, niſi ex ſpeciali privilegio poſt Trident. obtento id eis competat. Ideoque dimiſſorias eorum ſubditis elargiri ad viciniorem Epiſcopum unice pertinet, ut præ cæteris dictis declarationibus id probat, quæ emanavit uſque ab anno 1602. his verbis extenſa *lib.* V. *Decretor. dictæ Congreg. pag.66.* = Cenſuit facultatem ordinandi, ad Epiſcopum intra cujus diæceſis fines Abbatia conſiſtit, pertinere; quod ſi intra Nullius diæceſis fines poſita ſit, ad viciniorem Epiſcopum. Vicinitatem autem ratione Eccleſiæ, non territorii eſſe attendendam = ac altera *in Ordinis Cæleſtinorum 22. Februarii* 1631. = Licere Epiſcopis vicinioribus Ordines conferre ſubditis ſæcularibus Abbatum, & aliorum Inferiorum, etiam Nullius diæceſis, ſine conſenſu eorum Abbatum, & aliorum Inferiorum. = Quare nec literæ teſtimoniales pro Ordinibus ſuſcipiendis ab alieno Epiſcopo concedendæ ſunt ſuis ſubditis ſæcularibus a Prælato Nullius, niſi requirente Epiſcopo viciniore, ad quem pertinet eos ordinare, ut declaravit eadem Cong. *in Beneventana 17.Novem. 1605. lib.X. decret. pag.* 138. Imo dictæ literæ tam ſuper vita, & moribus, quam ſuper patrimonio, & titulo beneficii ſunt concedendæ ab eodem Epiſcopo viciniore, ut *in Anglonen. juriſdictionis 30. Januarii 1717. lib.* LXVII. *& in Illarden. lib.* II. *pag.* 258. *a tergo*: quemadmodum etiam, ſi Abbatia ſita eſt intra fines alicujus diæceſis, concedendæ ſunt ab Epiſcopo ejuſdem diæceſis, prout in eadem cauſa *Illarden.* declaratum eſt.

Poſſunt tamen Prælati inferiores, habentes Abbatiam tam intra fines alicujus diæceſis, quam extra, ſeu Nullius, concedere ſuis ſubditis ſæcularibus literas commendatitias ad eoſdem reſpective Epiſcopos, ut laudata Cong declaravit *in Regien. 4. Feb. 1634. lib.* XV. *decretor. pag.*39. & etiam in dubio *ad cap.* X. *Seſſ.* XXIII. *de Refor. poſit.* LIV.

Nota I. hoc privilegio, concedendi ſcilicet dimiſſorias dictis ſubditis ſæcularibus, obtento ab Apoſtolica Sede, præter alios quampluurimos fruuntur, ut refert. Benedictus XIV. loc. cit. *n.* 16. Abbates, Farfenſis, & Nonantulanus ex conceſſione Urbani VIII. Caſſinenſis ex conceſſione Sixti V. Cavenſis ex conceſſione Pauli V. & Capitulum S. Petri de Urbe ex conceſſione Benedicti XIII. pro Abbatia S.Rufilli ſita in Caſtro fori Pompili, quæ a Rotæ Auditorio declarata fuit eſſe territorium ſeparatum a diæceſi Brictinorienſi, vigore cujus privilegii concedere poſſunt ſuis ſubditis literas dimiſſorias nedum ad Ordines minores, ſed etiam ad ſacros; itaut nulli Epiſcopo liceat dictos ſubditos ad Ordines promovere abſque eorumdem Abbatum dimiſſoriis.

Nota II. quod ſi controvertatur, quænam diæceſis ſit vicinior Abbatiæ habenti territorium ſeparatum a quacunque diæceſi, conceſſio dimiſſoriarum, ſeu Ordinatio ſubditorum dictæ Abbatiæ committi ſolet a Cong. Conc. alteri Epiſcopo, ut fecit in *Nullius menſe Martio* 1588. ſine tamen præjudicio Epiſcoporum contendentium, prout in *lib.* V. *decretor. pag.* 110. Et die 6. *Martii* 1621. eadem Congregatio declaravit, ſicuti jam prius declaraverat an. 1602. vicinitatem attendendam eſſe non ratione territorii, ſed Eccleſiæ.

SECTIO C.

Eadem Seſſio XXIII. de Refor. proſequitur idem caput X. juncto cap. X. Seſſ.VII. de Refor.

PÆnam quoque impoſitam his, qui contra hujus S. Synodi ſub Paulo III. decretum, a Capitulo, epiſcopali Sede vacante, literas dimiſſorias impetrant; ad illos, qui eaſdem literas non a Capitulo, ſed ab aliis quibuſvis in juriſdictione Epiſcopi loco Capituli, Sede vacante, ſuccedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimiſſorias contra formam decreti, ab officio, & beneficio per annum ſint ipſo jure ſuſpenſi.

In *cap.* X. *Seſſ.* VII. (cujus textus jam tranſcriptus eſt pag. 831.) ſtatuerat Trident., ne liceret Capitulis Eccleſiarum intra annum a die vacationis Sedis ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias, ſeu Reverendas alicui concedere vigore tam juris communis, quam privilegii, aut conſuetudinis, niſi illis, qui beneficii eccleſiaſtici recepti, ſeu recipiendi occaſione arctati fuerint: ſi ſecus fieret, Capitulum contraveniens eccleſiaſtico ſubjiceretur interdicto: & ſic Ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio clericali, præſertim in criminalibus, gauderent: majoribus vero Ordinati ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati eſſent ipſo jure ſuſpenſi.

In hoc autem *cap.* X. *Seſſ.* XXIII. ſtatuit, ut promoti, literis dimiſſoris obtentis a quovis in juriſdictione Epiſcopi loco Capituli, Sede vacante, ſuccedente in eaſdem pænas incidant contentas in dicto cap. X. Seſſ. VII. concedentes autem dimiſſorias contra formam dicti decreti, ſint ipſo jure ſuſpenſi per annum ab officio, & beneficio.

Antequam vero afferamus declarationes Cong. Conc. quæ his decretis acceſſerunt, præmittendum eſt, quod quamvis in allato primo decreto Concilium prohibeat ſub ibi enunciatis pænis Capitulo Cathedralis, Sede vacante, concedere intra annum dimiſſorias non arctatis, quia tamen idem Concilium *cap.* XVI. *Seſſ.* XXIV. de *refor.* præcipit Capitulo Cathedralium, ut infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituat Vicarium capitularem, ideo dictas dimiſſorias concedere nequit per ſe ipſum tam arctatis intra annum, quam non arctatis poſt annum, ſed dumtaxat per electum a ſe Vicarium, ad quem privative, non cumulative cum eodem Capitulo hujuſmodi juriſdictio ſpectat, ut ex declaratione Cong. Conc. in *Nerrisonea.* 17. *Septem.*, *&* *Hydruntina* 1. *Octob.* 1655. etiamſi electus fuiſſet, (ut olim ex ſenſu ejuſdem Cong. vigebat opinio,) cum hac, vel alia reſtrictione facultatis, quam hodie Capitulum, attentis poſterioribus ipſius Cong. reſolutionibus, relatis a Benedicto XIV. *de Synod* diœr. *edit*, *an.* 1755. *lib.* IV. *cap.* VIII. *n.* 10. nequit coarctare, neque ſibi in minima quidem parte reſervare.

His prænotatis, plura orta ſunt dubia circa dimiſſorias concedendas a Vicario capitulari intra annum Sedis vacantis; &

I. An eas concedere poſſit ad Primam Tonſuram non arctato.

II. An itidem pro aſſequenda penſione.

III. An laico præſentato ad beneficium ſimplex de jure patronatus, ſub conditione, quod intra quadrimeſtre Tonſura initietur.

IV. An habenti beneficium cum onere, & lege Fundatoris Miſſas per ſe ipſum celebrandi.

Ad I. Cong. Conc. in *Burgen.* 10. *Feb.* 1594. cenſuit = poſſe, = & hoc attenta ejuſdem Cong. mente, qua, prout refert Galemart. *ad cap.* X. *Seſſ.* VII. cenſuit, caput hoc oon comprehendere Primam Tonſuram.

Ad II. Cenſuit = non poſſe = etiam de licentia Nuncii Apoſtolici, dummodo hic ſpecialem hanc facultatem non habuerit: in *Burgen. menſe Maji*, *ut lib. IV. decretor. pag.* 265. Et merito quidem, cum enim Concilium impertiatur Vicario capitulari facultatem concedendi dimiſſorias intra annum Sedis vacantis arctatis dumtaxat ratione beneficii, recepti, vel recipiendi, penſio vere, & proprie non eſt beneficium, nec regulariter, præcipue in materia odioſa, & ſtricte intelligenda, oon venit beneficii appellatione *cap.* IV. *Quamvis de Præben. in* VI. ideoque conſecuturus penſionem non dicitur arctatus ratione beneficii, ut præſcribit Tridentinum.

Ad III. *In Squillaren.* 1594. reſpondit = affirmativo = Nec videtur ullum fuiſſe dubitandi locum: quandoquidem Tridentinum indiſtincte loquens de arctato ratione beneficii, non excluſit beneficium simplex. Cæterum cum agatur de ſola Prima Tonſura, jam ſatis proviſum fuiſſet in allato reſponſo ad I. dubium.

Ad IV. *In Ripana menſe Martii* 1634. reſpondit = poſſe, = *ut lib.* XVI. *decret. pag.* 516.

Nota I. poſſe eas expedire intra dictum annum iis, quibus ab Epiſcopo in mortis articulo conceſſæ fuerint ad effectum ſe promovere faciendi, etiam intra præfatum annum, ut declaravit Cong. Conc. in *Mexicana literarum dimiſſorialium* 24. *Apr.* 1700. *decretor. lib.* L. harum enim conceſſio, cum ſit gratia, non expirat per mortem concedentis, vel per renunciationem Epiſcopatus, ex declaratione Cong. Epiſcopor. *in Orien.* 12. *Novem.* 1600. relata a Paſſerino in cap. *Cum nullus num.* 142. *de temporib. Ordinat. in* VI. Sicuti non expirant, ſi conceſſæ fuerint ab eodem Vicario capitulari, licet ceſſaverit ejus juriſdictio, niſi per ſucceſſorem in Epiſcopatu revocentur: quod tamquam definitum a Cong. Conc. tradit cum Barboſa, & Navar. idem Paſſerinus loc. citat.

Nota II. Eumdem Vicarium, elapſo anno Sedis vacantis, poſſe diſpenſare ſuper Interſtitiis, ſicuti & cum arctatis infra annum, ex declaratione Cong. Conc. *In Aſtoricen.* 21. *April.* 1591. *&* *in Acheruntina* 26. *April.* 1602.

Nota III. Non poſſe autem, etiam elapſo anno, dimiſſorias concedere Ordinandis ad titulum patrimonii, vel penſionis, cum id reſervatum ſit Epiſcopo a Trident. *cap.* II. *Seſſ.* XXI. *de Refor.*, quamvis id ubique non eſſe receptum cum Garzia notat Barboſa in *ſumma Conſtitutionum Apoſtol. deciſ.* V. *cap. ſede vacante n.* 12. Neque eaſdem concedere infra annum, licet Capitulum haberet territorium diſtinctum, & ſeparatum, vigore cujus exerceret ordinariam juriſdictionem, prout definitum fuiſſe refert a Congreg. Concil. Quaranta *in ſumma Bullarum*, *verb. Capitulum Sede vacante* §. XIV. Quas neque infra annum concedere poſſe decrevit d. Congr. *in Gerunden.* 28. *Julii* 1583. dignitatem aliquam Capituli, ſuccedentem vigore immemorabilis conſuetudinis, aut privilegii Apoſtol. in omnimodam Epiſcopi juriſdictionem, teſte Riganti *in comment. ad Regul. Cancel. tom.* II. *Regula* XXIV. §. III. *pag.* 411. 189.

Nota IV. Vicarium capitularem concedentem intra annum dimiſſorias non arctato, incurrere pœnam interdicti juxta decretum *cap. X. Seſſ. VII.* etiamſi is, cui conceſſit, illis non uſus fuerit, nam actus fuit perfectus reſpectu concedentis, per quem non ſtetit, quio ſequeretur effectus. Quæ pæna eſt latæ ſententiæ propter verbum illud = *ſubjaceat* = quod

quod eſt præſentis temporis : *Theſaurus de Panis cap. XIX. verbo Ordo*. Et licet non ſit reſervata, non poteſt tamen abſolvi a ſimplici confeſſario, ſed ab Epiſcopo ſucceſſore, idem Theſaurus ibidem.

Nota V. ex eodem Theſauro, ordinatos in Minoribus contra hæc Trident. decreta, non incurrere ſuſpenſionem tamquam ordinati fuiſſent ſine licentia proprii Epiſcopi, ſed privationem dumtaxat privilegii clericalis, in quam ſuſpenſio commutata eſt a Concilio. Hæc autem privatio non afficit ante declarationem : & non deſunt Canoniſtæ, a d. Theſauro ibidem relati, aſſerentes eſſe ſententiæ ferendæ.

Nota VI. quod ubi Tridentinum non eſt receptum, poterit Vicarius intra annum ſedis vacantis concedere dimiſſorias etiam non arctatis ex diſpoſitione juris communis expreſſa in Decretali Bonifacii VIII. relata in cap. III. *Cum nullus de Tempor. Ordinat. in VI.* Cui tamen Decretali, ubi Tridentinum eſt receptum, derogatum fuiſſe ab eodem Trident. notare omiſi part. 1. pag. 61.

SECTIO CI.

Eadem Seſſio XXIII. caput XI. de Reformat. junctis cap. XIII. & XIV. ejuſdem Seſſ.

Minores Ordines iis, qui ſaltem latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur, ut eo accuratius, quantum ſit hujus diſciplinæ pondus, poſſint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant; idque in ea, cui adſcripti erunt, Eccleſia; niſi forte ex cauſa ſtudiorum abſint ..... Hi vero non niſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum ad ſacros Ordines promoveantur; niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas, judicio Epiſcopi, aliud expoſcat.

Textus Cap. XIII.

Promoti ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur.

Textus Cap. XIV.

Qui pie, & fideliter in miniſteriis ante actis ſe geſſerint, & ad Presbyteratus Ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium, & hi ſint, qui non modo in Diaconatus ad minus annum integrum, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur, miniſtraverint.

In his tribus Capitulis Concilium præcipit, a promovendis ad Ordines ſervanda eſſe temporum interſtitia, quorum remiſſionem reliquit judicio Epiſcopi, ſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas id expoſtulaverit. Hæc interſtitia (quorum appellatione = non veniunt quatuor anni tempora, ſed illud temporis curriculum, quod ex canonicis ſanctionibus olim inter unum, & alterum Ordinem debebat intercedere, = ut declaravit Cong. Conc. 17. *Maji* 1591.) originem agnoſcunt ab Oſio præclaro Epiſcoporum lumine, qui primus in Concillo generali Sardicenſi, celebrato ſub Julio I. *an.* 347. in Civitate Sardica in Illirico ad confinium Miſſæ Superioris, illorum legem propoſuit, ut ex *Can.* X. ejuſdem Conc. relato a Gratiano *Diſtin.* LXI. *Can.* X. *Oſius*.

Horum ſpatia præfixa fuerunt a Siricio Papa (hic Pontificatum geſſit *ab an.* 385. uſque *ad* 398.) ut nempe per biennium permoraretur in Lectoratu, & Exorciſtatu; per quinquennium in Acolytatu, & Subdiaconatu, per alterum quinquennium, & ultra in Diaconatu, antequam quis aſcenderet ad Presbyteratum, prout legitur in Epiſtola ejuſdem Pontific. ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, relata a Gratiano *Can.* III. *Quicunque Diſtin.* LXXVII. Quæ poſtea temporum intervalla a Gelaſio I. (qui univerſali præfuit Eccleſiæ ab an. 462. uſque *ad* 496.) ob exiguum Clericorum numerum tunc in Italiæ regionibus exiſtentem propter Barbarorum vaſtationem, redacta fuerunt ad annum cum dimidio a Lectoratu ad Sacerdotium pro Clericis ſecularibus, pro Regularibus vero ad unum annum : qua indulgentia uti permiſit Epiſcopis, per Siciliam, Brutios, & Lucaniam conſtitutis, ut ex ipſius Epiſtola cujus fragmentum refertur a Gratiano *Can.* IX. *Monachus cit. Diſtin.* LXXVII.

Hactenus de antiqua Eccleſiæ diſciplina circa temporum intervalla ſervanda inter unum, & alium Ordinem ſuſcipiendum. Verum hodie aliquantulum emollitus eſt illorum rigor : Concilium enim Trident. inter Acolytatum, & Subdiaconatum, ſicuti, & inter Subdiaconatum, & Diaconatum, ac inter

hunc, & Presbyteratum unum dumtaxat annum (eccleſiaſticum, non naturalem ex declaratione Cong. Conc. in *Palentina* 5. *Feb.* 1593. *lib.* VII. *decretor. pag.* 50. *&* 92.) ſervandum præſcripſit, ut in allatis *Capp.* XIII. & XIV. Inter unum vero, & alterum ex minoribus Ordinibus quamvis nullum intervalli tempus præſcripſerit, eos tamen in cit. *cap.* XI. conferri præcepit = per temporum interſtitia = Quo clariſſimo attento præcepto, improbanda penitus eſt aſſertio quorundam Canoniſtarum, neſcio quo jure, dictitantium, nulla pro his ſuſcipiendis requiri interſtitia: quandoquidem, ut Conc. menti ſatisfiat, ſi non requiruntur interſtitia unius anni, ſervandum eſt ſaltem interſtitium, quod eſt inter ſingula quatuor tempora, ſeu alia pro generalibus Ordinationibus a jure aſſignata, ut etiam notat Bellarminus ad hoc idem *cap.* XI. niſi aliter obtineat conſuetudo conferendi eodem die omnes quatuor; quæ nec ab ipſa Cong. Conc. improbata eſt, ut declaravit 31. *Maji* 1597. *in Lucen.* per hæc verba = Cenſuit Epiſcopum ita demum interſtitia minorum Ordinum poſſe remittere, ſi ei magis expedire viſum fuerit: Cæterum ubicunque ſatius eſſe putaverit illa remittere, quatuor minores Ordines non aliter poſſe eadem die uni conferre, quam ſi ita in loco hodie conſueverit. =

Hic tamen notanda eſt praxis, Romæ vigens, quoad Primam Tonſuram eodem die una, cum Ordinibus minoribus conferenda, quod licet Innoc. XI. prohibuerit, ne conferretur unica vice cum quatuor minoribus, ſed cum duobus dumtaxat, ut ex vivæ vocis oraculo facto Card. Carpineo Urbis Vicario ſub die 20. *Feb.* 1676. prout videre eſt *tom.* IV. *Variar. Memoriar.* in Secretaria Tribunalis ejuſdem Vicarii, Benedictus tamen XIII. in Ordinatione generali ab ipſo habita 26. *Martii* 1725. in Sacroſancta Lateranenſi Baſilica, immediate ante dictam Ordinationem mandavit, ut in poſterum in qualibet Ordinatione, ſive generali, ſive particulari, Prima Tonſura dumtaxat abſque ullo alio Ordine tam ſecularibus, quam Regularibus eodem die conferri deberet. Ita Canonicus Honoranti in *Praxi ejuſdem Secretariæ cap.* I. §. *Nota* VI.

His præmiſſis, refero declarationes laudatæ Congregationis, quæ in hac interſtitiorum materia Tridentini ſanctionibus acceſſerunt, & I. Cum pluries exorta fuerit controverſia, an judicium remittendi temporum interſtitia quoad Regulares pertineat ad ſolum Epiſcopum, an autem ad Generales, aut Provinciales, Congregatio in Eſina 20. *Decemb.* 1581. cenſuit = Bullam fel. rec. Sixti V. contra Clericos male promotos (nempe *Sanctum, & ſalutare*, quæ redacta fuit ad terminos juris communis, & Conc. Trident. a Clem. VIII. Conſtit. *Romanum Pontificem* 28. *Feb.* 1595. ut alias notavi) non adimere facultatem a Conc. Trident. Epiſcopis tributam remittendi temporum interſtitia in caſibus ab eodem Concilio expreſſis *cap.* XI. XIII. & XIV. *Seſſ.* XXIII. judiciumque cognoſcendi, an ſimus in prædictis caſibus, non ſpectare ad Superiores regulares, ſed ad Epiſcopos diæceſanos ordinantes, in quorum diæceſibus ſunt monaſteria, in quibus ipſi ordinandi degunt = Idem cenſuit in *Brugnaten.* 17. *Maji* 1593. Epiſcopos autem = de cauſis remiſſionis teneri fidem adhibere, & deferre teſtimonio Superioris regularis. In eodem ſenſu fuit in *Aquen. menſe Julii* 1589. *&* in *Nullius* 31. *Junii* 1587. *lib.* VI. *decretor. pag.* 18. *&* 12. *Septemb.* 1609. *lib.* XI. *decretor. pag.* 75.

Si autem agatur de Regularibus, quibus Sedes Apoſtolica poſt Tridentinum conceſſit privilegium exemptionis ab interſtitiis, judicium eam remittendi nullatenus ſpectat ad Epiſcopum.

II. Cum eadem controverſia excitata fuerit quoad ſubditos inferiorum Prælatorum, *in Fanen.* 6. *Julii* 1592. cenſuit = diſpenſandi ſuper interſtitiis facultatem ad ſolum Epiſcopum pertinere ex cauſis in decretis Concilii comprehenſis, de quibus debet judicium ſuum formare quoad ſubditos Inferiorum ex ipſorum Inferiorum atteſtatione.

III. Ortum eſt etiam dubium an eadem facultas remittendi interſtitia ex Tridentini decretis competens Epiſcopo tranſiret in Vicarium Capituli, Sede vacante, *in Aſtoricen.* 21. *Aprilis* 1591. cenſuit = tranſire = Qua facultate *die* 3. *Aprilis* 1593. *in Neapolitana, & die* 7. *Novemb.* 1596. *in Theatina* uti poſſe cenſuit etiam Vicarium generalem, ſi habeat mandatum generale, vere tamen exiſtentibus cauſis, contentis in tribus allatis Tridentini capitulis.

IV. *Die* 3. *Maji* 1620. propoſitum fuit eidem Cong. ſequens dubium = Decreto Concilii *cap.* XIV. *Seſſ.* XXIII. ſtatuitur, ut ad Presbyteratum non promoveatur, qui per annum integrum in Diaconatu non miniſtraverit, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem, alias Epiſcopo videretur. Dubitatur, an ea verba *ob utilitatem, ac neceſſitatem* ſint intelligenda copulative, an disjunctive, itaut poſſit Epiſcopus diſpenſare ſuper interſtitiis ob ſolam Eccleſiæ utilitatem. = Sacra &c. cenſuit ea verba eſſe intelligenda disjunctive, non autem copulative. =

Pro pleniori Epiſcoporum notitia, juxta caſuum opportunitatem relatis declarationibus juvat = etbas addere, emanataa *in Cæſarauguſt.* 26. *Jan.* 1581. quarum aliquæ relatæ ſunt etiam a Fagnano ad caput. *De eo* III. *de tempor. Ordin. n.* 41. =

Quæritur I. præſuppoſito, quod quatuor minores Ordines poſſint conferri diebus feſtivis, & dominicis, an ſub dictu die feſtivo comprehendantur quilibet dies feſtivi, de quibus in Eccleſia ſit Officium, an vero debeat eſſe feſtum a populo colendum, & an idem ſit reſpectu diſpenſatorum extra tempora.

Cong. cenſuit intelligi debere de diebus feſtis, qui a populo ſerventur. = *Et in Brixien. Ordinationis* 15. *Jan.* 1689. = Epiſcopus ſupplicat declarari, an diebus feſtis duplicibus, non tamen de præcepto, poſſint Ordines ſacri conferri habentibus Breve diſpenſationis Apoſtolicæ ſuper interſtitiis, vel extra tempora = S. Cong. Conc. reſpondit = Negative, ſed tantum diebus feſtis de præcepto, = *ut lib.* XXXIX. *decretor. pag.* 14. In eadem Cæſarauguſtana item quæſitum fuit, = an conſuetudo quod ordinandi ad SS. Ordines ſuſcipiant quatuor minores Ordines die Veneris immediate ante diem Sabbati, qua Sacros ſunt ſuſcepturi, ſuffragetur eiſdem, præſuppoſita tamen neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ juxta *cap.* XI. *Seſſ.* XXIII.

Cong.

Cong. cenſuit, licere Epiſcopum, ſi dies Veneris ſit diea feſtiva, etſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi id expoſcat juxta decretum *cap.* XI. *Seſſ.* XXIII. non tamen in publicis ordinationibus, ſed private, & aliquibus, prædictos quatuor Ordinea conferre. Cong. cenſuit, præſuppoſita conſuetudine, poſſe Epiſcopum etiam eadem die ad quatuor minores Ordines aliquem promovere, ut alias cenſuit Cong. =

Nota I. cum Bened. XIV. *de Synod. Diœc. lib.* XI. *cap.*II. *n.* 16. *edit. an.* 1755. circa interſtitiorum diſpenſationem, quod = quamvis in citatis Con- ,, cilii capitibus (ideſt XI. XIII. & XIV.) Epiſcopo ,, tribuatur auctoritas diſpenſandi ſuper eorumdem ,, interſtitiorum obſervantia; hujus tamen auctori- ,, tatis uſus, non quidem ex mero arbitrio dirigen- ,, dus eſt, ſed habita dumtaxat ratione neceſſitatis, ,, aut utilitatis Eccleſiæ: quemadmodum ab eodem ,, Conc. expreſſe indicatur ſequentibus verbis. = ,, *Niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas, judicio* ,, *Epiſcopi, aliud expoſcat*: = qua de re a nobis ,, etiam eſt, actum in noſtra *Inſtit.* LVIII. =

Neceſſitas autem, & utilitas, ita in cit. Inſtitu- ,, tione exemplificatur = Tum quidem neceſſitas ,, intervenit, cum peculiari Eccleſiæ Miniſtri de- ,, ſunt, nec alii Ordinibus præditi ſufficere viden- ,, tur, ut eadem munera ſuſtineant: utilitas autem ,, oſtenditur, cum in aliqua Eccleſia parum idonei ,, Miniſtri verſantur, vel ſi de aliquo viro res aga- ,, tur ætate jam matura, ſed doctrinæ laude præ- ,, ſtanti, quæ ſatis legitimæ cauſæ a Scriptoribus ,, judicantur. Utilitaa pariter ex eo proficiſcitur, ,, ſi aliquis parochiam, aut beneficium obtinuerit ,, ea conditione, ut infra annum juxta decreta ,, S. Cong. Presbyteratum, aut Sacrum Ordinem ,, ſuſcipere teneatur. =

Nota II. Nulla interveniente neceſſitate, aut utilitate Eccleſiæ, non teneri Epiſcopos interſtitia remittere, etiamſi agatur de illis, qui obtinuerunt a Sede Apoſtolica Breve, ſeu privilegium accipiendi Ordines extra tempora, cum ex declaratione Innoc. XII. qua confirmavit decretum Congregationis particularis ſuper conceſſione Indultorum ſuſcipiendi Ordines extra tempora, ut in ipſius Conſtit. LXXVIII. *Sanctiſſimus Dominus* ſub die 14. *Decem.* 1693. non cogantur iidem Epiſcopi ad Ordines quemquam aſſumere extra præſcripta tempora, ſed ipſorum arbitrio relinquitur, ſi id cum utilitate conjunctum arbitrentur §. ibi.

Denique cenſuit, Epiſcopos omnes, ac etiam Apoſtolicos Nuncios, & Legatos literis in forma Brevis circularibus admonendos, decreviſſe Sanctitatem ſuam Indulta prædicta non ita paſſim, ſed ex certis tantum, legitimiſque cauſis concedere, nec Epiſcopos ad eorum executionem adſtringere, ſed illam ſemper ipſorum arbitrio, onerata eorumdem conſcientia, relinquere. Item per eadem Indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad patrimonii titulum, niſi ad normam Conc. Trident. *Seſſ. XXI. cap. II.* Eos vero, omnes, qui ab Apoſtolica Sede facultatem obtinent conferendi Ordines extra tempora, vel aliis reſpective tribuendi licentiam, ut conferant, maxime cavere debere, ne præſcriptos ſibi in iiſdem facultatibus limites, cujuſvis conſuetudinis, aut exempli pretextu tranſgrediantur.

Juvat tamen hic tranſcaibere animadverſa circa hæc Indulta a Gaudentio a Janua *tom.* 1. *de Viſit. Regul. cap. IV. dub. X. Sect. III. n.* 25. ibi. = Addit. P. Mattheucc. Off. cur. *cap. XXXV. ſub n.* 15. ſequens Monacellum *par. II. form. IV. tit. XIII. n.* 38. = ,, Quod Indulta S. Sedis diſpenſantia ſuper interſti- ,, tia in Ordinibus ſacris, ſimulque, quod poſſint ,, ſuſcipi extra tempora, non obligent ita Epiſco- ,, pos, quin valeant, inter unum, & alium Ordi- ,, nem ſacrum conferendum, aliquod ſpatium ſerva- ,, re, ſecundum prudens arbitrium, onerata eo- ,, rumdem conſcientia; ad normam Decreti S. M. ,, Innoc. PP. XII. 14. *Decem.* 1693. Quod ſane ar- ,, bitrium, ajunt hi Auctorea, debere eſſe a jure ,, regulatum; taliter, ut interpolatio interceriat ab ,, uno ad alium ſacrum Ordinem, ſaltem trium, ,, aut quatuor menſium = Verum hæc locutio ge- ,, neralis Indultum a Sede Apoſtolica datum, ut ,, quis poſſit ordinari = *in tribus diebus feſtivis* ,, *extra tempora*, = redderet, ut plurimum ina- ,, ne, & inutile prorſus: nam interpolatio trium, ,, vel quatuor menſium contingit regulariter inter ,, tempora ipſa ordinationis, aſſignata infra annum, ,, & praxis generalis docet, quod ſimilia Indulta ,, operentur, ut quis inter una, & alia tempora im- ,, mediate: ex. gr. inter illa poſt Pentecoſten, & ,, alia poſt Exaltationem S. Crucis de Septem- ,, bri, omnibus Ordinibua ſacris initietur, data ,, tamen interpolatione prudenti inter unum, & ,, aliud feſtum; attento etiam commodo Epiſcopi ,, ordinantis. Quod ſi Indultum Apoſtolicum di- ,, ſpenſaret præciſe = *ſuper interſtitia* = ad ſa- ,, croa Ordines neceſſaria, & non, quod poſſent ,, *extra tempora* conſueta ſuſcipi, ſuperflua red- ,, ditur advertentia de ſpatio trium, vel quatuor ,, menſium ſervando; quia non aliter poſſent ſu- ,, ſcipi dicti Ordines ſacri, quam temporibus de- ,, bitis, quæ interpolationem trium, vel quatuor ,, menſium regulariter important, Quotiea vero ,, conſcientia dictaret, aliquem fore Indulto obten- ,, to indignum propter defectum ſcientiæ, ſive ,, morum inhoneſtatem; utatur quidem Epiſcopus ,, jure ſuo, habita ſemper reverentia Summo Pon- ,, tifici, qui defectibus compertis, non eſſet veriſi- ,, militer Indulta conceſſurus. = Ex *cap. Licet Romanus de Conſtit. in* VI. *Regul. jur. in* VI. *n.* 81. ,, *Barboſ. in cap. Ad noſtram per. tot. de Confirm.* ,, *utili.* = At ceſſant hi ſcrupuli in Epiſcopis reſpe- ,, ctu Regularium ordinandorum, quorum qualita- ,, tes, ad hoc, ut fruantur Indultis, ſi quæ ha- bent,

„ bent, vel obtinent, examinari debent a Superioribus propriis, ſecundum horum oneratam conſcientiam; quibus proinde ſemper agit prudenter Epiſcopus, principaliter deferendo; præterquam quoad experimentum ſcientiæ, quam calleant, viſis, & conſideratis dimiſſoriis in caſu; ut præter ſuperius allegata inſinuant *Navar. lib.* II. *cap.* XXII. *&* XXIII. *Henriquez lib.* VII. *Indulg. cap.* XXVI. *Dian. tract.* VI. *Miſcellan. reſol.* XV. = & eſt in communi praxi apud Epiſcopos abſque controverſia.

Nota III. cum Epiſcopatus, juxta veriorem ſententiam, ſubſtantialiter non diſtinguatur a Presbyteratu, præcipue per relationem ad Corpus Chriſti verum, ſed extenſive quoad potiorem juriſdictionem, habito reſpectu ad Corpus Chriſti miſticum, prout aſſerit *S. Thomas lib. IV. ſententiarum diſt. VII. q. III. art. I. quæſtiunc. III.* nullum requiri intervallum inter ipſius conſecrationem, & Presbyteratum: ideoque licitum eſt die Sabbati competenti promoveri ad Presbyteratum, & die Dominico ſequenti, etiam non continuato jejunio, ad Epiſcopatum: Abbas *in cap. XIII. Literas, de Tempor. Ordinat.*

S E C T I O   C I I.

Eadem Seſſio XXIII. cap. XII. de Reform.

NUllus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante XXII. ad Diaconatus ante XXIII., ad Presbyteratus ante XXV. ætatis ſuæ annum promoveatur. Sciant tamen Epiſcopi, non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad hos Ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit.

Huic decreto, quo correcta eſt Decretalis Clementis V. quoad ætatem Subdiaconi, & Diaconi, relata in cap. III. *Generalem, de ætat. & qualit. præficiendor. in Clementinis*, ut notavi part. 1. pag. 71. acceſſerat Conſtitutio Sixti V. *Sanctum, & ſalutare 5. Jan.* 1588. varias pænas Papæ reſervatas infligens tam in promoventes, quam in promotos ad Ordines, etiam minores, ante legitimam ætatem; ſed correcta, & redacta fuit, ut pluries notavi, ad terminos juris communis, & Conſtitutionis Pii II. *Cum ex Sacrorum* 17. *Novembr.* 1461. *a Clemente VIII. Conſt. Romanum Pontificem* 28. *Febr.* 1595. In Pii Conſtitutione hæ pænæ leguntur in promotos dumtaxat ante legitimam ætatem ad aliquem ex ſolis ſacris Ordinibus ibi.

Cum itaque (ſicut dignorum relatione, non niſi moleſte accepimus) nonnulli Clerici, extra tempora a jure ſtatuta, quidam ante ætatem legitimam, aliqui vero ſine dimiſſoriis literis, contra ſanctiones canonicas ſe faciunt ad ſacros Ordines promoveri. Nos eorumdem temeritatem tali caſtigatione reprimentes, ut aliis in poſterum committendi ſimilia aditus præcludatur, auctoritate Apoſtol., hac Conſt. perpetuo valitura, ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſoriis literis, etiam Citramontanis (præterquam ſi in hoc ultimo caſu per Cameram Apoſtol., juxta illius ſtylum ordinati fuerint) ad aliquem ex ſacris Ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum Ordinum executione jure ſuſpenſi ſint: & ſi, hujuſmodi ſuſpenſione durante, in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant: præterea, ultra alias pænas in tales generaliter a jure inflictas, beneficiis eccleſiaſticis poſſint jure privari.

Nota I. hanc ſuſpenſionem eſſe ſolum de Ordine male ſuſcepto ſcienter, ſeu mala fide, & ignorantia craſſa, non de aliis rite ſuſceptis. *Theſaur. de Pænis cap. I. verb. Ordo.*

Nota II. ex eodem Theſauro neque eſſe reſervatam, ut patet ex iiſdem Conſtitutionis verbis; & non eſt perpetua pæna, ſed proprie cenſura.

Nota III. quod annus XXII. pro Subdiaconatu, & XXIII. pro Diaconatu, ac XXV. pro Presbyteratu ſufficit, ut ſit inceptus, idem Theſaur. ibidem: & declaravit etiam Congr. Conc. in *Fanen. 7. Septembr.* 1594. *ut lib. VIII. Decretor. pag.* 57. = Cong. cenſuit, ſufficere annum XXV. fuiſſe cœptum, ut quis ad Presbyteratus Ordinem, cæteris requiſitis concurrentibus, promoveri poſſit. = Hæc in dubio *ſuſceptionis Ordinum* 16. *Martii* 1675. *lib. XXIX. Decretor. pag.* 30. *a tergo.*

SE-

SECTIO CIII.

Eadem Seſſio XXIII. cap. XIII. de Reform.

REgulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuſcunque quoad hoc penitus excluſis.

Huic decreto, in quo præcipitur ſervandam eſſe debitam ætatem etiam in promovendis Regularibus ad Sacros Ordines, acceſſit Conſtit. Alexandri VII. *Creditæ nobis* 30. *Maji* 1663. declarantis eamdem requiri etiam in Fratribus Ordinis Prædicatorum, ubique terrarum exiſtentibus, eorum privilegiis quibuſcunque non obſtantibus.

Ad eorumdem vero Regularium Ordinationem quod ſpectat, quæ pontificiæ declarationes emanatæ fuerint ante Benedictum XIV., ab eodem cumulate referuntur Conſtit. *Impoſiti nobis* 27. Feb. 1747, jam tranſcripta ſupra poſt cap. VIII. Seſſ. XXIII. pag. 951.

Pœnæ, quas incurrunt Regulares, aliique promoti ab Epiſcopo non proprio, & Epiſcopi indebite promoventes alienos ſubditos, de quibus mentionem facit Benedictus §. *Quæcunque*, ſunt. Quoad promotos ſuſpenſio ipſo facto ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, *Trident. Seſſ* VI. *cap.* V. *&* *Seſſ.* XXIII. *cap.* VIII. *de Refor.* Quam ſuſpenſionem inflixerat etiam Pius II. Conſtit *Ex Sacrorum* tranſcripta præcedenti Sectione contra recipieotes Ordines dumtaxat Sacros: Tridentinum vero contra recipientes etiam minores: licet enim in principio cit. *cap.* VIII. loqui videatur de ſolis ſacris; poſtea tamen generaliter loquitur, ſicuti & in *cap.* V. *cit. Seſſ.* VI. Imo quamplures DD. relati a *Theſauro de Pœnis cap.* XVI. *verb. Ordo*, ſentiunt, hanc pœnam incurri etiam ab initiato Prima Tonſura, quamvis alii negent.

Quoad promoventes vero, de jure antiquo ſuſpenſi erant per annum a celebratione Miſſæ, *Can.* XXVIII. *Epiſcopus in diœceſim Cauſ.* VII. *q.* I. (qui cæteroqnin Caoon falſo a Gratiano tribuitur Anacleto,) ſed deſumptus eſt a Decretali Gregorii X. in generali Concilio Lugdunenſi edita, & relata in cap. II. *Eos, qui de Tempor. Ordinat. in* VI. ſi id fecerint ex præſumptione, ideſt ſcienter, ſeu ex ignorantia affectata; ſupſenſi ſunt per annum a collatione Ordinum, & quidem non ſic collatorum tantum, ſed omnium juxta communiorem ſententiam. Eamdem pœnam innovavit Trid. *cit. cap.* VIII. *Seſſ.* XXIII. & juxta hoc caput ad eam incurrendam non requitur præſumptio, ſed ſufficit ignorantia craſſa, vel ſupina. Ex Conſtit. Innoc. XII. *Speculatores* 4. *Novem.* 1694. hujuſmodi pœna eo ipſo ligatur Epiſcopus, etiamſi ordinet in propria diœceſi ſibi ſubditum ſine dimiſſoriis Ordinarii loci, in quo dictus ſubditus adultus moratus eſt, ita ut juxta præfatam Conſtit. ibidem contraxerit domicilium.

Si quem autem alienum ſubditum initiaverit Prima Tonſura abſque licentia proprii Ordinarii, ſuſpenſus erit a collatione dictæ Tonſuræ, ex Decretali Bonif. VIII. relata in *cap.* IV. *Nullus de Tempor. Ordin. in* VI.

Omitto referre pœnas contra eoſdem ſic ordinantes inflictas a Sixto V. Conſtit. *Sanctum, & ſalutare*, cum, ut jam mox dixi, hæc Conſtitutio redacta fuerit ad terminos juris communis.

SECTIO CIV.

Eadem Seſſio XXIII. cap. XIV. de Refor.

QUi pie, & fideliter in miniſteriis ante actis ſe geſſerint, & ad Presbyteratus Ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium: & hi ſint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur, miniſtraverint, ſed etiam ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; atque ita pietate, ac caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari. Curet Epiſcopus, ut ii ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus; ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent. Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.

Qualis debeat eſſe ſcientia, quam præter alia hic requirit Tridentinum in iis, qui Sacenlotes fieri peroptant, uberius explicata eſt ab Innoc. XIII. in Conſtitutione ſuper eccleſiaſtica diſciplina pro Re-

gnis

gnis Hiſpaniarum *Apoſtolici miniſterii 13. Martii* 1723. confirmata, ac cæteris omnibus Epiſcopis propoſita tamquam norma, a Bened. XIII. Conſtit. *In Supremo militantis ſub die 23. Septemb. 1724.* ut ſcilicet Theologia ſaltem morali ſufficienter inſtructi ſint, ibi.

Qui vero ad Presbyteratum erunt aſſumendi, idonei prius per accuratum ſimiliter examen comprobentur ad miniſtranda Sacramenta, & ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: quod quidem, ut recte præſtari poſſit, eoſdem Epiſcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri poteſt, eos tantum ad Sacerdotium aſſumant, qui ſaltem Theologiæ moralis competenter periti ſint.

Cum sutem in fine hujua capituli Concilium præcipiat, ut Epiſcopi curent, = ut ii (ideſt Sacerdotes) ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus . . . . . *Miſſas celebrent* = dubitatum fuit, an = hoc facere debeant ſolis adhortstionibus, & admonitionibus; an vero poſſint monere ſub pænis, & cenſuris, ut legitime non impediti, debeant celebrare = *die 25. Feb.* 1617. Congregatio cenſuit = *non poſſe, ex cap.* XIV. *Seſſ.* XXIII. = Hanc declarationem refert etiam Fagnan. ad *cap. IX. Dolentes de Celebrat. Miſſar. n.* 14.

Cæterum communior DD. opinio eſt, quam inferunt ex D. Thoms *in 4. Diſt. 13. q. 1. art. 2. quæſtiun. l. in corp. & 3. part. q. 82. art.* 10. *in corp.* Sacerdotem teneri ſub mortali tam jure divino, quam eccleſiaſtico Miſſam celebrare quater ſaltem in anno, imo etiam pluries. Jure quidem divino *ex Hebreor.* V. = *Omnis namque Pontifex, ex hominibus aſſumptus pro omnibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*, = ideoque eum in ſua Ordinatione id munus ſuſceperit, pluries in annum non celebrando, deficeret in re gravi, & ſic mortaliter peccaret. Jure autem eccleſiaſtico; quia Concilium Lateranenſe IV. celebratum ſub Innoc. III. *an.* 1215. & relatum in cit. cap. *Dolentes*, recenſet inter gravia delicta Sacerdotum, quod = *Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno* = Et circa hanc opinionem maxime notandum eſt, quod S. Pius V. (ut referet Bened. XIV. *Inſtitut. Eccleſiaſt.* LV. §. *Non ignoramus*) deleri juſſerit ex libris Cardinalis Cajetani opinionem aſſerentem = *levi culpæ ſolum obnoxios eſſe, qui nulla animarum cura præditi, numquam per anni curſum Sacrificium Miſſæ celebraverint.*

Nec adhærendo opinioni, mortale peccatum admittenti, recedendum crederem a ſententia quampluriam DD. aſſerentium ex d. cap. *Dolentes*, Sacerdotem in hoc delinquentem poſſe ab Epiſcopo ſub pæna ſuſpenſionis ad quater, vel quinquies in anno ad celebrandum cogi: cum Epiſcopus teneatur juris remediis ſuos ſubditos a peccatis removere, potiſſimum gravioribus, & cum populi ſcandalo conjunctis, ut eſſet iſtud. *Can.* I. *Si quis Epiſcopus, & Can.* II. *Nemo quippe, diſtin.* LXXXIII. *Can.* XXIII. *Quid autem Cauſ.* VIII. *q.* I. *Can.* XXXIII. *Eſt injuſta Cauſ.* XXIII. *q.* 4. *& cap.* I. *Romana* §. *Sane de Exceſ. Prælator.* Et licet Cong. Conc. contrarium, ut ſupra, declaraverit, hæc tamen declarstio videtur habere locum reſpectu illorum Sacerdotum dumtaxat, qui diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus non celebrarent; in quibus omnibus quidem diebus nemo dicet, eoſdem ad Miſſæ celebrationem teneri: non reſpectu illorum, qui eam vix ſemper intra annum omitterent, aut rariſſime celebrarent.

De cit. Decretali *Dolentes* vide notata par. I. pag. 434. & ſeq.

S E C T I O C V.

Eadem Seſſio XXIII. caput XV. de Reform.

QUamvis Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis, per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obſtantibus.

Huic ſaluberrimæ, & juri communi penitus conformi Triden:inæ ſanctioni (qua innovata eſt Decretalis Bonif. VIII. relata in *cap.* II. *Super Cathedram de Sepultur. in Extrav. commun.*, ut notavi par. I. pag. 326) & correcta eſt Decretalia Innoc. III. relata in *cap.* XII. *Omnis utriuſque ſexus de Pænit. & Remiſſion*, vi cujus poterat parochus delegare facultatem audiendi ſuorum parochianorum confeſſiones alieno Sacerdoti, (ut pariter notavi eadem part. I. pag. 746.) acceſſit primum Conſtitutio S. Pii V. *Romani Pontificis 6. Auguſti* 1571. qua ab eodem, revocata Conſtitutione *Etſi mendicantium*, quam favore Fratrum, & Monialium Ordinum mendicantium ediderat quoad exemptionem ab examine,

ne, & approbationem Confeſſariorum ab Ordinariis faciendam, 16. *Maji* 1567. declaratum eſt, hanc eamdem ſanctionem extendi ad quoſcunque Regulares, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, quamvis Lectores, atque Magiſtri in S. Theologia præfulgerent, & poteſtas excipiendi ſecularium confeſſiones ipſis data fuerit ab eorum Superioribus, ibi.

Romani Pontificis providentia circumſpecta nonnunquam geſta per eum, rationabilibus, & honeſtis ſuadentibus cauſis, moderatur, & commutat in melius, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Nuper ſiquidem quaſdam declarationes, & moderationes circa nonnulla Conc. Trid. decreta regulares perſonas Ordinum Mendicantium, eorumque inſtituta concernentia edidimus, & promulgavimus. Et quia, uti accepimus, illarum vigore ſacerdotes regulares prædictorum Ordinum quandoque minus idonei, & inhabiles confeſſionibus ſecularium audiendis ab eorum Superioribus præpoſiti, abſque aliqua Epiſcoporum, ſed ſola Magiſtri Ordinis generalis, aut Provincialium miniſtrorum approbatione admittuntur.

Nos ſuper his pro debito paſtoralis officii, prout tenemur, ſalubriter providere volentes, tenore præſentium hac noſtra Conſt. perpetua ſancimus, decernimus, & declaramus, Decretum Conc. Trident. de approbatione Regularium audiendis confeſſionibus ſecularium præpoſitorum ab Epiſcopis facienda, obſervari debere etiam in omnibus Regularibus, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam ſub regulari diſciplina viventibus, etiam ſi ſint Lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum ſuorum licentia graduati, vel promoti, vel a ſuis Magiſtris Generalibus, vel Provincialibus miniſtris ſecularium confeſſionibus audiendis expoſiti. Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in civitate, & diæceſibus, ſuis prævio examine, approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari. Ab Epiſcopo autem ſucceſſore pro majori conſcientiæ ſuæ quiete examinari de novo poterunt.

Inhibentes quibuſcunque Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ut præfertur, ne vigore deputationis, & approbationis ab eiſdem Magiſtris, & Miniſtris Provincialibus, etiam quod illarum occaſione ab Ordinariis hucuſque tolerati fuerint, abſque ſpeciali in poſterum licentia, & approbatione ab Ordinariis obtinenda, ſecularium confeſſiones audire præſumant. Decernentes irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Qua lege nedum Lectores, & Magiſtri regulares obſtringuntur, ſed etiam ſeculares donati laurea S. Theologiç, & Juris Pontificii, juxta proſcriptionem contrariæ ſententiæ factam ab univerſalis Inquiſitionis Tribunali *an.* 1640 ut refert Bened. XIV. *Inſtitut. Eccleſiaſt.* LXXXXVI. 6. *Secundo loco*.

Urbanus deinde VIII. Conſtit. *Cum ſicut accepimus* 12. *Septem.* 1628. abrogavit quodcunque privilegium quibuſvis Ordinibus regularibus hactenus conceſſum audiendi ſecularium confeſſiones ſine prævio Ordinarii examine, & approbatione, nominatim etiam eos Regulares recenſens, qui niſi expreſſe nominati fuerint, non intelliguntur comprehenſi; idque ad eum finem, ne ab eadem Conſtitutione immunes ſe jactarent, ibi.

Cum, ſicut accepimus, aliquibus Religioſis quorundam Ordinum, ſeu Congregationum a Sede Apoſtol. indultum fuerit, ut ſacramentales perſonarum ſecularium confeſſiones audire valeant, etiamſi ab Epiſcopis diæceſanis ad id examinati, & approbati non fuerint; nec deſint, qui temere aſſeverent, hoc ipſum privilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere ex ampliſſimis privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apoſtol. obtinuerunt, & hinc ſaluberrimum S. Conc. Trident. decretum deſuper ſancitum penitus evertatur. Nos huic malo opportune providere volentes, omnia, & ſingula indulta hujuſmodi audiendi ſecularium confeſſiones abſque Ordinarii examine, & approbatione, quibuſvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societati Jeſu, Congregationibus, & Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcunque, etiam S. Benedicti, Ciſtercien. & Carthuſien. ac etiam quibuſvis Militiis, etiam Hoſpitalis S. Joan. Hieroſolymitani, ac quibuſcunque Eccleſiis, etiam patriarchalibus, & metropolitanis, monaſteriis, cæteriſque

locis piis, ſive eorum, & earum reſpective Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Provincialibus, Capellanis, Confeſſariis, aut aliis, quocunque nomine nuncupatis, Superioribus; & perſonis quibuſcunque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apoſtol. immediate ſubjectis, cujuſcunque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis exiſtentibus, & quovis privilegio munitis, & tam ad ſupplicationem partium, quam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtol. poteſtatis plenitudine hactenus quandocunque, & qualitercunque ex quavis, etiam de neceſſitate exprimenda cauſa, & alias quomodolibet conceſſa, Apoſtol. auctoritate, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribuſque, & effectu evacuamus, ac revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societatis Jeſu, Congregationibus, Ordinibus, ac Militiis, & Eccleſiis, monaſteriiſque prædictis, eorumque Superioribus, & perſonis quibuſcunque in poſterum ullo modo ſuffragari, minuſque illos, & illas, etiamſi de iis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis hujuſmodi uti poſſe.

Eadem Tridentins ſanctio ampliata eſt etiam a Gregorio XV. Conſtit. *Inſcrutabili 5. Feb. 1622.* ſtatuente, Regulares ne sudire quidem poſſe confeſſiones Monialium iiſdem ſubjectarum ſine dicta sprobatione: poſſe vero Epiſcopos Confeſſarios ſic deputatos, toties, quoties opus fuerit, amovere, ſi eorum Superiores moniti detrectaverint, vel negligentes fuerint in illis removendis, ibi. §. V.

Confeſſores vero, ſive ſeculares quomodocunque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo diæceſano idonei judicentur; & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.... Liceatque, Epiſcopo, ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, ut ejuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoveant; iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi, quoties, & quando opus eſſe judicaverit. =

Imo approbati in Confeſſonarios ordinarios pro uno monaſterio, non intelliguntur approbati pro alio, nec spprobati pro una vice, expleta deputatione, audire poſſunt ſine nova approbatione, toties, quoties, earumdem Monialium confeſſiones ex declaratione Clementis X. Conſt. *Superna 21. Junii 1670.* ut in §. IV. ejuſdem Conſtit. mox transcribendæ.

Qua tamen Epiſcopi approbstione, juxta aliquos, ne pro prima quidem vice indigent Generales, & Provinciales, ex indulgentia Bened. XIII. *Conſt.* CXIX. = *Paſtoralis officii ſolicitudo* = ſub die 27. *Martii 1726.* §. VIII. ibi.

Ab hujuſmodi tamen lege, & ordinatione ad ſupplicationem dilecti filii noſtri Ludovici S. R. E. Card. Beluga, & Moncada nuncupati..... eximimus Superiores Generales, ſive Provinciales cujuſvis Ordinis regularis, quibus, ut confeſſiones Monialium, ſibi tamen ſubjectarum dumtaxat, abſque hujuſmodi ſpeciali approbatione Epiſcopi diæceſani, audire licite, & valide poſſint, permittimus, & indulgemus.

Verum circs hoc Indultum hæc habet Cenſor in nuperrimis Additiombus ad Promptam Bibliothecam Lucii Ferrsris, verbo = *Approbatio art.* III.
,, *n.* 15. = Ex quo Benedictus XIII. in Bulla incip.
,, *Paſtoralis officii*, ut notat clariſs. Auctor (quam-
,, quam mihi percurrenti Conſtitutiones præſati
,, Pontificis nullatenus occurrerit) pro Regnis Hi-
,, ſpaniarum indulſerit Generalibus, aut Provincia-
,, libus ſuperioribus, ut Monialium ſibi ſubjectarum
,, confeſſiones abſque Epiſcopi approbatione audire
,, poſſint: quomodo inde regula generalis firmetur,
,, idem eis ubique locorum licere, non video. At,
,, inquit., Benedictus XIV. Conſtitutiones = *Supre-*
,, *ma*, & *Ubi primum* = editas pro Portugalliæ di-
,, tionibus, in alia Conſtitut. = *Ad eradicandum* =
,, declaravit, ubique locorum definitionis vim ſibi
,, vindicare. Verum inclytus Canoniſta non igno-
,, rat differentiam, quæ intercedit inter Conſtitu-
,, tiones, quæ pravum aliquod dogma, vel repro-
,, bandam aliquam conſuetudinem rectæ Sacra-
,, mentorum sdminiſtrationi adverſantem damnant,
,, & Conſtitutiones aliquod ſpeciale privilegium,
,, largientes. Priores firmam, & immobilem ubi-
,, que locorum habent auctoritatem. Aliæ vero
,, Provincisrum limites, in quorum favorem con-
,, ceſſæ ſunt, non excedunt. Hæc vel ipſis tironi-
,, bus notiſſima ſunt. Ex his prudens diſcere poteſt
,, lector, non omnia privilegia, quæ nonnumquam

a qui-

„ a quibuſcunque venditantur, ſecluſo examine, „ eſſe admittenda . = Cæterum cit. Conſtit. impreſſa legitur *Tom. XII. Bullarii Romani Romæ editi an. 1736. pag. 82.* eſtque la CXIX. in ordine.

A Gregoriana Conſtit. obſervatione neque eximuntur Confeſſarii, tam ordinarii, quam extraordinarii Monialium, Cardinalibus Protectoribus ſubjectarum, qui licet ſpecialiter in ea nominati non ſint, intelliguntur tamen in eadem comprehenſi, ut declaravit Alexander VII. per organum S. Viſitationis Apoſtolicæ, ſequenti decreto.

= Cum nuper S. Congregat. Viſitationis Apoſtol. innotuerit, in quampluribus monaſteriis, & domibus Monialium Urbis minime ſervari Conſtit. fel. rec. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, quæ incipit = *Inſcrutabili Dei providentia*, editam anno 1622. *Non. Febr.*, & Urbis Vicarium in iiſdem monaſteriis, ac domibus omiſiſſe *electionibus Abbatiſſarum intereſſe, ac præſidere, ab illorum Adminiſtratoribus adminiſtrationis rationes exigere*, = *CONFESSORES APPROBARE*, = & alia facere, quæ in eadem Conſt. provide ſancita ſunt, his ad SS. D. Noſtrum delatis, Sanctitas tua ex ipſius Congregationis ſententia innovandam duxit, & præſenti decreto innovavit memoratam Conſtit., juſſitque eam in omnibus, ac ſingulis monaſteriis, & domibus Sanctimonialium Almæ Urbis, a quibuſvis perſonis, cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, etiam S. R. E. Cardinalibus eorumdem monaſteriorum, & domorum, vel Ordinum, ſeu Congregationum Regularium apud Sedem Apoſtolicam Protectoribus inviolate obſervari, non obſtantibus indultis, exemptionibus, & privilegiis, aliiſque omnibus, quæ Conſtitutio ipſa voluit non obſtare: quibus omnibus, & ſingulis, quoad ea, quæ prædictæ Conſtitutioni, aut præſenti decreto quomodolibet adverſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, Sancitas ſua ſpecialiter, & expreſſe derogavit, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ *die 29. ſeptemb. 1660.*

Proſper Fagnan. S.C. Secret. = Quod decretum Romualdus Honoranti *in Praxi Secretariæ Tribunalis Cardin. Urbis Vicarii cap. XXI.* teſtatur eſſe in viridi obſervantia *ex libro Regeſtorum Confeſſariorum approbatorum pro Monialibus penes Secretariam Tribunalis ejuſdem Vicarii*.

Ab hac tamen lege eximuntur Confeſſarii Monialium Annunciationis prope arcum, vulgo *de Pantani*, & Barbarinarum de Urbe, qui approbantur ab ipſis dumtaxat Cardinalibus Protectoribus, cum ſubjectæ ſint eorumdem omnimodæ juriſdictioni quoad exercitium juriſdictionis, cum clauſula *in ſpiritualibus, & temporalibus*, ut ex Brevi Alexandri VII. ſub *die 6. Maji 1663.* pro primis, & Clementis IX. pro ſecundis ſub *die 16. Jan. 1668.* cum derogatione cit. Gregorianæ Conſtitut. & decreti Congreg. Viſitationis.

Redeundo ad cit. Clementis X. Conſtitutionem, hæc circa Confeſſariorum Regularium approbationem ſanciuntur, ibi.

Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſecularium in ſua diæceſi audiendas approbatos, non poſse in alia diæceſi eas abſque Epiſcopi diæceſani approbatione audire, quamvis pænitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, a quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſecularium confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum; ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium unius monaſterii, minime poſse audire confeſſiones Monialium alterius monaſterii. Itidemque Confeſsores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſse, expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi illarum confeſſiones audire; ſed toties ab Epiſcopo eſse approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Cæterum in monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia inſtituta vivitur, poſse tam Prælatos Regulares, quam Confeſsores Regularium eorumdem monaſteriorum, ſeu Collegiorum audire confeſſiones ☞ illorum ſecularium, qui inibi ſunt vere de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt. Illos autem Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Epiſcopis, ☞ generaliter quoque, & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in diæceſi propria admittendos. Quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Semel autem ſimpliciter approbatos poſse in diæceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore etiam paſchali, & quorumcunque etiam infirmorum confeſſiones audire ☞ abſque ulla parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem infirmorum parochum illico certiorem reddere; & hoc poſse illis ab Epiſcopo ſub pæna ſuſpenſionis a facultate audiendi confeſſiones præcipi: ſufficere tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit *Omnis utriuſque ſexus*, quoad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſse cenſendos. Regulares vero ad ejuſmodi confeſſiones audiendas, prævio examine, ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo; ſecus autem ſi ab ejus Vicario, aut ab anteceſsoribus Epiſcopis approbatos, non poſse ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eiſdem confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illi conceſsas revocari, ☞ niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas confeſſiones concernat (Idem declaraverat Innocentius X. Conſt. *Cum ſicut* 14. *Maji* 1647. in reſponſo ad Dubium II. pro parte Religioſorum Societatis Jeſu propoſitum) de qua tamen (*cauſa*) haud neceſsarium eſse, ut in actis conſtet; nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit.

Porro, ſi Regulares cum ſcandalo, aut alias inhoneſte vivant; vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur a confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſse volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti pænitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas, utique eam cauſam ad confeſſionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quominus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares a ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere a confeſſionibus audiendis, ☞ Attamen confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius conventus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtol., nullatenus poſſe. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave privilegia Regularibus cujuſcunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam Jeſu, conceſſis, factam, eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares a Sede Apoſtol. poſt Sacr. Concilium Trident. obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi a caſibus, Epiſcopo reſervatis.

Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtol. reſervatis, non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere. Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea diæceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia diæceſi a peccatis, in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pænitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam diæceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe. Vigore ſupradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte, abſolvere pænitentes a cenſuris quoad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro pænitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori judicio, & contentioſo. Quinimo cenſuris eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiamſi a Regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis privilegiis coram Epiſcopo, ab eo judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur, ſi dictorum privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua, non eſſe ad Metropolitanum provocandum, ſed cum ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtol. judicio, prout alias Conſtitutione Prædeceſſoris noſtri fel. rec. Clem. IV. ſtatutum fuit; eſſe requirendam.

Huic Clementinæ Conſtitutioni, quoad Confeſſarios ordinarios, & extraordinarios Monialium, acceſſit Conſt. Benedicti XIV. *Paſtoralis curæ* 5. *Aug.* 1748. in qua prohibetur Confeſſario ordinario Monialium, ac etiam cujuſcunque piæ domus, durante Confeſſario extraordinario, qui deputari debet, ut infra, audire confeſſionem cujuſque monialis, ſive Superioriſſæ, ſive novitiæ, ſive converſæ, aut alterius cujuſcunque perſonæ intra monaſterium, aut piam domum commorantis, juxta diſpoſita a Clemente XI. in ſuo edicto publicato pro Sanctimonialibus quorumcunque monaſteriorum Almæ Urbis die 12. Decem. 1708. quod eſt XV. in ſecunda parte ipſius Bullarii, quodque hic Benedictus confirmat. Inſuper in hac ead. Conſtit. præcipitur tam Epiſcopis, quoad domos, aut monaſteria eorum regimi ſubjecta, quam Superioribus regularibus quoad illas communitates, quibus præſunt, ut meritis pœnis contravenientem coerceant, & afficiant.

Pæna ſtatuta in laudato edicto, ad quod Pontifex ſe refert, contra Confeſſarium, eſt privatio ab hujuſmodi officio: contra moniales vero apud ipſum confeſſionem ſacramentalem peragentes, quoad Superioriſſam privatio ab officio, quoad moniales vocis activæ per unum annum, quæ tamen pænæ ſunt ferendæ ſententiæ.

Con-

Confeſſariis vero extraordinariis deputatis alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui perſonæ diſtinctæ, inhibetur = ſub pœnis = (ſunt verba Benedictinæ Conſtitutionis) adverſus accedentes ad monaſteria monialium, & cum ipſis converſantes, præſertim Regulares, a Prædeceſſoribus noſtris quomodocunque ſtatutis, (quas etiam præſentium vigore confirmamus, & innovamus) ne poſtquam ſuum officium impleverint, ad idem monaſterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipſum quomodocunque continuare, & fovere, etiam ſub ſpiritualis cauſæ, aut neceſſitatis obtentu, & colore audeant, aut præſumant = In cit. Clementis edicto contra hos ſtatuta eſt pœna Carceris, ac aliæ arbitrariæ, ſi expleto officio, ſe ingerant in directione ſpirituali, etiam per literas, quarumcunque ex ſupra enunciatis intra ſepta monaſterii degentibus: contra Superioriſſam vero, & moniales pœna privationis officii, & reſpective vocis activæ, & paſſivæ, ut ſupra.

Pœnæ autem, quibus hic Pontifex ſubjacere declarat accedentes ad monaſteria monialium, & cum ipſis converſantes, præſertim Regulares, relatæ ſunt par. 1. pag. 217.

Ad prohibitionem abſolvendi a caſibus Epiſcopo reſervatis quod ſpectat, de qua in principio hujus §. *Et habentes*, attendenda eſt ſequens Propoſitio proſcripta ab Alexandro VII. ſub die 24. Septem. 1665. la XII. in ordine = *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate* =.

Cæterum, ſi Regulares ab Epiſcopo jam fuerint approbati ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum juxta Conſt. Greg. XV. has a caſibus ipſi reſervatis abſolvere poſſunt eum ſola facultate ſuorum Prælatorum = præterquam quoad caſus, quos Epiſcopus ſibi reſervaverit in materia clare ſpectante ad juriſdictionem delegatum = ut declaravit Cong. Conc. in Colonien. ad II. 16. *Novembr.* 1720. *in Theſaur. Reſolut. ejuſd. Congreg. Tom. I. pag.* 393.

Ad tramites Clementinæ ſanctionis contentæ in allato §. *Ad hoc*, Alexander VII. *die* 30. *Januar.* 1695. declaravit, falſam, temerariam, ſcandaloſam, & erroneam hanc Propoſitionem = Non poſſunt Epiſcopi limitare, ſeu reſtringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque ulla ex parte revocare, = quæ Propoſitio relata eſt a Bened. XIV. *lib. IX. de Synod. Diœc. cap. XVI. n.* 7. *& Inſtit. Eccleſiaſt. LXXXVI. §. Tertio facultatem*.

Cui acceſſit etiam declaratio Innoc. XIII. Conſtit. *Apoſtol. Miniſterii* 13. *Maji* 1723. ſuper Eccleſiaſtica diſciplina in Regnis Hiſpaniarum, quam, ut alias dixi, Bened. XIII. Conſt. *In ſupremo militantis die* 23. *Septembr.* 1724. confirmavit, & omnibus Epiſcopis pro norma propoſuit §. XVII.

Declaramus, Sacerdotes, tam ſeculares, quam regulares, qui ab Epiſcopis obtinuerint licentiam audiendi confeſſiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad genus perſonarum, vel quoad tempus, non poſſe Pænitentiæ ſacramentum adminiſtrare extra tempus, vel locum, vel genus perſonarum, ab ipſis Epiſcopis præſcriptum, quocunque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur *Cruciatæ Sanctæ*, competente nullatenus ſuffragaturo. Cumque idem Innoc. XII. Prædeceſſor per ſuas die 19. Apr. 1700. expeditas literas decrevit, Sacerdotibus tam ſecularibus, quam regularibus non licere confeſſiones eorum, a quibus ex Indulto prædictæ Bullæ Cruciatæ ad id electi fuerint, audire, abſque præcedenti approbatione Ordinarii illius loci, in quo ipſi pænitentes degunt, & Confeſſores eligunt, etiamſi ab Ordinariis aliorum locorum antea approbati fuiſſent, ac etiamſi pænitentes Ordinariis illis, qui Confeſſores electos approbaſſent, ſubditi eſſent; necnon confeſſiones aliter factas, ac reſpective exceptas nullas fore, irritas, & invalidas, & Confeſſores ipſo jure ſuſpenſos eſſe: Nos eamdem Conſtitutionem approbantes, confirmantes, & innovantes; declaramus inſuper, prædictis Sacerdotibus, tam ſecularibus, quam regularibus ad confeſſiones excipiendas, vel ex vi prædictæ Bullæ Cruciatæ, vel ex quocunque alio privilegio electis ſuffragari minime etiam poſſe, quod approbati alias fuerint ab Epiſcopo illo, qui aliquando fuerit Ordinarius loci, in qua confeſſiones audiendæ ſint, ſed talis tunc temporis amplius non exiſtat, vel quia ab humanis exceſſerit, aut Epiſcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam Eccleſiam auctoritate Apoſtol. translatus reperiatur; ſed neceſſariam omnino eſſe illius, qui actualiter, & pro tempore ordinariam juriſdictionem in ea diœceſi exerceat, approbationem. Hæc tamen ſuffragetur, etiam tacita, eaque adeſſe cenſeatur, quouſque præcedens licentia, ſive approbatio duret, & revocata ab eo non fuerit; in quo caſu nova, & expreſſa impetranda erit, ſi illa præcedenter obtenta, vel per temporis adſcripti lapſum expiraverit, vel per poſteriorem revocationem ſublata fuiſset.

Nec Confeſſarii Regulares quoad locum audiendi fidelium confeſſiones tueri ſe poſſunt allata Clementis X. Conſtit., quod in ea nulla loci limitatio fiat, ac proinde illas audire poſſint etiam in privatis eorumdem fidelium domibus, cum idem Pontifex declaraverit in prædicta ſua Conſtit. = nullam facul-

facultatem fuiſſe tributam Regularibus audiendi confeſſiones ſacramentales in privatis domibus : ac proinde minime licere eiſdem Regularibus cujuſvis Ordinis &c. Sacramentum Pænitentiæ adminiſtrare in domibus privatis extra caſus a jure permiſſos = Quam declarationem refert Bened. XIV. §. *XX. Conſtit. Magno 2. Junii* 1751. de tollendis abuſibus ab Oratoriis privatis, quæ ſunt in domibus laicorum.

Romæ Confeſſarii tam ſeculares, quam regulares audientes fidelium confeſſiones in privatis domibus ſine licentia Eminentiſſimi Vicarii, vel ejus Vices Gerentis, exceptis domibus Cardinalium, Oratorum Regum, & Magnorum Principum, necnon & Ducum, ac Nepotum Rom. Pontificis qui fuerunt, vel pro tempore erunt, declarantur ipſo facto ſuſpenſi ab audiendis confeſſionibus, ex Decreto S. Cong. Viſitationis de mandato Urbani VIII. ſub die 10. Julii 1625.

In eadem Inſtitutione LXXXVI. §. *Ultimo loco* laudatus Benedictus fuit in ſenſu, quod Regulares, etiam ſemel approbati ab eodem Epiſcopo, eximere ſe nequeant a novo examine, ſi ad illud iterum vocentur, cum Gregorii XIII. Conſtit. *In tanta 1. Martii* 1573. redegerit ad tramites juris communis, & Conc. Trident. Conſtitutionem S. Pii V. *Romani Pontificis*, ob quam §. II. Regulares ſemel ad confeſſiones audiendas ab aliquo Epiſcopo approbati, examinari amplius ab eodem non deberent, niſi a ſucceſſore Epiſcopo pro majori conſcientiæ ſuæ quiete. Verum hoc hodie intelligendum eſt juxta declarationem allatæ Conſt. Clementis X. §. *Et eos.* In dicta Gregorii Conſtitut. redactæ etiam ſunt ad eoſdem terminos aliæ præfati S. Pii Conſtitutiones, varia circa hanc materiam Regularium privilegia continentes, videlicet Conſtit. *Ad hoc ſub die 23. Septem.* 1571. *Et ſi Mendicantium 16. Maji, & Ex ſupernæ 16. Auguſti* 1567.

Quod ſi Regulares, etiam injuſte, ab Epiſcopo reprobarentur, nullatenus ſecularium confeſſiones audire poſſent, ex contrario ſenſu ſequentis Propoſitionis, la XIII. in ordine, ab Alexandro VII. proſcriptæ *die 24. Sept.* 1665. = Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato. =

His omnibus ſanctionibus obſtringuntur etiam Regulares Miſſionarii, ita ut ſecularium confeſſiones audire nequeant ſine approbatione Vicariorum a Sede Apoſtol. deputatorum in partibus Infidelium, quibus ſubjecti omnino eſſe debent in concernentibus animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem juxta decreta, apoſtolica auctoritate confirmata, primum ab Innocentio XII. per literas in forma Brevis datas die 5. *Novemb.* 1696. poſtea a Bened. XIV. per ſimiles literas datas die 2. *Sept.* 1745. de quibus mentionem facit in §. X. ſuæ Conſtitutionis *Apoſtolicum miniſterium* 30. *Maji* 1753. continentis regulas obſervandas a Vicariis Apoſtolicis in Anglicanis Miſſionibus, quin idem Regulares Miſſionarii ab eis ſe eximere poſſint intuitu privilegiorum, hactenus ipſis a Romanis Pontificibus conceſſorum, & præſertim ab Urbano VIII. audiendi ſcilicet ſecularium confeſſiones ſine approbatione Superioris eccleſiaſtici, quantumvis Epiſcopi Titularis: cum dicta privilegia conceſſa fuerint antequam prædicti Vicarii Apoſtolici deputati fuiſſent cum omnibus facultatibus = quibus Ordinarii in ſuis civitatibus, & diœceſibus utuntur = ut refert laudatus Bened. *de Synod. Diœc. lib. IX. cap. XVI. n. 8. & in* cit. Conſt. *Apoſtolicum miniſterium*, in cujus §. VIII. Anglicanis Miſſionaribus hoc circa examen indulget, ibi.

At vero quoniam Miſſionarii, & in primis Regulares, longa, & difficilia ſuſcipiunt itinera, relictis cænobiis, in quibus verſantur, ut in Angliam ad obeundas Miſſiones ſe conferant, ne dubietas admiſſionis ad confeſſiones audiendas in ſubeundo examine illos ab Apoſtolico munere deterreat, cavebunt in poſterum, antequam relinquant monaſteria, in quibus degunt, & in Angliam tendant, cavebunt, inquam, examen ad confeſſiones ſecularium audiendas ſubire coram Ordinario, & Examinatoribus loci, in quo ſitum eſt monaſterium, & conſequi teſtimonium, quo idonei declarentur; quod inſuper poterit indicari Vicariis Apoſtolicis, in Anglia commorantibus per literas Ordinarii, qui ad examen eos excepit, & peritos, idoneoſque judicavit. Quod ſi cuiquam ex Regularibus commodius, atque itineri opportunius videtur, Bruxellis ante Apoſtolicum Nuncium propriæ ſcientiæ periculum facere, id erit eorum in libitu; cum utraque ratione duplex auferatur incommodum; unum ſcilicet, ne Regulares animum, mentemque dimoveant a Miſſionibus Anglicanis, eo timore, ne a Vicariis Apoſtolicis admittantur ad ſecularium confeſſiones excipiendas; alterum vero, ne iidem Vicarii deſtituantur auctoritate adprobandi illos, qui intra limites ſuæ Juriſdictionis Pænitentiæ Sacramentum velint adminiſtrare.

Et quamvis ex Brevi Urb. VIII. dato Cardinali de Sandoval *an.* 1639. & ex cit. Conſt. Clementis X. *Superna*, Confeſſarii munus Regularibus deferri poſſit ſine temporis terminatione, vel cum limitatione, Miſſionariis tamen Regularibus in Anglia degentibus idem Benedictus in dicta Conſtitut. §. IX. deferendum decrevit ad ſexennium, atque ad aliud ſexennium confirmandum ſine prævio examine, ibi.

Quæ

Quæ cum ita ſint, ut omni diſſidio aditus occludatur, decernimus, atque ſtatuimus, ut facultas ſuperius expoſita, a Vicariis Apoſtolicis Regulari examinato, & approbato concedenda, ad ſexennium ſine prævio examine confirmetur, cum Regulares Miſſionarii, iis peractis, quæ *num.* XX. exponentur, Anglicanæ Miſſionis exercitium denuo ſuſcipient.

Quæ autem peragenda ſint a dictis Miſſionariis, contenta in enunciato num. XX. ad obtinendam præfatam confirmationem, ſunt, ut quilibet ex iis. =

Poſt ſingula ſexennia ad catholicas Regiones ſeſe reſtituat, propriæ familiæ regularis clauſtra ſubeat, religioſum induat habitum, ibique per tres integros menſes commoretur, atque interim ſpiritualibus exercitiis per quindecim dies ſedulo incumbat. Hinc eſt, quod Vicarii Apoſtolici, quorum arbitrio, atque prudentiæ, uti expoſitum eſt, committitur poteſtas communicandi Miſſionariis facultates *formulæ ſecundæ*, ipſam *ultra ſexennium* non debebunt prorogare, ſed impertiri ad ſummum *ad ſexennium*, *& interim ad libitum*, eamque, ſi conſentaneum judicaverint, ſimili modo reſtituere, cum Regulares, abſoluto jam præſcripti ſeceſſus tempore, ad Miſſionem revertentur.

Tandem examine, & approbatione Ordinarii pro audiendis ſecularium confeſſionibus indiget quilibet Sacerdos, etiamſi agatur de confeſſione venialium, aut letalium alias abſolutorum, ut declaravit Innocentius XI. in decreto de frequenti Communione 12. *Feb.* 1679. ut notavi pag. 890. & ſeq.

Non obſtantibus tamen dictis omnibus Pontificum ſanctionibus, & declarationibus, cavere debent Epiſcopi in impertinenda Regularibus facultate pro audiendis ſecularium confeſſionibus a reſtrictionibus appoſitis in quodam Epiſcopi edicto, quas Cong. Epiſcop., & Regul. moderata eſt ſequenti decreto, relato a Pignatelli = *tom.* X. *conſul.* 71. *num.* 6. = S. Cong. cenſuit, præfatum edictum moderandum, & corrigendum eſſe, prout præſentis decreti vigore moderatur, ac corrigit.... Quoad habitum, quo uti debent Regulares in adminiſtratione Sacramenti pænitentiæ, declaravit ſufficere, ſi audiant cum habitu eorum ordinario, & ſtola, juxta decretum alias emanatum ſub die 10. *Juli* 1625. a S. Cong. Viſitationis Apoſtolicæ. Quoad locum mandavit auſcultari in Eccleſia, & intra crates, quando tamen neceſſitas, vel rationabilis cauſa aliter non ſuadeat, ac etiam in Sacrario, vel alio decenti loco poterunt audiri. Super quo etiam declaravit, non licere Epiſcopis, neque per ſe, neque per ſuos deputatos viſitare confeſſionaria, ſive loca Regularium, ubi confeſſiones audiuntur, nec etiam ad effectum videndi, an ſint juxta ipſorum decreta, ſed hoc relinquendum eſt omnino viſitationibus ſuorum Superiorum. Similiter, inhærendo aliis decretis ab eadem S. Cong. emanatis, & præcipue 13. *Septemb.* 1641. noluit teneri Regulares petere licentiam ab Epiſcopo, vel Curato accedendi ad infirmos pro Sacramento pænitentiæ adminiſtrando, ſed ſufficere, ſi poſtea fidem habitæ confeſſionis in domo eorumdem infirmorum relinquant. Inſuper mandavit, tolli omnino ab eodem edicto verba illa, quibus de certo genere perſonarum fit mentio. Voluit ſiquidem, ut loquatur abſolute, ac ſimpliciter de omnibus, nulla facta ſpeciali mentione, ita ſcilicet, quod nemini adminiſtretur tale Sacramentum ante ortum, nec poſt occaſum ſolis, niſi tamen neceſſitas, vel rationabilis cauſa aliter ſuaſerit: in quo caſu voluit, & licere, & cum omnibus. Ulterius præcepit pænas omnes tam ſuſpenſionis, quam pecuniarias ab eodem edicto tollendas, caſſandas, & expungendas eſſe. =

Hactenus de Confeſſariis, tam ſecularibus, quam regularibus pro audiendis ſecularium confeſſionibus, cum prævia Ordinarii approbatione: nunc de eo qui parochiale beneficium obtinet, de quo in allato Tridentini decreto.

Cum ſæpius exortum fuerit dubium, an Parochus ſemel approbatus ad curam animarum, ſive parochiam obtinuerit prævio examine per nominationem Patroni laici, ſive per concurſum, iterum examinari poſſit ab eodem Epiſcopo, a quo inſtitutus fuit Parochus, nedum in actu viſitationis, ſed etiam extra, quando ſuperveniat vehemens ſuſpicio, aut ſemiplena probatio de illius imperitia, a S. Cong. Conc. ſub *die* 15. *Jan.* 1667. ad inſtantiam Epiſcopi Pampilonenſis reſolutum fuit, ut legitur *lib.* XXVI. *decretor. pag.* 108. = I. Poſſe Epiſcopum examinare Parochos, & Rectores ſemel approbatos ad curam animarum, quando adeſt vehemens ſuſpicio de illorum imperitia; II. poſſe ad hujuſmodi examen procedere etiam extra viſitationem; III. ad dictum examen faciendum haud neceſſe eſſe, ut judiciales probationes imperitiæ præcedant. = Secus autem, ſi nulla vigeat ſuſpicio ejuſdem imperitiæ, ut eadem Cong. *die* 22. *Septemb.* 1668. reſpondit præfato Epiſcopo.

Multo magis vero revocari poteſt ad examen, ſi agatur de Parocho a prædeceſſore Epiſcopo conſtituto, ut ex ſequentibus laudatæ Congregationis declarationibus, videlicet *die* 26. *Auguſti* 1628. *lib.* XIII. *decretor. pag.* 520. *a tergo*. = Sacra, &c. cenſuit, Epiſcopos ſucceſſores poſſe, ſuperveniente rationabili cauſa, iterum ex officio, etiam extra viſitationem, examinare Parochos alias ad Eccleſias parochiales approbatos. = Et 13. *Jan.* 1635. *lib.* XV. *pag.* 146. *a tergo*. = Sacra, &c. reſpondit, Epiſcopos ſucceſſores, ſuperveniente rationabili cauſa, poſſe etiam ex officio iterum examinare tam in viſitatione, quam extra, Parochos, quamvis

Regu-

Regulares, approbatos tempore proviſionis parochialium. =

Sæpius etiam exortum eſt dubium, an ſtatim ac quis legitime parochialem obtinuerit Eccleſiam, cenſendus ſit idoneus ad audiendas confeſſiones in tota diæceſi, in qua ſita eſt parochia; ad quod eadem S. Cong. reſpondit *in Tridentina* 17. *Auguſti* 1600. = Poſſe audire confeſſiones omnium commorantium in Civitate, vel Oppido, in quo ſita fuerit parochialis; non autem aliorum diæceſanorum, = ut *lib.* LVI. *Memorialium pag.* 711. idem reſpondit 23. *Maji* 1585. *&* 16. *Septemb.* 1613.

Poteſt tamen nedum ex unanimi DD. ſententia, ſed etiam ex declaratione ejuſdem Cong. Conc. audire confeſſiones ſuorum parochianorum extra diæceſim; cum illius juriſdictio ſit ordinaria, & voluntaria; non vero aliorum abſque licentia Epiſcopi, ut ex reſponſo Congregationis ad ſequens dubium relatum a Benedicto XIV. Inſtit. *Eccleſiaſt.* LXXXVI. § *Primum ſane.* = An Curati unius diæceſis vocati a Parochis alienæ diæceſis poſſint in iſta audire confeſſiones tam ſuorum ſubditorum, quam alienorum abſque licentia Epiſcopi? *Reſponſum fuit* affirmative quoad ſubditos: negative quoad alios. =

Quæſitum item fuit ſupradictis diebus 23. *Maji*, *&* 16. *Septemb.* = An habeatur pro idoneo in ea Civitate, vel Oppido, ubi ſita eſt Eccleſia parochialis, poſtquam ipſam parochialem dimiſit, itaut verbum poſitum in cap. XV. Seſſ. XXIII. *beneficium obtinet*, intelligatur, vel obtinuerit: Cong. cenſuit, non haberi. =

Nota I. Quod cum allatum Tridentini decretum reſtringatur ad Confeſſarios ſecularium dumtaxat, inde ſequitur, quod Confeſſarii regulares pro excipiendis ſuorum Regularium confeſſionibus non indigeant approbatione Epiſcopi, ſed Generalis, vel Provincialis, cui utpote habenti juriſdictionem quaſi epiſcopalem in ſuos ſubditos competit hujuſmodi facultas ex jure communi, cum Tridentinum circa hoc nihil innovaverit. De qua facultate expreſſe etiam conſtat ex Conſtit. Clementis VIII. inſerta, & confirmata ab Urbano VIII. Conſtit. *Sacra Congregatio* 21. *Septemb.* 1624. ubi in decreto ſuper caſuum reſervatione a Superioribus regularibus obſervando, §. III. mandatur Superioribus, ut in ſingulis domibus deputent duos, vel plures Confeſſarios pro excipiendis ſuorum Religioſorum confeſſionibus, ut videre eſt, pag. 841. =

Clariſſime inſuper eadem facultas comprobata legitur in alia Conſtit. dicti Clementis, *Romani Pontificis* 23. *Novem.* 1599. in cujus §. II. ita ſe declarat, ibi, =

Noſtræ intentionis exiſtere, quod iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum pænitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubjecti ſint, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo declaramus,

De Monialibus autem hodie aliter obſervandum eſt, ut ex ſupra relatis Apoſtolicis Conſtitutionibus.

Vi hujus facultatis ex unanimi DD. conſenſu poſſunt Prælati regulares, ideſt Generales, & Provinciales (non vero Superiores locales, cum his non competat juriſdictio quaſi epiſcopalis) licentiam impertiri ſuis ſubditis, ut tam intra, quam extra clauſtra degentes (puta occaſione itineris, vel concionis habendæ, vel ex alia cauſa) confiteantur cuilibet Sacerdoti tam ſeculari, quam regulari alterius Ordinis; approbato tamen ab Ordinario, non vero ſimplici, ut turba Moraliſtarum ſentit; a quorum opinione omnino recedendum eſt, attenta noviſſima declaratione Cong. Conc. in Cauſa *Hildeſimen*: propoſitis enim ſibi dubiis ab Epiſcopo 16. Septem. 1769. I. an tales confeſſiones (factæ nempe a Regularibus Sacerdoti ſimplici, etiam de licentia ſuorum Superiorum) licitæ ſint. II. an, ignorante Epiſcopo, validæ fuerint. III. an, Epiſcopo ſciente, & contradicente, in poſterum peragendæ, validæ futuræ ſint, Sac. Cong. die 18. Novemb dicti anni reſpondit = Negative in omnibus, & amplius. =

An autem Regularis alterius Ordinis debeat eſſe approbatus ab Ordinario, vel ſufficiat, ut approbatus ſit a Prælato ſuæ Religionis, controvertunt DD. Gaudentius a Janua *tom* II. *de Viſit. Prælat. Regul. cap.* VII. *dubio* XX. *Sect.* I. *n.* 5. ſuſtinet, ſufficere approbationem Prælati regularis. Gaudentino, cæteriſque Auctoribus idem ſentientibus favere videtur Benedictus XIV. qui in Conſtitut. *Quod communi* 30. *Martii* 1742. §. II. declarat, ut quilibet ex Ordine Capuccinorum, ſive Sacerdos, ſive Converſus cum debita licentia extra clauſtra degens, ſi nullum ex dicto Ordine Confeſſarium reperiat, confiteri poſſit peccata ſua cuilibet Sacerdoti ſeculari ab Ordinario loci approbato, & etiam Regulari: dummodo approbatus ſit = *a ſuo Superiore Regulari ad ſacramentales confeſſiones excipiendas*. = Verum cum id ſpeciatim indultum ſit Religioſis Ordinis Capuccinorum dumtaxat, ſtatui nequit generalis regula pro Religioſis cæterorum Ordinum; ideoque, cum agatur de adminiſtratione Sacramenti, ſentio, non recedendum eſſe in praxi pro aliis Regularibus a contraria ſententia, utpote tutiori. Licet enim hic agatur de ſola opinione probabili circa juriſdictionem miniſtri, & non de materia, & forma, in quo ſenſu dumtaxat authumant DD. habere locum hanc Propoſitionem, la prima in ordine, proſcriptam ab Innocentio XI. 2. *Martii* 1679. = Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis, aut epiſcopalis. = repetam tamen hic a me notata in Additionibus ad *Theſaurum de Pœnis cap.* II. *verbo Abſolutio* cum clariſſimo Auctore Paulo Comitulo Societatis Jeſu, *lib.* VI. *Reſolution. Moralium* q. 58. n. 10. aſſerente = Sicut in Sacramentis vera requiritur forma, & vera materia, ita verſus, non opinatus miniſter. = Cui adſtipulatur etiam Joannes Cardenas, alter ejuſdem Societ. Auctor, qui *differt.* I. *cap.* VI.

Digitized by Google

cap. VI. *art.* 4. *n.* 137. *& ſeqq.* ad Propoſitionem I. ab Innoc. XI. proſcriptam, luculenter probat, neceſſario requiri opinionem certam, etiam quoad juriſdictionem in miniſtro: imo addit, contrariam ſententiam ſubjacere damnationi dictæ Propoſitionis, ibi = Quamvis non pauci Auctores cenſere videantur, licite poſſe abſolvi pœnitentem a Confeſſario, cui ſolum ineſt juriſdictio probabilis; illud tamen certum ſupponendum eſt, opinionem, quæ aſſerit, abſolvi poſſe cum ſola juriſdictione probabili, & eſſe certo falſam, & huic damnationi ſubjacere: eſt enim certo falſum, quod licet exponere fruſtrationi Sacramentum pœnitentiæ: atqui Sacerdos abſolvens cum ſola juriſdictione probabili, exponit fruſtrationi Sacramentum pœnitentiæ, ergo eſt certo falſum, quod licet. Major eſt evidens, & conſtat etiam ex damnatione: minor patet; nam ſi coram Deo non eſt vera ea opinio probabilis de juriſdictione Sacerdotis, ille quidem abſolvit ſine juriſdictione, atque adeo abſolutio eſt nulla. =

Cæterum nedum in Baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis aut epiſcopalis collatione utendum non eſt ſententia probabili, ut admittit citata Propoſitio, ſed etiam in cæteris omnibus, ubi agitur de ſalutis noſtræ negocio, deque divinæ offenſæ periculo.

Nota II. Dixi in præcedenti §. *Vi hujus*, non competere Superioribus localibus facultatem deputandi Confeſſarios pro excipiendis ſuorum Religioſorum confeſſionibus; ſed ex conceſſione cit. Conſtit. Clementis VIII. ab hac generali regula excipitur caſus deputationis Confeſſarii Novitiorum, ſemel, vel bis in anno faciendæ, ſi ita expedire judicaverint, ibi §. XVII.

Magiſtro ſoli Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat autem Superiori etiam locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per ſeipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel, aut bis in anno eorumdem Novitiorum confeſſiones audire.

SECTIO CVI.

Eadem Seſſio XXIII. cap. XVI. de Reform.

CUm nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis; S. Synodus, veſtigiis VI. Canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus; nec in certis vagetur ſedibus. Quod ſi locum, inconſulto Epiſcopo, deſerverit, ei ſacrorum exercitium interdicatur. Nullus præterea Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarii literis ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur.

Primæ hujus decreti parti, in qua ſtatuitur, neminem ordinari debere, quem Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ utilem, & neceſſarium non judicaverit, acceſſit declaratio Congregationis Concilii, confirmata a Gregorio XIII. contenta in reſponſo dato ſub die 21. Aprilis 1668. ad Cardinalem Antonium Barberinum, Archiepiſcopum Remenſem, Apoſtolica Limina viſitantem, prout legitur lib. XVI. *Literarum viſitationis ſacrorum Liminum* pag. 401. tenoris ſequentis. = Cum nullus ordinari debeat, quem Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ utilem, aut neceſſarium non judicaverit, Congregatio non ſemel declaravit, ab hujuſmodi judicio nullam dari appellationem, ſed recurſum dumtaxat ad Sedem Apoſtolicam, quæ juxta ipſius Congregationis ſententiam, per Gregorium XIII. fel. record. approbatam, quotieſcunque Ordinarius recuſaverit quemcunque ordinare, Metropolitano, aut viciniori Epiſcopi committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat cauſam recuſationis, quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recuſatum ordinare. Itaque, ſi qui ex diœceſanis Epiſcoporum Eminentiæ Veſtræ provincialium Sedem Apoſtolicam adiverint, juxta prænarratam formulam, eorum querimoniis conſuletur; cui formulæ ut unum in præſens addatur, cenſuerunt expedire EE. PP. videlicet, ut Metropolitanus, aut vicinior Epiſcopus, antequam commiſſas ſibi partes exequi aggrediantur, paterne curent, ut illi denuo apud ſuos Epiſcopos per tres vices ſuppliciter petant. =

Obſervatia vero ſanctionis in ſecunda ejuſdem decreti parte contentæ, injuncta legitur §. II. Conſtit. Innocentii XIII. *Apoſtolici miniſterii* 13. Martii 1723. pro reſtauranda diſciplina eccleſiaſtica in Regnis Hiſpaniarum, quam poſtea Benedictus XIII. Conſt. *In ſupremo militantis Eccleſiæ* 23. Septemb. 1724. nedum confirmavit, ſed etiam ab omnibus per orbem Epiſcopis pro norma haberi voluit, ibi. =

Et tam in his, qui ad Primam Tonſuram, quam in aliis, qui promoveri ad Ordines, etiam minores, optaverint, omnino ſervetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita; nimirum, ut nullus ordinetur, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis,

aut neceſsarius ſuis Eccleſiis, quique illi Eccleſiæ, vel pio loco, pro cujus utilitate, aut neceſſitate aſsumitur; non adſcribatur, ubi re ipſa functiones muneri ſuo conſentaneas exerceat. Quod ſi qui modo reperiantur, vel clericali Tonſura jam initiati, vel ad Ordines ſive minores, ſive majores jam promoti, qui nulli certæ Eccleſiæ, vel loco pio adſcripti fuerint, Epiſcopi adſcriptionem hujuſmodi, vel a ſeipſis, vel a Prædeceſsoribus ſuis omiſsam, ſtatim ſuppleant, non minus quoad omnes in majoribus Ordinibus, etiam Presbyteratus, conſtitutos, quam quoad eos, qui vel ſola Prima Tonſura, vel minoribus Ordinibus initiati, beneficium tamen eccleſiaſticum poſſident. Ex reliquis autem, ut præfertur, vel ſola Prima Tonſura inſignitis, vel in minoribus Ordinibus conſtitutis, ſed beneficio carentibus, nonniſi eos adſcribant, quos Eccleſiis ſuis utiles, vel neceſſarios eſſe judicaverint.

Hanc eamdem adſcriptionem, & ſervitium a Clericis, etiam non beneficiatis, Eccleſiis, quibus adſcripti fuerunt, præſtandum idem Benedictus poſtea etiam præcepit in Concilio Romano, ab eo celebrato *an* 1725. *Tit.VI. cap. II. de ætat. & qualit. Præficiendor.* ibi. =

Clericali inſuper Tonſura nullus initietur, niſi eodem tempore Eccleſiæ illi adſcribatur, pro cujus ſervitio debet ordinari. Si vero ſint, etiam minoribus, aut ſacris Ordinibus inſigniti, qui nulli certæ Eccleſiæ fuerint adſcripti, Epiſcopi adſcriptionem hujuſmodi, etiam a ſuis Prædeceſſoribus omiſsam, ſuppleant, & pro arbitrio ſervitium, toties, quoties opus fuerit, præſtandum deſignent: quam adſcriptionem, quoad eos, qui jam promoti, extra diæceſim, vel ſtudiorum cauſa, vel alia, ab Epiſcopis probata; commorantur ad tempus, ipſiſmet Epiſcopis beneviſum, differri poſse indulgemus. Ita autem adſcripti, etſi Clerici ſint, etiam conjugati, aut beneficia, vel officia eccleſiaſtica non obtineant, ab Eccleſiæ ſervitio, cui fuerint deputati, feſtis diebus ſingulis, præſertim ſolemnioribus, ne abſint; propria ibi munia obituri; alias ad altiores gradus promovendi, non promoveantur, & jam promoti Epiſcoporum arbitrio pro inobedientiæ gravitate multentur. Creſcente vero contumacia, Epiſcopi, ultra pænas a Trident. Conc. indictas, poſt trinam canonicam monitionem, contra inobedientes, & contumaces procedant ad omnium uſque privilegiorum clericalium privationem: ſervata in reliquis nupera ſuper hoc Conſtitutione noſtra, quæ in citata exibebitur Appendice.

Difficultates vero, quæ occurrere poſſent Epiſcopis pro executione hujuſmodi adſcriptionis explanantur a Bened. XIV. *lib. XI. de Synod. Diæc. cap. II. n.8. & ſeq. edit. an.* 1755. cujus verba ex integro tranſcribo. ibi =

= Verum, ſi temporum circumſtantiæ, tum illæ, quæ Chalcedonenſis Concilii ætate vigebant, tum aliæ, in quibus res erant, dum Tridentinum decretum prodiit, multoque magis illæ, in quibus nunc verſamur, debita conſideratione expendantur; unuſquiſque intelliget, prioribus ſeculis, cum omnes Clerici, & miniſtri Sanctuarii, ut ſuperius innuimus, ex illius Eccleſiæ redditibus vivebant, pro cujus ſervitiis ad Ordines promovebantur, non ita difficile fuiſſe, præſtitutum ſyſtema hac in re conſtanter ſervare, ut ſcilicet nullius Ordinatio haberetur, niſi certæ alicujus Eccleſiæ miniſterio manciparetur; hic autem neque ſuſceptum officium deſerere, nec illud in alia Eccleſia exercere poſſet, neque demum plures ordinarentur miniſtri, quam Eccleſiarum uſus, ac neceſsitas poſtularet. Sed, cum ſequentibus temporibus beneficia eccleſiaſtica, quæ ſimplicia vocant, erecta fuerint, quorum Rectores reſidentiæ onere non tenentur; cum ii dumtaxat, ſi vere loquamur, Eccleſiæ ſervitio cum perſeverandi obligatione nunc adſcribantur, qui in metropolitanis, cathedralibus, & collegiatis Eccleſiis, Canonicatus, atque Præbendas, aliaque perpetua beneficia reſidentialia obtinent, vel Eccleſiis parochialibus, aliiſque beneficiis curatis præficiuntur; præterea cum poſt Concilium Chalcedonenſe, & ante Concilium Trident. admiſſa fuerint Clericorum patrimonia pro ſufficienti Ordinationis titulo; atque intra id ipſum temporis curriculum Sacrificiorum numerus, & Communionum, ac Confeſsionum frequentia magnopere excreverit; quæ omnia plures operarios, atque miniſtros requirunt: quis unquam, ſide bona, contendere valeat, non modo nullam Ordinationem haberi ſine ordinati adſcriptione ad alicujus Eccleſiæ ſervitium, ſed etiam hujuſmodi ſervitium ab eo deſeri non poſſe, quin pænas a Chalcedonenſi Concilio, aliiſque antiquis Canonibus ſtatutas incurrat?

Difficultatem hanc recte animadverterunt, ac diligenter examinarunt duo celebres Secretarii Congregationis Concilii, Carolus de Vecchiis, & Proſper Fagnanus, qui in quibuſdam ſuffragiis ſuis, magno ſtudio hac ſuper re elaboratis, videntes ex una parte, Concilium Trident. quodammodo innovatam voluiſſe Chalcedonenſis Synodi legem, quod indicant illa verba = *veſtigiis ſexti Canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo* = ex altera vero parte magnam

diſſe-

differentiam intercedere inter circumſtantias rerum, quæ Concilii Chalcedonenſis ævo, quæque Trident. Concilii temporibus obtinebant; cum etiam ipſa Tridentina Synodus = in præcedenti *Seſſ. XXI. cap. II. de Reform.* = Clericorum patrimonia certis in caſibus, de quibus infra dicemus, pro ſufficienti titulo ad ſacram Ordinationem haberi permiſerit: fateri coacti ſunt, præſcriptam quidem fuiſſe a Trident. Concilio adſcriptionem omnium ordinandorum ad alicujus Eccleſiæ ſervitium, deſumpto exemplo ab antiquorum Canonum ſtatutis; ſed hanc adſcriptionem diverſam omnino eſſe ab illa, quam antiqui Canones, & præcipue ſextus Concilii Chalcedonenſis, faciendam præſcripſerant.

Quod ſi quæratur, quænam igitur Epiſcopo in ſynodalibus Conſtitutionibus ſequenda ſit regula ad excludendum nimis magnum eccleſiaſticorum ſecularium numerum, ad faciendum idoneorum Clericorum delectum, ad obediendum Concilii Tridentini decreto, de omnibus Clericis certæ alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcribendis; hujuſmodi autem adſcriptionis quæ ratio adhiberi, qui uſus inſtituti poſſit; an denique ſperare liceat, Epiſcopi ſtudia in hac re ad normam ſacrorum Canonum dirigenda, felicem exitum habitura, nec ipſi potius novatoris nomen acquiſitura eſſe? in promptu erit reſponſio, & immutata rerum, & temporum conditione præcluſam non eſſe viam prudenti Epiſcopo, quominus ſynodalibus decretis, aliiſque opportunis legibus, & ſtatutis ſuperfluam, atque inutilem turbam ab Ordinatione ſubmovere valeat, nullam novitatis notam incurrendo, ſed tum indicatis ſuperius remediis, diſcreta quadam ratione utendo, tum aliis etiam, quæ ex ſacris Eccleſiæ Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus deſumi poſſint.

Cum enim ex ſupra dictis remediis primum ſit illud, quod epiſcopales ſcholæ, & Seminaria clericalia ſuppeditant, & hæc quidem, ſi non in omnibus, at certe in pleriſque diœceſibus reperiantur; complures ſunt ſynodales Conſtitutiones, quibus præſcribitur, pluresque ſunt diœceſes, in quibus pro lege obſervatur, ut ſacri Ordines nemini conferantur, qui vel multos annos, vel ſaltem definitum aliquod temporis ſpatium in Seminario non tranſegerit: ex quo ſane duplex utilitas conſequitur, nimirum, ut & ordinandorum numerus minuatur, & idonei tantummodo in Clerum adſciſcantur, qui vocationis ſuæ indicia minime dubia præbuerint. Videantur Conſtitutiones ſynodales S. Franciſci Saleſii, a Præſule de Alex, illius ſucceſſore coordinatæ, & auctæ. Videatur etiam Concilium Romanum ſub Benedicto XIII. habitum anno 1725. ubi innovato Canone duodecimo Concilii Turonenſis, anno 813. celebrati, ita ſtatuitur = *tit. XXX. cap. II. Omnes ad ſacros Ordines promovendos, per ſex ſaltem menſes continuos ante Ordinationem, in Seminariis reſpective, vel Epiſcopiis apud Epiſcopos omnino, ſacro hoc etiam approbante Concilio, commorari debere decernimus; alias nunc* pro tunc *ab Ordinibus ſuſcipiendis rejectos eſſe ſciant, nec cum eis, niſi prudenti Epiſcoporum arbitrio, diſpenſandum.* = Quibus conſonæ ſunt aliæ complures eccleſiaſticæ leges a prædicto Canonico Joanne in unum collectæ = in citata Hiſtoria *Seminar. Cleric. cap. VI. num.* 15. *& ſeqq.* = In iis itaque diœceſibus, in quibus Seminarium adeſt, & lex illa jam pridem inducta dignoſcitur, ut ii dumtaxat ad Ordines admittantur, qui certo temporis ſpatio intra Seminarii ſepta laudabiliter permanſerint, ſatis erit Epiſcopo hujuſmodi legis obſervantiam conſtanter, diligenterque tueri.

Omnis igitur difficultas hac in re ad eas diœceſes redigitur, in quibus aut Seminaria ſunt, ſed prædicta lex, & conſuetudo locum non habet, aut in quibus Seminarium, vel nimis anguſtum eſt, vel omnino non adeſt. Quod itaque ad priores illas diœceſes attinet, oportet, Epiſcopum ſuavibus modis ſuam mentem, ac deſiderium unicuique declarare, ſimulque rationes oſtendere, ob quas recta diſciplinæ ratio poſtulat, neminem ad ſacros Ordines promoveri, qui in Seminario epiſcopali aſſidue, vel aliquot ſaltem annorum, aut menſium numero commoratus non fuerit. Et quoniam ordinandi hanc excuſationem afferre ſolent, quod ipſi quidem Epiſcopi voluntati libenter obſecuturi eſſent, ſed ob paupertatem nequeunt alimenta Seminario perſolvere; in promptu erit viciſſim reponere, prætenſam hanc paupertatem ſubſiſtere non poſſe, niſi patrimonium fictum, aut inſufficiens ſit beneficium, quod pro Ordinationis titulo aſſignatum fuit: alioquin ex illius fructibus, atque redditibus, vel ſaltem modica ipſis acceſſione facta, alimenta prædicta perſolvi poſſent. Sed, quoniam experientia docet, quamlibet laudabilem conſuetudinem, ac diſciplinam, nonniſi paulatim, & per gradus introduci poſſe; & quia præterea, ut ſupra diximus, aliæ quædam diœceſes ſunt, in quibus, licet Epiſcopi forſan pro Seminarii erectione, aut ampliatione plurimum adlaboraverint, vel nullum, vel minus capax ad id, Seminarium adeſt: hoc unum reſtat in hujuſmodi caſibus adhibendum remedium, ut aliqua in civitate, ac reſpective in diœceſi deſignetur Eccleſia, ſive Oratorium, quo omnibus ſaltem diebus Dominicis convenire teneantur omnes, & ſinguli, qui in Clerum adſcribi, aut ad minores, majoreſque Ordines promoveri cupiunt, ibique duabus ad minus in ſingulos menſes vicibus, ſacramentali confeſſione præmiſſa, ſacram Euchariſtiam ſumere debeant. Hujuſmodi autem Conventuum, ſive Congregationum moderatores, & directores conſtituantur idonei, & probi Sacerdotes, ſeculares, aut regulares, pauciores, aut plures, prout Epiſcopo magis expediens viſum fuerit, qui & pro recto rerum ordine invigilent, & uniuſcujuſque agendi rationem ſcrutentur, quique ad congregatos ſermonem habeant non tam concionando, quam inſtructionis, & Cathechiſmi ritu, iis demonſtrando, quibus dotibus, atque virtutibus inſtructos eſſe oporteat illos, qui ad Sanctuarii miniſteria digne accedere cupiunt; quænam ratio vitæ, tum ex ipſo clericalis profeſſionis debito, cum ad proximorum ædificationem ſervanda ipſis erit, poſtquam in Clerum adſcripti, vel ad minores, aut majores Ordines promoti fuerint. Huic providentiæ, opportunis legibus conſtabilitæ, ſi diligens addatur cura, ut omnia exacte, ſtudioſeque impleantur, quod facile obtineri poterit, ſi ab Ordinibus arceantur illi, qui in ſtatutarum legum obſervantia deficere comperti fuerint; neque negligentiæ, quantum

in ipſo fuerit, neque novitatis nomine prudens Epiſcopus a malevolis argui poterit.

Sequitur, ut videamus de altero ex remediis ſuperius indicatis, nimirum de ordinandis omnibus certæ alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcribendis: quod quidem nonnullorum judicio, propter immutatas rerum, & temporum rationes, aut omnino jam fieri non poſſe, aut nullius fructus, & utilitatis nunc fore videtur. Verum, qui ſic exiſtimant, nullam idoneam cauſam afferre poterunt, cur ab Ordinationibus Clericorum excludi debeat eorumdem adſcriptio ad Eccleſiarum ſervitium. Hæc enim, ut ſupra dictum eſt, a ſacro Concilio Trid. præſcribitur. Hæc ipſa nuperrime a duobus ſummis Pontificibus Innocentio XIII. & Benedicto XIII. in ejuſdem Tridentini decreti executionem facienda ſtatuitur, & inculcatur, tam ſcilicet quoad illos, qui clericali Tonſura, & minoribus Ordinibus initiantur, quam quoad illos, qui ad majores Ordines provehuntur; hoc inſuper adjecto, ut, ſi omiſſa fuerit in Ordinationibus, ſive a prædeceſſoribus Epiſcopis, ſive ab ipſis tunc exiſtentibus Præſulibus antea peractis, omiſſio iſthæc per novam, ac generalem Clericorum omnium adſcriptionem ad Eccleſiarum miniſteria ſuppleatur. Quod ſi, præſentibus temporibus adſcriptio hujuſmodi non eos omnes effectus operetur, ac illa, quæ a Concilio Calcedonenſi, aliiſque antiquis Canonibus præſcripta fuit; non tamen omni utilitate deſtituta cenſeri debet, & maxime ſi parochialis fuerit Eccleſia, cui ordinatus adſcribitur, atque huic, quemadmodum par eſt, injungatur, ut ſuſceptum Ordinem in ea exerceat, ut eccleſiaſticis functionibus in eadem celebrandis inſerviendo aſſiſtat, ut in chriſtiana catecheſi exponenda Parocho ſuppetias ferat, ut eidem Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ad infirmos deferenti ſubſerviat; collationes de ſacris Ritibus, & de caſibus conſcientiæ cum ipſo Parocho habendas, frequentet; neque vero in Clerum admittantur, aut ad ſuperiores Ordines aliqui promoveantur, niſi qui hujuſmodi ſervitium diligenter a ſe præſtitum fuiſſe Eccleſiis, quibus adſcripti fuerint, authenticis teſtimoniis, & monumentis docuerint. Quia vero lex iſta ad continendos quidem in officio inferiores Clericos, & Miniſtros, qui ad Sacerdotium adſpirant, ſatis valida, & efficax eſſe poterit; ſed parem vim minime habebit quoad Presbyteros jam ordinatos, qui ulteriores ſibi gradus ab Epiſcopo conferendos non eſſe ſciunt: huic tamen alia opportuna media non deerunt, quibus Sacerdotes etiam adducere valeat, ut debitum ſervitium præſtent Eccleſiis, quibus eos in Ordinatione adſcripſit, ſeu aliis, quarum miniſteriis, ſic exigente diœceſis neceſſitate, eoſdem forſan addixerit. In occurrentibus enim beneficiorum eccleſiaſticorum collationibus, aliorumque officiorum, & adminiſtrationum proviſionibus, atque deputationibus, facile ipſi erit Sacerdotes ſibi obtemperantes, ac ſedulam eccleſiaſticis muneribus operam navantes, inobedientibus, ac deſidioſis præferre, ac debito honore remunerari, nec ullam unquam rationem habere illorum, qui ſibimetipſis, Eccleſiæque inutiles, ſatis ſibi occupationis eſſe putant, ſi quotidie Miſſarum ſacra faciant, in quo idcirco aſſiduos, & diligentes ſe præſtant, ut quotidianam eleemoſynæ ſtipem non amittant.

Et quidem his omnibus, quæ hactenus dicta ſunt, nihil impedimenti afferre poteſt aut introducta diſciplina beneficiorum ſimplicium, aut recepta conſuetudo ordinandi Clericos ad titulum patrimonii. Numquid enim beneficium ſimplex, aut patrimonium exemptionem alicui tribuere poteſt, ut Seminarium ingredi non teneatur, aut peculiaris Eccleſiæ miniſteriis adſcribi, eique inſervire nequeat. = Hactenus laudatus Benedictus.

Hoc unum notandum hic ſupereſt, quod ſi Clerici quicunque detrectaverint præſtare obſequia illi Eccleſiæ, cui in eorum Ordinatione adſcripti fuerunt, non ſunt multandi pœna pecuniaria; cum Tridentinum in allato *cap. XVI.* ſtatuat eis eſſe duntaxat interdicendum exercitium Sacrorum, ut declaravit Cong. Conc. 19. *Julii* 1618. *lib. LXIV. Memorialium pag. 653.*

Idem exercitium interdici poteſt, ſi, inconſulto Ordinario, eamdem Eccleſiam deſeruerint, ut dicta Cong. declaravit in *Anconitana* 14. *Februar.* 1609. *lib. XI. decret. pag.* 43. Etiamſi ordinati fuerint ad titulum patrimonii, ut declaravit in *Tiren.* 15. *Martii* 1625. *lib. LX. Memorialium pag.* 354.

Circa prohibitionem admittendi ad Divina celebranda, & Sacramenta quemcunque peregrinum Sacerdotem ſine literis commendatiis ſui Ordinarii, de qua in tertia dicti capitis parte, jam actum eſt ſupra hac eadem parte II. pag. 904.

S E C T I O   C V I I.

Eadem Seſſio XXIII. cap. XVIII. de Reform.

CUm adoleſcentium ætas, niſi recte inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas, &, niſi a teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfecte, ac ſine maximo, ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in diſciplina eccleſiaſtica perſeveret: S. Synodus ſtatuit, ut ſingulæ cathedrales, metropolitanæ, atque his majores Eccleſiæ, pro modo facultatum, & diœceſis amplitudine, certum puerorum ipſius civitatis, & diœceſis, vel ejus provinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio in loco convenienti ab Epiſcopo eligendo, alere, ac religioſe educare, & eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur.

Ere-

Erectio Seminariorum, ubi nondum facta reperitur, demandata legitur locorum Ordinariis Italiæ, & Inſularum adjacentium a Bened. XIII Conſtit. *Creditæ nobis 7. Idus Maji 1725.* & noviſſime a Benedicto XIV. Conſtit. *Ubi primum 3. Decembr. 1740.* monentibus Epiſcopos, ut in Cathedralibus, in quibus Seminaria hactenus erecta non ſunt, illa quamprimum erigi, ac omnino inſtitui curent, = *vel jam inſtituta amplificentur*, = ſi majori Alumnorum numero pro Eccleſiarum conditione opus ſit. =

Imo, ſi ita exigat earumdem Eccleſiarum neceſſitas, eſt in facultate Epiſcoporum unum, vel plura Seminaria in eadem diæceſi erigendi, juxta diſpoſita in hoc eodem Cap. XVIII. §. *in Eccleſiis autem*, cum hac tamen limitatione, ut in ſequenti decreto Cong. Conc. *in Lucana 21. Jan. 1617.* = Congregatio cenſuit, poſſe Epiſcopum unum, vel plura in diæceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere Seminaria, quæ ab illo uno, quod in civitate conſtitutum fuerit in omnibus dependeant. Ita tamen, ut ſi unum tantum erigere voluerit, totius diæceſis beneficia taxet pro illius contributione: ſi autem plura, pro quolibet Seminario taxet beneficia ejus partis diæceſis, quam ipſe cum deputatorum conſilio pro ſuo arbitrio, & prudentia deſignaverit. = Item cenſuit, hanc ob cauſam non teneri Synodum congregare, ſed ſatis eſſe, ut in erectione hujuſmodi obſervet formam a Conc. præſcriptam *cap. XVIII. Seſſ. XXIII.* =

Imo, ſi duæ Eccleſiæ cathedrales æque principaliter unitæ ſint, tenetur Epiſcopus, ut ſatisfaciat præcepto Concilii, in utraque Seminarium erigere: cum enim Concilium utatur diſtributivo verbo = *Singulæ* = refertur ad utramque Eccleſiæ Cathedralem: & ita etiam deciſum fuiſſe refert a S. Congr. Concil. Cardinalis Lanfredini in Reſponſ. XLVI. in *Valven. Erectionis Seminarii n. 3.*

Ne autem eadem erectio, ubi nondum effectum ſortita eſt, variis excuſationibus retardaretur, idem Bened. XIII. in d. Conſtit. ſtatuit, ut ſequitur, ibi.

Dum autem, ſicut accepimus, Seminaria pleriſque in locis ideo erecta minime reperiantur, vel quia Epiſcopi taxam conficere detrectant, ne illam a ſemetipſis incohare cogantur, vel quia beneficia ſimplicia, quorum diſpoſitio ad eos libere ſpectat, occurrente illorum vacatione, ſuis Familiaribus, aliiſve perſonis ſibi gratis, & benevisis conferre volunt; hinc eſt, quod Nos, omnem ſcopulum, ac obicem impeditivum boni ſpiritualis ab ejuſmodi Seminariorum erectione provenientis, e medio prorſus tollere, ac removere intendentes, motu .... Congregationem, Seminariorum nuncupandam, in qua Venerabiles Fratres Noſtri S. R. E. Cardinales, Congregationi ſuper negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, necnon Congregationi Interpretum Concilii Triden. præfecti, utriuſque Congregationis Secretarii, Datarius, ſeu Prodatarius, ac Subdatarius, nunc, & pro tempore exiſtentes eſſe debeant, tenore præſentium perpetuo erigimus, ac inſtituimus, ejuſdem Congregationis Secretarium illum ipſum, qui Congregationis Concilii prædicti Secretarius pro tempore fuerint, conſtituimus, ac deputamus; prædictæque Congregationi, ac illius Secretario omnium, & ſingulorum Seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non ſunt, erigendorum, & ubi erecta quidem ſunt, ſed ſufficientes non habent redditus, iis pro modo indigentiæ, ut præfertur, augendorum omnimodam curam committimus, ac demandamus; necnon ejuſdem Congregationis Deputatis prædictis ſemel ſingulis menſibus, & quoties opus fuerit, ſe congregandi, dictorum Seminariorum erectionem promovendi, jam erectorum ſtatum, & proventus recognoſcendi, eorum neceſſitatibus opportune conſulendi, taxas approbandi, reformandi, & augendi, numerum Alumnorum in ſingulis Seminariis taxandi, & præficendi, eumque pro modo reddituum augendi, & minuendi, ſtatuta pro recto, felicique eorumdem Seminariorum regimine, & adminiſtratione condendi, eaque mutandi, variandi, corrigendi, ac toties, quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergendas controverſias ſummarie, ſolaque facti veritate inſpecta, cognoſciendi, & definiendi: Viſitatores etiam, qui ejuſmodi Seminaria diligenter perluſtrent, & an recte, atque fideliter adminiſtrentur, ac in iis potiſſimum regulæ, a Trident. Con. præſcriptæ, ſedulo adimpleantur, inſpiciant; & recognoſcant, ubi, quando, & quoties opus eſſe judicaverint, facto tamen prius verbo cum Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, delegandi, ac deputandi, aliaque in præmiſſis neceſſaria, & opportuna pro data ipſis a Domino prudentia, decernendi, gerendi, & exequendi, plenariam, atque omnimodam facultatem, poteſtatem, & authoritatem tribuimus, concedimus, ac impartimur.

Univerſis itaque Epiſcopis, quorum in diæceſibus non adſunt, vel congruis redditibus inſtructa non ſunt Seminaria, per præſentes injungimus, & mandamus, ut quamprimum præfatam taxam ſedulo conficiant, eamque ad antedictæ Congregationis Secreta-

rium

rium intra ſex menſes, a die publicationis præſentis Conſtitutionis computandos, omnino tranſmittant, una cum diſtincta, & accurata relatione omnium beneficiorum ſuarum diæceſum, eorumdem annui valoris, necnon locorum, animarumque, & Eccleſiarum, in illis exiſtentium, cum ſuis qualitatibus, ad hoc, ut eadem Congregatio, omnibus mature perpenſis; ſtatuere poſſit, an prædicta taxa approbari, necne debeat, ſimulque numerum Alumnorum, in unoquoque Seminario retinendorum, & ſummam pro ſingulorum ſuſtentatione neceſſariam præſcribere, & reliqua tandem omnia, quæ pro recta eorumdem Seminariorum adminiſtratione, ſedulaque Alumnorum inſtitutione utilia, ac oppurtuna judicaverit, ſalubriter decernere valeat.

S E C T I O C V I I I.

Eadem Seſſio XXIII. de Reform. Proſequitur idem caput XVIII.

IN hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint, ac legere, & ſcribere competenter noverint, & quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo inſervituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modo ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præſeferant Deo, & Eccleſiæ inſerviendi. Hos pueros Epiſcopus in tot claſſes, quot ei videbitur, diviſos juxta eorum numerum, ætatem, ac in diſciplina eccleſiaſtica progreſſum, partim cum ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit, alioſque in locum eductorum ſufficiet; ita ut hoc collegium Dei miniſtrorum perpetuum Seminarium ſit. Ut vero in eadem diſciplina eccleſiaſtica commodius inſtituantur, Tonſura ſtatim, atque habitu clericali ſemper utentur; grammatices, cantus, computi eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium diſciplinam diſcent; ſacram Scripturam, libros eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & Rituum, ac cæremoniarum formas ediſcent. Curet Epiſcopus, ut ſingulis diebus Miſſæ ſacrificio interſint; ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata; & juxta Confeſſoris judicium ſumant Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti: cathedrali, & aliis loci Eccleſiis diebus feſtis inſerviant.

Benedictus XIII. in cit. Conſt. *Creditæ* §. *Poſtremo* declaravit, ut cantus, quo Tridentinum inſtrui vult Seminarii Alumnos, ſit gregorianus. Inſuper præcepit, ut in enunciatis *Tantum* ab eodem Tridentino bonarum artium diſciplinis erudiantur, ibi.

Poſtremo ſaluberrimæ præfati Concilii diſpoſitioni inhærentes, volumus, præcipimus, & ſancimus, ut in omnibus Seminariis, tam hactenus erectis, quam in poſterum erigendis, Alumni grammatices, cantus gregoriani, computi eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium *tantum* diſciplina erudiantur, & ſacræ Scripturæ, Catechiſmi, aliorumque eccleſiaſticorum librorum, præſertim vero de Sacramentis, ſacriſque Ritibus, & Cæremoniis tractantium, lectioni diligenter incumbant, ut cum ad vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos, utileſque operarios ſeſe probare valeant, fructumque ei redeant uberrimum temporibus ſuis.

Circa legitimitatem natalium admittendorum in Seminarium juxta mentem Tridentini, adeo ſervanda eſt, ut neque legitimati pro recipiendis beneficiis in illud admitti poſſint, ut ex ſequenti declaratione Cong. Concil. *in Bracharen. 26. Martii* 1595. = Cong. cenſuit, illegitimum diſpenſatum ad beneficia eccleſiaſtica, Canonicatum, & dignitatem, non propterea diſpenſatum cenſeri, ut in Seminarium, non obſtante Decreto *cap. XVIII. Seſſ. XXIII.* recipi queat, ideoque nullo modo admitti in ipſum Seminarium ab Epiſcopo debere. =

Circa ſervitium præſtandum Eccleſiæ a dictis Alu-

Alumnis, ab illis etiam, qui proprio ſumptu aluntur, de quibus Tridentinum mentionem facit, notanda eſt ſequens declaratio Congr. Conc. *in Arian.* 11. *Decemb.* 1621. = Sacra &c. cenſuit, poſſe quidem Archiepiſcopum cogere Clericos propriis ſumptibus in Seminario degentes, ut cathedrali, vel aliis loci Eccleſiis diebus feſtis inſerviant, ſed in hujuſmodi facultate exercenda partes Archiepiſcopi fore adeo moderate, ac prudenter ſe gerere, ut hinc Seminarium ipſum nullum detrimentum patiatur. =

Ex laudata Conſtit. *Creditæ*, ampliatum eſt Tridentini decretum in hoc, quod inhibitum ſit Epiſcopis, ne pro ſe, vel ſuis Vicariis, aut familiaribus, habitatione, coquina, famulis, miniſtris, aut officialibus Seminarii, vel lectoribus, magiſtris, Sacerdotibus, & Clericis quocunque modo inſervientibus eidem Seminario, & Alumnis, vel ab eo ſalariatis, uti audeant, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; non prohibeutur autem uti Cæremoniarum magiſtro, vel Sacerdotibus a Seminario detentis, cum exercent Pontificalia, ibi.

Omnibus inſuper Epiſcopis præfatis, ne de cætero pro ſe, vel ſuis Vicariis, aut Familiaribus quibuſcunque, ſub quovis colore, & prætextu, habitatione, coquina, famulis, miniſtris, aut officialibus Seminarii, vel lectoribus, magiſtris, Sacerdotibus, & Clericis, quoquomodo inſervientibus eidem Seminario, & Alumnis, vel a Seminario ſalariatis, & ſuſtentatis, ac quomodocunque retentis, uti audeant, diſtricte ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ vetamus, ac inhibemus. Non tamen per hoc prohibere intendimus Epiſcopo, Pontificalia exercenti, ne Cæremoniarum, magiſtro, vel Sacerdotibus a Seminario retentis, uti poſſit; imo ut eorum opera, ac aſſiſtentia in ejuſmodi ſacris functionibus libere uti valeat, plenam ipſi Epiſcopo tribuimus facultatem.

S E C T I O C I X.

Eadem Seſſio XXIII. de Reform. Proſequitur idem caput XVIII.

QUæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna, & neceſſaria Epiſcopi ſinguli, cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum, & graviorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, conſtituent; eaque ut ſemper obſerventur, ſæpius viſitando, operam dabunt. Diſcolos, & incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter punient; eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes, quæcunque ad conſervandum, & augendum tam pium, & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt.

Circa intellectum, & executionem hujus Tridentinæ ſanctionis, reſpicientis tam deputationem duorum Canonicorum, quam eorumdem officium, & conſilium ab Epiſcopo adhibendum, ad petitionem Capituli cathedralis Salernitanæ inter alia propoſita fuerunt S.Congregationi Conc. duo ſequentia dubia, ut *lib. VI. decretor. pag.* 22. relata etiam *tom. VII. Reſolutionum dictæ Cong. a Liverzani in Tricarien. adminiſtrationis Seminarii* die 24. *Mart.* 1736. *pag.* 212. = I. An duo Canonici electi ab Archiepiſcopo ad conſtituendam educationem puerorum Seminarii poſſint pro libito Archiepiſcopi mutari. II. An eorum conſilium adhibendum tam in conſtituendis regulis univerſalibus Seminarii, quam in electione ſingulorum puerorum introducendorum, electione Magiſtrorum, librorum legendorum, Confeſſoris punitione, diſcolorum expulſione, viſitatione, & ſimilibus = Eadem Cong. menſe Junio 1589. reſpondit = Ad I. non poſſe amoveri, niſi ex legitima cauſa. Ad II. in omnibus his eſſe adhibendos. = Idem reſpondit quoad I. dubium *in Papien. 7. Julii* 1591. *lib. VII. pag.* 14. *& in Sarzanen.* 25. *Jun.* 1639. *lib. XVI. p.* 221. Quamvis autem Epiſcopus dictum conſilium teneatur adhibere, non tamen cogitur illud ſequi, nec hi duo Canonici quidquam juris habent in directione Seminarii abſque Epiſcopo, vel ejus Vicario, ut ex ſequenti decreto dictæ Cong. in *Ariminen.* 16. *Feb.* 1609. = Item reſpondit, duos Canonicos ab Epiſcopo electos ad regimen Seminarii conſtituendum, neque in receptione Alumnorum, neque in eorum ejectione, aliave re ad ipſius Seminarii directionem ſpectante, quidquam curæ habere, aut ſibi vendicare poſſe abſque Epiſcopo, vel ejus Vicario, ſed tantum debere Epiſcopum, vel ejus Vicarium, in ejuſmodi rebus ipſorum conſilium requirere, licet illud ſequi non teneatur. =

SECTIO CX.

Eadem Seſſio XXIII. de Reform. proſequitur idem caput XVIII.

ET quia ad collegii fabricam inſtituendam, & ad mercedem Præceptoribus, & miniſtris ſolvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios ſumptus certi redditus erunt neceſſarii, ultra ea, quæ ad inſtituendos, vel alendos pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis, & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic Seminario ſub eadem Epiſcopi cura applicata cenſeantur: iidem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter ab ipſo Capitulo eligatur; itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcopum, alterius vero ad Clerum pertineat, ex fructibus integris menſæ epiſcopalis, & Capituli, quarumcunque dignitatum, &c....,

Ne Seminaria ex reddituum defectu unquam pereant, in hoc decreto ſtatuit Concilium, ut ex redditibus menſæ epiſcopalis, & Capituli, & quorumlibet beneficiorum diœceſis certa pecuniæ ſumma detrahatur, quotannis Seminario præſtanda, juxta taxam ab Epiſcopo præſcribendam cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alter ab ipſo Epiſcopo, alter a Capitulo eligatur, ac duorum de Clero civitatis, quorum alterius electio ad Epiſcopum, alterius vero ad eumdem Clerum pertineat. Cum autem circa hujuſmodi ſanctionis praxim plura exorta fuerint dubia, emanarunt ſequentes declarationes a Cong. Conc. &

I. In Oſcen. menſe Octobr. 1585. = Alias Sac. Congr. ad interpretationem decret. *cap. XVIII. Seſſ. XXIII.* cenſuit, Epiſcopum Oſcen, cum conſilio deputatorum teneri tam circa inſtitutionem, diſciplinam, & mores Clericorum, quam circa temporalium rerum adminiſtrationem providere: ſufficere tamen, quod Epiſcopus hujuſmodi conſilium requirat, eorumque conſilio adhibito, poſſe Epiſcopum ſtatuere, & deliberare, quæ pro prudentia ſua magis expedire judicaverit: exactionem vero, quæ fit pro Seminario, ad ſolum Epiſcopum pertinere. Dubitatur modo, mortuo Epiſcopo, & in Sede vacante, ad quem pertineat erectio, & adminiſtratio dicti Seminarii, & videtur, quod pertineat ad Capitulum, quia, Sede vacante, Capitulum fungitur vice Epiſcopi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, *cap. penult. & ult. de Supplen. neglig. Prælat. in VI. Et cap. Is, cui de elect. in VI.* = Sacra Cong. cenſuit, pertinere ad Capitulum. = *ut in lib. IV. decr. pag.*84. Idem declaravit *in Curien.* 5. *Octobris* 1594. *& in Nullius* 19. *Jan.* 1595. *lib. VIII. pag.*65. *&* 97.

II. In Salernitana jam cit. §. *Circa* ad III. dubium = An alii quatuor ſint deputandi, & deputati adhibendi ſint in conſilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione beneficiorum, ut in aliis difficultatibus, ob quas Seminarii inſtructio, vel conſervatio impediretur, aut perturbaretur, an etiam in exactione, & temporalium adminiſtratione tam dicti Seminarii, utputa, deputatione, vel expulſione miniſtrorum, & famulorum temporalium, expenſis quotidianis proviſionis bladorum, quam etiam bonorum quorumcunque, & reddituum ipſius Seminarii etiam ex beneficiis unitis, utputa locationibus, conceſſionibus, aliiſque contractibus, litibus. = ac ad IV. = An hi quatuor deputati ſint perpetui, vel etiam amovibiles, ſervata tamen ratione Concilii in eorum electione, & dicta electio ſpectet ad Capitulum. = Reſpondit ad III. = teneri Epiſcopum adhibere Deputatorum conſilium tam circa inſtitutionem, diſciplinam, & mores, quam temporalium rerum adminiſtrationem. Ad IV. eſſe perpetuos, Nec poſſunt amoveri, niſi ex juſta, & legitima cauſa, ut etiam declaravit in *Papien.* 7. *Julii* 1591. *lib. VII. pag.* 74. *III. In Giennen.* 14. *Feb.* 1644. *ut lib. VIII. pag.* 14. = Sacra &c. cenſuit, uniones factas Seminario abſque conſilio eorum quatuor, quos jubet Concilium adhiberi, minime valere. =

III. *In Ferrarien.* 3. *Martii* 1644. *dicto lib. VIII. pag.*16. = Sacra &c. cenſuit, in unionibus beneficiorum faciendis Seminario, ſatis eſſe ſervare formam traditam a Concilio *cap. XVIII. Seſſ. XXIII. de Refor.* nec requiri conſilium Capituli. =

IV. *In Panormitana menſe Sept.*, & Octobr. 1587. cenſuit = incertos redditus parochialium non eſſe pro Seminario taxandos. =

V. *In Limana* 22. *Jun.* 1622. = Sacra &c. ſæpius reſpondit ex diſtributionibus quotidianis nihil eſſe contribuendum Seminario = etiamſi eis omnes Canonicorum redditus conſtent, ut declaravit in *Avellinen.* 25. *Januarii* 1601. Idem reſpondit ad hoc dubium ſibi quarto loco propoſitum ab Epiſcopo Burgi S. Donnini 10. April. 1625. = an imponenda ſit (taxa) ſuper tertia parte fructuum Canonicatuum, quæ converſa fuit in diſtributiones quotidianas. =

In hoc tamen caſu Cardinalis de Luca *Diſcur. XXV. ad hoc idem cap. XVIII. Tridentini n.* 14. ita notat. = Id autem intelligendum venit, ubi (diſtributiones) tales ſint, ut ad ſervitii portionem recipiantur, adeo ut præfata ratio adaptetur, quodque earum diminutio non beneficiatorum, ſed ipſius Eccleſiæ præjudicium concerneret, quia nempe alias ipſum ſervitium negligeretur. Secus autem, ubi etiam redditus, alias de ſui natura certi, conſiſtentes in fructibus bonorum ſtabilium in notabili quantitate more præbendarum, in quas forte antiquitus diſtributio eſſet, ex majori, nimiumque commendabili

motis

motivo majoris intereſſentiæ, & cultus Eccleſiæ, jure implicitæ ſocietatis inter omnes Canonicatus, & beneficia redacta eſſent ad maſſam per punctos ad formam diſtributionum quotidianarum, inter inſervientes tantum repertiendam; portiones tamen ſint tales, ut pinguem redditum conſtituant, longe excedentem proportionatum ſalarium ſervitii. =

VI. *In Fundana deputationis officialium Seminarii 26. Martii 1689. lib. XXIX. decretor. pag.* 129. diſceptato ſequenti dubio = an Epiſcopus potuerit, & poſſit deputare Rectorem, alioſque officiales Seminairi abſque conſilio Deputatorum a Capitulo = reſpondit = Negative = Examinato ſubinde hoc altero = an Epiſcopus in reviſione, & ſolidatione computorum dicti Rectoris debuerit ſequi conſilium Deputatorum = reſpondit. = teneri adhibere conſilium, ſed non ſequi, = *Tricaricen. adminiſtrationis Seminarii 24. Martii 1736.*

Si tamen Seminaria tradita ſint curæ, & regimini alicujus Ordinis regularis, electio Rectoris, aliorumque Religioſorum iiſdem Seminariis inſervientium, horum deputatio, & electio pertinet ad Præpoſitum Generalem, ut animadvertit Benedictus XIV. *lib.* V. *de Synod. diæc. cap.* XI. *n.* 9.

Circa beneficia vero, quæ uniri poſſunt, quæque taxam pro manutentione Seminarii, tam erecti, quam erigendi contribuere tenentur, & in qua ſumma, & taxa conſtituenda ſit, clare exprimuntur in cit. Conſtit. Benedicti XIII. *Creditæ*, ut ſequitur.

Cum itaque .... Nos ...., univerſis, & ſingulis locorum Ordinariis Italiæ, Inſularumque adjacentium, hac noſtra perpetuo valitura Conſtit. diſtricte injungimus, præcipimus, & mandamus, ut in Cathedralibus, in quibus Seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum erigi, ac omnino inſtitui curent: ubi vero jam reperitur erectum, ſed congruis redditibus ad Alumnorum, Magiſtrorumque ſuſtentationem neceſſariis inſtructum non eſt, de iis, ut infra, opportune provideant. Utroque igitur caſu, nimirum tam pro erectione novi Seminarii, quam pro ſupplemento redditum Seminarii jam erecti, taxam cum conſilio duorum de Capitulo, & totidem de Clero conficiant, a memorato Trident. Conc. *cap. XVIII. Seſſ. XXIII. de Reform.* præſcriptam, incipiendo ab integris fructibus menſæ epiſcopalis, & abſque ullo diſcrimine proſequendo, juxta normam ibidem expreſſam, & provide conſtitutam. Eidem vero taxæ omnia, & ſingula beneficia ſecularia, & regularia per quoſcunque, etiam Venerabiles Fratres Noſtros S. R. E. Cardinales, necnon Noſtros, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Familiares, & Cameræ noſtræ Apoſtol. Clericos, Miniſtros, ac Officiales quoſcunque, præſentes, & futuros, obtenta, & in poſterum obtinenda, ac omnia inſuper beneficia ſecularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum S. Joan. Hieroſolymitani, quomodocunque unita, aut de cætero unienda, necnon fructus, ac redditus Confraternitatum laicorum, ex certis fundis, & capitalibus provenientes (non autem ſummas pecuniarias, quæ a Confratribus quolibet menſe, vel anno, vel per modum eleemoſynæ, vel in vim ſtatutorum contribuuntur) ſubjici, & ad illius ſolutionem perpetuo teneri decernimus, ſtatuimus, & mandamus. Declarantes ab ea exemptos eſſe debere Regulares pro iis tantum beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipſis Apoſtol. Sedes diſerte, ac expreſſe, & ex cauſa vere, ac proprie oneroſa indulſit, ut ab onore taxæ pro Seminario exempti ſint.

Porro ejuſmodi taxa juxta locorum qualitatem reſpondere debeat ſummæ ſcutorum trium pro quolibet centenario proventuum beneficii; & ſi neceſſitas urgeat, augeatur etiam uſque ad ſummam quinque pro centenario; itaut nunquam minor ſcutis tribus, neque major ſit ſcutis quinque pro quolibet centenario, & anno; ac in illius confectione regula, a Triden. Conc. in prædicto *cap. XVIII.* ſancita, accurate, & adamuſſim obſervetur. Donec autem nova hæc taxa confecta, & a Congregatione a Nobis deputata, ut infra dicetur, approbata fuerit alia taxa, quam Seminarium antea exigere conſueverat, omnino perſolvatur. Cæterum novæ taxæ exactio ſemper committatur perſonæ fide, & facultatibus idoneæ, ab Epiſcopo, & cathedralis Eccleſiæ Capitulo ſpecialiter approbandæ, & deputandæ, ita quidem, ut quoties Exactor hujuſmodi negligens, aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam idem Epiſcopus, & Capitulum portare debeant, & pro non exactis, atque deperditis reſpective de proprio teneantur, liceatque Seminario tam contra Exactorem, quam contra deputantes, eorumque hæredes, quocunque tempore agere, nedum pro deperditis, ſed etiam pro non exactis ad præciſam taxæ faciendæ normam, & quantitatem.

Præterea Epiſcopi, & Capitula portiones, ſeu quotas ſibi obtingentes, juxta præfatam

fatam taxam quolibet anno realiter, & cum effectu deponere teneantur penes Exactorem deputatum, qui eas ſolvat, ſeu eroget in ſumptus pro Seminarii manutentione neceſſarios, & tam hujus depoſiti, quam ſucceſſivæ ſolutionis, ſeu erogationis, ſimulque cujuslibet alterius exactionis non factæ, & qua de cauſa, documentum per eoſdem Epiſcopos, & Capitula ad antedictæ Congregationis Secretarium, quotannis tranſmittatur.

Quod ſi in aliqua diæceſi, computatis propriis Seminarii redditibus, ſiqui ſint, necnon beneficiorum antea cum effectu illi unitorum, ac fructibus parvorum conventuum ſuppreſſorum præcedenter applicatis (quas quidem tum beneficiorum uniones, tum applicationes fructuum parvorum conventuum firma eſſe volumus) per hujuſmodi etiam taxam, erectionis, & ſuſtentationis Seminarii, ad neceſſitatem nimirum uniuſcujuſque diæceſis, & Alumnorum, non autem ad pompam, & voluptatem, ſufficienter provideri nequiverit; tunc, & eo caſu, ac in ſubſidium tantum, Ordinarii locorum eidem Seminario unire, & applicare poſſint, ac debeant beneficia ſimplicia cujuſcunque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam jurispatronatus eccleſiaſtici, vel quomodocunque affecta, & diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervata, ſine tamen ullo divini cultus, ac illa obtinentium præjudicio. Hæc porro unio fiat ſtatim, & ante eorumdem beneficiorum vacationem: nempe uniantur beneficia primo loco vacatura uſque ad certam annui redditus quantitatem, in ipſa unione ſpecificandam, quæ, computata taxa inſufficienti, ſatis eſſe poſſit ſuſtentationi certi numeri Alumnorum pro unoquoque Seminario deſignatorum; ipſaque unio, ſtatimac beneficia prædicta quomodocunque vacaverint, debitum, atque integrum ſortiatur effectum, fel. rec. Clementis VIII. ac Urbani VIII. necnon aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum, Prædeceſ. Noſtror., Conſtitutionibus, vel decretis in contrarium facientibus, non obſtantibus.

Cæterum conſiderantes monaſteria, Prioratus, & beneficia conſiſtorialia, necnon aliqua alia indiſpenſabiliter neceſſaria eſſe, ac fore pro congrua ſuſtentatione S.R.E. Cardinalium, & Miniſtrorum, Romano Pontifici, & Sedi Apoſtol, actualiter inſervientium, volumus, & declaramus, quod Abbatiæ, Prioratus, & monaſteria conſiſtorialia, ſeu beneficia, quovis modo Apoſtolica auctoritate commendata, & ad præſens obtenta; ac in futurum obtinenda per antedictos S. R. E. Cardinales, ſeu veros, & proprios Papæ Familiares, Nuncios Apoſtolicos, & Prælatos Congregationum, quibus iidem S.R.E. Cardinales interſunt, Secretarios dumtaxat, memoratis Seminariis uniri, & applicari numquam poſſint, & uniones, quas forſan fieri contigerit, nullæ, ac irritæ prorſus ſint: firma in reliquis remanente libertate, & facultate uniendi, ſervata tamen forma ſuperius expreſſa, & non aliter) cætera omnia beneficia, etiam, ut præfertur, affecta, & reſervata, vel alias ad proviſionem, ac diſpoſitionem Sedis Apoſtol. quomodolibet pertinentia,

Quod ſpectat ad unionem beneficiorum Sedi Apoſtol. reſervatorum, non pigeat Epiſcopos, legere animadverſa a Bened. XIV. *lib. IX. cap. VII. de Synod. Diæc. edit. an. 1755.* a n. IV. ad VII. ſed potiſſimum n. VIII. per hæc verba =

„ Hæc itaque ſtatuta, ac definita habentur, „ pro eo quod pertinet ad unienda Seminariis bene„ficia eccleſiaſtica Apoſtolicæ Sedi reſervata, aut „ affecta, nec aliud quidquam hic addere neceſſe „ eſſet, niſi fel. rec. Pontifex Benedictus XIII. pro „ Epiſcopis Italiæ, & Inſularum adjacentium, Con„ſtitutionem ediđiſſet, quæ incipit *Creditæ nobis*, „ quæque ordine 27. extat in Appendice ad Conci„lium Roman. ab ipſo habitum in Baſilica Latera„nen. an. 1725. Per eam ſiquidem Conſtitutionem „ prædictis Epiſcopis jus tribuit uniendi Seminario. „ = *Beneficia ſimplicia cujuſcunque qualitatis,* „ *& dignitatis fuerint, etiam jurispatronatus ec*„*cleſiaſtici, vel quomodocunque affecta, & diſpo*„*ſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervata &c. fel. rec.* „ *Clementis VIII. ac Urbani pariter VIII. necnon* „ *aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum* „ *Prædeceſſor. noſtror. Conſtitutionibus, vel decre*„*tis, in contrarium facientibus, non obſtanti*„*bus &c.*

„ = Quæ verba nonnullis Italiæ Epiſcopis „ anſam dederunt, ut ſibi tributam putarent fa„cultatem uniendi Seminario quælibet benefi„cia ſimplicia, nondum vacantia, licet quocun„que modo Sedi Apoſtolicæ affecta, & reſer„vata; ſublatis nimirum de medio, per ver„ba ſuperius recitata, contrariis Clementis VIII, „ & Urbani VIII. decretis, in ſupra citatis eorum „ Conſtitutionibus contentis. Verum advertendum „ eſt, præfatum Bened. Pontif. in eadem Conſtit. „ *Creditæ nobis*, decreviſſe, ut antequam ad bene„ficiorum unionem procedatur, non ſolum ſtatuta, „ & impoſita eſſe debeat taxa, a Trid. præſcri„pta, & quidem ad rationem ſaltem trium annuorum ſcutorum pro quolibet centenario fructuum;

„ ve-

„ verum etiam, ſi hæc ad Seminarii, & Clericorum in eo alendorum ſuſtentationem ſatis non ſit, ut eadem taxa uſque ad ſummam quinque ſcutorum augeatur; & quidem cum approbatione Congregationis, ab ipſo Pontifice ſuper Seminariis inſtitutæ. Quod ſi in aliqua diæceſi, computatis omnibus Seminarii proventibus, etiam illis, qui ex beneficiis antea unitis, aliiſque redditibus eidem applicatis obveniunt, necnon ipſa taxa ad prædictam rationem aucta, non adhuc ejuſdem Seminarii, & Alumnorum neceſſariæ ſuſtentationi ſufficienter proviſum eſſe conſtiterit, *tunc*, *& eo caſu*, *ac in ſubſidium tantum*, prædicta beneficia affecta, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſervata, non tamen jam vacantia, Seminario uniantur. Ex quibus ſimul ſumptis clare patet, Epiſcopos Italiæ, & adjacentium Inſularum, qui Benedictinam Conſtitutionem exequi, ac privilegio ſibi per eam elargito uti velint, id agere minime poſſe, niſi cætera ſuperius indicata præceſſerint: quod & ex ipſa Conſtitutione colligitur, & clarius etiam ex edicto, ipſius Pontificis juſſu publicato, & ad locorum Ordinarios tranſmiſſo per organum Cardinalis Corradini, tunc Pro-Datarii, quod per extenſum legi poteſt apud Rigantium *loc. cit. num.* 127.

S E C T I O   C X I.

Eadem Seſſio XXIII. de Reformat. proſequitur idem cap. XVIII.

Quod ſi cathedralium, & aliarum majorum Eccleſiarum Prælati in hac Seminarii erectione, ejuſque conſervatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſolvere detrectaverint; Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum, & Superiores Synodus provincialis acriter corripere, eoſque ad omnia ſupradicta cogere debeat; & ut quamprimum hoc ſanctum, & pium opus, ubicunque fieri poterit, promoveatur, ſtudioſe curabit. Rationes autem redditum hujus Seminarii Epiſcopus annis ſingulis accipiat, præſentibus duobus a Capitulo, & totidem a Clero civitatis deputatis...... Si vero in aliqua provincia Eccleſiæ tanta paupertate laborent, ut collegium in aliquibus erigi non poſſit, Synodus provincialis, vel metropolitanus, cum duobus antiquioribus Suffraganeis, in Eccleſia metropolitana, vel alia provinciæ Eccleſia commodiori, unum, aut plura collegia, prout opportunum judicabit, ex fructibus duarum, aut plurium Eccleſiarum, in quibus ſingulis collegium commode inſtitui non poteſt, erigenda curabit, ubi pueri illarum Eccleſiarum educentur...... Poſtremo, ſi vel pro unionibus, ſeu pro portionum taxatione, vel aſſignatione, & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam hujus Seminarii inſtitutio, vel conſervatio impediretur, aut perturbaretur, Epiſcopus cum ſupra deputatis, vel Synodus provincialis pro regionis more, pro Eccleſiarum, & beneficiorum qualitate, etiam ſupraſcripta, ſi opus fuerit, moderando, aut augendo, omnia, & ſingula, quæ ad felicem hujus Seminarii profectum neceſſaria, & opportuna videbuntur, decernere, ac providere valeat.

Circa diſpoſita in his tribus capituli partibus, hodie attendenda eſt laudata Conſtit. *Credita*, in qua ſtatuitur in omnibus prædictis caſibus recurrendum eſſe ad Congregationem, ab eo erectam pro Seminariis &c.

S E C T I O   C X I I.

Seſſio XXIV. de Reform. Matrimonii.

Canon. II.

Si quis dixerit, licere chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.

Pœnæ ſtatuæ contra eos, qui mentito nomine, & cognomine, prima adhuc uxore vivente, tranſeunt ad ſecundas nuptias, habentur in ſequenti Urbani VIII. Conſtit. data *ſub die* 20. *Junii* 1637.

Magno. . . . cum, ſi iniquitatis filii reperiantur, qui ſub mentito nomine, ſeu cognomine, adhuc prima uxore vivente, ad ſecundas nuptias tranſire audent. Nos... nefariam improborum hominum hujuſmodi temeritatem, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, ut hujuſmodi ſic delinquentes, ultra pænas, quibus ipſi ordinatie puniri ſolent, damnentur ad triremes in perpetuum: quodſi inhabiles reperti fuerint, publice fuſtigentur, & damnentur ad carceres in perpetuum. Si vero pro qualitate, & enormitate delicti graviores pænas meruerint, etiam Curiæ ſeculari arbitrio eorumdem præfatæ Congregationis Cardinalium (Sac. Inquiſitionis) puniendi tradantur.

Hæc autem Conſtitutio non videtur uſu recepta, ſaltem quoad traditionem Curiæ ſeculari, ut ſentit Bened. XIV. *lib.* IX. *de Synodo diæceſ. edit. an.* 1755. „ *cap.* VI. *n.* 8. ubi hæc habet = Præterea dici poteſt, hanc etiam Conſtit. ad terrorem potiſſimum „ editam fuiſſe: ſiquidem Congr. S. Officii, *an.* 1647. „ nimirum vix annis decem ab illius promulgatione „ elapſis, ab Archiepiſcopo Beneventano interro„ gata, qua pæna puniendus eſſet polygamus, ita „ reſpondit. = Polygamorum pæna, ſi falſos te„ tes ad ſuum liberum ſtatum comprobandum non „ induxerint, poſt abjurationem de vehementi, ſo„ let eſſe damnatio ad triremes per quinquennium: „ ſi vero induxerint, per ſeptennium: falſi teſtes „ ipſi quoque damnantur ad triremes per quinquen„ nium, aut brevius tempus pro delicti qualitate. =

S E C T I O C X I I I.

Eadem Seſſio XXIV. de Refor. Matrimonii.

Canon. XII.

SI quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices eccleſiaſticos, anathema ſit.

Qui autem judices eccleſiaſtici ſtatuantur, notabitur infra ex Conſtitutionibus Benedicti XIV. poſt cap. X. Seſſ. XXV. de Refor.

S E C T I O C X I V.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrimonii caput I.

TAmetſi ...... Sancta Synodus .... Sacri Lateran. Conc. ſub Innoc. III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcipit, ut in poſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur; ubi Parochus, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum. Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes; tunc vel una tantum denunciatio fiat: vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſumationem denunciationes in Eccleſia fiant, ut, ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ, & judicio S. Synodus relinquit.

Huic decreto præcipienti, ut antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuncietur, acceſſit decretum Congregationis, habitæ coram Innocentio XII. *an.* 1697. confirmatum a Clemente XI. ac inſuper innovatum

vatum a Bened. XIV. in Epiſtola encyclica ad univerſos Epiſcopos *Etſi 7. Feb.* 1742. §. *XI.* ſt atuentibus, non eſſe deveniendum ad dictam denunciationem, niſi antea ſponſi reperti fuerint a Parocho in chriſtianæ Religionis rudimentis inſtructi, ibi.

Verum cum matrimonio jungendi non ſint, ſi Parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem, ſeu fæminam, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt ignorare.

Hoc Tridentini decreto ampliata eſt Decretalis Innocentii III. relata in cap. III. *Cum inhibitio de Clandeſtin. deſponſat.* §. 1. ut notavi parte I. pag. 507.

Pœnas, quibus puniri poſſunt tam Parochus, quam contrahentes matrimonium, non præmiſſis denunciationibus, ac etiam teſtes doloſe illi præſentiam impendentes, refert idem Benedictus *lib. XII. de Synod. Diœc. cap VI. n.* 2. ibi. = Parochus au-
,, tem matrimonio intereſſe præſumens, cui legiti-
,, mæ non præceſſerint denunciationes, ſuſpenſio-
,, ne ab officio, triennio duratura, aut etiam gravio-
,, ri pœna plecti jubetur *in cit. cap. Cum inhibitio*,
,, §. *final.* a qua quidem ſuſpenſione, cujus tempus
,, eſt a jure determinatum, non poſſe eumdem intra
,, triennium ab Epiſcopo abſolvi, docent Sanchez,
,, *de matrim. lib. III. diſp. LII. n.* 2. Gutierrez *de*
,, *matrim. cap. LXXV. n.* 22. & Pontius *lib. V. cap.*
,, *XXXVII. n. II.* Ipſis vero contrahentibus, quia
,, Eccleſiæ mandatum in re ſane gravi contemnunt,
,, condignam pœnitentiam injungendam, *in eodem*
,, *cit.* §. *final.* ſtatuitur. Teſtibus tamen, qui ejuſ-
,, modi matrimoniis aſſiſtunt, nulla pœna neque a
,, Conc. Lateranen. neque a Tridentino reperitur
,, impoſita: at nihilominus pleræque diœceſanæ Sy-
,, nodi etiam in illos duxerunt animadvertendum
,, pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Quam-
,, vis porro Soto *in IV. diſt. XXVIII. quæſt. I. art.* 2.
,, §. *Quo igitur*, abſonum viſum ſit, a particulari
,, Synodo illam in prædictos teſtes irrogari pœnam,
,, a qua infligenda Concilia generalia abſtinuerunt,
,, ac proinde præfatas Conſtitutiones irritas exiſti-
,, maverit. Rectius tamen earumdem validitatem
,, propugnat, atque a Soti argumentis vindicat San-
,, chez *cit. lib. III. diſp. XXXXVI. n.* 8. etenim,
,, cum teſtes præfati aſſiſtentiam præſtent matrimo-
,, nio ab Eccleſia interdicto, graviter profecto in
,, Eccleſiæ leges delinquunt; quapropter ſynoda-
,, les Conſtitutiones, eorum culpam debita coer-
,, centes pœna, nihil agunt contra Canones, ſed
,, Canones ipſos tuentur, ac fovent: ſicuti animad-
,, vertit etiam Fagnan. *in cit. cap. Sicut olim. n.* 78.
,, *de accuſat.* ubi loquens de Synodo provinciali,
,, quæ in re, quam in præſens verſamus, non plus
,, auctoritatis habet, quam diœceſana, ait: = Non
,, tamen horum poteſtas adeo reſtringitur, quin
,, multa ſtatuere poſſint circa ea, quæ totam pro-
,, vinciam concernunt, præter Jus commune ....
,, ſuiſque decretis Jus commune adjuvare, adden-
,, do novas pœnas, vel antiquas augendo. =

Idem tamen Pontifex loc. cit. *cap. V. n.* 4. animadvertit, quod ſtatuere quidem poteſt pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendæ, non tamen adjecta declaratione, ut ſtatim evitandi ſint, licet non fuerint publice, & nominatim denunciati, cum ex celebri Extravaganti *Martini V. Ad evitanda*, edita in Concilio Conſtantienſi, evitandi dumtaxat decernantur excommunicati publice, & nominatim denunciati, ac publici, & notorii Clericorum percuſſores. Poſſunt etiam contrahentes, omiſſis denunciationibus, puniri pœna pecuniaria, piis locis applicanda, ut declaravit Cong. Conc. in *Florentina* 17. *Feb.* 1629. *lib. Decret. XIV. pag.* 35.

Præfatæ denunciationes faciendæ ſunt non ſolum in loco, in quo contrahendum eſt matrimonium, ſed etiam in loco originis contrahentium, ex decreto Cong. Conc. *in Senogagl. denunciationum* 29. *Jannar.* 1684. *lib. decretor. XXXV. pag.* 23. declaratur tamen non eſſe neceſſario faciendas in loco originis, ſed ſatis eſſe, ſi fiant in loco domicilii, quando mora contrahentium fuit continua per plures annos, Terræ Guaſtallæ *lib. XI. pag.* 183. *& in Vercellen.* 6. *Maji* 1719. *lib. LXIX.* =.

Item faciendæ ſunt in ambabus parochiis, quando contrahentes ſunt diverſarum parochiarum, ex declaratione ejuſdem Cong. dub. ad cap. I. *Seſſ. XXIV. de Refor. Matrim. Poſit. LXXV.*

Pro matrimonio contrahendo ab Oblatis Conſervatorii, vel mulieribus, ſive puellis in eo educationis gratia degentibus, debent fieri in parochia, intra cujus limites ſitum eſt Conſervatorium, *in Salernitana Jurium parochialium* 19. *Auguſti* 1702. *lib. decret. ejuſd. Congr. LII.*

Quod autem ſpectat ad dies feſtivos, & tempus Miſſæ ſolemnis, in quibus eas fieri hic præſcribitur a Trident. laudata Cong. declaravit, fieri poſſe etiam tempore, quo eiſdem diebus feſtivis canuntur Veſperæ: ſicut & diebus ferialibus, ſi Ordinarius judicaverit ex cauſa diſpenſare, *in Avenionen. menſe Octobri* 1686. *ad XIII. dub. lib. IV. pag.* 187. *&* in *Ravennaten. lib. II. pag.* 160.

Duas tamen faciendi eodem die, & tempore non poteſt Epiſcopus, ſive ejus Vicarius generalis facultatem dare, deficiente cauſa legitima ad eas remittendas, etiamſi ſit in uſu ex quacunque cauſa, etiam levi, talem facultatem concedere, niſi timeatur malitioſe impediri poſſe matrimonium, vel alia ſimilis cauſa ſubſit Ordinario, in *Vicen.* 20. *Aprilis* 1606. *Poſit. LXXVIII. pag.* 323. *ad hoc cap.* 1.

Circa diſpenſationem vero, ſeu remiſſionem harum denunciationum, quam idem Triden. relinquit prudentiæ, & judicio Ordinarii, notanda ſunt ſequentia præfatæ Cong. decreta.

Poſſunt remitti ab Epiſcopo tam ante, quam poſt contractum matrimonium, ſed ante conſumationem in *Peruſina lib. II. pag.* 16.

Poſſunt remitti, cum ſenex contrahit cum juvene, vir nobilis cum fæmina ignobili, vel cum quis timet conſanguineos, vel contrahit cum concubina, vel meretrice: cum hæ cenſeantur cauſæ ſufficientes ad illas remittendas, *in Hieracen. lib. II. pag.* 143.

Poſſunt etiam remitti ab Epiſcopo ex alia cauſa, quam expreſſa a Concilio; dummodo ſit æque gravis, & major ea, quæ eſt expreſſa, in *Novarien.* 1609. *lib. II. pag.* 73.

Cau-

Cauſa tamen inſtantis Adventus, vel Quadrageſimæ, tamquam inſufficienti, non poſſunt remitti, *in Novarien. ut ſupra*: niſi ob dilationem poſt dicta tempora timeri poſſit matrimonium effectum non ſortiri, vel ſubſit etiam alia cauſa, ob quam Epiſcopus prudenter judicet neceſſariam remiſſionem, *in Cremonen. lib. II. pag.* 18.

Denunciationum remiſſio facta ab Ordinario in cujus diœceſi contrahendum eſt matrimonium, non ſufficit ad hoc, ut quis abſque licentia ſui Ordinarii poſſit contrahere cum ſubdita illius, qui denunciationes remiſit, ſed requiritur, quod aut etiam proprius Ordinarius dicti contrahentis remittat, vel ſaltem teſtetur de illius ſtatu libero *in Viſen.* 20. *April.* 1606. *poſit.* 180. *pag.* 323. *ad hoc cap. I.*

Quoad uſum tamen harum remiſſionum ita Epiſcopos monitos vult Bened. XIV. Conſt. *de Matrimoniis Conſcientiæ, ſatis vobis* 17. *Novem.* 1741.

Quam caute, ſolerterque oporteat ea in re Epiſcopos verſari, non obſcura vobis a Conc. Trid. exhibentur argumenta: ſi enim (ait eadem S. Synodus) probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi præceſſerint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur; & deinde ante illius conſumationem denunciationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur. Præterea, licet Epiſcopo relictum ſit omnimode ſuper denunciationibus diſpenſare, hæc tamen facilitas non a ſola diſpenſantis voluntate pendet, ſed a Trident. coercetur arctis prudentiæ, diſcretique arbitrii legibus: quod idem eſt, ac legitimam cauſam diſpenſationis requirere.

Nota, quod cum Tridentinum in hoc decreto relinquat prudentiæ, & judicio Ordinarii remiſſionem harum denunciationum, non ſemel ortum eſt dubium, an nomine Ordinarii hic veniat etiam Prælatus inferior Epiſcopo, vere *Nullius*, tertiæ ſcilicet ſpeciei, proprium territorium ſeparatum habens, ac juriſdictionem quaſi epiſcopalem exercens: & quamvis Cong. Conc. pluries negative reſponderit, ut juxta relata a Fagnan. in *Cap. III. Cum inhibitio de Clandeſt. deſponſat. num.* 9.) in Farfen. an. 1573. cum approbatione Greg. XIII. ei innixi rationi = *quia Abbas Commendatarius Farfen. Ordinarius non eſt* =, ac in *Virdunen.* 29. *Febr.* 1602. *lib. X. decret. pag.* 26. poſterius tamen iterum exorto hoc eodem dubio in *Nullius Baren.* dicta Congr. 2. *Martii* 1624. affirmative reſpondit per hæc verba = Sac. Congr. cenſuit, referendum Sanctiſſimo Domino noſtro, quod Congre. declaravit, Prælatos Inferiores Nullius diœceſis, proprium territorium, ac Juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes, poſſe legitimis ex cauſis denunciationes matrimoniales remittere. *Tom.* 12. *decret. pag.* 163. a tergo. = Unde cum hæc declaratio, & approbatio ſit poſterior illa, quam fecit Greg., huic citra omnem dubitationem ſtandum eſt.

Quod autem hodie ceſſaverit ratio, ob quam dictus Greg. declaraverat, Abbatem Commendatarium Farfen. caruiſſe facultate remittendi præfatas denunciationes, *quia Ordinarius non eſt*, ideo probat Card. Petra *in Comment. ad Conſt. IV. Caliſti III. Sect. II. a n.* 43. *ad* 46. quia dictus Abbas eſt *in propria qualitate Nullius cum territorio ſeparato, & ſic in dicta tertia ſpecie conſtitutus*, eidemque hujuſmodi facultatem competere ex ſententia ejuſdem Cong. Conc. ibi = Proinde in Synodo diœceſana Farfen. *n.* 1686. *cap.* 14. *de Sacram. matrim. n.* 3. & 11. reſervata fuit eadem facultas eidem Abbati Commendatario, & denegata Vicario ejuſdem, & ſic ſupponitur facultas in Abbate; *Sanchez cit. n.* 13. *Guttierez cit. n.* 15., & dictam facultatem in Abbate præſuppoſuit Sac. Congr. Conc. in *Farfen. Matrim.* 15. *Januar.* & 26. *Martii* 1707., prout potuiſſe Vicarium Farfen. diſpenſare, nedum in denunciationibus (niſi fuiſſet reſervata talis facultas in Synodo ipſi Card. Abbati) imo etiam & concedere facultatem alicui Sacerdoti, non proprio Parocho, aſſiſtendi in matrimoniis, prout competit Vicariis hujuſmodi Abbatiæ vere Nullius, & ipſis Abbatibus. =

Ex hactenus allegatis conjice, an, non obſtante ſequenti decreto Cong. Conc. in Toletana Menſe Majo 1587. = Cong. cenſuit ſolum Epiſcopum remittere poſſe denunciationes, non autem ejus Vicarium generalem: licentiam autem contrahendi coram alio Sacerdote, quam Parocho, poſſe concedere generalem etiam Epiſcopi Vicarium = poſſit Vicarius generalis, ſive ex vi ſui officii, ſive ex ſpeciali conceſſione Epiſcopi, ſi id huic a Synodo reſervatum fuiſſet, remittere denunciationes.

S E C T I O . C X V.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. proſequitur idem cap. I.

QUi aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.

Cum

Cum plura exorta fuerint dubia, quis ſit proprius Parochus contrahentium matrimonium, pro recta Parochum praxi, præter a me jam ſtrictim notata in Appendice I. ad lib. IV. Decretalium pag. 545. placet hic iterum nonnulla referre una cum declarationibus Cong. Conc. &

I. An. 1573. *ut lib. 1. Decretor.* ejuſdem Congreg. pag. 125. a tergo: Cum Concilium Trident, inter cætera præcipiat, matrimonia eſſe contrahenda, præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſive Ordinarii licentia, quæritur, quid, ſi contrahentes ſint diverſarum parochiarum, utriuſque Parochi præſentia requiratur, ſponſi ne, an ſponſæ, an vero utriuſque, an etiam alterius Parochi conſenſus accedere debeat. Sacra &c. cenſuit, ad validitatem matrimonii ſufficere præſentiam ſolius Parochi proprii ſponſæ, quando matrimonium in parochia ſponſæ contrahitur, ſimiliter ſufficere præſentiam ſolius Parochi ſponſi, ſi modo matrimonium contrahitur in parochia ipſius ſponſi.

Idem cenſuit in Tornacen: *menſe Jan.* 1590. *lib. VI. pag.* 73., *& 7. Feb.* 1609.

II. In Aquilana 16. *Feb.* 1595. *lib. VIII. pag.* 104. In ead. Cong. propoſito dubio, an validum cenſeri debeat matrimonium celebratum in Parochia mulieris coram Sacerdote habente licentiam a Parocho, & præſertim cum parochiæ viri, & mulieris ſint in diverſis diæceſibus conſtitutæ, omnes fuerunt ejus ſententiæ, ut matrimonium celebratum coram Sacerdote de licentia Parochi viri in parochia mulieris, etiamſi in diverſis diæceſibus ipſæ parochiæ conſtitutæ ſint, valeat.

III. In Mutinen. *Matrimonii* 18. *Novemb.* 1702. Propoſito altero dubio, an proprius Parochus contrahentium debeat eſſe ille, in cujus parochia habent domicilium, an potius in cujus parochia ambo originem traxerunt, cenſuit debere eſſe illum domicilii, nullumque declaravit matrimonium contractum coram Parocho originis amborum, *lib. LVII. pag.* 403.

Domicilium autem aquiritur etiam per unum diem, imo ſtatimac quis incipit habitare in loco, animo tamen ibi ſtabiliter, ſeu perpetuo habitandi, *L. XX. ff. ad municip. L. cives cod. de incolis*. Unde qui ruſticationis, aut valetudinis recuperandæ, aut rei familiaris negotia tractandi cauſa degit in aliquo loco, nequit contrahere matrimonium coram Parocho illius loci, ut etiam pluries declaravit eadem Cong. 1. *Decemb.* 1640. *Lib. XVI. pag.* 470., *&* 471. *Sacra &c.* inhærendo declarationibus alias factis, reſpondit, Parochum ruralem non eſſe proprium, & verum Parochum, quando rus itur cauſa recreationis, vel pro ruſticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujuſmodi Parocho celebrari non poſſe, partibus tamen dentur declarationes antiquæ, ſcilicet.

In una Florentina, Sacra &c. cenſuit, quod Parochus ruralis non eſt verus Parochus, quando rus itur cauſa recreationis, vel pro ruſticanis negotiis.

In Florentina ſimiliter reſpondit, Parochum ruralem non eſſe proprium Parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuiſſe nullum.

In una Abulen. Sacra &c. cenſuit, non valere matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi.

IV. Nullum etiam matrimonium contractum coram Parocho loci, ad quem quis ſe tranſtulit ſolo animo illic contrahendi, ut ex ſequentibus laudatæ Cong. declarationibus Sacra &c. cenſuit dandam eſſe declarationem in abſtracto in forma ſequenti. Vir, & mulier a loco ſuæ habitationis abſque animo illam relinquendi diſcedentes, & ad locum alterius parochiæ ſolo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, ſe transferentes, ibi coram Parocho illius loci matrimonium inter ſe contraxerunt. Supplicatur per Sacram Congregationem declarari, an hujuſmodi matrimonium ſit nullum, vel validum: *die* 22. *Feb.* 1631. *Sacra &c.* ſecundum ea, quæ proponuntur, cenſuit eſſe nullum.

V. Habens duo domicilia in diverſis parochiis, & in utraque æqualiter ſe collocat, V.G. in hyeme in uno, & æſtate in altero juxta communem DD. ſententiam valide contrahit coram alterutro Parocho, quia uterque utroque tempore eſt proprius ejus Parochus: quamvis conveniens ſit, ut contrahat coram illo, in cujus parochia degit tempore celebrationis matrimonii, *Maſch. Inſtit. Canon. Lib. IV. tit. III. de Clandeſ. Deſpon. n.* 19.

VI. Validum eſt matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi quis moratur tamquam Prætor, Judex, ſeu Medicus, ex declaratione ejuſdem Cong. relata a Bened. XIV. *Inſtit. Eccleſiaſt. XXXIII. §. Secundo contingit*, qui idem cum communi dicendum eſſe ait de contracto a Profeſſore alicujus facultatis, diſcipulis, famuliſque, licet exteris, cum domicilium, vel quaſi domicilium inibi acquirant, ſi per aliquod temporis ſpatium in eodem loco verſentur.

VII. Nullum eſt contractum a detentis in carceribus loco dumtaxat cuſtodiæ, coram Parocho, intra cujus parochiæ limites ſiti ſunt carceres. Validum tamen, ſi perpetuo, vel ad tempus pro pæna detenti ſint, ex decreto ejuſd. Cong. ſub die 26. *Martii* 1707. *in Farfen. matrim.* promulgato in additione ad cap. III. Statuti Cleri romani de jur. eligen. ſepult. poſt §. IX.

VIII. Nullum eſt contractum a puellis expoſitis, & detentis in hoſpitio ſpuriorum coram Capellano ejuſd. hoſpitii, ut ex ſequenti d. Cong. decreto, lib. *Decretor. XIX. pag.* 124. his verbis extenſo. = ſub die 11. Aprilis 1651. Gubernatores hoſpitalis expoſitorum civitatis Eugubinæ aſſerentes, Sacerdotem ibi in confeſſarium deputatum cum approbatione Epiſcopi huc uſque puellis expoſitis adminiſtraſſe matrimonia, præviis denunciationibus in Eccleſia ipſius hoſpitalis, ſupplicant pro declaratione, hujuſmodi matrimonia coram eodem Sacerdote celebranda eſſe, & non coram Rectore Eccleſiæ parochialis, intra cujus limites d. hoſpitale exiſtit. Sacra &c. cenſuit matrimonia dictarum puellarum eſſe celebranda coram proprio Parocho, non autem coram d. Cappellano hoſpitalia =

IX. Idem dicendum eſt de matrimoniis puellarum, quæ in aliis hoſpitiis ſervantur, illorumque proventibus aluntur, & dotantur, ſi non contrahatur coram Parocho, cujus ditioni eadem hoſpitia cooptantur, cum hæ, paterno domicilio relicto, tamquam filiæ eorumdem hoſpitiorum haberi poſſint, ut probat laudatus Benedictus cit. Inſtit. §. *quinta matrimonia*.

X. Quam-

X. Quamvis puellæ educationis cauſa intra ſepta Monialium detentæ cogendę ſint ex iiſdem abire, ſi fide data matrimonium contrahere velint, ut ex ſequenti Cong. Epiſcop., & Regul. decreto tranſmiſſo Cardinali Boncompagno = Expoſitum fuit in Sacra Cong. nomine Monialium iſtius Civitatis pravos uſus inductos eſſe contra regularem diſciplinam, & Monialium quietem ob virgines educandas, quæ data fide, & viro jam deſtinatæ per conſanguineos invitæ monaſteriis detinentur, Eminentiſſimi Cardinales juxta decreta generalia, aliaque ſuper hac re per Sacram Congr. edita, ac præſertim *die 13. Januarii ann.* 1634., & die quoque 9. *Novemb. an.* 1635., aliiſque deinceps temporibus, Eminentiæ Veſtræ has literas ſcribendas juſſere, ut virgines omnes, quæ futuras nuptias data fide promiſerint, juſſu Eminentiæ Veſtræ, interpoſita etiam Sacræ Cong. auctoritate, ex monaſteriis abeant, licet Ordinario minime ſubjectis, & ad parentum domos revertantur. =

Si tamen dificile ſit id exequi, ſi puella habeat domicilium patêrnum, maternum, vel fraternum, tunc matrimonium contrahendum eſt coram Parocho dicti domicilii: ſi vero non habeat, tunc coram Parocho, intra cujus parochiam ſitum eſt monaſterium, ut cit. Additione ſtatuti Cleri Romani. In primo autem caſu denunciationes faciendæ erunt juxta Eccleſiæ conſuetudinem in utraque parochia= ubi nempe domicilium, & monaſterium poſita ſunt.

XI. Idem dicendum eſt de matrimoniis contrahendis a Juvenibus, qui in Seminariis, & Collegiis educantur, ac a famulis, & ancillis, quæ penes dominos vitam traducunt.

XII. Si contingat matrimonium contrahendum eſſe in Xenodochio a conſtitutis in gravi vitæ periculo, ut æternæ ſaluti proſpiciant, non levis eſt controverſia, an contrahi poſſit coram Capellano ejuſdem Xenodochii, an coram Parocho, in cujus ditione hoc ſitum eſt. In hoc caſu deputandus erit ab Epiſcopo, coram quo contrahendum ſit, ne periculo nullitatis exponatur; laudatus Benedictus in cit. Inſtit. XXXIII.

XIII. Nullum eſt matrimonium contractum coram Capellano exercitus a militibus exiſtentibus ſive in expeditione actuali, ſive in ſtatione, vel præſidiis, non ſervata forma Conc. Trident. *cap. 1. Seſſ. XXIV. de refor. matrim.*, ubi hoc eſt publicatum, juxta decretum alias editum 26. *Septem.* 1602. *ad III.* a Clem. VIII. approbatum. *Dub. Juriſdictionis Capellanorum exercitus, 6. & 20. Mart. 1694. lib. XLIV. pag.* 79. & 110. *& dub. matrimonii* 7. & 30. *Maji & 30. Julii* 1701. *pag.* 236. 268. 414. & 3. *Septem.* 1703.

XIV. Item nullum eſt contractum coram Sacerdote deputato a Parocho, qui ignorabat illius deputationem, quæ etiam ignorabatur ab altero ex contrahentibus, *in Nullius 15. Aprilis* 1625. *lib. XIII. pag.* 435.

XV. Item nullum eſt contractum coram Parocho originis utriuſque contrahentis, & non coram Parocho propriæ habitationis, *in Mutinen. matrim. 18. Novemb.* 1702. *lib. LII.*

XVI. Nec contractum coram ſola præſentia phiſica Parochi, *in Romana ſuper dubiis matrimoniorum 6. Martii* 1700.

XVII. Validum eſt contractum coram Vicario generali, *Nullius Carpen. matrim.* 21. *Januarii* 1680. *lib. XXXI. pag.* 1.

XVIII. Item coram Parocho non proprio de licentia Epiſcopi, & etiam Vicarii generalis, *in Amerina lib. 1. pag. 119. & Cremon. lib.* II. *pag.* 224.

XIX. Item coram Parocho non Sacerdote, etiam prima ſola Tonſura inſignito, licet non fuerit intra annum ad ſacerdotium promotus, *in Abulen. menſe Decembris* 1593. *ad* III. *in Marianen.* 29. *Martii* 1653. *lib.* VII. *pag.* 139. *& lib.* XIX. *pag.* 137. &. 240.

XX. Item contractum coram Parocho de mandato Epiſcopi, qui credebat eſſe proprium Parochum contrahentium, cum re vera non eſſet, *dub. matrim. 9. Septem.* 1684. *lib. XXXIV. pag.* 303.

XXI. Item contractum de licentia Vicarii generalis coram Vicario curato, licet hic nullius ex contrahentibus ſit Parochus, *in Piſtorien.* I. & 22. *Aprilis* 1719. *ad* I. *lib.* LXIX.

XXII. Item coram coadjutore Parochi deputato ad Sacramenta adminiſtranda in genere, ſicut & coram Capellano habente facultatem ab Epiſcopo eadem ſacramenta in genere adminiſtrandi, *in Aquinaten.* 10. *Junii* 1591. *lib.* VII. *pag.* 18. *& in Nullius* 16. *Martii* 1630. *lib.* XIV. *pag.* 259.

XXIII. Item coram Parocho, cujus proviſio nulla prætenditur defectu Examinatorum ſynodalium, *in Ceneten.* 31. *Julii* 1627. *lib.* XIII. *pag.* 305.

XXIV. Item eſt validum contractum coram Parocho notorie fornicario, & ſuſpenſo, *in Drumoren. lib.* III. *pag.* 31.

XXV. Item contractum coram Parocho plubice hæretico, ubi Tridentinum non eſt publicatum; ſecus autem, ubi eſt publicatum, *Dub.* 19. *Maji* 1572. *Poſit. LXXV. ad cap.* 1. *ſeſſ.* XXIV. *de reform. matrim.*

XXVI. Item validum eſt contractum in parochia mulieris, ubi dictum Tridentinum non eſt publicatum, licet in parochia viri publicatum fuerit, *Dub. ad idem cap.* 1. *Poſit. LXXV.*

XXVII. Licet ad valide contrahendum matrimonium ſervanda ſit forma in tranſcripto Tridentini decreto præſcripta, ex ſequenti tamen declaratione Benedicti XIV. *ſub die* 4. *Novem.* 1741. relata in ejus Bullario *tom.* 1. ſub num. XXXIV. matrimonia inita in Holandia, & Belgico contracta, & contrahenda inter utrinque hæreticos, vel inter catolicum, & hæreticum, etiam non ſervata prædicta forma, valida ſunt, ibi.

Matrimonia ...,. Cum igitur Congr. præfata (Concilii nempe) ſub die 13. Maji currentis anni 1741. coram Sanctitate ſua fuerit habita, idem Sanctiſſimus D. N. ſpatio aliquo temporis ad rem ſecum expendendam accepto, hanc nuper declarationem, & inſtructionem exarari præcepit, qua veluti certa regula, ac norma, omnes Belgii Antiſtites, Parochi, earumque Regionum Miſſionarii, & Vicarii Apoſtolici deinceps in hujuſmodi negotiis, uti debeant.

§. II. Pri-

§. II. Primo ſcilicet, quod attinet ad matrimonia ab Hæreticis inter ſe in locis Fæderatorum Ordinum dominio ſubjectis celebrata, non ſervata forma per Tridentinum præſcripta, licet Sanctitas ſua non ignoret, alias in caſibus quibuſdam particularibus, & attentis tunc expoſitis circumſtantiis, Sacram Congr. Concil. pro eorum invaliditate reſpondiſſe; æque tamen compertum habens nihil adhuc generatim, & univerſe ſuper ejuſmodi matrimoniis fuiſſe ab Apoſtolica Sede definitum, & alioquin oportere omnino ad conſulendum univerſis Fidelibus in iis locis degentibus, & plura avertenda graviſſima incommoda, quid generaliter de hiſce matrimoniis ſentiendum ſit, declarare; negotio mature perpenſo, omnibuſque rationum momentis hinc inde ſedulo libratis, declaravit, ſtatuitque, matrimonia in dictis Fæderatis Belgii Provinciis inter Hæreticos uſque modo contracta, quæque in poſterum contrahentur, etiamſi forma a Tridentino præſcripta non fuerit in iis celebrandis ſervata, dummodo aliud non obſtiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda eſſe, Adeoque, ſi contingat, utrumque conjugem ad catholicæ Eccleſiæ ſinum ſe recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipſos omnino teneri, etiamſi mutuus conſenſus coram Parocho catholico ab eis non renovetur; ſin autem unus tantum ex conjugibus, ſive maſculus, ſive fæmina convertatur, neutrum poſſe, quamdiu alter ſuperſtes erit, ad alias nuptias tranſire.

§. III. Quod vero ſpectat ad ea conjugia, quæ pariter in iiſdem Fæderatis Belgii Provinciis, abſque forma a Tridentino ſtatuta contrahuntur a Catholicis cum Hæreticis, ſive catholicus vir hæreticam fœminam in matrimonium ducat, ſive catholica fæmina hæretico viro nubat, dolens in primis quammaxime Sanctitas ſua, eos eſſe inter Catholicos, qui inſano amore turpiter dementati, ab hiſce deteſtabilibus connubiis, quæ S. Mater Eccleſia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorſus ſibi abſtinendum non ducunt, laudanſque magnopere zelum illorum Antiſtitum, qui ſeverioribus propoſitis ſpiritualibus pænis, Catholicos coercere ſtudent, ne ſacrilego hoc vinculo ſe ſe Hæreticis conjungant; Epiſcopos omnes, Vicarios Apoſtolicos, Parochos, Miſſionarios, & alios quoſcunque Dei, & Eccleſiæ fideles Miniſtros in iis partibus degentes ſerio, graviterque hortatur, & monet, ut Catholicos utriuſque ſexus ab hujuſmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum poſſint, abſterreant, eaſdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire ſatagant. At ſi forte aliquod hujus generis matrimonium, Tridentini forma non ſervata, ibidem contractum jam ſit, aut in poſterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas ſua, matrimonium hujuſmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum eſſe, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum ſupervixerit, ullatenus poſſe, ſub obtentu dictæ formæ non ſervatæ, novum matrimonium inire. Id vero debere ſibi potiſſimum in animum inducere conjugem catholicum, ſive virum, ſive fæminam, ut pro graviſſimo ſcelere, quod admiſit, pænitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, conetur que pro viribus alterum conjugem a vera fide deerrantem ad gremium catholicæ Eccleſiæ pertrahere, ejuſque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportuniſſimum foret, ſciens de cætero, ut mox dictum eſt, ſe iſtius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

§. IV. Ad hæc declarat Sanctitas ſua, ut quidquid hactenus ſancitum, dictumque eſt de matrimoniis, ſive ab Hæreticis inter ſe, ſive inter Catholicos, & Hæreticos initis in locis Fæderatorum Ordinum dominio in Belgio ſubjectis, ſancitum, dictumque, intelligatur etiam de ſimilibus matrimoniis extra fines dominii eorumdem Fæderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti ſunt Legionibus, ſeu militaribus copiis, quæ ab iiſdem Fæderatis Ordinibus tranſmitti ſolent ad cuſtodiendas, muniendaſque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*. Ita quidem, ut matrimonia ibi præter Tridentini formam ſive inter Hæreticos utrinque, ſive inter Catholicos, & Hæreticos inita, valorem ſuum obtineant, dummodo uterque conjux ad eaſdem capias, ſive Legiones pertineat. Et hanc declarationem vult Sanctitas ſua complecti etiam civitatem Moſæ Trajectenſis, a Republica Fæderatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, ſed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine poſſeſſam.

§. V, Tandem circa conjugia, quæ contrahuntur vel in regionibus Principum catho-

licorum ab iis, qui in Provinciis Fæderatis domicilium habent, vel in Fæderatis Provinciis ab habentibus domicilium in regionibus catholicorum Principum, nihil Sanctitas ſua de novo decernendum, aut declarandum eſſe duxit: volens, ut de iis, juxta canonica Juris communis principia, probataſque in ſimilibus caſibus alias editas a ſacra Cong. Conc. reſolutiones, ubi diſputatio contigat, decidatur. Et ita declaravit, ſtatuitque, ac ab omnibus in poſterum ſervari præcipit. *Die* 4. *Novem.* 1741.

Ad Card. Gentili S. C. Conc. Præf. A. C. Archiep. Philippen. Secret.

XXVIII. Huc etiam ſpectant reſponſa data a laudata Conc. Cong. ad ſequentia dubia ſibi propoſita ab Epiſcopo Giennenſi *anno* 1581. circa validitatem matrimonii contracti coram proprio Parocho in caſibus in dictis reſponſis expreſſis, relatis *lib.* III. *decret. ejuſdem Cong. pag.* 59. =

I. Utrum prohibitione facta ab Ordinario, ne Parochus aliquos deſponſaret, ita tollatur juriſdictio ipſius Parochi, ut ad contrahendum matrimonium contra talem prohibitionem non ſit legitimus Parochus.

II. Utrum matrimonium, in quo intervenerit Vicarius Parochi, non invitus, ſed volens contra prohibitionem tantum Ordinarii, ſit validum, vel potius invalidum, quia non intervenit Sacerdos habens juriſdictionem, cum ſit ſublata ab Ordinario.

III. Si innuitus, & compulſus per vim adſit Sacerdos, dum contrahitur matrimonium, præcedente, vel non præcedente dicta prohibitione, utrum tale matrimonium ſubſiſtat.

IV. Si Sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit, utrum tale matrimonium valide contrahatur, vel potius tamquam ſine Sacerdote nullius ſit ponderis, & momenti,

V. Si adſit Sacerdos, dum contrahitur matrimonium, caſu, non cogitans, ſe eſſe ad id vocatum, ſed aliud agens, audit duos inter ſe contrahentes matrimonium, utrum ſit validum tale matrimonium, in quo fuit præſens, non tamen certioratus, nec ad id expreſſe vocatus, neque interponens ſuam auctoritatem dicto, vel facto, vel potius ſit nullum, quaſi aſſiſtentia auctoritativa per Concilium requiratur, & non nuda, vel caſualis præſentia.

Reſponſa.

Ad I. Valere matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum eſt ab Epiſcopo, ne interveniat. Ad II. Eſſe validum. Ad III. Subſiſtere. Ad IV. Non valere, ſi Sacerdos non intellexit, niſi tamen affectaſſet, non intelligere. Ad V. valere etiam ſi Parochus alia de cauſa adhibitus ſit ad illum actum.

Reſponſum datum ad IV. convenit cum alio ejuſdem Cong. edito 29. *April.* 1593. in cauſa Uliſiponen. = S. Cong. cenſuit, ſi vera ſint, quæ narrantur, & Parochus affectaverit non intelligere, matrimonium valere *lib.* VII. *pag.* 106.

S E C T I O C X V I.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. Proſequitur idem cap. I.

PRopterea eadem S. Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem ſacerdotalem, in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent; ſtatuitque, benedictionem a proprio Parocho fieri; neque a quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi poſſe, quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio non obſtante. Quod ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſive regularis, ſive ſecularis ſit, etiam ſi id ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur.

Circa benedictionem, ad quam recipiendam hic Tridentinum hortatur conjuges ante traductionem mulieris ad domum viri, ortum eſt dubium, an poſt traductionem ſit permittenda; S. Cong. ejuſdem Conc. *an.* 1594. cenſuit, non eſſe permittendam *lib.* VIII. *pag.* 125.

Cum autem hic præcipiatur, dandam eſſe a proprio Parocho, vel ab alio Sacerdote de ipſius licentia, aut Ordinarii, ortum eſt & hoc aliud dubium, a quo Parocho danda eſſet in caſu, quo ante traductionem, nondum ea recepta, conjuges mutaverint domicilium, illamque peterent, an ſcilicet a Parocho domicilii uxoris, coram quo matrimonium contraxerunt, an a Parocho novi domicilii, in quod ſe

ſe transtulerunt. Hoc dubium ſatis docte ſolvit Fagnanus *ad cap.* III. *Vir autem, de ſecundis Nuptiis n.* 13. *e* 16. firmatque, dandam eſſe a Parocho novi domicilii: licet enim Parochus veteris domicilii cenſeri quodammodo poſſit acquiſiviſſe jus ad illam impertiendam, ex quo interfuerit celebrationi matrimonii, cum tamen per translationem domicilii conjuges ſubtracti ſint ab ipſius juriſdictione, deſierunt eſſe proprii parochiani: nec ſufficit, quod hic fuerit proprius Parochus, ſed oportet, = ut ſit proprius „ quando benedicit, quia cum Concilium ſtatuat, „ ut benedictio fiat a proprio Parocho, qualitas adje„ cta verbo, intelligitur ſecundum tempus verbi. =

Aqua autem re intelligenda ſit ſuſpenſio, quam Tridentinum declarat ipſo jure incurri a Parocho alieno, vel alio Sacerdote, tam ſeculari, quam regulari præſumente dictam benedictionem impertiri ſine licentia, ut ſupra, jam notatum eſt *par.* I. *pag.* 729.

SECTIO CXVII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. Proſequitur idem caput I.

HAbeat Parochus librum, in quo conjugum, & teſtium nomina, diemque, & locum contracti matrimonii deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat.

Ab hoc præcepto excipiuntur hodie matrimonia, *Conſcientiæ* nuncupata, quorum deſcriptio facienda eſt in libro, penes Epiſcopum dumtaxat ſecreto cuſtodiendum, juxta Conſtit. Benedicti XIV. relatam *part. I, pag.* 503.

SECTIO CXVIII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. cap. II.

DOcet experientia propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus, vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere: & a cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier juxta SS. Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant; inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur.

Hoc decretum ſtatuens, cognationem ſpiritualem contrahi tantum inter ſuſcipientem de baptiſmo, & baptizatum, illiuſque patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, hujuſque patrem, & matrem, declaratum eſt a S. Pio V. Conſtit. = *Sanctiſſimus* = 20. *Aug. Et cum illius* „ 28. *Novem.* 1566. = nullum ſcilicet oriri cognationis impedimentum inter quaſcunque alias perſonas, tam ex parte ſuſcipientis, quam baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expreſſas; ac proinde non oriri inter maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & baptizatum, nec inter maritum, vel uxorem ſuſcipientis, & patrem, ac matrem baptizati, ut aliquando dubitatum fuerat. Textum habes part. I. pag. 521.

SECTIO CXIX.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. Proſequitur idem cap. II.

PArochus, antequam ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant; & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat; & in libro eorum nomina

mina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant. Quodſi alii, ultra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant: Conſtitutionibus, in contrarium facientibus, non obſtantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia ſecus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

Circa ſuſcipientes de ſacro fonte, & in Confirmatione tenentes procuratorio nomine cum non ſemel ortum ſit dubium an & ipſi contraherunt cognationem, rejectis DD. opinionibus, aliis ſuſtinentibus, non contrahi nec a mandante, nec a procuratore, aliis ſuſtinentibus contrahi non a mandante, ſed a procuratore, Con. Conc. ſemper amplexa eſt tertiam ſententiam tamquam communiorem, contrahi ſcilicet a mandante, non a procuratore, ut declaravit in *Nullius* 15. *Martii* 1631. *lib.* XIV. *pag.* 793. *& in Theatina matrim.* 13. *Septem.* 1721. *in Theſaur. Reſol. ejuſdem Cong. tom.* II. *pag.* 75. *&* 77.

An autem contrahatur a tenente in Confirmatione, ſi ipſe non ſit confirmatus, notatum eſt part. I. pag. 524.

Circa numerum ſuſcipientium vide notata eadem part. I. pag. 505.

S E C T I O C X X.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. cap. III.

JUſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia, quacunque ratione valida non erunt, S. Synodus prorſus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.

Hoc Decretum ſtatuens, nullum oriri impedimentum publicæ honeſtatis, ubi ſponſalia non ſunt ex quacunque ratione valida; & ubi valida ſunt, non excedere primum gradum, declaratum eſt ab eodem S. Pio V. Conſtit. *Ad Romanum* 1. *Jul.* 1568. hoc ſcilicet decretum eſſe omnino intelligendum, & procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio per verba de præſenti, etiam non conſumato; ſed in hoc durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, in quibus de jure veteri ante idem Conc. decretum introductum erat, Textum babes part. I. pag. 482.

S E C T I O C X X I.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. cap. IV.

PRæterea S. Synodus eiſdem, & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos, tantum, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit. In ulterioribus vero gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere.

Hoc decretum, reſtringens impedimentum affinitatis ortum ex fornicatione ad primum, & ſecundum tantum gradum, ac ſtatuens matrimonium contractum in ulterioribus gradibus non dirimi, confirmatum eſt ab eodem Pontifice S. Pio Conſtit. *Sanctiſſimus*; qui ulterius Conſtit. *Ad Romanum Pontificem* 28. *Novembris* 1566. declaravit idem intelligendum eſſe de matrimonio contrahendo. Textum habes parte I. pag. 532.

Nota, quod per hoc Tridentini decretum moderata eſt Decretalis Concilii Avermarienſis, celebrati tempore Pipini apud Wermeriam in Pago Silvanectenſi, relata *in cap. Siquis I. De eo, qui cognovit &c.* ſtatuentis inter alia committentem inceſtum cum conſanguinea ſive uxoris, vel mariti, ipſo facto privari jure petendi debitum gonjungale, non explicando gradum conſanguinitatis, cum ex cit. Trident. decreto non privetur, niſi inceſtus commiſſus fuerit cum conſanguineis conjugis in primo, vel ſecundo gradu, quandoquidem reſtrinxit affinitatem ex copu-

la

la fornicaria, ut non impediat matrimonium, niſi in primo, & ſecundo gradu: & Theſaur. de pænis verb. = *Inceſtus num.* 4. refert Congreg. declaraſſe idem eſſe quoad impedimentum petendi debitum: quam declarationem Gallemart ad hoc idem cap. dicit factam fuiſſe a Gregorio XIII. ex ſententia ejuſdem Cong.

SECTIO CXXII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. cap. V.

SI quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pænis; non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Si vero, ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

Huc ſpectat ſequens Conſtit. S. Pii V. *Sanctiſſimus* 20. *Aug.* 1566. pro exprimendis gradibus propinquioribus in diſpenſationibus matrimonialibus impetrandis.

Sanctiſſimus ..... attendens per quandam Conſtitutionem dudum per fel. rec. Pium Papam IV. Sanctitatis ſuæ Prædeceſſorem editam, qua cavetur, quod in diſpenſationibus matrimonialibus, pro diverſis conſanguinitatis, ſeu affinitatis ex eodem ſtipite provenientibus gradibus conjunctis non remotioris ſolum, prout olim fieri ſolebat, ſed etiam propinquioris graduum expreſſa mentio fieri debeat, alioquin diſpenſationes, ac deſuper confectæ literæ nullius ſint roboris, vel momenti, prout in dicta Conſtitutione plenius continetur, a diſpoſitione juris communis, & laudabili, ac antiquo Romanæ Curiæ ſtylo nimium recedi, ac favorem matrimonii debitum reſtringi. Volenſque propterea juri, & ſtylo prædictis, necnon piæ me. Gregorii XI, & Clementis VI. Rom. Pont. etiam Sanctitatis ſuæ Prædeceſſorum veſtigiis inhærendo, Sacramento, & libertati matrimonii, quantum cum Deo poteſt, favere, ſtatuit, & ordinavit, quod de cætero in quibuſcunque diſpenſationibus, quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros, & mulieres, invicem diverſis prohibitis conſanguinitatis, & affinitatis, aut mixtis, ex communi, ſeu ab eodem ſtipite ſurgentibus, quicunque illi ſint, dummodo primum quoquomodo non attingant, cum in eo Sanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat, gradibus conjunctos, ab eadem Sanctitate ſua, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, aut Sede Apoſtol. impetrari, vel alias concedi contigerit, ac literis, commiſſionibuſque deſuper etiam locorum Ordinariis faciendis, gradus remotior attendatur, trahatque ſecum propinquiorem, ac ob id ſufficiat remotiorem tantum gradum exprimere; obtentis tamen poſtea ſuper propinquiore literis declaratoriis juxta Gregorii, & Clementis Prædeceſſoris hujuſmodi Conſtitutiones, quas, quoad hoc innovavit, & inviolabiliter obſervari mandavit, diſpenſationeſque, ſeu diſpenſandi commiſſiones, ac deſuper confectas literas, & proceſſus habitos per eaſdem diſpenſatis, ſeu his, cum quibus diſpenſari mandatur propter proximioris gradus hujuſmodi non expreſſionem, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis defectu notari non poſſe; ſed in omnibus, & per omnia ſuffragari, perinde, acſi in literis, ſeu commiſſionibus hujuſmodi de proximiore, ſeu utroque gradu ſpecialis, & expreſſa mentio facta fuiſſet.

Circa vero veritatem exprimendam in dictis diſpenſationibus ſpectat ſequens altera Conſtitutio ejuſdem Pontificis *ſub die* 5. *Decem.* 1566.

Cum

Cum ſicut accepimus, nonnulli ſuæ conſcientiæ prodigi, ac propriæ ſalutis immemores, ut facilius a nobis, & Sede Apoſtol. diſpenſationes matrimoniales, & alias gratias, & conceſſiones obtineant, gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis, ac ſcientiam illorum aliter, quam eis a principio ab ipſis partibus ſignificatum, vel narratum fuerit, exponunt; & ſi matrimonia hujuſmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis narrant, ac alias diverſimode veram facti ſpeciem, tam in ipſis diſpenſationibus matrimonialibus, quam pro aliis quibuſcunque gratiis, & conceſſionibus obtinendis immutent, ac propterea cum non ſolum in impetrationibus hujuſmodi falſitas narretur, verum etiam in partibus plerunque pro verificatione gratiarum hujuſmodi veritas immutetur, & falſitas committatur. Nos igitur hujuſmodi abuſibus, & erroribus obviare cupientes, motu proprio &c. omnes, & ſingulos Procuratores, tum officii Sacræ Pænitentiariæ, ſeu Contradictarum, quam alios quoſcunque ſolicitatores, & ſcriptores, quos cupiſtas vocant, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipſis partibus habuerunt, quoad ſubſtantialia, & qualitates neceſſario exprimendas diverſam faciunt, ſeu quoquo modo intervertunt, aut immutant, depravantur, & per ſubreptionem, & obreptionem gratias a nobis extorquent, pænam falſi incurrere, & ea puniri omnino debere decernimus, & declaramus. Mandantes propterea Almæ Urbis Gubernatori, Cameræ Apoſtolicæ Auditori, & Vicario, quatenus in præmiſſis reos, & culpabiles repertos pæna falſi, ut præmittitur, puniant, cum poteſtate citandi, etiam per edictum, conſtito ſummarie de non tuto acceſſu, aliaque dicendi, & faciendi in præmiſſis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna.

Hæc piana Conſtitutlo, quamvis vldeatur pertinuiſſe dumtaxat ad Procuratores, ſolicitatores, & ſcriptores S. Pænitentiariæ, a qua tunc diſpenſationes matrimoniales concedi ſolebant, etiam in foro externo, nihilominus extenſa eſt a Benedicto XIV. Conſtit. *Ad Apoſtolicæ* 25. *Feb.* 1742. ad omnes negotiorum geſtores, puniendos pæna falſi, ſi in exponendis earumdem diſpenſationum cauſis deliquerint, onerata conſcientia executorum dictarum diſpenſationum circa verificationem cauſarum expoſitarum.

Pro regula ſervanda in petendis præfatis diſpenſationibus placet hic referre ſummatim tradita a Remigio *Maſchat*, *Inſtit. Canon. lib. IV. in tractatu de diſpenſationib. matrimonialib.* §. *III. pag.* 428. una cum Additionibus meis ibidem poſt verbum *Terrorem* relatis.

,, Exprimi debet genus impedimenti: & ſi plura ,, impedimenta ſunt diverſæ, vel etiam ejuſdem ra- ,, tionis, omnia exprimenda ſunt probabilius, & tu- ,, tius in eadem ſupplicatione, non vero unum in u- ,, na, & alterum in altera: nam concurſus plurium ,, impedimentorum reddit diſpenſationem multo dif- ,, ficiliorem: & aliunde cuique diſpenſationi tacita ,, ineſt conditio, = ſi aliud non obſtet: = obſtaret ,, autem aliud impedimentum, de quo mentio non ,, eſt facta. Ita Sanchez, allegans declarationem ,, S. Congr. & *Vinc. de Juſtis* ſtylum Curiæ Rom. ,, Unde I. exprimi debet conſanguinitatis, vel affi- ,, nitatis genus: ſecus alterum pro altero poſitum, ,, maxime ſi affinitas ponatur loco conſanguinitatis, ,, invalidam reddit diſpenſationem. II. Exprimi de- ,, bet, ſi ſponſus cognovit duas ſorores ſponſæ, vel ,, ſi ſponſus ex baptiſmo ſuſcepit prolem ſponſæ, ,, & hæc prolem ſponſi &c. III. Exprimi debet, ſi ,, concurrant impedimenta diverſæ rationis; ut ſi ,, Oratores ſint conſanguinei, & affines ſimul, vel ,, laborent impedimento criminis &c. = Nec ob- ,, ſtat, = quod unum impedimentum tolli poſſit ſi- ,, ne altero, ſicut una excommunicatio abſque al- ,, tera: nam ita tolli non ſolet, quia Papa non in- ,, tendit diſpenſare, niſi tota gravitas impedimento- ,, rum exprimatur. Secus eſt in excommunicatione, ,, ad quam tollendam ſufficit exponere cauſam, ,, ob quam incurſa eſt.

,, Si petatur diſpenſatio ſuper impedimento con- ,, ſanguinitatis, I. Exprimi debet linea recta, vel ,, tranſverſa, gradus æqualis, vel inæqualis, an ſit ,, ſecundus, tertius, vel quartus mixtus cum pri- ,, mo &c: nam in gradu propinquiori difficilior eſt di- ,, ſpenſatio, uti etiam in gradu ſecundo, vel tertio ,, mixto cum primo &c. II. Si tamen poneretur gra- ,, dus propinquior loco remotioris, v. g. tertius lo- ,, co quarti, valeret diſpenſatio; quia propinquior ,, includit remotiorem. III. Si gradus quartus con- ,, currat cum primo, exprimendus eſt ex Conſt. S. Pii ,, V. incip. = *Sanctiſſimus* 20. *Auguſti* 1566. quæ ,, tamen non extenditur ad caſum, quo gradus quin- ,, tus concurrit cum primo; quia in tali gradu non ,, eſt neceſſaria diſpenſatio. Si vero gradus tertius ,, concurrat cum ſeeundo, hoc non expreſſo, valet ,, quidem diſpenſatio, ſed ſuper hoc valore impetra- ,, ri debent literæ pontificiæ, declaratoriæ hujus ,, valoris, antequam diſpenſatio ab executore facta, ,, eſt invalida; ita *Corr.* cum praxi Curiæ. Oppo- ,, ſita ſententia Sanchez. Gobat. Pontii. Tambur. & ,, aliorum ſervire poteſt pro illo caſu, quo talis de- ,, claratio non eſt neceſſaria, ut quia nullum time- ,, tur ſcandalum, neque res iſta delata eſt ad forum ,, contentioſum; neque publice conſtat, quod Ora- ,, tores omiſerint exprimere gradum tertium mi- ,, xtum cum ſecundo: nam, ut ait Engel, literæ illæ ,, declaratoriæ requiruntur dumtaxat ad ſcandalum ,, tollendum. Nec obſtat cit. Conſtit. Piana; nam ibi ,, invalidatur diſpenſatio, ſi mentio non fiat gradus ,, primi mixti cum ſecundo, tertio, aut quarto. ,, IV. Si copula allegatur pro cauſa, exprimi debet,

,, an

„ an habita ſit ſub ſpe facilioris impetrationis, & „ ſi alia cauſa allegetur, nihilominus copula publica „ exprimi debet ex ſtylo Curiæ, non tamen occulta, „ quia Eccleſia non videtur velle obligare ad gra- „ vem ſui diffamationem, Sanchez. Licet autem „ copula regulariter faciliorem faciat impetratio- „ nem, tamen major taxa ſtatuitur ad aliorum ter- „ rorem. =

Præter huc uſque dicta a laudato Auctore, ad majorem claritatem in praxi notandum, quod diſpenſatio matrimonialis adhuc valida eſt, licet aliqui conjuncti ſint inæqualiter, & expreſſus fuerit gradus tantum remotior, omiſſo proximiori, dummodo hic primum non attingat quocumque modo, ex regula ejuſdem Pii V. in cit. Conſtit. qua declaratoria Conſtitutioni Pii IV. hac parte derogatum eſt. In dicta tamen Conſtitutione voluit ſic diſpenſatos debere poſtea obtinere literas declaratorias ſuper gradu propinquiore reticito, quod ſcilicet diſpenſationi non obſtaſt juxta diſpoſita a Greg. XI. & Clem. VI. quamvis, his literis omiſſis, matrimonium ſit validum: conjuges tamen ſeparandi ſunt, donec eædem literæ obtineantur. Ad tramites hujus pianæ regulæ: ita etiam reſolvit Cong. Conc. *in Lucaorien. nullit. matr. in Theſ. reſol. ejuſd. Cong. 28. Mart. 1722. tom. II. pag.* 143. ubi in calce folii d. diei adnectitur eruditiſſimum votum pro hac validitate Bened. XIV. tunc præfatæ Congreg. Secretarii.

„ Si petatur diſpenſatio ſuper affinitate (ita proſequitur Maſchat) I. Exprimenda eſt linea recta, „ vel tranſverſa, gradus æqualis, vel mixtus cum „ primo, ex cit. Conſtit. Piana. Cætera ſervantur „ ſicut in impedimento conſanguinitatis. Exprimi „ etiam debet, an affinitas oriatur ex copula licita, „ quia ſimul concurrit impedimentum publicæ ho- „ neſtatis II. In publica honeſtate, ex matrimonio „ rato orta, exprimi debet gradus: ſecus ſi orta ſit „ ex ſponſalibus, quia aliunde ſcitur, impedimen- „ tum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus non porrigi „ ultra primum gradum, *Trident. ſeſ. XXXIV. cap. III. de refor. matrim.* III In cognatione ſpi- „ rituali exprimi debet, an orta ſit ex Baptiſmo, „ vel Confirmatione, an ſit paternitas, vel compa- „ ternitas. =

Nota I. ſponſalia de futuro inita cum impedimento dirimente, etiam cum conditione diſpenſationis obtinendæ, nullam parere obligationem, itaut uterque conjugum liber ſit ad ineundum alia ſponſalia, ut declaravit Cong. Conc. in *Brugnaten. ſponſalium 26. Jan.* 1709. *lib. LIX. Decretor. pag.* 17. & noviſſime in Januen. *Sponſalium* 12. *Decem* 1733. *in Theſaur. reſolut. ejuſdem Cong. tom. VI. pag.* 206.

Nota II. neque nullam inducere obligationem tamquam vera ſponſalia, ſi matrimonium contractum ſit coram teſtibus, ſine Parocho, etiam copula ſubſecuta, *in Meſſanen. lib. II. pag.* 12. *& in Nullius 8. Junii* 1595. *lib. VIII. pag.* 130.

S E C T I O   C X X I I I.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. cap. VI.

DEcernit S. Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam in uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter, arbitrio judicis dotare.

Circa raptores notanda ſunt ſequentia Cong. Concilii decreta, ſcilicet.

I. Raptores quarumcunque mulierum, etiam ſi eas non rapiant ad effectum contrahendi cum ipſis matrimonium, ſed ob alias cauſas, ſunt ipſo jure excommunicati: *Dub. Poſ.* 74. 254. *ad c.6. ſeſſ.* 24. *de reſor. matrim.*

II. Si obtineat diſpenſationem, nulla facta mentione raptus in ſupplicatione, diſpenſatio eſt ſubreptitia, & Epiſcopus debet denegare executionem, etiamſi rapta ſit ſeparata a raptore, & libera conſentiat eum in virum habere. *Dub.* 10. *Novembris* 1583. *d. Poſ.* 74. 254. *ad d. c.6. Seſſ.* 24. *de ref. matrim.*

III. Raptori non obſtare raptum ad contrahendum matrimonium cum puella rapta, conſtito, quod raptus fuerit executus, nedum conſentiente, ſed, & ſolicitante ipſa puella, reſpondit S. Cong. *in Ruben. Raptus, & Cenſurarum* 3. *Martii* 1714. *d.* 64.

S E-

SECTIO CXXIV.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. cap. VII.

MUlti ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes, &, ut improbi ſunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt; cui morbo cupiens S. Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant: Magiſtratus etiam ſeculares hortatur, ut eos ſevere coerceant: Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, &, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

Huc ſpectat decretum Cong. univerſalis Inquiſitionis, juſſu Clementis X. editum, *Cum alias* 21. *Auguſti* 1670. *in quo* §. *Si contrahentes* poſt n. 15. circa vagorum matrimonia hæc ſtatuuntur.

Si contrahentes ſunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum eſſe liberos, & in aliis ſervata forma Conc. Trident. *in cap. VII. Seſſ.* XXIV.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi ordinarii, & recognita, ſaltem per teſtes, qui habeant notam manum, & ſigillum, & attente conſideretur, quod fides, ſeu teſtimonia bene, & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.

SECTIO CXXV.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Matrim. cap. VIII.

GRave peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere: graviſſimum vero, & in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum, uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum uxoribus alere, & retinere. Quare, ut huic tanto malo S. Synodus opportunis remediis provideat, ſtatuit hujuſmodi concubinarios, tam ſolutos, quam uxoratos, cujuſcunque ſtatus dignitatis, & conditionis exiſtant, ſi, poſtquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe, a qua non abſolvantur, donec re ipſa admonitioni factæ paruerint. Quod ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab Ordinario ſevere pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, quæ cum adulteris, ſeu concubinariis publice vivunt, ſi ter admonitæ, non paruerint; ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel diæceſim, ſi id eiſdem Ordinariis videbitur, invocato, ſi opus fuerit, brachio ſeculari, ejiciantur: aliis pænis contra adulteros, & concubinarios inflictis, in ſuo robore permanentibus,

Hoc decretum, ſtatuens ſive conjugatos, ſive ſolutos viventes cum concubinis, ſi ter admoniti eas non ejecerint, excommunicandos eſſe, nec abſolvendos, donec re ipſa ſe ab eiſdem ſejunxerint, & ſi non paruerint, præter pænas contra adulteros, & concubinarios inflictas, graviter puniendos eſſe pro modo culpæ ab Ordinariis: ſicuti & ipſas concubinas ſive conjugatas, ſive ſolutas, etiam nemine requirente, extra oppidum, vel diæceſim, eorumdem Ordinariorum arbitrio ejiciendas, ampliatum eſt a Siſto V. Conſtit. *Ad Compeſcendum* 30. *Octobris* 1586. cujus textum habes ſupra poſt *cap. III. Si vir de Adulter. & ſtupro* part. 1. pag. 664.

SECTIO CXXVI.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. caput I.

Huic capitulo, in quo præſcribit Tridentinum formam procedendi ad creationem Epiſcoporum, & Cardinalium, acceſſit Sixti V. Conſtitutio *Poſtquam* 3. Dec. 1586. & Conſtitutio *Immenſa* 8. *Febr* 1587. ac Gregorii XIV. *Conſtitut. Onus* 15. *Maji* 1591. Quoad examen vero, & qualitatem promovendorum ad Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus erecta eſt peculiaris Congregatio a Benedicto XIV. *Conſtit. Ad Apoſtolicæ* 17. *Octobris* 1740., quarum Conſtitutionum ſummæ, cum hæc inquiſitio pertineat ad S. Sedem, & dictam Congregationem, omittuntur.

Idem Conc. decretum ſtatuens, Epiſcopos de novo creatos teneri ad fidei profeſſionem ante literas expeditas, declaratum eſt a Pio IV. Conſtit. *Injunctum* 13. *Novemb.* 1564. præſcribente formam hujuſmodi emittendæ profeſſionis, & a Greg. XIV. *Conſtit. Onus* 15. *Maji* 1591. declarante etiam modum, apud quem, & ad quem tranſmittenda ſit Romam hæc profeſſio.

Pariter dictum decretum ampliatum eſt ab eodem Pio cit. Conſtitut. *Injunctum*, extendente hoc onus, & formam ad præficiendos regimini monaſteriorum, conventuum, domorum, & aliorum quorumcunque locorum regularium, etiam militarium.

Theſaurus de pœnis verbo *Fidei profeſſio n.* 4. tenet, hanc Conſtit. non eſſe uſu receptam quoad Prælatos regulares, quando Eccleſia, vel monaſteria eis conferuntur, non a S. Sede in titulum, ad vitam, ſed ad tempus, v. g. per electionem a Capitulis, vel aliam proviſionem factam ab eorum Superioribus.

Edicit tandem laudatum decretum, eos, ad quos pertinet Paſtores Eccleſiis præficere, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad eaſdem promoverint, quod declaratum eſt ab Inn. XI. ut ex contrario ſenſu Propoſition. XLVII. inter alias ab eodem proſcriptas 2. *Martii* 1679. = Cum dixit Concil. Trident., eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent; Concilium, vel primo videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando ſit concurſus. =

SECTIO CXXVII.

Eadem Seſſio XXIV. de Refor. cap. II.

PRovincialia Concilia, ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris Canonibns permiſſis, renoventur. Quare Metropolitani per ſe ipſos, ſeu, illis legitime impeditis, Coepiſcopus antiquior intra annum ad minus a fine præſentis Concilii, & deinde quolibet ſaltem triennio, poſt octavam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeu alio commodiori tempore, pro more provinciæ, non prætermittat Synodum in provincia ſua cogere: quo Epiſcopi omnes, & alii, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum eſſet, convenire omnino teneantur. Nec Epiſcopi comprovinciales prætextu cujuslibet conſuetudinis ad metropolitanam Eccleſiam in poſterum accedere inviti compellantur. Itidem Epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cujus Synodo provinciali cum aliis intereſſe debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obſervent, & obſervari faciant.

In reliquis omnibus eorum exemptio, & privilegia ſalva, atque integra maneant.

Circa Concilia provincialia quolibet triennio, cogenda, ut hic præſcribit Tridentinum, jam notatum eſt parte I. pag. 558. & ſeq.

In eo autem, quod ſtatuit, ut Epiſcopi nulli Archiepiſcopo ſubjecti, vicinum aliquem Metropolitanum ſemel eligant, in cujus Synodo provinciali cum aliis intereſſe debeant, declaratum eſt a Congregatione, habita coram Bened. XIII. 28. *Maji* 1725. ut ex ejuſdem Cong. reſponſis, per extenſum relatis a Bened. XIV. *lib. XIII. de Synodo diœc. cap. VIII. n.* 14. *edit. an.* 1755.

I. Archiepiſcopos, qui non habent Suffraganeos, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum conveniendi in ejus Concilio provinciali.

II. Sex Cardinales Epiſcopos urbium, Romæ adjacentium, non teneri, ut ſupra.

III. Epiſcopos omnes, qui ſunt inter provinciam Capuanam, & Piſanam, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum præfatum. Eos nihilominus, qui, vel quorum Anteceſſores jam ſemel poſt Trid. elegerunt Metropolitanum, teneri ſtare electioni: prout etiam Epiſcopos, qui a provincia romana inter dictas Capuanam, & Piſanam conſtituta divulſi fuerunt, & aſſignati Suffraganei Eecleſiarum in Metropolitanas electarum, eidem ſubeſſe debere.

IV. Epiſcopos vere immediate ſubjectos Apoſtolicæ Sedi, qui ſunt extra præfatam provineiam romanam, ubicunque locorum exiſtentes, omnino teneri eligere Metropolitanum, juxta decretum Conc. Trident. *Seſſ. XXIV. cap. II. de Refor.* quatenus ipſi, vel eorum Anteceſſores non elegerint.

V. Abbates, alioſque Prælatos inferiores Nullius diæc. babentes juriſdictionem quaſi epiſcopalem in Clerum, & populum eum territorio ſeparato, teneri eligere Metropolitanum, ut ſupra.

VI. Epiſcopos, Abbates, Prælatos inferiores, qui debent, ut ſupra, eligere Metropolitanum, etſi non teneantur eligere viciniorem, debere tamen juxta deeretum Conc. Trid. vicinum eligere, quod intelligendum eſt de non nimis longe diſtante: habita ratione regionum.

SECTIO CXXVIII.

Proſequitur idem Caput II. Seſs. XXIV. de Refor.

SYnodi quoque diæceſanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, ceſſante exemptione, intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneautur: ratione tamen parochialium, aut aliarum ſecularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi ſint, Synodo intereſſe. Quod ſi in his tam Metropolitani, quam Epiſcopi, & alii ſupraſcripti negligentes fuerint, pænas, ſacris Canonibus ſancitas incurrant.

Cira Synodum diæceſanam, quam Tridentinum quotannis hic cogi præcipit, notatum eſt pariter parte I. pag. 559.

Cum autem ſimul declaret, teneri ad eam accedere etiam omnes exemptos, eximatque dumtaxat Abbates, qui ſubduntur Capitulis generalibus, uti ſunt Regulares, in dubium revocari nequit, Abbates ſeculares, intra Epiſcopi diæceſim exiſtentes, quibuſvis exemptionibus, & privilegiis ſuffultos ab hoc acceſſu ſe eximere non poſſe, niſi ſpecialiter, & expreſſe ab eodem exempti ſint, ut ex declaratione Cong. Conc. in *Mantuana* 1680. relata in folio diei 23. *Aug.* 1727. *tom. IV. Theſaur. reſolut. ejuſdem Cong.* pag. 112. §. 7. *ac in Cremonen. Synodi* 5. *Aprilis* 1732. *ad IV. & V. dubium in eod. Theſaur. tom. V. pag.* 321. *& tom. VI. ſub. die* 29. *Aug.* 1733. *pag.* 162.

Quod autem ſpectat ad Abbates Regulares, ſi iſti una cum monaſteriis, quæ regunt, ſunt omnino exempti a juriſdictione Epiſcopi, ita ut eadem monaſteria coaleſcant in unum corpus, ſeu conficiant unam communitatem, cujus ſingula membra ſubdantur Capitulo generali ejuſdem Ordinis. certum eſt juxta hoc Tridentini deeretum, cogi non poſſe ad intereſſendum Synodo. Si vero præficiantur monaſteriis, quorum quodlibet ſolitarium eſt, nullam nimirum cum aliis Ordinis monaſteriis conjunctionem habens, nullum ſocietatis, & mutuæ communicationis vinculum, atque ideo eorumdem monaſteriorum Prælati nullum Superiorem agnoſeant, cujus Capitulo ſubjiciantur, cujus generis plura extra Italiam reperiuntur, ii tenentur ad Synodum accedere, cum primos, non hos exemerit Trident. ut probat Benedictus XIV. *lib. III. cap. I. de Synod. Diæc. n.* 8. Quam diſtinctionem exacte ſervandum eſſe etiam ſtatuit Cong. Concil. *in cauſa Regularium* 19. *Novembris* 1604. ſequenti decreto, relato *lib. X. Decretor. ejuſdem Cong. pag.* 102. *a tergo* = Sacra &c. cenſuit, quoad primum eſſe injungendum omnibus Regularibus, qui vel Capitulis generalibus non ſubduntur, vel curam animarum exercent, ut ad Synodos diæceſanas accedant ſub pæna privationis vocis activæ, & paſſivæ, ipſo facto incurrendæ, atque aliis pænis, arbitrio Epiſcoporum imponendis, etiam excommunieationis, adeo, ut jus declarandi, atque pænas imponendi ad Epiſcopos, non obſtante quacunque exemptione, pertineat, eiſdemque Epiſcopis jus ſit prædictos Regulares, qui nullis Capitulis ſubduntur, abſolute cogere ad diæceſanæ Synodi obſervationem: eos vero, qui ratione curæ animarum interfuerint, ad ſervanda ea omnia, quæ in Synodo decreta fuerint circa curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum. =

His monaſteriis ſimile erat monaſterium Evaſenſe Ordinis S. Benedicti diæc. Vigorienſis in Anglia; cujus Abbas, licet exemptus fuiſſet ab Epiſcopi juriſdictione, eo quod dictum monaſterium, in quo profeſſionem emiſerat, Apoſtol. Sedi erat immediate ſubjectum, non ideo deelaratus fuit ab Innoc III. exemptus ab onere intereſſendi Synodo Epiſcopi Vigorienſis, eo quia inferiora monaſteria, quibus præerat, non probata fuerint exempta ab ejuſdem Epiſcopi juriſdictione, ut videre eſt in Decretali laudati Innocentii, relata in cap. XVII. *Ex ore, de privileg.* quod conjungendum eſt, cum cap. III. *Audiſtis, De in integrum reſtit.* & cum cap. XV. *Audiſtis, de Præſcrip.* pertinentia ad eamdem ſpeciem. =

Eadem interpretatio quoad membra inferiora non exempta, faeienda eſt de Decretali Honorii III. Epiſcopo Aſſiſiaten ſcripta, relata in cap. XVI. *Conquerente, de Offic. Ordin.* Cum

Cum autem ortum fuerit dubium, an etiam cogi poſſent accedere ad Synodum Abbates, & Superiores conventuum prius ſuppreſſorum juxta Conſtit. Innoc. X. *Inſtaurandæ*, & poſtea rediutegratorum, Alexander VII. declaravit, & definivit, teneri, ut ex ſequentibus ejus literis, in forma Brevis *ſub die* 30. *Martii* 1661.

Cum ſicut accepimus, poſito decreto fel. rec. Innocentii Papæ X. Prædeceſſoris noſtri, incipiente: *Ut in parvis*, *die* 10. *Februarii* 1654. edito, quo parvi concentus, non habentes præſcriptum numerum Religioſorum, viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii loci, tamquam ſuper hoc a Sede Apoſtolica delegati, plene in omnibus ſubjiciuntur, dubitetur, an Abbates, Priores, Guardiani, & alii prædictorum conventuum Superiores, ab Epiſcopo vocati, ad diæceſanam Synodum accedere teneantur; Nos, ejuſmodi dubium tollere cupientes, præfatos Abbates, Priores, Guardianos, & alios parvorum conventuum hujuſmodi Superiores ad Synodum diæceſanam accedere teneri, ſi ad eam ab Epiſcopo, uti ſedis Apoſtolicæ delegato, vocentur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, declaramus, & ita ab omnibus, ad quos pertinet, ſervari præcipimus.

Cui definitioni concinit deciſio Cong. Conc. in cauſa *Pientina Synodi*, ſic relata a laudato Benedicto loco mox cit. cap. II. n. 4. = Inſtante Promotore Synodi diæceſanæ Pientiæ pro declaratione, an Superiores parvorum conventuum teneantur accedere ad Synodum diæceſanam, quatenus fuerint vocati ab Epiſcopo, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, datæ fuerunt literæ pro informatione Ordinario, qui retulit, Guardianum Minorum Conventualium S. Quirici, ad Synodum diæceſanam die 24. Septem. proxime elapſi accerſitum, comparviſſe per Procuratorem, aſſerendo, non teneri accedere, eo quia Fratres Minores Convetuales obſtringi non poterant legibus ſynodalibus; Priorem vero Servorum B. M. V. ſe excuſaſſe per epiſtolam, ex quo dietim viſitationem generalem ſui cænobii expectabat; & denique Patrem Guardianum Conventualium civitatis Pientinæ, abſque ulla hæſitatione Synodo interfuiſſe: unde EE. VV. exorat, ut ne Superiores hujuſmodi parvorum conventuum ſubjectionem ſuæ juriſdictioni quodammodo excutiant, licet in iis, quæ reſpiciunt viſitationem, & correctionem ad tenorem decreti ſan. mem. Innoc. X. incipientis, *Ut in parvis*, ſemper ſuam exercuerit facultatem, declarare dignentur, illos teneri ad Synodum accedere, mediante reſolutione infraſcriptorum dubiorum.

I. An PP. Guardiani, cæterique Superiores parvorum conventuum teneantur accedere ad Synodum diæceſanam, quatenus fuerint vocati ab Epiſcopo, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato. Et quatenus affirmative.

II. An caſu, quo vocati non interveniant, ſubjacere debeant multæ in prædicta Synodo diæceſana adverſus contumaces comminatæ.

Die 16. *Junii* 1703. S. Cong. Conc., ad I. reſpondit affirmative; ad II. pariter affirmative, arbitrio Ordinarii, excepta multa pecuniaria. =

Si vero agatur de conventibus nunquam ſuppreſſis, (fundatis tamen ante decretum Urb. VIII.) in quibus actu incolent ſex Religioſi, quorum quatuor ſint Sacerdotes, eorum Superiores cogi nequeunt ad intereſſendum Synodo, cum dicti conventus non ſubdantur Ordinarii juriſdictioni juxta ſequens decretum Cong. ſuper Statu Regularium *die* 29. *Novemb.* 1657. = Sacra Cong. ſuper Statu Regularium cenſuit, conventus, nunquam ſuppreſſos, in quibus actu degunt de familia plures, quam ſex Religioſi, minime comprehendi in decreto ſan. mem. Innocentii X. quod incipit *Ut in parvis*; ac proinde locorum Ordinarios nequaquam poſſe, in vim dicti decreti, in hujuſmodi conventibus, aut illorum perſonis, ullam ſibi juriſdictionem vindicare. =

Quod decretum ſervandum eſſe declaravit etiam Cong. Conc. in cauſa *Melphitana juriſdict.* 3. *Aug.* 1686. ac in ſecunda propoſitione cit. cauſæ Pientinæ 15. *Septemb.* 1703.

Quod tandem ſpectat ad Regulares, animarum curam exercentes, quos hic Tridentinum, ſive ſubjecti ſint, ſive non, Capitulis generalibus, promiſcue, & indiſtincte Synodo intereſſe debere declarat, quæri poteſt.

I. An, ſi cura animarum per ſe exerceatur a Prælato regulari exempto, & Capitulo generali ſubjecto, ipſe nihilominus teneatur intereſſe Synodo.

II. An, ſi exerceatur per Capellanum, ejuſdem Prælati nutu amovibilem.

III. An, ſi per Vicarium ſecularem, prævia approbatione Epiſcopi, ab eodem Prælato in perpetuum deputatum.

IV. An itidem idem Prælatus intereſſe debeat, ſi cura annexa ſit non Eccleſiæ principali, ſed alteri huic acceſſorie unitæ, eaque regatur per aliquem Regularem a dicto Prælato deſignatum, & ad ejus placitum amovibilem.

V. An pariter idem Prælatus teneatur intereſſe, ſi cura adnexa quidem ſit monaſterio principali, regatur tamen per Regularem, non ab eo, ſed a Capitulo deputatum, ita ut ſine hujus facultate removeri nequeat.

VI. An tandem teneantur intereſſe Synodo vicinioris Epiſcopi Abbates præditi nobiliori exemptione tertiæ ſpeciei, cum territorio nempe ſeparato, & vera qualitate *Nullius*, ac cum facultate propriam Synodum celebrandi.

Quoad I. laudatus Benedictus loc. cit. cap. I. n. 2., jure merito ſentit, nullam fieri poſſe quæſtionem, cum manifeſte comprehenſum ſit in tranſcripto Trident. decreto.

Quoad II. eumdem ipſum Prælatum, non Capellanum intereſſe debere communiter ſentiunt DD.

cum ipſemet perſonam gerat Curati; Capellanus vero ab ejus nutu pendens, merus reputetur adjutor, & adminiſtret juxta celebrem Rotæ deciſionem *CXC. coram Seraphino*.

Quoad III. Conveniunt pariter inter ſe DD. teneri Vicarium, non Prælatum, cum univerſum curæ exercitium in illum tranſlatum ſit; ſicuti etiam deciſum fuiſſe teſtatur Fagnan. in cap. *Quod ſuper his, de major. & obed. n. 7.*

Quoad IV. Card. de Luca *Deciſ. XXXVII. de juriſdict. n.4.* probat, teneri non Prælatum, ſed Regularem, cum hic ſolns verſetur inter parochiæ incolas, eorumque indolem, & mores cognoſcat = Ex quo fit, ut loci Ordinarius in cæteris omnibus parochiam reſpicientibus, hunc, & non monaſterii Præſulem conſulat; &, ſi, opus fuerit, moneat, ac corrigat, neque ullam monaſterii Prælati rationem habeat, niſi cum eidem injungendum duxerit, ut præfatum Regularem a curæ exercitio removeat. =

Quoad V. Sæpe laudatus Benedictns loc. cit. cap. I. n.13. autumat, teneri, non Prælatum, ſed Regularem, ex decreto Cong. Conc. edito 1. *Aprilis 1656. in cauſa = Novæ Segoviæ Inſularum Philippinarum lib. XIX. decretor. pag. 568.* in qua reſcriptum fuit; Epiſcopum procedere poſſe ad pœnas, étiam cenſurarum, contra Regnlares exercentes curam animarum in Eccleſiis parochialibus Regularium, ſi renuant accedere ad Synodum, non autem contra Superiores eorumdem Regularium. =

Quoad VI. Idem Benedictus cit. loc. num. 16.
,, hæc habet. = Durum quippe nobis videtur, illos
,, proprium habentes territorium, in quo jura exer-
,, cent quaſi epiſcopalia, adigere ad intervenien-
,, dum Synodo vicini Epiſcopi, ſi ipſimet Abbates
,, facultatem habeant propriam Synodum celebran-
,, di. =

SECTIO CXXIX.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. caput III.

In hoc capitulo agit Tridentinum, qua ratione viſitatio diœceſis ſit facienda ab Epiſcopo: circa quam placet hic referre tradita a dicto Benedicto *lib. X. cap.X. de Synod.Diœc. edit. an.1755. n.6.* ibi.

,, Quæ hactenus diximus, ut quilibet videt,
,, eo omnia collineant, ut ſcilicet a foro eccleſiaſti-
,, co omnis arceatur avaritiæ ſpecies: quem eumdem
,, ſcopum ſemper reſpexit Sacra Congr. Conc; quo-
,, tieſcunque de pecunia, quocumque nomine Epi-
,, ſcopo penſitanda, in ea actum eſt. Concilium Tri-
,, dentinum Seſs. XXIV. cap. III. de reform. præce-
,, pit, ut Epiſcopus ſingulis annis ſuæ diœceſis viſi-
,, tationem inſtituat, quam ſi, propter ejuſdem diœ-
,, ceſos latitudinem, intra annum explere nequeat,
,, biennio ſaltem abſolvat. Viſitanti autem Epiſco-
,, po permiſit pro ſe, ſuoque honeſto comitatu, ab
,, iis, quibus de jure id onus incumbit, procuratio-
,, nes exigere, ſeu moderata, & frugalia victualia
,, recipere; relinquendo tamen arbitrio eorum, qui
,, viſitantur, aut eadem victualia ſubminiſtrare, aut
,, pecuniam, quam antea conſueverant, exſolvere.
,, Hoc porro decreto non prohibetur Epiſcopus, ne
,, intra ejuſdem anni curriculum, ſi ita neceſſarium
,, duxerit, iterum diœceſim viſitando perluſtret, quem-
,, admodum recte notant Fagnanus = in *cap. Cum*
,, *venerabilis num. 3. de cenſibus = Pirhing.* =
,, *in* III. *lib. Decretal. tit.* XXXIX. *ſect.* II. *n. 94.*
,, = Cardinalis de Luca = *in Miſcell. Eccleſ. diſc.* I.
,, *n. 118. & in Annotation. ad Concil. Trident.*
,, *diſc.* V. *num* 6. = ſed, ne quiſquam Paſtorem vi-
,, ſitationem iterantem inſimulet, quaſi crebrius
,, ad ſuas oves accurrat, ut eas ſæpius tondeat, non
,, autem, ut earumdem morbis novum afferat me-
,, dicamen; propterea cum Sac. Cong. Epiſcopo-
,, rum, & Regul. anno 1586. tum Sac. Cong. Con-
,, cil. die 19. Septem. 1682. cenſuerunt, Epiſcopo
,, bis eodem anno diœceſim viſitanti, unicam tan-
,, tum deberi procurationem: examinato quippe ſe-
,, quenti articulo = *An Epiſcopus, qui, ſi com-*
,, *mode fieri poſſit, diœceſim ſuam quotannis viſita-*
,, *re tenetur, poſſit hujuſmodi viſitationem facere*
,, *per menſem, vel circiter, antequam labatur in-*
,, *teger annus a die peractæ ultimæ viſitationis,*
,, *vel potius debeat expectare, quod anni circulus*
,, *integre compleatur, antequam denuo viſitet, ita*
,, *ut intra ſinguli cujuslibet anni curſum una tan-*
,, *tum viſitatio fiat.* = Sac. Cong. Conc. prædicta
,, die, & anno, reſpondit: = *Affirmative, ſed*
,, *non poſſe recipere procurationem, neque victua-*
,, *lia, niſi ſemel in anno.* = Cui quidem reſpon-
,, ſioni concinit alia, ab eadem Sac. Cong. data die
,, prima Junii 1737. in cauſa *Policaſtren. Procura-*
,, *tionis*, = in qua propoſita quæſtione = *An Epi-*
,, *ſcopus, non completo anno ab ultima viſitatione,*
,, *poſſit iterum eamdem Eccleſiam viſitare, &*
,, *aliam procurationem a viſitandis exigere* = re-
,, ſponſum fuit: = *Affirmative quoad primam par-*
,, *tem, &* negative *quoad ſecundam: Theſaur. Re-*
,, *ſolut. tom. VIII. pag.* 87 = Huc etiam pertinet,
,, quod ab eadem Sacr. Congr. deciſum fuit quoad
,, procurationem ſolvendam Vicario capitulari. Di-
,, ximus ſuperius = *lib. II. cap. IX. n. 5.* poſſe a
,, Vicario capitulari diœceſim viſitari poſt annum a
,, die ultimæ viſitationis, ab Epiſcopo peractæ: ſed,
,, quoniam non decet, ut ipſe cum tanto incedat co-
,, mitatu, quanto indiget Epiſcopus, qui majori præ-
,, fulget dignitate; idcirco Sac. Cong. die 28. *Julii*
,, 1708. in cauſa = *Oſtunen. Procurationis, im-*
,, *preſſa tom. IX. Theſaur. pag.* 172. = reſcripſit,
,, Vicario capitulari deberi tantum medietatem
,, procurationum, quæ Epiſcopo ſolvi conſueverunt;
,, tali enim pacto ſervabitur indemnis ab expenſis,
,, quæ viſitationis cauſa occurrunt, ſed nihil lucri ex
,, ea percipiet. =

SECTIO CXXX.

Eadem Seſſio XXIV. de Refor. cap. IV.

Quæ acceſſerint huic Capitulo, in quo ſtatuit Tridentinum, ne ullus ſive ſecularis, ſive regularis prædicare præſumat, etiam in Eccleſiis ſui Ordinis, contradicente Epiſcopo, jam notatum eſt pag. 818.

SECTIO CXXXI.

Seſſio XXIV. de Reform. cap. V.

In hac Capitulo ſtatuit, Tridentinum I. cauſas graviores contra Epiſcopos, depoſitione, aut privatione dignas, cognoſcendas eſſe tantum a Romano Pontifice, quod confirmatum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Si de protegendis 1. Apr. 1569. §. V. ibi.*

Pontificum tamen cauſis, nobis & Succeſſoribus noſtris reſervatis, ut re quæſita, & nobis renunciata, contra eos ad depoſitionem, & alias pænas prædictas procedamus, uti criminis atrocitas videbitur poſtulare.

Statuit II. minores cauſas, quas contra eoſdem Epiſcopos cognoſcendas, & terminandas eſſe in Concilio tantum provinciali, verum, cum hoc hodie cogi non conſueverit ob rationes allatas part. I. pag. 559. hæ quorum cognoſcendæ erunt a Romano Pontifice.

SECTIO CXXXII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reformat. cap. VI.

Liceat Epiſcopis in irregularitatibus, omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare; & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos, in diæceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pænitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, ſit permiſſum.

Huic decreto, tribuenti facultatem Epiſcopo, aut per ſe, aut per ſuum Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, abſolvendi ſuos ſubditos in ſua diæceſi in foro conſcientiæ a quibuſcunque caſibus occultis, Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & a crimine hæreſis in eodem foro per ſe ipſum tantum, derogatum eſt, quoad abſolutionem ab hæreſi, ut ex reſponſis S. Pii V. Greg. XIII., & Clem. VIII. ac pluribus S. Cong. decretis, relatis a Bened. XIV. *lib. IX. cap. IV. de Synodo diæc. n. 4. & ſeq. edit. an.* 1755. Poteſt tamen Epiſcopus, tamquam Inquiſitor natus contra hæreticam pravitatem reſipiſcentem hæreticum, aut ſponte coram ſe comparantem, aut ad ſuum forum quoquo modo deductum, pro utroque foro abſolvere, vel per ſe, vel per alium, ut abſolvere poſſunt Inquiſitores delegati ab Apoſtolica Sede, ut in cit. cap. de Synodo n. 3.

Item derogatum eſt etiam quoad abſolutionem a quibuſcunque aliis caſibus contentis in Bulla Cænæ, quantumvis occultis: cum enim in præfata Bulla §. *Ceterum* facultas ab iis abſolvendi expreſſe interdicatur *Epiſcopalis*, *vel etiam majori dignitate præditis*, derogaturque *cujuſvis Concilii decretis*, conſequens eſt, hodie Epiſcopos ab eis abſolvere non poſſe virtute hujus Tridentini decreti, quod expreſſe loquitur de occultis; textum leges in calce hujus Operis.

Quod autem dicta Bulla habeat locum etiam in occultis, jam declaratum fuiſſe teſtatur Fagnanus, ut mox dicetur.

Neque vigore prædicti decreti abſolvere poſſunt a cenſuris incurſis ob ſimoniam in Ordine, ex Conſtitutione Sixti V. *Sanctum, & ſalutare 5. Januarii* 1588. in qua expreſſe derogatum eſt eidem decreto.

Quam Conſtitutionem, licet Clemens VIII. redegerit ad terminos juris communis, ut alibi notavi, præſervavit tamen cenſuras, & pænas in ea latas contra ſimoniacos in Ordine.

Item

Item vigore dicti decreti abſolvere nequeunt ab aliis caſibus, etiam occultis, poſt Tridentinum Papæ reſervatis.

Cui fundamento innixus hoc aſſeram, placet hic referre rationum momenta jam a me allata in additionibus ad Theſaurnm *de pænis Eccleſiaſt. parte* 1. *cap. XXIII.* poſt §. *dico VI.* Fagnanus in cap. XV. *Dilectus de temporib. Ordinat. n.* 30. *& ſeq.* hæc babet. = ,, Sed nunquid Epiſcopis facultate ſibi tribu-
,, ta in dict. cap. VI. *Seſſ. XXIV.* in caſibus occultis
,, poſt Concilium ex nova lege ſedi Apoſtolicæ reſer-
,, vatis, etiam cum clauſola, *non obſtantibus*, ab-
,, ſolvere poſſit? Sac. Cong. cenſuit, non poſſe. Et
,, in ſpecie cum dubitatum fuerit, an Epiſcopus, &
,, Inquiſitores poſſint hodie ex dict. cap. VI. *Seſſ.*
,, *XXIV.* abſolvere lapſos in hæreſim, non obſtante
,, Bulla Cænæ Domini? Cenſuit, eam Bullam dero-
,, gaſſe decreto *cap. VI.* Unde fruſtra nonnulli ex
,, recentioribus Theologis hunc articulum in
,, controverſiam adducunt, cum habeamus cla-
,, ram determinationem Sacræ Congregationis.
,, Præterea cum dubitaſſet Archiepiſcopus Floren-
,, tinus, an vigore *cap. VI. ſeſſ. XXIV.* poſſet abſol-
,, vere quandam monialem, quæ occulte, & ad ma-
,, lum finem fregerat clauſuram, non obſtante Bulla
,, S. Pii V. quæ videtur habere locum in caſu publi-
,, co, variatum eſt ſententiis: nam ex decem Car-
,, dinalibus tres cenſuerunt, Bullam intelligendam
,, eſſe etiam in occultis, quia illius verba ſunt gene-
,, ralia, & eſt tantum exceptus caſus, niſi in mortis
,, articulo &c. Et quia jam declaratum, Bullam Cæ-
,, næ Domini, quæ prohibet ab aliis abſolvi, habere
,, locum etiam in occultis. Et quia cum Bulla ſit
,, confecta poſt Concilium, cenſetur derogaſſe Con-
,, cilio. Quatuor cenſuerunt, eam Bullam non habe-
,, re locum in caſibus occultis. Reliqui autem tres
,, dixerunt agendum cum Santiſſimo, qui declaravit,
,, Bullam S. Pii V. habere locum etiam in occultis:
,, tamen conceſſit facultatem Archiepiſcopo abſol-
,, vendi illam monialem. Unde poſtea Congreg. ge-
,, neraliter conſulta, an ſi monialis alicujus mona-
,, ſterii, juriſdictioni Regularium ſubjecti, ſecreto de-
,, liquerit in materia clauſuræ, in foro conſcientiæ
,, abſolvi poſſit vigore ejuſdem decreti ab Epiſco-
,, po, cui tanquam delegato in iis, quæ ad clauſu-
,, ram pertinent, auctoritas tributa eſt decreto *cap.*
,, *V. Seſſ. XXIV. de Regul.* ſtante prædicta Bulla
,, S. Pii V. reſpondit = non poſſe: =

Quia vero a Fagnano non indicatur quo anno primum hic a ſe citatum decretum emanaverit, ne in dubium revocetur ejus emanatio, diligenter a me pervolutis Regeſtis Sac. Congreg. Conc. illud reperi emanatum fuiſſe menſe Jan. 1589., in reſponſo ad poſtulatum XII. quod inter alia eidem Cong. fecit Gaſpar Vicecomes, Archiepiſcopus Mediolanenſis occaſione viſitationis ad ſacra limina: cum enim dictum poſtulatum XII. expreſſerit italico idiomate, quod in latinum verſum, ſonat = Quia multoties accidit incurri cenſuras reſervatas Sedi Apoſtolicæ, contraveniendo Conſtitutionibus papalibus emanatis poſt Concil. Triden. deſiderat Archiepiſcopus facultatem abſolvendi contravenientes, qui aliquando remanent diutius cenſuris obſtricti, cum non habeant modum obtinendi abſolutionem a Romana Curia; potiſſimum circa clauſuram monialium, & regularium virorum = prout reperitur *lib. V. decret. pag.* 239. Sac. Cong. abſtinuit a conceſſione poſtulati, ſed dumtaxat tacite confirmavit, quod circa hujuſmodi facultatem ſentiebat ipſemet Archiepiſcopus per hæc præciſa verba, menſe Jan. 1589. prout reperiuntur *cit. lib. V. pag.* 240. = *Reſervationes caſuum de novo poſt Concilium, non comprehenduntur in cap. VI. Seſſ. XXIV. de refor.*, & præſertim ſuper clauſura monialium. = Quam declarationem Gallemart ad hoc idem cap. refert, confirmatam fuiſſe a Greg. XIII. Ex quibus patet, qui ſenſus fuerit Epiſcoporum poſt quaſi proximam Tridentini publicationem circa facultatem ipſis tributam a *cit. cap. VI.*

Nota I. facultate conceſſa Epiſcopo in hoc cap. uti non poſſe Epiſcopos = illarum Regionum, in quibus Concilium Tridentinum adhuc receptum non eſt quoad decreta reſpicientia diſciplinam, = ut probat Bened. XIV. *lib. IX. cap. V. de Synod. diœc. edit. an.* 1755. *n.* 2. nedum ratione, ſed etiam ex declaratione Cong. ejuſdem Concilii.

Nota II. cum Fagnao. ad *cap. XXXII. Cum illorum de ſent. excom. n.* 31. facultatem conceſſam Epiſcopo a cit. cap. VI. diſpenſandi ſuper irregularitate ex delicto occulto proveniente quoad ſuſceptionem, & miniſtrationem Ordinum non competere Epiſcopo, nondum conſecrato.

Nota III. cum eodem num. 32. & 33. neque competere Cardinalibus in Eccleſiis titularibus, & eorum ſubditis, ex declaratione Cong. Conc. confirmata a Greg. XIII. ſicuti nec aliis inferioribus juriſdictionem quaſi epiſcopalem habentibus in locis ſuæ juriſdictionis, *ſub die* 9. *Decemb.* 1582.

An autem dicta facultas competat Abbatibus regularibus, quibus de jure competit facultas minores Ordines ſuis ſubditis regularibus conferendi, idem Fagnan. loc. *cit. n.* 29. videtur ſentire, poſſe competere quoad ſuſceptionem dictorum Ordinum, & eorumdem miniſtrationem, etiamſi irregularitas contracta eſſet poſt ingreſſum in Religionem.

Circa alia quamplura dubia quoad intellectum facultatum in hoc Trident. decreto Epiſcopo tributarum adeatur Gallemart. ad hoc idem cap. & Fagnan. *in Commentario ad cap. XV. Dilectus filius, de Temporib. Ordinat. a n.* 22. *ad* 38. *& ad cap.* 11. *Henricus de Sepult. n.* 43.

SECTIO CXXXIII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. cap. VII.

UT fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat; præcipit S. Synodus Epiſcopis omnibus, ut non ſolum cum hæc per ſe ipſos erunt populo adminiſtranda, prius illorum vim, & uſum pro ſuſcipientium captu explicent, ſed etiam idem a ſingulis Parochis pie, prudenterque, etiam lingua vernacula, ſi opus ſit, & commode fieri poterit, ſervari ſtudeant, juxta formam, a Synodo in Catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam, quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a Parochis omnibus populo exponi curabunt: nec non ut inter Miſſarum ſolemnia, aut divinorum celebrationem ſacra eloquia, & ſalutis monita eadem vernacula lingua ſingulis diebus feſtis, vel ſolemnibus explanent, eademque in omnium cordibus, poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus, inſerere, atque eos in lege Domini erudire ſtudeant.

De onere hic Parochis injuncto explicandi populo inter Miſſarum ſolemnia ſacra eloquia, & ſalutis monita, jam ſermo inſtitutus eſt pag. 816. & ſeq.

SECTIO CXXXIV.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. caput VIII.

APoſtolus monet ...... In omnibus etiam cathedralibus Eccleſiis, ubi id commode fieri poterit, Pænitentiarius aliquis cum unione præbendæ, proxime vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur, qui Magiſter ſit, vel Doctor, aut licentiatus in Theologia, vel jure canonico, & annorum quadraginta, ſeu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum confeſſiones in Eccleſia audiet, interim præſens in choro cenſeatur.

Hoc decretum ſtatuens, ut in Cathedralibus inſtituatur Pænitentiarius præditus qualitatibus hic expreſſis, ampliatum eſt a Benedicto XIII. Conſtit. *Paſtoralis* 19. *Maji* 1725. præcipiente, ut hujuſmodi præbenda in Italia, & Inſulis adjacentibus conferatur per concurſum, eo pari modo, quo Eccleſia parochialis, ibi.

Hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſancimus, ut in Cathredalibus quibuſcunque Italiæ, Inſularumque adjacentium, in quibus præbenda theologalis hactenus inſtituta non fuerit, præbenda primo vacatura, poſt ejuſdem præſentis Conſtitutionis publicationem, ſive ad Nos, Sedemque Apoſtolicam, ſive ad Ordinarium illius collatio, atque proviſio pertineat, ipſo jure, & abſque ulla alia declaratione ſit, ac eſſe cenſeatur præbenda theologalis conſtituta. Volumus inſuper, ut tam illa, quam reliquæ omnes aliæ præbendæ theologales hactenus conſtitutæ, & deputatæ conferri ſemper debeant Doctori in ſacra Theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate ſuſcipiat, & cæteroquin magis idoneo in formali concurſu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo parochiales Eccleſiæ conferuntur. Hunc porro in finem, quotieſcunque ejuſmodi præbenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicunque concurrere, & examini ſeſe ſubjicere voluerint, coram Epiſcopo, & quatuor Examinatoribus, etiamſi ſynodales non ſint, ab eodem Epiſcopo actu eligendis, ac deputandis, in theologali tamen facultate licentiatis, & valde peritis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, & illi, qui in ejuſdem concurſu probatus, magiſque idoneus renunciatus fuerit, præbenda conferatur. Quoties autem præbendæ collatio ad S. Sedem ſpectabit, Epiſcopus ad Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem acta concurſus tranſmittere teneatur, ut ipſe vacantem præbendam illi aſſignare, atque conferre poſſit, quem cæteris digniorem, & magis idoneum in Domino judicaverit.

Quod

Quod ſi Epiſcopus primo vacaturam præbendam contra formam in præſenti Conſt. præſcriptam conferre præſumpſerit, vel etiam in aliis occurrentibus caſibus eamdem formam obſervare neglexerit; illius collatio, atque proviſio ipſo jure nulla, & irrita, nulliuſque prorſus roboris, vel momenti ſit, ac eſſe debeat, ejuſdemque præbendæ diſpoſitio ſtatim devolvatur, & pertineat ad S. Sedem, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, a quo Doctori in ſacra Theologia conferetur.

Cæterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex præbendæ theologalis inſtitutione perceptum iri ſperavit, omnino re ipſa, & cum effectu percipiatur; volumus, ſtatuimus, & mandamus, tertiam partem proventuum dictæ præbendæ theologalis ab Epiſcopo diſtribui, & proportionaliter applicari ſingulis Lectoribus Sacræ Scripturæ, quæ a Præbendato præſcriptis diebus, & horis totius anni habendæ erunt, ita ut, ſi Præbendatus univerſas lectiones habuerit, aſſignatas diſtributiones integras abſque ulla prorſus diminutione conſequatur; ſi vero in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, diſtributiones neglectis lectionibus reſpondentes amittat, quæ in Sacriſtiæ Eccleſiæ beneficium cedant, ac erogentur. In caſu autem gravioris contumaciæ Præbendati, liceat Epiſcopo deputare alium Theologum, Sacerdotem ſecularem, vel regularem, qui jugiter ſupplendo ejuſdem Præbendati vices, præfatis diſtributionibus potiatur.

Quoniam vero nonnulli Epiſcopi, ſicut accepimus, ut propriæ incuriæ aliquod velamen obtendant, dilatæ erectionis ejuſmodi præbendæ theologalis cauſam in tenuitatem, ac inſufficientiam præbendarum ſuarum Eccleſiarum rejicere ſolent; Nos omnem de cætero prætextum, ſive excuſationem e medio tollere, ac penitus eliminare volentes, motu... decernimus, ſtatuimus, atque præcipimus, quod ubi præbenda theologalis, computatis etiam diſtributionibus quotidianis, ac annuum ſaltem redditum ſcutorum ſexaginta monetæ romanæ non aſcedat, pro ſumma ad hanc taxam conficiendam deficiente, iidem Epiſcopi unire poſſint, & debeant eidem præbendæ aliquod ſimplex beneficium, cujus ſupplemento prædicta ſumma conficiatur, primo vacaturum in quocunque menſe, & qualitercunque, ac quomodocunque Sedi Apoſtolicæ affectum, & reſervatum; ita tamen, ut a tali unione illa omnia beneficia, quæ pro Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Papæ Familiaribus, Nunciis Apoſtolicis, atque Prælatis Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales interſunt, Secretariis, in alia Conſtitutione ad promovendam Seminariorum erectionem noviſſime per nos condita peculiariter reſervavimus, perpetuo reſervata, & excepta ſint, ac eſſe intelligantur, & quidquid ſecus fieri contingeret, ex nunc prorſus irritum, ac inane nullius roboris, vel momenti eſſe, ac fore decernimus, & declaramus.

Poſtremo quæcunque hactenus de præbenda theologali, & Sacræ Scripturæ lectione ſancimus, extendimus, ac adamuſſim obſervari volumus, & mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad inſtitutionem Canonici Pœnitentiarii in illis Cathedralibus, in quibus nondum fuerit inſtitutus, ejuſque honeſtam ſuſtentationem, concurſum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia: & præter illa, quæ a Nobis ſuperius diſpoſita ſunt, ea inſuper, quæ Tridentina Synodus *cap.* 8. *Seſs.* 24. de reform. de hujus Miniſtri qualitate, ætate, & exemptionis a ſervitio chori conſtituit, exacte obſervari decernimus, præcipimus, & mandamus.

SECTIO CXXXV.

Eadem Seſſio XXIV. de Refor. cap. XI.

Quoniam privilegia, & exemptiones, quæ variis titulis pleriſque conceduntur, hodie perturbationem in Epiſcoporum juriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur; decernit S. Synodus, ut, ſi quando juſtis, gravibus, & fere neceſſariis, ſuadentibus cauſis, aliquos honorariis titulis Protonotariatus, Acolytatus, Comitis Palatini, Cappellani Regii, aut aliis hujuſmodi in Romana Curia, vel extra, inſignibus decorandos eſſe placuerit: nec non alios, cuicunque monaſterio obla-

oblatos, vel quomodocunque addictos, aut ſub nomine ſervientium Militiis, ſeu monaſteriis, hoſpitalibus, collegiis, aut quocunque alio titulo aſſumi; nihil ex iis privilegiis detractum eſſe Ordinariis intelligatur, quo minus ii, quibus ea jam conceſſa ſunt, vel in poſterum concedi contigerit, ipſis Ordinariis, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, plene in omnibus; & quoad Cappellanos Regios juxta Conſtitutionem Innocenti III., quæ incipit, *Cum Capella*, ſubjecti exiſtant: exceptis tamen iis, qui prædictis locis, aut Militiis actu ſerviunt, & intra eorum ſepta, ac domus reſident, ſubque eorum obedientia vivunt; ſive iis, qui legitime, & ſecundum regulam earumdem Militiarum profeſſionem fecerint, de qua Ordinario conſtare debeat: non obſtantibus privilegiis quibuſcunque, etiam Religionis S. Joannis Hieroſolymitani, & aliarum Militiarum. Quæ vero privilegia reſidentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Conſtitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere ſolent, ea in iis, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent, ratione prædictorum beneficiorum minime intelligantur, ſed Ordinarii juriſdictioni ſubjecti permaneant: non obſtantibus quibuſcunque inhibitionibus.

Hoc decretum, ſtatuens per onorarios titulos, aut privilegia quibuſcunque conceſſa, aut concedenda nihil detractum intelligendum eſſe juri Epiſcoporum, confirmatum, eſt a S. Pio V. Conſtit. *Quamvis* 1. *Jun.* 1568. revocante etiam indulta Comitibus palatinis, & quibuſcunque officialium Romanæ curiæ collegiis conceſſa, promovendi ad doctoratus, licentiaturæ, & magiſterii gradum ad effectum conſequendi dignitates, & cætera beneficia eccleſiaſtica: textum habes ſupra pag. 919.

Circa facultatem creandi doctores in Theologia vide notata cit. pag. 919.

Huic eidem Trident. decreto acceſſit Conſtit. Gregorii XIII. *Circumſpecta* 25. *Novemb.* 1580. in qua juriſdictio Ordinariorum præſervatur in puniendis Vicariis, familiaribus, colonis, & miniſtris Fratum Militum S. Jo: Hieroſlymitani, iiii.

Idcirco nos huic malo, quod a prædicto Concilio multo ante prævifum fuerat, ſalubriter providere volentes .... omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, gratias, & indulta Magiſtro, conventui, Militibus, & Militiæ dicti Hoſpitalis per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedem prædictam in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſa, & confirmata, necnon dicti Pii V. literas ſuper eorumdem confirmatione emanatas, ſub dat. Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 29. Novembris 1568. Pontificatus ſui Anno III. ad prædicti Concilii decretorum terminos, tenore præſentium reducimus, ac reducta eſſe, nihilque ex ipſis privilegiis, exemptionibus, gratiis, & indultis, Ordinariis locorum detractum eſſe, quo minus ipſorum Militum Vicarii, Capellani, Miniſtri, ſervientes, adſcripti, coloni, procuratores, & familiares Militum hujuſmodi, quibus ea jam conceſſa ſunt, & in poſterum concedi contigerit, ab ipſis Ordinariis, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis, etiam extra viſitationem, quando, & quoties opus fuerit, inquiri, viſitari, puniri, & corrigi poſſint, ipſorumque Ordinariorum juriſdictioni plene in prædictis ſubjecti exiſtant, (exceptis tamen iis, qui Eccleſiis, aliiſque locis dictorum Militum actu ſerviunt, & intra eorum ſepta, & domos reſident, ac ſub eorum obedientia vivunt, quæ omnia debere ſimul concurrere intelligantur, ſive iis, qui legitime, & ſecundum regulam prædictæ Religionis profeſſionem fecerint, de qua loci Ordinario conſtare debeat) .... Eiſdem Pii Papæ V. literis memoratis, quoad alia, & in eo maxime, quod voluit prædictorum Militum privilegia, illorumque confirmationem non comprehendere neque Eccleſias, neque perſonas, in his, quæ ad curam animarum pertinent, ſed in his dicti Concilii Tridentini decreta omnino ſervari debere, in ſuo robore permanentibus.

Circa Protonotarios, ſi ſermo ſit de Participantibus, quorum hodie Collegium ex duodecim conſtatur, hi = abſque ulla dubitatione, & controverſia tam in civilibus, quam in criminalibus ſunt plene exempti a juriſdictione Ordinariorum, quibus dumtaxat ſubduntur quoad beneficia, quæ in eorum poſſideant diœceſibus, juxta allegatas Leonis X. & Sixti V. Conſtitutiones = ita Bened. XIV. *lib. III. cap. VIII. de Synod. diœc. edit. an.* 1755. *n.* 3.

Si vero ſermo ſit de Protonotariis non participantibus, laudatus Bened. cit. *n.* 3. *&* 4. hæc habet = „ Aliud tamen eſt de Protonotariis non participantibus: hos quippe, de quibus in præſens ſolum agimus, Conc. Trident. *Seſſ. XXIV. cap. XI.* locorum Ordinariis ſuppoſuit, tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis; ex quo inferri putavit Chochier „ *de juriſdict. in exemptos part. I. quæſt. XVI.* „ *n.* 8. omnem prorſus, qua antea fruebantur, exem- „ ptio-

,, ptionem eſſe illis ademptam. Sed verius Barboſa
,, *Juris Eccleſiaſt. lib. I. cap. XXIII. n. 35. & Faber de Protonotariis, cap. XI. n. 13.* exiſtimant, de-
,, creti conciliaris virtute, uoice ablatam illis eſſe
,, exemptionem quoad cauſas criminales, non autem
,, quoad civiles, in quibus vigere adbuc arbitrantur
,, privilegium, iiſdem conceſſum a Concilio Late-
,, ranenſi *Seſſ. X.* atque a Leone X. confirmatum =
,, *Conſtit. XI. §. IV. Bullar. tom. III. part. III. pag.*
,, 406. = quo immunes fiunt a poteſtate Ordinarii
,, in cauſis excedentibus ſummam XXV. ducatorum.
,, Quod ſi quis iſtius privilegii nudum verborum
,, corticem conſideret, facile ſibi in animum indu-
,, cet, enunciatam reſtrictionem exemptionis ad
,, ſolas cauſas civiles, excedentes ſummam XXV.
,, ducatorum, intelligendam eſſe de Protonotariis,
,, habitum, & Rochetum noo geſtantibus; non au-
,, tem de illis, qui hiſce inſignibus induti continue
,, incedunt, quos propterea credet, in qualibet etiam
,, minimi momenti civili cauſa eſſe ab Ordinarii ju-
,, riſdictione ſubtractos. At, qui mentem Conſtitu-
,, tionis penitius inveſtigaverit, & contextum per-
,, penderit, rectius exiſtimabit, ſolum voluiſſe Pon-
,, tificem, ut Protonotarii, proprium habitum de-
,, ferentes, conveniri nequeant coram Ordinario in
,, cauſis prædictam ſummam excedentibus; cæteros
,, vero, habitum non geſtantes, in omnibus, etiam
,, gravioris momenti cauſis, reliquiſſe ſub juriſdi-
,, ctione Ordinariorum, quibus alias de Jure ſubdun-
,, tur. Ita enim paulo poſt Concilium Lateranenſe,
,, Leonis Conſtitutionem interpretatus eſt Aotonius
,, de Pretis, *de juriſdict. Epiſc. cap. VIII. per tot.* io-
,, ter *Tractat. magnos tom. XIII. part. XII. fol.* 368.
,, = cui ſubſcripſit Faber = in cit. *Tractat.* de *Protonotariis, cap. XI. n. 8. & ſeqq.* Et, quod caput
,, eſt, eamdem interpretationem ſequitur S. Cong.
,, Conc. uti videre licet in una *Papien. 14. Decembris 1630. lib. XIV. Decretor. fol. 360. in Placentina 20. Auguſti 1633. lib. XIV. Decretor. fol.*
,, *760. & in Nullius 19. Januarii 1641. lib. XVI.*
,, *pag.* 520.
,, Quinimo eadem S.Cong. ad arcendas frequentes
,, Ordinariorum conqueſtiones de exceſſivo Proto-
,, notariorum numero, ex quo Epiſcoporum aucto-
,, ritas in dies minuebatur, ſæpius conſulendum cen-
,, ſuit Sanctiſſimo, ut deinceps in Apoſtolicis literis,
,, quibus ejuſmodi Protonotarii ereantur, expreſſe
,, adderetur, ne io cauſis civilibus ulla gauderent
,, exemptione a Juriſdictione Ordinarii, quemad-
,, modum Sacræ Congr. conſilium ſequutus, ad-
,, dendum præcepit Urbanus VIII. anno 1633. quod
,, legitur in dicta *Placentina lib. XIV. fol.* 760. Et
,, cohærenter ad hæc bon. mem. Altovitus, S. Cong.
,, Secretarius in ſuo ſuffragio, exarato in quadam
,, cauſa, cui titulus = *Dubia exemptionis* = hæc
,, ſcripſit: = Crederem, expreſſe declarandum,
,, Protonotarios non participantes, etiamſi immedia-
,, te creatos a Papa, ſive habitum, & Rochetum
,, geſtantes, ſive non, tam ratione perſonarum,
,, quam beneficiorum, ſubjacere in criminalibus om-
,, nimodæ juriſdictioni Ordinarii: in civilibus vero
,, cauſis, cujuſcunque ſummæ, ejuſdem Ordinarii
,, juriſdictioni, in prima inſtantia ſubjacere Proto-
,, notarios, habitum, & Rochetum continue non
,, deferentes: illum autem continue deferentes præ-
,, dictæ juriſdictiooi ſubjacere in prima inſtantia, in
,, cauſis ſummam ducatorum XXV. non excedenti-
,, bus, & quoad iſtos agendum denuo cum Sanctiſſi-
,, mo, ut in Brevibus apponatur clauſula, *quod in*
,, *civilibus omnino ſubjaceant juriſdictioni Ordina-*
,, *rii.* = Quo circa Apoſtolicis literis, quibus aliquis
,, in numerum refertur Protonotariorum non par-
,, ticipantium, ſemper hæc inſeritur clauſula: *Circa*
,, *exemptiones a S. Conc. Trident. ſublatas, ita ut*
,, *nedum quoad criminalia, ſed etiam quoad civi-*
,, *lia ſubjaceat Ordinariis:* = uti habetur apud
,, citatum Fabrum *cap. II. n. 7.* Et nos ipſi, qui,
,, ampliſſimo diplomate, dignitates, & Canonicos
,, cathedralis Eccleſiæ Patavinæ, inter honorarios
,, adſcripſimus Apoſtolicæ Sedis Protonotarios, di-
,, ſerte ſimul declaravimus, per privilegia illis con-
,, ceſſa, nihil eſſe detractum epiſcopali juriſdictio-
,, ni, quod legitur = in noſtra *Conſtit. XCII. Bullar. tom. I.* =

Quoad decoratos vero aliis onorariis titulis in Romana Curia, vel extra, Tridentini decretum confirmatum eſt ab Innocentio XI. decreto Cong. Conc. ejus juſſu edito 27. *Feb.* 1677. & relato io appendice Conc. Romani ſub Bened. XIII. *n. 7.* reſpectu Collectorum ſpoliorum ad Cameram Apoſtolicam pertinentium, quo eos ſubjicit Ordinariorum juriſdictioni in concernentibus curam animarum, aut ſervitium Eccleſiæ, ſi beneficium cum, vel ſine cura poſſideant, cæteriſque in eodem decreto expreſſis, non obſtante exemptione iiſdem tributa ab *Urb. VIII. Conſtit. Alias 2. Jul.* 1636.

Quoad inſervientes Ordinibus militaribus, & nominatim Religioni Hieroſolymitanæ, quos hic Tridentinum ſubjectos eſſe vult juriſdictioni Ordinarii, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, niſi habeant has qualitates. I. ut religioſam profeſſionem emiſerint. II. ut intra militaris clauſuræ ſepta degant. III. ut Religioni actu inſerviant IV. ut ſub Ordinis Prælati obedientia vivant, diſtinctius declaratum eſt a Gregor. XIII. Conſtit. *Circumſpecta* mox allata, addente ulterius, ut prædictas omnes qualitates coram eodem Ordinario verificent.

Hac eadem lege ligantur inſervientes Ordini militari SS. Mauritii, & Lazari, in omnibus exæquato a S. Pio V. Conſtit. *Sicuti 26. Janu.* 1567. Ordini Hieroſolymitano, ut ex decreto Cong. Conc. in *Veritana 7. Septemb. 1726. apud Theſaur. reſol. ejuſdem Cong. tom. III. pag.* 325. & 361.

SE

SECTIO CXXXVI.

Eadem Seſſio XX*IV. de Reform. cap. XII.*

CUm dignitates...... Proviſi etiam de beneficiis quibuſcunque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes, in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito, coram generali ejus Vicario, ſeu Officiali, orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent. Proviſi autem de Canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſiis cathedralibus, non ſolum coram Epiſcopo, ſeu ejus Officiali, ſed etiam in Capitulo, idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes proviſi, ut ſupra, fructus non faciant ſuos; nec illis poſſeſſio ſuffragetur.

Huic decreto de onere emittendi Fidei profeſſionem acceſſit Conſtitutio Pii IV. *Injunctum*, *Idibus Novemb.* 1564. ſtatuens, ad eam teneri etiam Prælatos Regulares; quæ tamen non eſt uſu recepta quoad illos Prælatos, qui Regularium regimini præficiuntur a Capitulis, ſeu a ſuis Superioribus, non a S.Sede, *Theſaur. de Pœnis cap. I.* verb. *Fides*.

Acceſſit inſuper altera ejuſdem Pontificis Conſt. *In Sacroſancta* 13. *Novemb.* 1564. ſtatuens §. V. ad eam pariter teneri promovendos in Magiſtros, Doctores, & Artium liberalium Profeſſores, ſive Clerici ſint, ſive laici: de quibus vide infra in hac eadem ſectione §. *Licet*.

Ad eam igitur tenentur ſaltem intra duos menſes a die captæ poſſeſſionis proviſi beneficio curato, vel Canonicatu, aut dignitate Eccleſiæ cathedralis: illi coram Epiſcopo, aut ejus Vicario generali; illi coram Epiſcopo, vel hoc impedito, coram Vicario, & Capitulo, hoceſt coram omnibus Canonicis in eodem congregatis, juxta hunc Tridentini textum; ita ut non ſatis ſit, ut emittatur coram prima dignitate aut Decano, vel uno ex Canonicis antiquioribus tantum, ex decreto Cong. Conc. 7. *Aug.* 1683. relato in *Cathacen. ſub die* 25. *Jan.* 1726. *in Theſaur. Reſol. dictæ Cong. Tom.* III. *pag.* 269.

Ab hac profeſſione non eximuntur deputati ad beneficia curata Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, ex decreto Cong. Conc. *in Pragen. Juriſdict.* 14. *Jan.* 1708. relato in dicto *Theſauro*, Tom IX. in Indice dicti Tom. pag. 217.

Sede epiſcopali vacante, facienda eſt a Canonicis, & dignitatibus Cathedralis nedum coram Capitulo, ſed etiam coram Vicario capitulari, DD. *relati a Reiffenſt. lib.* 1. *decretal. tit.* §. 8. *num.* 568.

Omittentes, vel debito modo eam non emittentes, non faciunt fructus ſuos; lucrantur tamen diſtributiones pro horis, quibus interſunt; cum nomine fructuum in materia odioſa, veniant ſoli fructus groſſi, ex decretis laudatæ Cong. relatis in præfata Cathacen.

Nec ob talem omiſſionem, vel ob debito modo non factam Canonici privantur voce in Capitulo, nec Jure præcedendi a die adeptæ poſſeſſionis, ex decretis ibidem relatis.

Nota, quod condonatio fructuum male perceptorum ob hujuſmodi omiſſionem fieri nequit ab Ordinario, ſed a Sede Apoſtolica, quæ eos condonare ſolet, ſi omiſſa fuerit, vel male emiſſa bona fide, injuncta aliqua eleemoſyna arbitrio Epiſcopi, vel confeſſarii juxta plura exempla relata in fol. ejuſdem Cong. 17. *April.* 1728. *in Toletana*, *pag.* 175. cum onere eamdem emittendi, vel repetendi, ſi male emiſſa fuerit, coram Capitulo, & Epiſcopo, juxta decreta relata in d. Theſauro *Tom. VIII. pag.* 219. 6. *Decemb.* 1738. *in Capuana Profeſſionis Fidei*. Ita tenentur eam repetere Romæ, qui ex Indulto Cong. Conc. illam emiſerunt coram Urbis Vicario, quando ob locorum diſtantiam coram Epiſcopo, & Capitulo intra duos menſes a die proviſionis emittere non poterant, ut de praxi teſtatur Bened. XIV. *Inſtit. Eccleſiaſt. VI.*

Parochi vero, ſi eamdem emiſerint Romæ coram Datario, neque omittunt fructus, neque coram Epiſcopo tenentur illam repetere, ex decreto d. Cong. 26. *Maji* 1739. *in Tolentina ad dub. IV. relata in fol. ejuſdem diei in cit. Theſaur. pag.* 162.

Cum Tridentinum non decernat, cui ſint applicandi fructus ob omiſſionem profeſſionis Fidei, Garzias *de Benef. part. III. cap. III. num.* 41., & 42. dicit applicandos eſſe fabricæ Eccleſiæ, vel alii loco pio, in habentibus fructus diſtinctos, & ſeparatos a maſſa capitulari; in habentibus vero eoſdem fructus in maſſa communi, diſtribuendos eſſe inter cæteros Canonicos, prout refertur in mox cit. *Cauſa Toletana*.

Corrigendi ſunt DD. aſſerentes, fieri poſſe per Procuratorem, attenta clariſſima declaratione Cong. Conc. in cit. *cauſa Cathacen. ad II. dubium*.

Omiſſa, vel ob ignorantiam, vel ob imprudentiam, non excuſat ſaltem in foro exteriori, Navar. *lib.* 2. *Conſil.* 7. *num.* 2., neque excuſat contraria conſuetudo reſpectu proviſorum a Sede Apoſtolica, Benedict. XIV. Inſtit. LX. §§. *Nos quidem*, & *quod ſi parochus*. Illam omittens, non juvatur Regula XXXVI. Cancellariæ *de Triennali*; cum enim hæc conſtituta ſit non ad obviandum hæreſibus, ut onus profeſſionis Fidei, ſed ad convalidandum titulum, poſſeſſionem, cæteraque beneficii jura, quibus proviſus minime privatur per dictam omiſſionem, ut ex decreto Cong. Conc. 2. *ſeptemb.* 1591. *relto* a Gallemart. in declarat. ad Trident. *Cap. XII. Seſſ. XXIV. de Reform. n.* 7. ac ex altero decretu ejuſdem Cong.

ut ſupra notavi §. *Nec ob talem*, non extendenda eſt ad convalidandum dominium fructuum, quos Trident. ob ejuſmodi omiſſionem declaravit reſtitutioni obnoxios, ut in cit. cap. Navar. *conſ. 7. num. 1.*, & DD. relati a Ferrariis *Prompta biblioth. verbo Canonicus art. IV. n. 27. & ſeqq.*

Licet ex Tridentino, citat. Conſtit. Pii IV., & decr. Cong. Conc. in dicta Cathacen. non teneantur ad hanc profeſſionem Canonici Collegiatarum, aliique, beneficia, etiam ſimplicia, obtinentes; tenentur tamen vigore legum in omnibus fere diœceſibus ſtatutarum. Sic in locis, quos complectitur Concilium Romanum, celebratum a Benedicto XIII. ann. 1725. ad eam tenentur ſequentes ſub pœnis in dicta Pii IV. Conſtit. latis, aliiſque Epiſcoporum arbitrio ſtatuendis.

I. Epiſcopi, aliique de Clero recens eccleſiaſticis beneficiis proviſi, aut ſacris Ordinibus initiati in diœceſena Synodo primo celebranda. II. Dignitates, & Canonicatus obtinentes poſt adeptam poſſeſſionem, tum in manibus Epiſcopi, vel ejus Vicarii generalis, tum in Capitulo intra bimeſtre. III. Beneficia cum animarum cura habentes, poſt ipſorum poſſeſſionem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Epiſcopi, vel Vicarii generalis, prout & in alterutris manibus. IV. Quicunque alia beneficia ſimplicia obtinentes. V. Item novus Vicarius generalis; Vicarii Foranei, Procuratores, & Promotores Fiſci epiſcopalis, Cancellarii, cæterique Miſtiſtri ejuſdem Curiæ. VI. Novi Concionatores, etiam Regulares. VII. Novi Confeſſarii, etiam Monialium. VIII. Docentes publice, vel privatim Theologiam, Philoſophiam, jus canonicum, aut civile, vel inferiores quaslibet diſciplinas, etiam grammaticam. IX. Ac tandem medicinam, & chirurgiam exercentes,

Qui hanc fidei profeſſionem teneantur emittere tam in Synodo provinciali, quam diœceſana, vide infra cum de *cap. II. Seſſ. XXV. de refor.*

Ad hanc de rigore juris communis non tenentur Coadjutores Canonicorum, ſeu dignitatum Cathedralium, cum, durante coadjutoria, non ſint veri Canonici: Nec Portionarii, Vicarii temporales, nec proviſi de capellaniis in Cathedrali, DD. communiter relati a Lucio Ferraris *Prompta Bibliot. verb. Fidei profeſſio n. 57. & ſeqq.*

SECTIO CXXXVII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Proſequitur idem cap. XII.

PRæterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, aut reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem fuerit uſus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Creſcente vero contumacia, contra eos, juxta ſacrorum Canonum Conſtitutiones procedatur. Diſtributiones vero, qui ſtatuis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, *Conſuetudinem*: quod Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus.

Hoc decretum, ſtatuens, non licere obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes quolibet anno a ſuis Eccleſiis abeſſe, declaratum eſt a Gregorio XIII.; approbante decretum Cong. Conc., ut refert Benedictus XIV. *lib. XIII. de Synodo diœc. cap.* IX. *num.* 55., ut etiam notavi part. I. pag. 245. videlicet, ſe abſtinere poſſe a ſervitio chori (obtenta prius abſolutione ab eodem ſervitio a Cong. Conc.) ſine fructuum, & diſtributionum jactura, Canonicum, qui per annos quadraginta eumdem chorum laudabiliter frequentavit, ſumpto exemplo a lege Moſaica, Levitam immunem ab omni opere declarante poſt accurate præſtitum miniſterium in templo per XXV. annos, *Numerorum cap.* 8. & a lege civili, miſſionem, & immunitatem a belli laboribus concedente veteranis militibus *L. A. muneribus ff. de vacat.*, & *excuſat. muner.*, & *L. I. C. de vcteran. lib.* 12.

Circa hanc tamen jubilationem attendenda ſunt ſequentia Cong. Conc. decreta, relata in *Theſauro Reſolut. tom.* I. *pag.* III. 24. *Septemb.* & 17. *Decemb.* 1718. *ſuper dubiis.*

I. An indulgenda ſit jubilatio Canonicis, & beneficiatis, qui ſpatio XL. annorum Eccleſiis inſervierunt, licet dicto temporis ſpatio cum debitis licentiis, & indultis abfuerint ab Eccleſiis, vel ex cauſa infirmitatis, vel ex cauſa ſtudiorum, vel pro ſuæ Eccleſiæ ſervitio, vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta abſendi pro diebus, & horis, vel indulta ſimpliciter, & abſolute abſendi ab Eccleſia, durante officio ipſis commiſſo.

II. An Indulgenda ſit jubilatio illis, qui inſervierunt ſpatio annorum XL., ſed partim in una Eccleſia, partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam beneficiati in una, & canonici in alia: necnon illis, qui in una, & eadem Eccleſia per totum tempus inſervierunt, ſed partim tamquam

Cleri-

Clerici beneficiati, partim tamquam beneficiati, & aliquando partim tamquam beneficiati, partim tamquam Canonici, vel partim tamquam Coadjutores, & partim tamquam principales, & titulares.

III. An indulgenda ſit jubilatio illis, qui inſervierunt ſpatio annorum XL., non obſtante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Eccleſiæ ſervitio; & quis ſit parvus numerus inſervientium in caſu, & ad effectum, de quo agitur.

IV. An, non obſtante jubilationis indulto, jubilatus cogi poſſit ad inſerviendum, ſi divinus cultus detrimentum patiatur.

V. An, non obſtante jubilationis indulto, jubilatus teneatur ad reſidendum, licet non teneatur ad intereſſendum.

Ad I. affirmative, quoad abſentes ex cauſa infirmitatis, cum debitis licentiis, & indultis, vel pro ſuæ Eccleſiæ ſervitio, vel cum indultis abſendi diebus, & horis: negative autem quoad abſentes ex cauſa ſtudiorum, & quoad habentes indulta abſendi abſolute, durante officio. Ad II. negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam. Ad III. dabitur reſolutio in caſibus particularibus. Ad IV. affirmative. Ad V. negative juxta decreta.

Hæc decreta prodierunt in *cauſa S. Angeli in Vado* 15. *April.* 1690. *lib. IV. decretor. f.* 256. in qua dictum fuit = Canonico jubilato deberi diſtributiones, nec ad reſidentiam localem teneri = Et in cauſa *Patavina Jubilationis* 9. *Junii* 1714. *lib. LXIV. fol.* 217. in qua ſimiliter dictum fuit = Deberi Canonico jubilato diſtributiones, & eum non eſſe obligatum ad reſidendum. =

Nota I. ex hoc ultimo decreto inferri diſcrimen inter Canonicum jubilatione fruentem, & Canonicum Coadjutorem habentem; hic enim juxta praxim ſine ſpeciali indulto non poteſt abeſſe a loco, ubi Canonicatum obtinet, licet non teneatur ad intereſſendum choro, ut in cit. *fol.* 24. *Septemb.*

Circa privationem dignitatis, canonicatus, præbendæ, aut portionis, ad quam, creſcente contumacia abſentiæ, hic procedendum præcipitur a Tridentino, juxta Sacrorum Canonum Conſtitutiones, jam ſermo inſtitutus eſt Parte I. pag. 241.

Nota II. choro addictos ex decreto Cong. Conc. *in Caſtrimaris ſervitii Chori* 30. *Julii* 1735. *in Theſauro Reſolut. dictæ Cong. tom. VII. pag.* 107., *& in Capuana Indulti* 5. *Decemb.* 1739. *tom. IX. pag.* 141. uti non poſſe abſentia trium menſium hic a Tridentino indulta, qui alternis dumtaxat hebdomadibus choro interſunt: neque poſſe, præſertim Epiſcopum, conjungere tres menſes anni antecedentis cum tribus menſibus anni ſubſequentis, ut notavi part. I. pag. 248. §. *Epiſcopus nequit*, & pag. 249. §. *Cum vero*

Nota III. Diſtributiones amiſſas a non intereſſentibus, quarum remiſſio hic interdicta eſt, ab iiſdem in conſcientia retineri non poſſe, etiamſi ſponte remittantur a Capitulo, quas condonare nequit: imo nec Epiſcopus, ex decretis laudatæ Cong. in *Neapolitana* 1592. *lib. decret.* 7. *pag.* 75., *& in Iſernien.* 1619. *& in cauſa Taracinæ* 13. *Jan.*, *&* 14. *Decemb.* 1624. *lib.* 12. *pag.* 10. 149., *&* 235. *ac aliis relat. a Benedicto XIV. Inſtit. eccleſiaſt.* 107. §. 7. *num.* 42.

Reliqua circa reſidentiam, & diſtributiones percipiendas vide notata *part. I. pag.* 241. *& ſeqq.*

S E C T I O C X X X V I I I.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Proſequitur idem cap. XII.

OMnes vero divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere, & inſervire; atque in choro, ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare.

De onere hic injuncto choro addictis jam ſermo inſtitutus eſt part. I. *pag.* 434. *& ſeqq.*

S E C T I O C X X X I X.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. caput XIII. juncto cap. XV. ejuſdem Seſſionis.

Agitur in hiſce Capitulis de unione beneficiorum: quibus vero ſublata ſint privilegia ea uniendi, patet ex ſequenti S. Pii V. Conſtit. *Sacroſanctum* 9. *Septemb.* 1568., ibi.

Itemque uniendi, & incorporandi perpetuo, vel ad tempus, & ſupprimendi beneficia eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia, necnon Prœſtimonia, Eremitoria, & Hoſpitalia, etiam de jure Patronatus laicorum ex fun-

fundatione, & dotatione exiſtentia, ac etiam nullum penitus ſervitium, aut Ordinem annexum, ſeu aliud onus qualecunqne habentia, etiam ruinoſa, & deſerta, ac etiam ſponte a Patronis oblata, vel donata, illorumque fructus, res, & proprietates applicandi, & appropriandi Militiis, & Hoſpitalibus ſupradictis, ſeu beneficia ipſa in monaſteria, prioratus, prœceptorias, beneficia, Hoſpitalia, & alia loca Militiarum, & Hoſpitalium eorumdem erigendi, & inſtituendi, ac alias commutandi, & reformandi.

SECTIO CXL.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Proſequitur idem cap. XIII.

AD hæc in poſterum omnes hæ cathedrales Eccleſiæ, quarum redditus ſummam ducatorum mille, & parochiales, quæ ſummam ducatorum centum ſecundum verum annuum valorem non excedunt, nullis penſionibus, aut reſervationibus fructuum graventur.

Hoc decretum, ſtatuens, Eccleſias parochiales non excedentes in proventibus ſummam centum Ducatorum ſecundum verum annuum valorem, nullis penſionibus, & reſervationibus fructuum eſſe gravandas, ampliatum eſt a Benedicto XIII. Conſtit. *Quanta, Idib. Sept.* 1724. prohibente juxta edictum Innocen. XII. 11. *Novemb.* 1692. per organum Datariæ publicatum, quod in omnibus confirmat, ne locorum Ordinarii, aut quicunque alii parochialium collatores, etiam juris patronatus laicalis, ullo modo dictas Eccleſias penſionibus aggravent, neque earumdem reſignationes, aut permutat ones admittant cum penſione favore cujuſcunque, & ſub quocunque titulo, etiam alimentorum præſtationis; & multo minus ſine cauſa, beneficio pleno, de poſſeſſorum conſenſu, ex quacunque cauſa, vel titulo; reſervata Papæ facultate eaſdem penſiones imponendi in favorem dumtaxat, & commodum fabricæ, ac oramentonem ipſarum parochialium, ibi.

Hinc igitur eſt, quod Nos deteſtandæ huic beneficiorum eccleſiaſticorum nundinationi, aliiſque præmiſſis pro paſtoralis offici noſtri debito conſulere, ac ſimul oportune providere volentes, ut antedictis animarum Paſtoribus de cætero commodius ſuppetat modus, nedum ſuas parochiales Eccleſias, quotieſcunque oportuerit, reparandi, ornandi, ſacriſque ſuppellectilibus ad divinum cultum neceſſariis inſtruendi, ſed etiam ſubveniendi pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum præfatarum indigentiis, ex eo, quod honeſtæ, & congruæ ipſorum ſuſtentationi ſupererit: ac inſuper ipſis incitamentum præbere cupientes, ut ſuſcepti miniſterii labores, & incommoda libentius perferant, & gregi alacrius attendant, in quo poſiti ſunt regere plebem Dei: motu proprio, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione præinſertum laudatiſſimi (Innocentii XI.) Prædeceſſoris edictum, omniaque, & ſingula in eo contenta ampliſſime confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, ac irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis vim, robur, & munimen adjicimus, omneſque, & ſingulos juris, & facti, ac alios defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eiſdem ſupplemus, atque illud, & illa, quatenus opus ſit, innovamus, ac inſtauramus, & ab omnibus, ad quos ſpectat, ac de cætero quomodolibet ſpectabit, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari volumus, ſtatuimus, & mandamus. Reſervata tamen Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti facultate, & auctoritate imponendi antedictis parochialibus Eccleſiis eas penſiones, quas beneficiorum proventus, & locorum, perſonarumque conditio imponi permiſerint, in favorem dumtaxat, & commodum fabricæ earumdem Eccleſiarum, ad hoc, ut illæ ejuſmodi certo ſubſidio promptius reparari, opportune manuteneri, & congruis etiam ornamentis, ut præfertur, augeri poſſint, & valeant.

SE-

SECTIO CLI.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. caput XIV.

IN pluribus Eccleſiis, tam cathedralibus, quam collegiatis, & parochialibus, ex earum Conſtitutionibus, aut ex prava conſuetudine obſervari intelligitur, ut in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus cathedralis Eccleſiæ, vel beneficii, canonicatuum, aut præbendarum, vel partem proventuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas, certæ conditiones, ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationesve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur: Hæc cum S. Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis, ut quæcunque hujuſmodi in uſos pios non convertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant; ipſique diligenter de eorum Conſtitutionibus, ſive conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas, ut pravas, ac ſcandaloſas rejiciant, & aboleant. Eos vero, qui adverſus hæc, in præſenti decreto comprehenſa, quavis ratione commiſerint, pœnis contra ſimoniacos editis ſacris Canonibus, & variis ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit: non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, Conſtitutionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis: de quarum ſubreptione, obreptione, & intentionis defectu, Epiſcopus, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatus, cognoſcere poſſit.

Hoc Capitulum, in quo ſtatuitur, ne pro proviſione, electione, confirmatione, collatione, inſtitutione, aut admiſſione inpoſſeſſionem Cathedralis, ſive canonicatus, ſive beneficii, ſive præbendæ, ſive diſtributionum deductiones, ex fructibus, promiſſiones, compenſationes, aut aliæ conditiones, ſeu turnorum lucra interponantur, non obſtante quacunque Conſtitutione, vel conſuetudine, etiam immemorabili; exceptis erogationibus conſuetis applicari in uſus pios, laudabili conſuetudine, ſeu Conſtitutione Introductis, & ab Epiſcopo approbatis, declaratum eſt, & ſimul ampliatum a S. Pio V. Conſtitut. *Durum nimis 31. Maji* 1570 decernente, Epiſcopos incurrere ſuſpenſionem ab officio pontificiali, donec abſolvantur a Papa, prævia reſtitutione receptorum; collegia, & univerſitates interdictum, non tamen reſervatum: ſingulares perſonas excommunicationem Papæ reſervatam; & his penis ligari tam dantes, quam accipientes, ibi.

Præcipimus igitur, & interdicimus omnibus Epiſcopis, Capitulis, Collegiis, & perſonis, ad quas id pertinet, ne poſthac fructus, aut diſtributiones hujuſmodi, nec prorſus ullam eorum partem retineant, neque ipſorum ceſſionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocunque petant, vel exigant, aut quemquam, ſive ordinaria, ſive Apoſtolica auctoritate proviſum, ad præſtandum hujuſmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti poſſeſſionem impediant, vel remorentur. Quicunque contrafecerint, ſi Eccleſiarum Antiſtites, tamdiu a pontificalis officii exercitio ſint ſuſpenſi, donec ſatisfactione prævia, illis per Sedem Apoſtolicam ſuſpenſio relaxetur: Capitula vero, & Collegia quæcunque eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, ac ſingulares perſonæ in excommunicationis ſententiam incurrant, a qua, niſi in mortis articulo conſtituti, ab alio, quam a Rom. Pont. abſolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes, hujuſmodi præſtita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimo jurantes in hujuſmodi cenſuram incidere, necnon irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his per quoſcunque ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus ſtatuimus, ut ubicunque hujuſmodi fructus, & diſtributiones fabricæ, vel Sacriſtiæ, aut alterius pii loci uſibus ultra ſemeſtre tempus reperiuntur conceſſi, horum dumtaxat dimidia pars ipſi Sacriſtiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati prædicti integre percipiant.

Amplitum eſt etiam ab Innocentio XII. Conſtit. *Eccleſiæ 22. Septemb. 1695.* addente pænas ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendas, privationis dignitatum, canonicatuum, præbendarum, aliorum-

rumque eccleſiaſticorum beneficiorum : & quoad Regulares, privationem etiam vocis activæ, & paſſivæ, ac graduum, munerum, & officiorum obtentorum, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia in poſteriorum obtinenda.

Prohibente inſuper ſub dictis pænis, Papæ reſervatis, quaſcunque conventiones, etiam juratas, factas abſque auctoritate Apoſtolica ante proviſionem Eccleſiarum, ſeu monaſteriorum, eas irritas declarando, ibi.

Motu proprio ...... Omnia, & ſingula præmiſſa a præfatis Nicolao III. Pio V., & Gregorio XIII. Prædeceſſoribus conſtituta, ordinata, interdicta, decreta, & reſpective declarata, ut præfertur, expeditaſque deſuper illorum Conſtitutiones, ſeu literas ſupradictas tenore præſentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus, illiſque perpetuæ, atque irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, patrocinium, & præſidium adjicimus. Præterea, ut eadem præmiſſa firmius, atque inviolabilius de cætero obſerventur, ultra omnes, & ſingulas pænas in iiſdem Conſtitutionibus, ſeu literis impoſitas, privationis dignitatum, canonicatuum, & præbendarum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum, & quoad Regulares, etiam vocis activæ, & paſſivæ, ac graduum, munerum, & officiorum quorumcunque per eos reſpective obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcunque in poſterum quomodolibet obtinenda, pænas per contrafacientes ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendas, adjungimus. Porro ad penitus extirpandum, atque evellendum abuſum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum, ſeu ſtatutorum quorumcunque, quæ perperam, ac adverſus Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitionem, occurrente Eccleſiarum quarumlibet, præſertim cathedralium, & metropolitanarum, ſeu monaſteriorum, quorumvis vacatione, ab iis, ad quos electio perſonarum idonearum ipſis Eccleſiis, ſeu monaſteriis ad electionem hujuſmodi reſpective præficiendarum, juxta privilegia, & Indulta Apoſtolica eis deſuper conceſſa, aut alias legitime ſpectat, ſive ante, ſive poſt electionem prædictam, interdum iniri, concedi, aut fieri conſueverunt, motu ..... Earumdem tenore præſentium omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, ſub eiſdem omnino pænis ſuperius expreſſis, quarum abſolutionem, ſeu relaxationem, Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti dumtaxat ſpecialiter reſervamus, diſtricte prohibemus, & interdicimus, ne capitulationes, pactiones, conventiones, concordata, ſeu ſtatuta hujuſmodi ante ipſam quidem electionem, ſeu etiam poſtulationem de cætero inire, condere, aut facere audeant quovis modo, ſeu præſumant: illa, quæ proinde, quatenus de facto contra præſentis noſtræ prohibitionis formam inita, condita, ſeu facta fuerint, nulla inania, invalida, irrita, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacua, ac nullius roboris, & momenti eſſe, & perpetuo fore, neminemque ad illorum, ſeu cujuslibet eorum, etiamſi juramento vallata ſint, obſervantiam teneri, aut obligatum exiſtere, vel fore decernimus, & declaramus. Quæ vero, electione, ſeu poſtulatione hujuſmodi ſecuta, quomodolibet iniri, condi, ſeu fieri contigerit, ad nos, ſeu eumdem Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem quamprimum deferri, atque ita noſtro, & Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjici præcipimus, ſuſpenſa interim eorum omnium, & ſingulorum executione, donec, & quouſque ab eadem Sede, ſine cujus auctoritate nihil omnino in ſimilibus paciſci fas eſt, Apoſtolicæ confirmationis robur in totum, vel in partem receperint. Cæterum per præſentes non intendimus ea, quæ antehac contra ſupradictarum Nicolai, Pii, Gregorii Prædeceſſorum, ſeu forſan aliarum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ſeu literarum formam quomodolibet geſta fuerunt, ullatenus approbare, nec pænas, ea de cauſa per tranſgreſſores incurſas, remittere, vel condonare.

In Conſtit. Benedicti XIII. = *Pius, & miſericors IV. Id. Maji* 1725. = pro Italia, & Inſulis adjacentibus circa mediam annatam ſolvendam pro una vice a parochis, canonicis, & beneficiatis pro fabrica cathedralis, & collegiatæ Eccleſiæ, hæc ſtatuuntur.

Motu proprio .... præcipimus, & mandamus per totam Italiam, & Inſulas adjacentes, ut in poſterum proviſi de parochialibus, una cum incertis, annuum redditum ſcutorum

rum centum monetæ Romanæ excedentibus, & de canonicatibus, & beneficiis, tam reſidentialibus, quam non reſidentialibus, & ſimplicibus, ſitis extra Eccleſias collegiatas, cujuſcunque valoris exiſtant, teneantur ſolvere., & reſpective deponere mediam annatam pro fabrica Eccleſiæ cathedralis. Proviſi vero de parochialibus una cum incertis, annuum redditum ſcutorum centum monetę præfatæ excedentibus, & de canonicatibus, & beneficiis, tam reſidentalibus, quam non reſidentialibus, & ſimplicibus, ſitis in Eccleſiis collegiatis, vel ad illas translatis, cujuſcunque valoris exiſtant, itidem teneantur ſolvere, & reſpective deponere mediam annatam pro fabrica Eccleſiæ collegiatæ, ſive beneficia prædicta liberæ collationis, ſive jurispatronatus mixti, ac etiam laicalis fuerint, & ad quemcunque electio, collatio, inſtitutio, & proviſio pertineat, ſive nimirum ad Metropolitanum, vel Ordinarium, ſive ad Capitulum, ſive ad alium quemcunque inferiorem, dummodo collationis, inſtitutionis, & proviſionis S. Sedis minime eſtixant, aut etiam legitima non vigeret conſuetudo ſolvendi, vel dimittendi fructus ſex menſium, aut ſimilem, non tamen minorem ratam favore fabricæ, vel ſacriſtiæ; utroque enim in caſu pro fabrica prædicta nihil ſolvendum, aut deponendum erit.

Ut autem præmiſſa, quæ ad conſulendum debito metropolitanarum, & cathedralium, ac collegiatarum Eccleſiarum decori diſpoſita dignoſcuntur, ſuum ſortiantur effectum, præcipimus, & mandamus, quod mediæ annatæ hujusmodi deponantur penes perſonam idoneam, ab Epiſcopis cum ſcientia, & conſenſu Capitulorom deputandam, & ſucceſſive ab eiſdem, deficiente neceſſitate occurrendi reparationi Eccleſiæ, inveſtiantur, & collocentur in ſtabilibus, & fundis, ſeu capitalibus tutis, ſecuris, atque fructiferis, ac, ubi fieri poterit, in locis montium cameralibus non vacabilibus, pro dote fabricæ ſingularum Eccleſiarum prædictarum, ac ejuſmodi dotium annuus proventus non in alium uſum, quam reparationis, conſervationis, & manutentionis fabricæ earumdem Eccleſiarum, ab unicujuſque Præſulibus, cum ſcientia pariter, & conſenſu ſuorum Capitulorum, in occurrentibus caſibus erogetur: & quotieſcunque dictas Eccleſias reparatione non indigere conſtiterit, annui etiam fructus, & fructuum fructus dotium prædictarum in aliis ſtabilibus, fundis, et capitalibus tutis, atque fructiferis, ac reſpective in aliis locis montium eodem prorſus modo reinveſtiantur, & collocentur, ad hoc, ut ipſemet dotes majora in dies, benedicente Domino, ſuſcipiant incrementa, adeoque earum redditus ſupportando reparationis fabricæ ipſarum Eccleſiarum oneri ſatis eſſe poſſint.

Cæterum ſuper præmiſſis omnibus, ac præſertim ſuper iis, quæ rectam, & fidelem præfatarum dotium adminiſtrationem reſpicient, eorumdem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum inferiorum, atque etiam Capitulorum conſcientiam peculiariter, & diſtricte oneramus. Ac inſuper quoties Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel Ordinarii inferiores, ac reſpective Capitula in aliquo ex his defecerint, ita ut, vel ratione minus fidelis, idoneique depoſitarii, aut ex cauſa non facti, vel minus tuti, & exinde deperditi inveſtimenti, aut demum propter erogata capitalia, vel fructus in alios uſus, aliquod præjudicium emerſerit patrimonio fabricæ, ipſi Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel Ordinarii inferiores, & reſpective Capitula, & ſinguli Canonici, qui defecerint, eorumque hæredes, & ſucceſſores teneantur ad omnia damna, & intereſſe favore prædictæ fabricæ, eorumdemque bona omnia pro potiori cautela affecta ſint, & ſpecialiter hypothecata favore ejuſdem fabricæ.

Quoniam vero noſtræ mentis non eſt per hanc noſtram Conſtit., ut præmiſimus, SS. Canonum ſtatuta, & præſidia minuere, ſed, quantum in Domino poſſumus, augere favore Eccleſiarum, declaramus, & expreſſe volumus, firmiſſimum nihilominus manere onus reparandi, reſtaurandi, et manutenendi Eccleſias cathedrales, Epiſcopis a jure injunctum; ita ut in reſtaurandis, reparandis, et conſervandis Eccleſiis cathedralibus, antequam tangantur fructus, ſeu capitalia favore fabricæ, vigore hujus Conſtit. conficienda, teneantur Epiſcopi, et ad normam SS. Canonum exquiratur de eorum obligatione.

Prætereaque decernimus, hanc noſtram Conſtit. locum habere favore omnium Eccleſiarum cathedralium, et collegiatarum totius Italiæ, et Inſularum adjacentium, tametſi pro nonnullis Eccleſiis editæ fuerint aliquæ proviſiones, ſicuti per fel. rec. Innocentium PP. XIII. Prædeceſ. noſtrum, pro tribus Eccleſiis, nempe Auximana, Viterbien.

& Tuſcanen. & per Nos hactenus pro quatuor, ſcilicet Nuſcan. Vigilien. Caſtellaneten., & Sipontina, mediante reſervatione ratæ penſionis ſuper fructibus earumdem Eccleſiarum, actum fuiſſe conſtat, & in univerſum pro Eccleſiis Regni Neapolitani emanaverit Conſtitutio ſan. mem. Innocentii Papæ XII: etiam Prædeceſ. noſtri, incipiens = *Inſcrutabili* = & ſupervenerit alia noſtra amplivativa, incipiens = *Sacroſancti Apoſtolatus*. =

Excipimus tamen ab hac Conſtitutione beneficia noſtræ Archidiæceſis Beneventanæ: dudum enim eorum reſpectu per aliam noſtram Conſtitutionem, incipientem = *Romanus Pontifex*, confirmando, declarando, & ampliando antiquam Conſtitutionem fel. rec. Pii Papæ II. pariter Prædeceſ. noſtri, ſimile injunximus onus beneficiis, in univerſa Archidiæceſi exiſtentibus.

Volumus, autem, quod huic noſtræ Conſtit., ſeu ſolutioni mediæ annatæ prædictæ minime ſubjecta exiſtant beneficia illarum diæceſum, & reſpective Collegiatarum, in quibus reperitur opus, ſeu peculiare patrimonium fabricæ, ſufficienter inſtructum, aut onus, ſeu obligatio reparandi, reſtaurandi, & conſervandi Eccleſias reſidet penes Communitates locorum, vel adſunt dictarum Eccleſiarum Patroni, qui, niſi reparare, & manutenere velint eaſdem Eccleſias, ☞ *earum Patronatum amittere debent*. Cum enim in his ſatis conſultum ſit reparationi, & conſervationi Eccleſiarum, nolumus aliud ſuperaddere beneficiatis impendium, quod vergeret in ſublevamen eorum, qui de jure tenentur.

SECTIO CXLII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. cap. XVI.

CApitulum, Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Æconomum unum, vel plures fideles, ac diligentes decernat, qui rerum eccleſiaſticarum, & proventuum curam gerant; quorum rationem ei, ad quem pertinebit, ſint reddituri. Item Officialem, ſeu Vicarium infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare omnino teneatur; qui ſaltem in jure canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus: ſi ſecus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujuſmodi devolvatur. Et, ſi eccleſia ipſa metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Epiſcopus ex Suffraganeis in metropolitana, & propinquior Epiſcopus in exempta Æconomum, & Vicarium idoneos poſſit conſtituere.

Non ſemel ortum eſt dubium, an Capitulum cathedralis, Sede vacante, in deputatione Vicarii capitularis poſſit ſibi reſervare aliquam juriſdictionis partem: & quamvis Cong. Conc *ſub die 18. Novembris 1655. ut lib. X. decretor. pag. 155., & 156.* ſenſerit poſſe, cum tamen poſtea prævaluerit ſententia oppoſita, & jam communiter DD. ſentiunt, Capitulum teneri totam, quam habet, juriſdictionem eidem Vicario conferre, eadem Cong. in Eluen *juriſdictionis die 1. Decemb. 1736.* a priori ſententia receſſit, ut ex ejuſdem reſponſis ad ſequentia dubia in folio dicti diei in *Theſauro Reſolut. Tom. VII. pag. 352.*

I. An poſſit Capitulum, ſede vacante, poſt electum Vicarium in ſpiritualibus, & temporalibus „ deputare alium, toties, quoties ſibi placuerit, ad „ aliquid faciendum in exercitio juriſdictionis tranſlatæ, ipſam juriſdictionem reaſſumendo.

II. An poſſit Capitulum per ſe ipſum dare ſubditis chartas teſtimoniales, vel reverendas ad Ordines ſuſcipiendos, vel debeant dari per Vicarium generalem capitularem.

III. An Capitulum poſſit in deputatione Vicarii „ capitularis dare juriſdictionem limitatam, & poſſit in hoc caſu attendi conſuetudo Regni Luſitaniæ; „ & quatenus affirmative.

IV. An poſſit reſervatam juriſdictionem alicui „ alteri committere, vel illam debeat per ſe ipſum „ exercere,

V. An poſſit Capitulum dare ſubditis atteſtationes de vita, & moribus per ſe ipſum, vel debeant „ dari a Vicario capitulari.

VI. An poſſit Capitulum jubere Vicario capitulari, ut det tales atteſtationes, vel debeat pendere „ ab arbitrio Vicarii capitularis.

VII. An in concurſu parochialium debeat intervenire arbitrium Vicarii capitularis, vel debeat „ pendere ab arbitrio Capituli, facto concurſu in „ præſentia Capituli, vel in abſentia, & an debeat „ attendi conſuetudo Regni, in caſu &c.

Ad I. negative. Ad II. negative quoad I. partem & affirmative quoad II. Ad III. negative. Ad IV. pro-

viſum

viſum in III. Ad V. negative quoad I. partem & affirmative quoad II. Ad VI. negative, Ad VII. affirmative quoad I. partem ad formam juris: in reliquis negative.

SECTIO CXLIII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. cap. XVII.

CUm eccleſiaſticus ordo . . . Sancta Synodus, debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcunque perſonis, quocunque titulo, etiam ſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari; ſtatuit, ut in poſterum unum tantum beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem, ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia beneficia, tam ſecularia, quam regularia quæcunque, etiam commendata, pertineant, cujuſcunque tituli, ac qualitatis exiſtant.

Non levis controverſia erat inter Canoniſtas, an hoc decretum vindicaret ſibi locum etiam in beneficiis de Jure patronatus, ita ut obtinens primum beneficium, ſive liberæ collationis, ſive de jure patronatus laicorum, ad ſui ſuſtentationem ſufficiens, poſſit retinere ſecundum de jure pariter patronatus laicorum. Quam controverſiam non ſemel dirempſerunt negativa Cong. Conc. reſponſa, ſed opus eſſe declararunt Apoſtolica diſpenſatione, ita *in Bovinen. 13. Novemb. 1629. in Aquilana 14. Auguſti 1632. lib. XIV. decretor. pag. 653.*, & noviſſime *in Biteſten. 6. Decemb.* 1721. ad ſequentia dubia, ut in Theſauro Reſolut. ejuſd. Cong. *Tom. II. pag. 107.*

I. An obtinens primum beneficium, ſive liberæ collationis, ſive de Jure patronatus laicorum, ad ſui ſuſtentationem ſufficiens, poſſit abſque diſpenſatione Apoſtolica retinere ſecundum de Jurepatronatus laicorum in caſu.

II. An obtinens duo beneficia, ſive liberæ collationis, ſive de jurepatronatus laicorum, minime ſufficientia ad congruam ſuſtentionem, poſſit retinere tertium, & quartum de jurepatronatus laicorum abſque diſpenſatione Apoſtolica in caſu &c.

III. An id, quod procedit in retentione beneficiorum, procedere etiam debeat in Legatis piis, & Capellaniis de jurepatronatus laicorum in caſu &c.

Ad I. negative. Ad II. negative & ad mentem. Ad III. negative.

SECTIO CXLIV.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. cap. XVIII.

EXpedit maxime . . . Debeat Epiſcopus ſtatim, habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum Vicarium in ea, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione conſtituere; qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore provideatur. Porro Epiſcopus, & qui juſpatronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Eccleſiam coram deputandis Examinatoribus nominet. Liberum ſit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut poſſit poſtea de cujuſlibet ætate, moribus, & ſufficientia fieri diligens inquiſitio. Et ſi Epiſcopo, aut Synodo provinciali, pro regionis more, videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Tranſacto conſtituto tempore, omnes, qui deſcripti fuerint, examinentur ab Epiſcopo, ſive eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis Examinatoribus, non paucioribus, quam tribus; quorum votis, ſi pares, aut ſingulares fuerint, accedere poſſit Epiſcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur.

In hoc decreto nulla certa, ac peculiaris forma, ſeu methodus ſervanda proponitur pro examine in concurſu promovendorum ad Eccleſias parochiales, quæ hodie ſtatuta legitur tam in literis encyclicis

Clementis XI. quam in Conſtit. Benedicti XIV. *Cum illud* 14. *Decemb.* 1742. in quibus hæc ſervanda ſtatuuntur.

I. Ut Epiſcopus, habita notitia vacationis beneficii curati, ſtatim in ea deputet Vicarium cum congrua fructuum aſſignatione ad curæ onera ſuſtinenda, donec de Rectore provideatur.

II. Ut edicto intimetur concurſus, præfigaturque terminus, intra quem tantum Cancellario Epiſcopi, vel alii ab hoc deputato exhibeantur in actis concurrentium requiſita. Romæ præfigitur terminus decem dierum.

III. Ut hæc redigantur in compendium, & ejus copia die concurſus tradatur tam Ordinario, quam Examinatoribus, ut hi una cum illo judicium ferant, nedum ſuper doctrina, ſed etiam ſuper vitæ honeſtate, aliiſque concurrentium dotibus ad animarum curam exercendam neceſſariis. Romæ, ſi ſcrutinium fieri nequeat eodem die, differtur ad duos, vel tres dies, obſignatis interim reſponſis ſigillo Eminentiſſimi Vicarii.

IV. Ut coadunatis concurrentibus, omnes claudantur in eodem conclavi, unde nemo egredi, vel alius quiſpiam eo ingredi poſſit, donec confecerint intra certum, & idem temporis ſpatium omnibus conſtitutum, exhibuerintque ſcripta, & ſubſcripta propria cujuſque manu reſponſa caſuum uno, eodemque tempore dictatorum latine exarata, & ſermonem, ſeu Oratiunculam conſcriptam eo idiomate, quo ad populum haberi ſolet, ſuper textu Evangelii eodem pariter tempore omnibus tradito. Romæ proponuntur reſolvendi novem caſus.

V. Ut ſingula reſponſa, & Oratiunculæ ſubſcribi debeant ab Ordinario, vel ejus Vicario, Examinatoribus, & Cancellario concurſus.

VI. Cavetur etiam, ne peracto hoc modo concurſu, collataque Eccleſia parochiali magis idoneo, ac digniori, admittatur appellatio, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Epiſcopi, niſi intra decem dies a die collationis interponatur; & ne judex, ad quem, poſſit pronuntiare, niſi ſecundum acta concurſus, ad ipſum clauſa, & obſignata traſmittenda, vel originalia, vel eorum authentica exempla, confecta a Cancellario concurſus, & ab altero notario, collata coram Vicario, vel alio in eccleſiaſtica dignitate conſtituto, eligendo ab Epiſcopo, ac ſubſcripta ab Examinatoribus, qui concurſui interfuerunt. Et hoc juxta cit. Bened. Conſtit. diſerte vetantis poſſe recipi documenta cujuſcunque generis poſt concurſum expiſcata; derogando hac in parte præfatis literis encyclicis, id permittentibus,

VII. Quod ſi Ordinarius, poſthabito uno, vel altero ex approbatis, parochiam contulerit magis idoneo ex informata conſcientia, hanc ſibi tantum notam cauſam per literas familiares indicabit judici appellationis; qui nec illam revelare, nec poſtulare poterit, ut ea juridice probetur. At ſi eidem Ordinario ſuſpecta ſit fides Judicis, ad quem, dictam cauſam aperire teneatur Præfecto Congr. Conc.

VIII. Statuitur præterea, ut ſi ſententia Judicis appellationis ſit uniformis prælectioni factæ ab Ordinario, non poſſit ulterius provocari. Si vero fuerit contraria, poſſit prælectus ab Ordinario ad alium appellare; retenta tamen interim parochiæ poſſeſſione ſed ubi ſecundus judex pronuntiaverit, is parochiam obtinere debeat, cui duæ aſſiſtunt ſententiæ, ne cum animarum curæ jactura, juſto longiores ſint provocationes.

IX. Ultimo cavetur, ut ſemper liceat Epiſcopo, nulla petita a S. Sede licentia, concurſum indicere, & complere, pro parochialibus, aut aliis dignitatibus animarum curam adnexam habentibus; ſive vacaverint in menſibus reſervatis, ſive ex alio capite eidem S. Sedi reſervatæ ſint; hac tamen lege, ut ſi reſervatæ tantum ſint ratione menſium, eligat magis idoneum, & Datariæ ſignificet abſque tranſmiſſione actorum concurſus, niſi ab eadem Dataria requirantur. Si vero reſervatæ ſint ex alio capite, abſtineat a ferendo dignoris judicio, & acta concurſus ultro Datariæ exhibeat. Relinquitur tamen Ordinariorum arbitrio familiaribus literis denuntiare Datario perſonam magis dignam, eumdenque monere, an occulta aliqua, & in actis juſta reticita ſubſit cauſa, quæ cuipiam obſtet ad parochiam obtinendam.

Circa tempus decem dierum Epiſcopo, & patronis præfixum ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis Examinatoribus in Conſtit. S. Pii V. *In conferendis* 18. *Martii* 1567. §. *V.* iiſdem prohibetur, ne illud audeant, vel præſumant ultra alios decem dies, prorogare: ſed hac de re vide notata part. I. poſt cap. XV. *Nemo deinceps, de elect. in VI.* pag. 36.

In eo autem, quod Tridentinum præcipit, ut ſi prædictum examen factum fuerit, non ſervata forma ab eo præſcripta, concurſus, & collatio nulla ſit, ut declarat circa finem hujus cap. ampliatum eſt a S Pio V. Conſtit. mox cit. decernente, præter dictam collationis nullitatem, hanc devolutam eſſe ad Sedem Apoſtol. ſeu ad eos, quibus jus competit parochiam conferendi, ibi.

Omnes, & ſingulas collationes, proviſiones, inſtitutiones, & quaſvis diſpoſitiones parochialium Eccleſiarum ab eiſdem Epiſcopis, & Archiepiſcopis, ac quibuſvis aliis collatoribus, tam ordinariis, quam delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Sedis Apoſtolicæ Legatis, vel Nunciis, præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præſertim in examine per concurſum faciendo, præſcriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & eſſe, nullumque proviſis jus, aut titulum, etiam coloratum, poſſidendi præbere, & parochiales Eccleſias hujuſmodi, ut prius ante collationis hujuſmodi vacabant, ex nunc vacare ſtatuimus, decernimus, & declaramus, eaſque omnes pro tempore ſic vacantes noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ, ſeu eorum, quibuſvis jus conferendi

eas, præterquam Epiſcopis, & Archiepiſcopis, qui curam dicti examinis juxta decretum Concilii habere debent, competere diſpoſitioni, reſervamus.

Præterea in cit. Conſtit. §. VII. ſtatuitur, ut ſi Epiſcopus minus habilem elegerit, magis idonei rejecti poſſint a mala hac electione ad Metropolitanum, vel ſi ipſe eligens Metropolitanus ſit, vel exemptus, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apoſtolicæ delegatum, vel alias ad eamdem S.Sedem appellare, ac prælectum ad novum examen coram ipſo appellationis Judice, ejuſque Examinatoribus provocare. Verum cum ex hac appellationis forma plura ſubſequerentur abſurda, enumerata *lib. XIII. de Synodo diœc. cap. 9. n. 19.* decretum eſt a Clemente XI. per encyclicas literas ad locorum Ordinarios expeditas 10. *Jan.* 1721. inſertas in cit. Conſt. *Cum illud*, ut ſalvo conceſſæ a S. Pio appellationis remedio, examina concurrentium tam quoad conſuetam Evangelii expoſitionem, quam quoad reſolutionem moralium quæſtionum, eiſdem propoſitarum, non amplius fiant oretenus, ut prius, ſed ſcripto proprio eorumdem charactere exarentur, ipſorumque authentica documenta ſuper meritis, & qualitatibus inter acta concurſus ſerventur, ad effectum ea omnia in caſu interpoſitæ appellationis ad ſuperiorem Judicem transmittendi; qui, eis inſpectis, decernere poſſit, an recte appellatum fuerit, & an rationabiliter, aut ſecus ab Epiſcopo judicatum, abſque eo quod proviſus Eccleſiam interim relinquere cogatur.

SECTIO CXLV.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Proſequitur idem caput XVIII.

EXaminatores autem ſingulis annis in diœceſana Synodo ab Epiſcopo, vel ejus Vicario ad minus ſex proponantur; qui Synodo ſatisfaciant, & ab ea probentur.

Hoc decretum, in quo ſtatuitur, ut Examinatores ſingulis annis in diœceſ.Synodo ad minus ſex proponantur, declaratum eſt decreto Clementis VIII. relato a Benedic. XIV. *lib. IV. de Synodo diœc. cap. VII. n. 7.* decernente, ut ſi ex deſignatis in ultima Synodo, durante anno, ſex ſaltem non ſupereſſent, vel ob mortem, vel ob diſceſſum a diœceſi, poſſit Epiſcopus alios ſubrogare, modo præditi ſint qualitatibus a Trident. requiſitis, & a Capitulo approbentur, qui una cum ſuperſtitibus electis in Synodo ſenos non excedant, duraturi uſque ad futuram Synodum, eiaipſo anno cogendam juxta cap. II. Seſs. XXIV.

Quæ ſi, elapſo anno, non celebretur, licet ex eodem decreto dictorum ſubrogatorum officium expiret, non expirat tamen munus illorum, qui electi fuerunt in ultima Synodo, dummodo ſex ex iis remanſerint. Si autem vel unus ex his deceſſerit, nullus ex ſuperſtitibus adhiberi poteſt in concurſu ad parochiales, ſed obtinenda eſt facultas unum, vel plures ſubrogandi, ut probat idem Bened. loco *cit. n. 8. & 9.*

SECTIO CXLVI.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Proſequitur idem cap. XVIII.

PEracto deinde examine, renuntientur quotcunque ab his (Examinatoribus) idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis.

Hoc decretum declaratum eſt a Benedicto XIV. in Literis encyclicis ad omnes Epiſcopos *Cum illud* 14. *Decemb.* 1742. decernente §.X. eoſdem Examinatores ſuo deeſſe muneri, ſi doctrinæ tantum judices eſſent; ideoque, juxta etiam plura decreta, ab ipſo relata *lib.* IV. *de Synod. diœc. cap.* VIII. *n.* 3. *edit. an.* 1755. nullum eſſe converſum, ſi non retulerint idoneos quoad omnes ſupra enunciatas qualitates, ibi:

Idque probe noſcens Cong. ejuſdem Conc. interpres, pluries edixit, Examinatores ſuo deeſſe muneri, ſi doctrinæ tantum judices eſſent, nec inquirerent, qui præ aliis probitate morum, laboribus, præſtito antea Eccleſiæ obſequio, cæteriſque dotibus ad officium parochi cumulate obeundum neceſſariis, eſſent idonei, & commendabiles.

De-

Decreta ſunt ſequentia.

= An proviſio parochialis nulla ſit, ſi Examinatores relationem fecerint ſolum quoad literaturam, examen vero circa mores, ætatem, & reliqua Epiſcopo relinquatur; vel ſi non fecerint relationem Epiſcopo de omnibus idoneis repertis, ſed tantum de eo, qui ipſis magis idoneus videtur = S Cong. reſpondit = teneri facere relationem etiam circa mores, ætatem, & reliqua, & Examinatores debere renuntiare quotquot idonei judicati fuerint: Epiſcopum vero debere ex his, qui renunciati fuerint, magis idoneos eligere. =

= Orta dubitatione, an ſicut Epiſcopo, & Examinatoribus ſimul junctis Conc. Trident. cap. XVIII. Seſ. XXIV. committit examen ſcientiæ, ſic etiam committat eiſdem ſimul examen morum, & prudentiæ, ita ut ſi examen ætatis, morum & prudentiæ factum fuerit a ſolo Epiſcooo, concurſus ſit nullus. *Die* 2. *Aug.* 1607. S. Cong. cenſuit, ſi Examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates, prout Conc. requirit, nullum eſſe concurſum. =

SECTIO CXLVII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Proſequitur idem cap. XVIII.

EX hiſque (qui nemoe idonei ab Examinatoribus judicati fuerint) Epiſcopus eum eligat, quen cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat: ad quem ſpectabit eam conferre.

Ad tollendas dubitationes aliquando exortas, an etiam ad ipſos Examinatores una cum Epiſcopo hæc prælectio ſpectet, hoc Trident. decretum declaratum eſt a laudato Benedicto in cit. Literis encyclicis §. *XI.*, ad eos ſcilicet non ſpectare, ut ex altero decreto Cong. Conc. relato cit. *lib. IV. de Synod. diœc. n. 6.*, ibi.

Abſoluto examine, ut cuique ſatis compertum eſt, ſit tantummodo poteſtas Examinatoribus renunciandi quotquot regendæ Eccleſiæ idoneos judicaverint, reſervata uni Epiſcopo electione dignioris.

Decretum autem eſt ſequens.

= Anno 1573. licet clare Conc. Trident. *cap. XVIII. Seſſ. XXIV.* loquatur, nihilominus Examinatores Patavini prætendunt, ad eos etiam ſpectare eligere magis idoneum, ex illis, qui fuerint approbati in examine concurſus ad parochiales vacantes, & non ad Epiſcopum, contra clara verba ipſius Concilii: quare nomine Ordinarii Patavini Dominationibus veſtris illuſtriſſimis ſuplicatur, ut ſuis literis ipſi Vicario generali, & Examinatoribus explicite declarent, quænam in caſu ſupradicto fuerit Concilii ſententia = S. Congr. reſpondit = id ad eos non ſpectare = *ut lib. I. decretor. pag.* 110. =

SECTIO CXLVIII.

Eadem Seſſio XXIV. de Refor. Proſequitur idem caput XVIII.

SI vero juris patronatus eccleſiaſtici erit (parochialis nempe) ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium pertineat; is, quem patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur. Cum vero inſtitutio ab alio, quam ab Epiſcopo, erit facienda; tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat. Quod ſi juris patronatus laicorum fuerit, debeat, qui a patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, ut ſupra, examinari, & non, niſi idoneus repertus fuerit, admitti.

Circa præſentationem factam a patrono ad parochialem videnda ſunt notata parte I. pag. 393.

SE-

S E C T I O   C X L X I X.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Proſequitur idem cap. XVIII.

IN omnibuſque ſupradictis caſibus non cuiquam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, & ab Examinatoribus approbati, juxta ſupradictam regulam, de Eccleſia provideatur: nec prædictorum Examinatorum relationem, quo minus exequutionem habeat, ulla devolutio, aut appellatio, etiam ad Sedem Apoſtolicam, ſive ejuſdem Sedis Legatos, aut Vicelegatos, aut Nuncios, ſeu Epiſcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interpoſita, impediat, aut ſuſpendat.

Circa appellationem a mala relatione Examinatorem hic interdictam, hodie, attentis ſupra citatis encyclicis literis Clem. XI. & Conſtit. Benedicti XIV. *Cum illud*, permittitur eo pari modo, quo permiſſa eſt a S. Pio V. cit. Conſtit *In conferendis* ab irrationabili judicio Epiſcopi, ibi ut in §. *Peracto* dictæ Conſtit. *Cum illud*.

Peracto ſecundum hanc formulam concurſu, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior judicatus fuerit, Eccleſia parochiali, non admittatur appellatio, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Epiſcopi, niſi intra decem dies a die collationis interponatur. Si quis autem hoc intra ſpatium appellaverit, actaque concurſus petat ad judicem appellationis transferenda, mittantur vel acta ipſa originalia concurſus clauſa, & obſignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a Cancellario concurſus, atque altero Notario collatum, & auſcultatum coram Vicario, vel alia in eccleſiaſtica dignitate conſtituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adjungendi electio pertinebit; nec non ab Examinatoribus ſynodalibus, qui concurſui interfuerunt, ſubſcriptum. Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo, niſi gravamen quoad doctrinam probet is, qui ſic, ut præmittitur, examinatus, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Epiſcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sacra Cong. fruſtra poſtulabit. Quemadmodum & in judicio appellationis perſequi jus ſuum fruſtra tentabit is, qui forte ſe gravatum doleat quoad reliqua, niſi, interpoſita mature, ut dictum eſt, appellatione, ab irrationabili judicio Epiſcopi, gravamen quoad illa oſtenderit, vel ex actis primi concurſus, vel ſaltem ex atteſtationibus, & documentis, extrajudicialibus etiam, ſed non levibus.

S E C T I O   C L.

Eadem Seſſio XXIV. de Reformat. cap. XIX.

DEcernit S. Synodus, mandata de providendo, & gratias, quæ expectativæ dicuntur, nemini amplius, etiam Collegiis, Univerſitatibus, Senatibus, & aliis ſingularibus perſonis, etiam ſub nomine indulti, aut ad certam ſummam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus conceſſis cuiquam uti licere, ſed nec reſervationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Eccleſias, vel monaſteria alicui etiam ex S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, concedantur; & hactenus conceſſa, abrogata eſſe cenſeantur.

Huic decreto, per quod prohibentur quæcunque expectativæ, ſeu mandata de providendo beneficium, acceſſit Conſt. S. Pii V. *Sacroſanctum 9. Septemb.* 1568., in qua eaſdem ſuſtulit cum abolitione privilegiorum, ibi. =

Ac etiam omnes, & ſingulas expectativas, reſervationes, & alias gratias præventivas, ſpeciales, & generales, nec non uniones, annexiones, & incorporationes perpetuas, & tem-

temporales, ſuppreſſiones, applicationes, & appropriationes, & alias diſpoſitiones hujuſmodi beneficiorum, & fructuum, per magiſtros, conventus, & alios prædictos hucuſque factas, & conceſſas, ac etiam dicta Apoſtolica auctoritate, & ex certa ſcientia confirmatas, quæ plenarium nondum ſunt ſuum ſortitæ effectum.

SECTIO CLI.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. caput XX.

Cauſæ omnes, ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam ſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinariis Locorum dumtaxat cognoſcantur, atque omnino, ſaltem infra biennium a die motæ litis, terminentur: alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum, judices ſuperiores, alias tamen competentes, adire; qui cauſam in eo ſtatu, quo fuerit, aſſumant, & quamprimum terminari curent; nec antea aliis committantur, nec avvocentur: neque appellationes ab eiſdem interpoſitæ, per ſuperiores quoſcunque recipiantur; eorumque commiſſio, aut inhibitio fiat, niſi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur cauſæ, quæ juxta canonicas ſanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ; vel quas ex urgenti, rationabilique cauſa judicaverit ſummus Romanus Pontifex per ſpeciale reſcriptum ſignaturæ Sanctitatis ſuæ, manu propria ſubſcribendum, committere, aut avocare.

Hoc decretum, ſtatuens, cauſas omnes ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam beneficiales, in prima inſtantia coram locorum Ordinariis dumtaxat eſſe cognoſcendas, exceptis iis, ibi enumeratis, ampliatum eſt, & ſimul declaratum a Greg. XIII. Conſtit. *Ad Romani* 10. *Jul.* 1574., excipiente etiam cognitionem ſuper executione literarum Apoſtolicarum de capienda poſſeſſione beneficiorum, ac declarante, id non adverſari huic Tridentini decreto, atque ideo non eſſe ſuſpendendam earumdem literarum executionem, ibi.

Nos... decernimus, & declaramus per conceſſionem literarum in forma Brevis, & ſub anulo Piſcatoris ſuper capienda poſſeſſione, quorumcunque beneficiorum diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervatorum, ſeu affectorum, Sedis, & Cam. Apoſtolicarum nominibus apprehendenda, & in ejuſdem poſſeſſionis in favorem proviſorum ab ipſa Sede de eiſdem beneficiis, poſtquam literas ſub plumbo ſuper proviſionis hujuſmodi habuerunt expeditas relaxatione, necnon aſſiſtentia ipſis proviſis literas deſuper ſub plumbo expeditas habentibus præſtanda, & aliorum inibi expreſſorum executione facienda, quæ mandata executiva ſunt, & ſummariam dumtaxat cauſarum, propter quas illæ emanarunt, cognitionem requirunt, decretis Concilii hujuſmodi non contraveniri, nihilque præjudicii illis inferri, vel eorum formam in aliquo violari, neque id dici, aut cenſeri, vel executionem literarum earumdem propterea in aliquo ſuſpendi, ſive remorari, aut facultatem literarum executoribus conceſſam impediri, ſed executores ipſos, & ab eis deputatos ſubſecutores facultate ſibi per eaſdem literas, ut præfertur conceſſa, uti, frui, gaudere, & contra illis non parentes ad declarationem incurſus pœnarum, & cenſurarum in eiſdem literis in forma brevis contentarum, ac invocationem brachii ſecularis procedere, ac alia omnia, & ſingula in eiſdem literis contenta (illarum tamen forma ſervata) facere, & exequi libere, & licite potuiſſe, & poſſe, necnon proceſſus deſuper habitos, & formatos, habendoſque, & formandos, ac inde ſecuta, & ſequenda quæcunque, firma, valida & efficacia fuiſſe, & eſſe, & fore ſuoſque integros, & plenarios effectus ſortiri debere in omnibus, & per omnia.

In eo vero, quod ſtatuit, dictas cauſas terminandas eſſe ſaltem intra biennium, ampliatum eſt a Clem. VIII. Conſtit. *Litium* 9. *Feb.* 1593. decernente ad celeriorem earumdem expeditionem in omnibus eccleſiaſtici ſtatus Tribunalibus attendendas tantum eſſe in proceſſu nullitates juriſdictionis, aut mandati, (quod prius ſtatuerat Pius IV. pro Judicibus Almæ Urbis, Conſtit. *Cum ab ipſo* 31. *Jun.* 1562.) ibi.

Statutum fel. record. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, ne Judices Almæ Urbis nullitates attendant, niſi ex defectu citationis, juriſdictionis, aut mandati, ſed, illis non obſtantibus, ad expeditionem cauſarum procedant, ad omnes, & quoſcunque Judices ordinarios;

narios, & delegatos, Magiſtratus, & Officiales, nedum Urbis, etiam Capitolinos, ſed in quibuſvis ditionis temporalis eccleſiaſticæ Provinciis, & Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis quamcunque juriſdictionem exercentes, & quavis auctoritate, & dignitate fungentes, hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione extendimus, & ampliamus, atque in quocunque Tribunali, aut Curia ſeculari, etiam Capitolina, vel eccleſiaſtica firmiter, & inviolate ſervari.

In eo tandem, quod præſcribit modum appellationis interponendæ, & in quibus cauſis admitti poſſit, ampliatum, & declaratum eſt a Benedicto XIV. Conſtit. *Ad militantis* 30. *Martii* 1742., cujus ſummam habes part. I. pag. 210, & ſpeciatim quoad cauſas cognoſcendas in prima inſtantia ab Ordinariis pag. 212. n. XXXVII.

Nota tranſcriptum Trident. caput ex reſolutione Cong. Conc. non pertinere ad Regulares, nec eorum Conſervatorias imminuere, nec quoad primam cauſarum inſtantiam aliquid novi inducere, quam reſolutionem confirmavit Paulus V. Conſtit. *Religioſorum* 24. Aug. 1607. cujus textum habes ſupra, in quo ſermo eſt de cap. V. ſeſſ. XIV. de refor. pag. 853. *poſt* §. *Nota* VIII.

Eadem reſolutio confirmata eſt a laudata Cong. *in Civitatis Regum* 5. *Septem* 1615.

Cæterum quoad non exemptas, cauſæ omnes in prima inſtantia ex cit. Conſt. Bened. XIV. cognoſcendæ ſunt a locorum Ordinariis, ut ſtatuitur in ejuſdem Conſtit. §. XLII. ibi

Quo vero ad perſonas non exemptas, inhærendo ſimiliter diſpoſitioni ejuſdem Sacri Concilii Seſſ. XIII. de Reform. cap. 1., & Seſſ. XXII. cap. VII. & Seſſ. XXIV. cap. XX, necnon ſupradictis decretis generalibus Congregationis Epiſcoporum, editis anno MDC. cum noviſſimis additionibus, ſeu declarationibus piæ mem. Benedicti XIII. in Appendice Concilii Romani; volumus, ſtatuimus, & mandamus, quod cauſæ omnes, tam civiles, quam criminales, ad forum eccleſiaſticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quæ ex eodem Concilio, vel alias juxta canonicas ſanctiones apud Nos, & Sedem Apoſtolicam tractari poſſunt, aut debent, coram Ordinariis locorum dumtaxat in prima inſtantia cognoſcantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliiſque Judicibus eccleſiaſticis, etiam Noſtris, & Sedis Apoſtolicæ Nunciis, vel de latere Legatis, aut Cameræ noſtræ generali Auditore, & cæteris quibuſlibet Curiæ noſtræ Judicibus ad ſe avocari, vel aliis committi poſſint, niſi per viam legitimæ appellationis, & in caſibus, ut ſupra, non prohibitis, ad ipſorum Tribunalia deferantur.

SECTIO CLII.

Eadem Seſſio XXIV. de Reform. Proſequitur idem cap. XX.

AD hæc cauſæ matrimoniales, & criminales non Decani, Archidiaconi, aut inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni relinquantur.

Hoc decretum quoad cauſas matrimoniales declaratum eſt a Benedicto XIV. Conſtit. *Dei miſeratione* 3. *Novemb.* 1741. præſcribente modum eaſdem tractandi, ut notavi part. I. pag. 484.

SECTIO CLIII.

Seſſio XXV. Decretum de Invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & ſacris Imaginibus.

IN has autem ſanctas, & ſalutares obſervationes (circa Imagines nempe) ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri S. Synodus vehementer cupit, itaut nullæ falſi dogmatis Imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes, ſtatuantur. Quod ſi aliquando hiſtorias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, expri-

mi, & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit. Omnis porro ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum ſacro uſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur; omnis denique laſcivia vitetur; ita ut procaci venuſtate Imagines non pingantur, nec ornentur; & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum viſitatione homines ad comeſſationes, atque ebrietates non abutantur; quaſi feſti dies in honorem Sanctorum per luxum, ac laſciviam agantur. Poſtremo tanta circa hæc diligentia, & cura ab Epiſcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpoſterè, & tumultuariè accomodatum, nihil profanum, nihilque inhoneſtum appareat; cum domum Dei deceat ſanctitudo. Hæc ut fidelius obſerventur, ſtatuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem, niſi ab Epiſcopi approbata fuerit;

Huic decreto quoad præceptum, ut nullæ falſi dogmatis Imagines ſtatuantur, acceſſit decretum Urbani VIII. incip. *Sanctiſſimus ſub die 13. Martii 1625.* in quo interdicitur pingi Imagines Sanctorum, qui nondum a Sede Apoſtolica canonizati, vel beatificati ſunt, cum radiis, ſplendoribus, alioque ſigno, quod cultum indicet, aut præſeferat, ſub pænis ommiſſionis earumdem, ac pecuniariis, aliiſque etiam corporalibus, Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum abitrio infligendis,

Quod decretum ab eodem ſubinde confirmatum, & declaratum fuit ſub *die 6. Julii 1634. Conſtit. Cæleſtis Hieruſalem*, prohibente, ne ſic pictæ teneantur, exponanturque ad venerationem tam in Eccleſiis publicis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, quam in Oratoriis, cæteriſque privatis locis.

Acceſſit etiam alia ejuſdem Pontificis Conſtit. *Sacroſancta Tridentina 15. Martii 1642.* in qua expreſſe inhærendo huic Tridentini decreto, prohibuit Imagines Chriſti, B. M. Virginis, Apoſtolorum, & Evangeliſtarum pingi cum habitu, vel forma nova, alias in Eccleſia non uſitata, neque cum habitu Regularium, præcepitque, ut ſic pictæ deleantur, & reformentur, data facultate locorum Ordinariis judicandi, & puniendi etiam Regulares, revocatis quoad hoc exemptorum privilegiis.

Prohibuit inſuper, ne Sanctorum Imagines pingerentur habitu profano, vel indecentiam, aut inhoneſtatem præſeferentes.

Quoad ſimulacrum vero Dei Patris acceſſit damnatio ſequentis Propoſitionis, la XXXVI. in ordine inter proſcriptas ab Alexandro VIII. *die 7. Decemb. 1690.*

= Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt chriſtiano in templo collocare. =

Quoad Imaginem Spiritus Sancti ſub humana ſpecie depicti, acceſſit Conſtit. Benedicti XIV. *Solicitudini noſtræ 1. Octob. 1745.*, in qua improbantur hujuſmodi Iconis uſus, aliæque ſuperſtitiones circa Sanctiſſimæ Trinitatis Imagines.

Circa Sanctorum Reliquias, earumque cuſtodiam, venerationem, & extractionem, vide notata part. I. pag. 448. & ſeq.

S E C T I O CLIV.

Eadem Seſſ. XXV. de Regularibus, & Monialibus Caput II.

Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuſcunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus, poſſidere, vel tenere; ſed ſtatim eas Superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum, ſeu conventuum ad ſolos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat.

Ad hoc decretum, in quo agitur de adminiſtratione bonorum monaſteriorum, pertinet Conſtitut. Gregorii XV. *Inſcrutabili 5. Feb. 1622.* in cujus §.V. cavetur, ut adminiſtrantes bona ad monaſteria ſanctimonialium, etiam Regularibus ſubjectarum, pertinentia, ſive Regulares extiterint, ſive ſeculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis reddere teneantur: liceatque Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, ut ejuſmodi adminiſtratores amoveant: Superioribus vero id facere detrectantibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos amovendi: in cujus etiam Conſtitutionis calce ex reſolutione Cong. Conc. ad dubium XII. declaratur, Epiſcopum non teneri ſignificare Superioribus regularibus cauſam remotionis hujuſmodi adminiſtratorum.

Sed hac de re agetur infra, cum de cap. XI. hujus ejuſdem Seſſionis

SE-

Digitized by Google

SECTIO CLV.

Eadem Seſſio XXV. de Regularibus &c. caput III.

CONcedit S.Synodus omnibus monaſteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Franciſci Cappuccinorum, & eorum, qui Minorum de Obſervantia vocantur, etiam quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. Quod ſi aliqua loca ex prædictis, quibus auctoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint, eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit. In prædictis autem monaſteriis, & domibus, tam virorum, quam mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.

In hoc decreto præcipitur, ut in monaſteriis tam virorum, quam mulierum tot tantum recipiantur, quot aliunde ſuſtentari poſſint ex redditibus propriis, vel ex conſuetis elemoſynis.

Cui quoad monaſteria virorum acceſſit decretum Cong. Conc. juſſu Urbani VIII. editum, relatum in ipſius Conſtit. *Cum ſæpe contingat.* 21. *Jun.* 1625., in quo §. XIII. prohibitum eſt Superioribus regularibus augere numerum Religioſorum ſemel taxatum, & a S. Cong. approbatum, niſi cum ejus licentia, etiam prætextu augumenti reddituum, ſub pæna ipſo facto incurrenda privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac inhabilitatis: quod tamen decretum ſolum procedit in Italia, & Inſulis adjacentibus.

Tam Tridentini, quam Urbani decretum confirmatum fuit ſub iiſdem pænis, primum ab Innocentio XII. Conſtit. *Nuper* 23. *Novemb.* 1697. §. *XIV.* deinde ab Innocentio XIII. Conſtit. *Apoſtolici miniſterii* 13. *Martii* 1723. ſuper eccleſiaſtica diſciplina in Hiſpaniarum Regnis §. *Præterea*, poſtremo a Benedicto XIII. Conſtit. *In ſupremo militantis* 23. *Septem.* 1724. a quo in forma ſpecifica confirmatur eit. Conſtit. Innoc. XIII.

Quoad monaſteria vero monialium inſuper acceſſit Conſtit. S.Pii V. *Circa* 29. *Maji* 1566. decernentis, idem ſervandum eſſe reſpectu monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, ibi.

Et ne propter monialium numerum exceſſivum clauſuræ obſervatio violetur, inhærentes etiam ſimiliter diſpoſitioni dictæ Conſtitutionis Bonifacii, & Conc. Tridentini decreto, monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis diſtricte inhibendo, præcipimus, & mandamus, ne plures in earum monaſteriis recipiant, & admittant, ſive recipi, & admitti permittant, quam ex propriis redditibus ipſorum monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commode ſuſtentari poſſint.

Illarum autem numerus ex Conſtit. Greg. XIII. *Deo ſacris* 30. *Decembris* 1572. taxari debet ab Epiſcopo una cum Superiore regulari, ibi.

Quem (Monialium nempe numerum) per ipſos locorum Ordinarios, etiam in Monaſteriis ab eorum cura, & regimine quomodocunque exemptis, cum illorum Superiorum interventu ſtabiliri, & ordinari, neque ſupra illum numerum alias recipi poſſe, etiam de conſenſu Superiorum ſuorum, volumus, & mandamus.

SECTIO CLVI.

Eadem Seſſio XXV. de Regularibus. Proſequitur idem cap. III.

NEc de cætero ſimilia loca (Monaſteria nempe tam virorum, quam Mulierum) erigantur ſine Epiſcopi, in cujus diæceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta.

Hoc decretum ampliatum fuerat a Clem. VIII. Conſt. *Quoniam* 23. *Jun.* 1603. decernente, Ordinarios non poſſe hanc licentiam impertiri cuicunque Mendicantium Ordini, niſi vocatis, & auditis præexiſtentium

tium conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, aliiſque intereſſe habentibus, ac niſi conſliterit, novos conventus abſque aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſe (quod detrimentum notat Rota *part. 2. recent. deciſ.* 745. conſiderandum eſſe reſpectu multiplicationis eleemoſynarum neceſſariarum ad ſuſtentationem novi conventus, non vero reſpectu emolumentorum ex funeralibus, & ſepulturis, cum ſint facultativa, nec cenſeri præjudicium, ſi novus conventus erigendus ſundetur cum ſufficienti redditu.)

Verum poſtea huic Tridentini decreto derogatum eſt ab Innocentio X. Conſtitut. *Inſtauranda, Idib. Octob.* 1652. §. *V.* quoad licentiam dandam a ſolo Ordinario reſpectu regularium virorum tam Mendicantium, quam non Mendicantium intra Italiam, & Inſulas adjacentes, ſtatuente requiri etiam ſpecialem Sedis Apoſtolicæ facultatem, prævio examine Cong. Epiſc. & Regul. ſuper præmiſſis conditionibus, ibi.

Verum, quia parum eſt mala præcidere, niſi etiam malorum cauſa, & radix evellatur, Conſtitutiones fel. rec. Bonifacii VIII. quæ incipit. *Cum ex eo*, necnon Clem. VIII, incipien. *Quoniam ad Inſtitutum*, aliorumque Romanorum Pontificium Prædeceſſ. noſtrorum ſuper erectione novorum conventuum editas, earumdem tenorem innovantes, illiſque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu loco ad habitandum domos, vel loca quæcunque de novo recipere, ſeu monaſteria, conventus, vel Collegia recipere, vel fundare præſumat abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem in ſcriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis, negotiis Epiſcoporum, ac Regularium præpoſitæ; ſi ſecus egerint, eo ipſo incurrant pænas privationis, & inhabilitatis, ut ſupra inflictas, & nihilominus, receptiones, fundationes, & erectiones ſint ipſo jure nullæ, & invalidæ, & domos, ac loca ipſa, & perſonæ in eis degentes omnimodæ Juriſdictioni, viſitationi, correctioni Ordinarii loci plene in omnibus ſubjaceant. Intendimus autem in præmiſſis etiam ultra Italiam, & Inſulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere.

Idem ſervari mandavit Innocentius XII. Conſtit. *Nuper* 23. *Decem.* 1697. ſubjiciendo tamen omnimodæ Ordinariorum juriſdictioni conventus, & perſonas in eis degentes, quando duodecim Religioſi ſuſtentari, atque habitare non poterint, & actu non inhabitaverint, ibi §. XV.

Deinceps vero monaſterium, conventus, domus, congregatio, vel ſocietas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiantur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis hujuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, & ad præſcriptum decreti fel. record. Greg. XV. hac de re editi; alioquin monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.

Hic notandum cum Benedicto XIV. *de Synodo diœc. lib. IX. cap. I. n. 9. edit. an.* 1755. quod licet cit. Conſtitut. *Inſtauranda* declaret, neceſſariam eſſe auctoritatem Sedis Apoſtolicæ in hujuſmodi erectionibus intra Italiam, & Inſulas adjacentes; communis tamen hodie, & in tribunalibus recepta opinio eſt,
„ requiri etiam extra Italiam = Cum enim (ſunt
„ verba ipſius) jam pridem ante Trident. Conc. Re-
„ gularibus interdicta fuerit novorum monaſterio-
„ rum acquiſitio ſine expreſſa licentia Apoſtolicæ
„ Sedis, ut videre eſt in cap. *Religionum* §. *Confir-*
„ *matos, de Relig. domib. in VI.* & in cap. *Cum ex*
„ *eo, de Exceſſibus Prælat. eod. lib. VI.* ſatis patet,
„ nihil a Trident. Synodo derogatum fuiſſe Apoſtoli-
„ cæ Sedis auctoritati, jam præcedentur ſtabilitæ,
„ ſed illud dumtaxat ſtatutum fuiſſe, ut præter eam,
„ epiſcopalis quoque auctoritas, & licentia in iiſ-
„ dem erectionibus interveniret. =

Sufficeret tamen ſola Epiſcopi licentia, ſi erigendum eſſet hoſpitium pro Regularium iter habentium commodo, ex tribus Rotæ deciſionibus, ibidem relatis.

Præter ſuperius dicta, hodie ex decreto Cong. ſuper Diſciplina regulari tranſmiſſo ſingulis Procuratoribus generalibus 23. *Feb.* 1717. ſufficientia, & ſubſiſtentia reddituum conventus erigendi intra Italiam, & Inſulas adjacentes, recognoſci debet ab eadem Cong. ſub pæna in Superiores, ad quos ſpectat, privationis vocis activæ, & paſſivæ, ſuſpenſionis ab officio, & dignitatis, ac perpetuæ inhabilitatis ad eadem.

Circa erectionem monaſterii monialium, non obſtante diſpoſitione citat. cap. III. Trident. de ſtylo Curiæ eſt, ut etiam recurratur pro facultate, ad Sedem Apoſtolicam, Fagnan. *lib. II. tit. de Officio Ordinar. cap. Grave. n.* 53.

Quoad erectiones domorum Ordinis mei Scholarum Piarum, non opus eſt conſenſu aliorum præexiſtentium Regularium, ſed erigi poſſunt de ſola licentia Ordinariorum, etiam non ſervata diſtantia, ab uno ad alium conventum, ex Conſtit. Clem. XII. *Nobis* 1. *Maji* 1731., ibi.

De-

Demum iiſdem Clericis Pauperibus Matris Dei, qui a Scholis Piis denominantur, illorumque Præpoſito generali, & Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, concedimus, ut ubique locorum, in ſuo tamen ſingulari diſtrictu, domos, & conventus regulares juxta Concilii Trident. decreta, pro pueris cujuſcunque ordinis, & conditionis, in quibuſvis liberalibus diſciplinis, latinis, & græcis, & ſcientiis, etiam majoribus, a ſe inſtituendis, collegia, ſeminaria, & convictus ex ſola licentia Ordinariorum, nulloque aliarum perſonarum cujuſvis Ordinis, etiam Mendicantium, & cujuſcunque Congregationis Clericorum Regularium, etiam Societatis Jeſu, requeſito conſenſu, condere, fundare, & erigere libere, & licite poſſint, & valeant, etiam non ſervata diſtantia, quæ ab Anteceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ad centum, & quadraginta cannas, ſive aliud plus, minus accuratum ſpatium, ab uno ad aliud religioſorum hominum cænobium, ſeu conventum ſervanda præſcribitur &c.

SECTIO CLVII.

Eadem Seſſio XXV. de Refor. cap. VI.

PRohibet S. Synodus, nequis Regularis, ſine ſui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cujuſvis pii operis prætextu, ſubjiciat ſe obſequio alicujus Prælati, Principis, vel Univerſitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuſcunque perſonæ, ſeu loci; neque ei aliquod privilegium, aut facultas ab aliis ſuper iis obtenta ſuffragetur. Quod ſi contra fecerit, tamquam inobediens, arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus a ſuis conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Qui vero ſine prædicto mandato, in ſcriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam deſertor ſui Inſtituti, puniatur. Illi autem, qui ſtudiorum cauſa ad Univerſitates mittuntur, in conventibus tantum habitent: alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

Hoc decretum, prohibens Regularibus recedere a ſuis conventibus, etiam prætextu ad Superiores accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, vel vocati fuerint; ſtatuenſque, puniendos eſſe a locorum Ordinariis tamquam deſertores ſui Inſtituti, ſi reperiantur vagantes ſine dicto mandato, ampliatum eſt a Sixto V. Conſtit. *Cum de omnibus* 26. *Novm.* 1587. ſtatuente §. VII. ne itinerantes de una ad aliam provinciam ſine dicto mandato in ullo conventu ejuſdem Ordinis recipiantur, etiam ad modicum tempus, niſi alias cogniti ſint, ſub pæna in recipientes privationis vocis activæ, & paſſivæ, officiorum, graduum, dignitatum, ac perpetuæ inhabilitationis ad talia: in Religioſos vero dicto mandato carentes Ordinarii locorum procedere poſſint tamquam ſuſpectos delictorum, ementito alicujus Religionis habitu commiſſorum enſque tamdiu in carcere detinere debeant, donec certa de eis notitia habeatur.

Imo ex altera ejuſdem Conſtit. *Ad Romanum* 21. *Octob.* 1588. §. *XIX.* dictæ pænæ extenduntur etiam ad ſic itinerantes de uno ad alium locum ejuſdem provinciæ, ſi divertant ad loca tam proprii, quam alterius Ordinis, ſive habitum regularem deferant, ſive non.

Eximendi tamen ſunt ab iiſdem, ſi veram, urgentem, & gravioris momenti cauſam habeant recurrendi ad ſuos Superiores, ut luculenter probat Benedict. XIV. *lib. XIII. de Synod. diœce. cap. II. n.* 14.

Urbanus VIII. ſi agatur de Fugitivis, & Apoſtatis, ſive habitu dimiſſo, ſive non, ſtatuit, ut poſtquam in carcerem conjecti fuerint ab Ordinariis, conſignandi ſint Superioribus regularibus, ab his puniendis, ut ex ejus Conſtit. *Sacra Congregat.* 21. *Septem.* 1624.

Prædictum Trident. decretum ampliatum eſt etiam a Clemente VIII. Conſtit. *Nullius* 20. *Mart.* 1601. §. 13. & XXXI., eos non poſſe Romam petere ſine Protectoris, vel Generalis licentia, ſub pæna, ſi Romam ingrediantur ſine licentia, ut ſupra, privationis vocis activæ, & paſſivæ ad biennium, Papæ reſervatæ, quo elapſo, hæc pæna per ſe ceſſat. Nec Provincialis poteſt licentiam dare, niſi ob bonum totius provinciæ, ut ibidem declaratur, ibi.

§. XIII. Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi prius a Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverint. Siquis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerint, voce activa, & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pænas. Quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione, locum habeant.

§. XXXI. Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris

ris licentiam dumtaxat permiſſum eſt, Sanctitas ſua extendi ad Provincialem decrevit, ita ut Provincialis ipſe ex cauſa communi totius Provinciæ dumtaxat, facultatem hujuſmodi facere valeat. Declaravitque pænam privationis vocis activæ, & paſſivæ contrafacientibus inflictam, Sanctitati ſuæ reſervatam eſſe, interdicta omnino eorum Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori, facultate illam moderandi, ac relaxandi.

SECTIO CLVIII.

Eadem Seſſio XXV. *de Regul. caput V.*

Bonifacii VIII. Conſtitutionem, quæ incipit, *Periculoſo* renovans S. Synodus, univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate; clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent: inobedientes, atque contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pænas, quaqunque appellatione poſtpoſita, compeſcentes, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Quod auxilium, ut præbeatnr, omnes Chriſtianos Principes hortatur S. Synodus, & ſub excomunicationis pæna, ipſo facto incurrenda omnibus Magiſtratibus ſecularibus injungit.

Excommunicatio a Tridendino hic inflicta, non eſt reſervata = & ſolum eſt contra Magiſtratus, non contra Principes, & non procedit, niſi ii fuerint de tali auxilio requiſiti = Theſaur. de Pænis verb. *Clauſura* cap. IX. cum DD. ibi cit.

SECTIO CLIX.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. Proſequitur idem cap. V.

Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire a monaſterio, etiam ad breve tempus, quoqunque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa, ab Epiſcopo approbanda: indultis quiquſcunque, & privilegiis non obſtantibus.

Statuit hic Tridentinum, non licere Monialibus poſt profeſſionem exire a monaſterio, etiam ad breve tempus, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda, declaratum eſt a S. Pio V. Conſtitut. *Decori* 1. *Feb.* 1570. reducente hanc cauſam ad tres tantum caſus, nempe magni incendii, lepræ, & æpidemiæ, cum licentia, & approbatione Prælati monaſterii, ſi hoc ſit ſubjectum Regularibus, & Epiſcopi ſimul: & quidem in ſcriptis, cum de infirmitate agitur, ſub pæna excomunicationis ipſo facto Papę reſervatæ, tam in aliter egredientes, quam in licentiam concedentes, comitantes, & receptantes, ac privationis ipſo facto officiorum, adminiſtrationum, & inhabilitatis ad illa, & alia hujuſmodi obtinenda, in ipſas, aliter egreſſas, Præſidentes, & alios Superiores, aliter licentiam dantes.

Nota tamen, ex defectu hujuſmodi licentiæ, exeuntes non incurrere dictas pænas, ſi res ulteriorem dilationem non pateretur, v.g. quando ſuperveniret periculoſa, & inevitabils neceſſitas ſubitæ exulionis, incurſus hoſtilis, aquarum inundationis, proximæ, & irreparabilis monaſterii ruinæ, cum in his, & ſimilibus caſibus locum habere debeat vulgaris regula, quam Nicolaus III. (non IV. ut notavi in ſummario *cap. Exiit* III. *de verb. ſignif.* in VI.) his verbis expreſſit §. *Nec quicquam* = Nec jure poli in extremæ neceſſitatis articulo ad providendum ſuſtentationi naturæ via omnibus extrema neceſſitate detentis conceſſa præcluditur, cum ab omni lege extrema neceſſitas ſit exempta. =

Nota eamdem excommunicationem incurrere monialem aſcendentem ſupra tectum monaſterii; cum vere dicatur eſſe extra ambitum, & limites clauſuræ, ut declaravit Cong. Conc. in *Comen. & Licien.* 16. *Septemb.* 1709.

Benedictus XIV. in epiſtola ad Antiſtites Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum *Cum ſacrarum.* 1. *Jun.* 1741. §. *V.* adimit. Nunciis, & etiam Congregationi Epiſc. & Regul. facultatem indulgendi egreſſum a monaſteriis.

S E-

SECTIO CLX.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. Proſequitur idem caput V.

INgredi autem intra ſepta monaſterii nemini liceat, cujuſcunque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pæna, ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis; neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcunque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.

Hoc decretum, ſtatuens nemini licere ingredi ſepta monaſterii monialium ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis, declaratum eſt decreto Cong. Conc. approbato ab Urbano VIII. 13. *Novem.* 1620., & relato a Benedicto XIV. *lib. XIII. de Synod. diœc. cap. XII.* n. 23. hujuſmodi licentiam quoad monaſteria monialium exemptarum, & Regularibus ſubjectarum, tam pro ingreſſu in caſibus neceſſariis, quam pro acceſſu ad loquendum cum ipſis, dandam eſſe nedum ab earum Superioribus, ſed etiam a locorum Ordinariis, licet Tridentinum utatur particula disjunctiva.

Imo ex altero decreto ejuſdem Cong. a dicto pariter Urbano approbato 21. *Maji* 1630. relato loco mox cit. ſufficit tantum ipſorum Ordinariorum licentia, ubi viget conſuetudo, ut ab eiſdem ſolummodo hæc petatur.

Quamvis autem dictus ingreſſus interdictus ſit a Tridentino ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, non reſervatæ, ex Conſtit. tamen Gregorii XIII. *Ubi gratiæ* 13. *Junii* 1575. & Pauli V. Conſtit. *Monialium* 10. *Julii* 1602. reſervata eſt Papæ, lata contra quoſcunque eadem ſepta ingredi audentes, etiam marchionali, & ducali dignitate fulgentes, prætextu privilegiorum, quæ revocantur. Hæc pæna ex ſtylo Curiæ incurritur etiam ab ingredientibus ſine tali prætextu.

Nota, quod ſi concedatur a S. Sede cuicunque etiam dicta, aut alia dignitate fulgenti, facultas eadem ſepta ingrediendi certis vicibus, v. g. bis, ex Conſtit. Pauli V. *Facultatem* 1. *Septemb.* 1608. hæc particula *bis*, aut ſimilis, intelligenda eſt collective, de omnibus ſcilicet monaſteriis conceſſis, non diſtributive, ſive ſingulis: & aliter utentes incurrunt pænam, ut ſupra.

Idem decretum ampliatum eſt etiam in hoc, quod nulla in eo fiat mentio de introducentibus, ſeu intrare permittentibus clauſuram; in citat. vero Conſtit. *Monialium* §. *III.* infligitur eadem pæna excommunicationis una cum privatione latæ ſententiæ dignitatum, beneficiorum, officiorum, & inhabilitatis ad hujuſmodi contra Abbatiſſas, Abbates, conventus, alioſque Superiores utriuſque ſexus monaſteriorum monialium, ac quaſcunque perſonas, ſi quemquam prætextu privilegiorum ingredi faciant, vel permittant. Quæ pænæ itidem ex ſtylo Curiæ incurruntur, etiam ab introducentibus, vel ingredi permittentibus ſine dictorum privilegiorum prætextu.

Hæ Conſtitutiones, & pænæ confirmatæ ſunt a Benedict. XIV. Conſtitut. *Salutare* 3. *Jan.* 1742. ubi §. III. ſub iiſdem pænis interdicitur hujuſmodi ingreſſus quibuſcunque perſonis, etiam S. R. E. Cardinalibus, Legatis a latere, & Nunciis, revocando, & annullando facultates ipſis fortaſſe hactenus conceſſas ſuper dicto ingreſſu, tam pro ſe, quam pro aliis: exceptis tamen locorum Ordinariis, aliiſque Superioribus, quibus tamquam Ordinariis, & ordinaria juriſdictione utentibus dicta monaſteria ſubjecta, & addicta ſunt, in caſibus neceſſariis, & ſervatis aliis, de jure ſervandis.

De jure autem ex Conſt. Gregorii XIII. *Dubiis* 23. Decemb. 1581. §. *I.* & *II.* in hoc ingreſſu pro caſibus neceſſariis hæc ſervanda ſunt, ut ſcilicet Prælati, tam ſeculares (ſive Epiſcopi, ſive Cardinales ſint) quam Regulares ingrediantur comitati paucis perſonis, iiſque ſenioribus, & religioſis, ſub pæna in Epiſcopos contrafacientes interdicti eo ipſo ab ingreſſu Eccleſiæ pro prima vice, pro ſecunda ſuſpenſionis a Pontificalibus, & a divinis pro tertia, & ulterioribus excommunicationis, privationis cujuſcunque officii, & miniſterii.

Ex Conſtit. Alexandri VII. *Felici* 10. *Novemb.* 1664. Prælati regulares non poſſunt ingredi clauſuram monialium ſibi ſubjectarum,

I. Niſi ſemel in anno ex cauſa viſitationis localis faciendæ per ſe ipſos, non per ſubſtitutos, cum aſſiſtentia quatuor monialium ex ſenioribus, unica die poſt ortum, & ante occaſum ſolis, nulla ſumpta in monaſterio refectione. Et tunc ſi Viſitator ſit Generalis, poſſit ſecum ducere duos ſocios ſui Ordinis: ſi alius a Generali, unum tantum, numquam in actu viſitationis adinvicem ſeparandi.

II. Si ob clauſuræ cuſtodiam, aut ob aliam urgentem, ac neceſſariam cauſam pluries in anno ingredi opus habeant, ingredi debeant una cum Epiſcopo diœceſ. vel perſona eccleſiaſtica ſeculari ab eodem ſpecialiter deputata.

III. Viſitationem perſonalem peragere debent ad crates extra ſepta monaſterii, itidem per ſe ipſos, & non per ſubſtitutos.

IV. Confeſſarii tam ordinarii, quam extraordinarii ingredi tantum debentes pro Sacramentorum adminiſtratione, & commendatione animæ agonizantium, non ingrediantur niſi cum ſocio probatæ vitæ, ac maturæ ætatis, & ita, ut ſemper adinvicem videri poſſint, ſub pænis in Regulares præſumentes, aut negligentes prædicta omnia adimplere, excommunicationis ipſo facto, privationis omnium officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vociſque activæ, & paſſivæ abſque alia declaratione; quos Epiſcopus

tam-

tamquam delegatus Sedis Apoſtol. corrigere, & punire valeat, non obſtantibus privilegiis, & exemptionibus.

In Epiſtola tandem Bened. XIV. *Per binas* 24. *Jan.* 1747. ad Epiſcopum Portugallienſem ſtatuitur per viam legis univerſalis, ne recipiantur in monaſteria monialium, tam educandæ, quam famulæ ſine licentia Sedis Apoſtol. toties, quoties opus fuerit impetranda, & prævio examine ſuper earumdem moribus, fama, habilitate, & neceſſitate ab Epiſcopis, & non ab aliis quibuſcunque Superioribus faciendo, ſub pœnis impoſitis contra frangentes clauſuram monialium, tam in fœminas aliter admiſſas, quam in moniales, aliaſque in monaſteriis degentes aliter admittentes.

Quod ſi quæras, an incurrant excommunicationem introducentes in dictam clauſuram infantes ante uſum rationis: quamvis communior ſeutentia neget, quam etiam amplectitur Reiffenſt. lib. III. tit. XXXV. de Statu monachor. §. II. num. 39. cum DD. ibi cit. Paulus tamen Comitolus Societ. Jeſu cum aliis, affirmativam tenet, *Reſponſ. Moral. lib. VI. quæſt. XIX. n. 6.* teſtaturque ita etiam reſcriptum fuiſſe a Cardinali S. Severinæ Majori Pœnitentiario ad Neapoleonem Epiſcopum Peruſinum, cujus literas dicit inſuper ſe legiſſe. Idem mordicus ſuſtinet Matthæuccius *Offcial. Curiæ cap. XXXII.* num. 22. ubi refert plura Sac. Cong. decreta hoc declarantia, & de ſtylo Curiæ dicit, introducentes abſolvi a Sede Apoſtolica. Et quidem merito: cum enim in cit. Conſtit. *Ubi gratiæ* prædicta prohibeatur, ne ingredi faciant, vel permittant, *Quemquam*, hoc generali nomine comprehenduntur omnes cujuſcunque ætatis ſint; potiſſimum cum dicta Conſtit. ſit ampliativa citati Trident. decreti, a quo prohibitus erat dumtaxat ingreſſus cuicunque cum clauſula, *Cujuſcunque ætatis fuerit* = ab hac autem prohibetur introductio, ideoque relationem neceſſario habere debet ad eos omnes, quibus Trident. ingreſſum prohibuit.

S E C T I O C L X I.

Eadem Seſſio XXV. de Regular. cap. VI.

IN electione quorumcunque Superiorum, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quo omnia recte, & ſine ulla fraude fiant, in primis S. Synodus diſtricte præcipit, omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta ita ut ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec in poſterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoſcunque Titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Si vero contra hujus decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is, qui ad hunc effectum ſe in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis exiſtat, facultateſque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur; & ſi in poſterum aliæ concedantur, tamquam ſubreptitiæ habeantur.

Huic decreto ſtatuenti, ne in electione Superiorum regularium ſuppleri poſſint voces, & ſuffragia abſentium, acceſſit Conſtit. Innocentii XII. *Chriſtifidelium 16. Feb.* 1693. idem interdicentis, etiam eorum Protectoribus, & ipſis Cardinalium Congregationibus §. *Perpendentes* in fine.

Nolumus tamen abſentium vota, nec Protectoris, nec cujuſcunque alterius, nec etiam ipſarum Cardinalium Congregationum auctoritate ſuppleri, ſeu alios Vocales eorumdem abſentium loco, ſeu vice ſubrogari, deputari, ſeu eligi, ſed jus eligendi in ſolis juxta juris, & Inſtituti regulas ad hunc effectum aſſumptis, & in deſtinatis loco, & tempore convenientibus conſolidari, ſeu alias, prout de jure, permanere omnino volumus, & mandamus.

A P P E N D I X

Ad hanc Sectionem.

Vota, ſeu reſponſa ad ſequentia dubia, olim mihi propoſita, circa validitatem electionis Regularium, in Capitulis tam generalibus, quam provincialibus, & localibus.

I. An, ſtante libertate electionis, liceat Prælato regulari proponere duos, vel tres, ſeu reſtringere electionem ad certum genus perſonarum, puta magiſtros; aut determinatam nationem, ex quibus neceſſario eligatur unus?

Reſp. Negative, quoad 1. partem, ex cap. *Cum terra, de Elect., & cap. Ut periculum, cod. tit.* in VI. necnon decreto Cong. Concil. relato a Fagnano *lib. II. Decret. cap. Conſtitutis, num.* 3. *de Appellat.*

Quoad 2. partem, affirmative, dummodo per ſtatutum aliquod generale ab Apoſtolica Sede approbatum

batum id firmatum ſit. Negative autem tenendum eſſet, ſi, non obſtante alternativa, ut ſupra approbata, unus dumtaxat ex natione eſſet dignus eligi, cum tunc Electio non eſſet libera aſſumptio unius ex pluribus: in quo caſu locum habere non poſſet ſtatutum alternativæ. *Matthæuc. Officii Curiæ cap. XVIII. n.* 2, cum DD. ibi cit.

II. An Electio fieri poſſit etiam per inſpirationem, vel compromiſſum, ut eſſet, ſi Capitulares facultatem eligendi in unum, vel plures viros idoneos transferrent?

Reſp. Negative quoad utramque partem, ex Tridentino, cap. VI. Seſſ. XXV. de Regularibus; quo præcipit, ut electio Regularium fiat per ſecreta ſuffragia, & aliter facta irrita ſit: ideoque quoad eoſdem Regulares ſublata eſt per hoc decretum forma inſpirationis: & compromiſſi, ut pluries declaravit etiam Cong. Concil. in Dubiis ad idem caput *Poſit.* 137. *& ad Dub.* 27. *Maji* 1623. *lib.* 21. *Decret. pag.* 136. *ac Superiores ſic electi, ſunt iterum eligendi*. & Fagnan. *in cap. Quia propter. de Elect. n.* 30. refert, quod propoſito a Chartuſianis dubio = An in electione Superiorum poſſit procedi nedum per viam ſcrutinii, ſed etiam inſpirationis, & compromiſſi? Sac. Cong. Concil. cenſuit, electionem horum Prælatorum Regularium debere fieri tantum per vota ſecreta, ut ſe habent verba propria Concil. d. cap. VI.

His tamen non obſtantibus, quoad compromiſſum, Engel hoc tit. n. 241. ſentit cum DD. ibi citatis, opinionem aſſerentem formam compromiſſi etiam quoad Regulares non eſſe ſublatam per hoc Trident. „ decret. utpote quia „ abrogatio juris non cenſetur „ niſi expreſſa; & mens Concilii tantum videtur fuiſſe, ut in caſu, quo Capitulares dant vota, illa nunquam publicentur propter occaſionem inimicitiarum „ inter Confratres; quæ occaſio hoc ipſo ceſſat per „ compromiſſum ab omnibus comprobatum, ſaltem „ in *extraneos factum* = Cui opinioni adhæret etiam Remigius Maſchat Inſt. Can. hoc eodem tit. §. IV. „ n. 22. ibi = Quæ diſpoſitio Tridentini ad evitan„ das diſcordias, & inimicitias inter Religioſos facta, „ ſuſtulit formam inſpirationis, & compromiſſi, „ dum fiunt per vota publica: *Si tamen compromiſ„ ſum more ſcrutinii fiat per vota ſecreta, non „ eſt ſublatum per Tridentinum, cum idem finis ob„ tineatur*. Quid autem ferat praxis in aliquibus Ordinibus regularibus, ipſi viderint.

III. An Electio ſubſiſtat ubi in ſcrutinio duo, vel trea ſuſcipiunt vota eligentium, ideſt oretenus?

Reſp. Negative, ex decreto Cong. Conc. relato a Fagnano cap. *Quia propter n.* 22. *de Elect.*

IV. An valida ſit, ſi quis ex Electoribus tradiderit, vel oſtenderit alteri ſuam ſchedulam, in qua notatum ſit nomen a ſe electi, aut ſi aliquo patenti ſigno eam firmaverit, quo innoteſcat ſcrutatoribus quem ipſe elegerit?

Reſp. Affirmative quoad utramque partem, dummodo hæc manifeſtatio non ſit cauſa realis, ac rationabiliter præſumpta, quod electio ſequatur potius de uno, quam de altero; & dummodo non fiat permittente Capitulo, ex cit. cap. Trident. Reiffenſt. *tit. VI. §. XIV. n.* 245. *& Matthæuc. loc. cit. n.* 13. 14. ac ſchedula non manifeſtetur majori parti Eligentium. *Barboſ. Collect. in Concil. ad dictum cap. VI.*, in quo n. 2. refert, deciſum fuiſſe, ut ſic electus certior factus de hoc, reſignare debeat, vel petere a Papa confirmationem cum diſpenſatione.

V. An ſit valida, ſi quis fraude id faciat, ne electio ſubſiſtat, vel verbo tantum publicaverit ante electionem, quem ipſe elegerit; aut tandem ſi ſecreto uni tantum ſuam ſchedulam oſtenderit, taliter ut hujuſmodi manifeſtatio nec vere ſit, nec rationabiliter præſumatur cauſa, cur potius ille, quam alter electus ſit.

Reſp. Statis proviſum in reſponſione ad IV. dubium.

VI. An eo ipſo ſit nulla, ſi tempore habili non vocatus, vel non admiſſus fuerit aliquis ad ſuffragandum, qui de jure, aut conſuetudine vocari, & admitti debuiſſet?

Reſp. Negative, quoad utramque partem, ſed irritari poſſe, inſtante tamen non vocato, & non admiſſo, ex capp. *Quod ſicut bonæ &c. & Eccleſia* *Fagnan. loc. cit. n.* 39. *de Election.* dummodo vero ſint præſentes duæ partes vocalium, ſeu Capitularium; alias eſſet ipſo jure nulla. Sic valeret, ſi vocales eſſent duodecim, & quatuor eſſent contempti; ſecus autem ſi contempti eſſent quinque. Fagnan. *ibid. num.* 40.

VII. An valida ſit facta a remanentibus in Capitulo, ſi aliqui voluntarie egrediantur, puta ex decem quatuor, vel ſi remaneant, & ſuffragari nolint?

Reſp. Affirmative, quoad utramque partem *ex cap. Cum nobis XIX. de Elect.* etiam ſi major pars egrederetur, quando agitur de Electione facienda intra terminum præfixum, *ex Can. ultimo diſtin. LXV.* Reiffenſt. *loco cit.* §. *VIII. n.* 201., *&* 203. Deberent tamen egreſſi canonice moneri, priuſquam remanentes devenirent ad electionem. *Matthæuc. loc. cit. num.* 17., quod eſt intelligendum de honeſtate tantum.

VIII. An valeat electio facta cum votis alternantibus, aut conditionatis, puta: Eligo Petrum, ſi majos pars in eum conſenſerit; vel eligo Paulum, & ſi noluerit, eligo Franciſcum, vel eligo illum, quem Paulus elegerit?

Reſp. Negative, quoad omnes partes, *ex cap. In electionibus*. de Elect. in VI.

IX. An valeat, ſi quis per errorem, vel fraudem ſchedulam albam immittit in urnam, vel duplicem ſchedulam cum nomine electi, ita ut numerus ſchedularum non correſpondeat numero eligentium?

Reſp. Affirmative quoad utramque partem, ex cap. *Cum nobiſ. XIX. de Elect.* Reiffenſt. *loc. mox cit. num.* 203. Dummodo tamen quis electus fuerit cum majoritate votorum, non computata ſchedula duplicata.

X. An valeat, ſi ex viginti electoribus, ſuffragati fuerint decem, poſtquam conſtiterit ſic electum ſibi ſuffragium non dediſſe?

Reſp. Negative, ex cap. *Cumana L.*, *& cap. Sicut. XXIII. in VI. de Elect.* Reiffenſt. *tit. VI.* §. *VI. n.* 132. *&* 139.

XI. An valeat, ſi non aperta fuerit ſchedula Electi, quoties electus fuerit uno, vel dimidio tantum ſuffragio ſupra medietatem, puta cum undecim ex viginti.

Reſp. Negative. Quoad aperitionem ſchedulæ non factam, ex cap. *Cumana*, & ex decreto Congr. Conc. ſub die 2. Julii 1707. in Milevitana Synodo

ad

ad dubium XXXV., & eſt votum expreſſum Cardinalis Acciajoli, ubi habetur, ſimilem Conſtitutionem edidiſſe Urbanum VIII. pro Ordine Melitenſis Eccleſiæ 21. Octob. 1634.; & quod non ſit contra jus, imo, quod plures Ordines Regulares habent hujuſmodi ſtatutum.

Et nota, quod ſi quis ſibi ſuffragaretur, vel directe, aut indirecte tam pro ſe ipſo, quam pro aliis in quibuſcunque capitulis generalibus, provincialibus, & localibus procuraret, ex Conſtit. Clemen. VIII. *Nullus omnino*, ſub die 23. Julii 1599. innovata a Cong. Conc. juſſu Urbani VIII. ſub die 21. Sept. 1624. decreto de Apoſtatis, & ejectis, incip. *Sac. Congregatio*, ut videre eſt in Bullario ejuſd. Urbani ſub num. XXVIII. tamquam reus ambitus incurreret pœnas contentas in ſequenti §. XXXV. dicti decreti, ibi = *Præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcunque inhabiles habeantur, ſuper quo nec eis diſpenſari a nemine poſſit, niſi a nobis, & Succeſſorib. noſtris. Porro ſupradictas omnes pœnas ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non revelantes extendimus.* =

Pariter eſt reus ambitus, qui officia, & dignitates in Religione conſequi procurat per emendicatos favores, & commendationes Principum. Quod ſi dicta officia ſpiritualem aliquam juriſdictionem adnexam habeant, eaque procuret dato, promiſſo, ſive pacto pretio, vel alia re pretio æſtimabili, puniendus eſſet pœnis a jure communi latis contra Simoniacos, *in can. Principalis cauſa I. q. 1. Can. ſi quis deinceps, Can. ſi quis Epiſcopus, cauſa XVI. q. 7.* ad quos textus relationem habent verba poſita in ſupra allato decreto Clem. & Urbani VIII. *præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas*, ut apposite notat Amenus *de delictis, & pœnis tom.* III. *tit.* V. §. VIII. *verbo SUBORNATIO num. 36.*

Pro Minoribus de Obſervantia præter dictas pœnas contra ſubornantem electores tam pro ſe, quam pro aliis pro conſecutione officiorum regularium, ex Conſt. S. Pii V. *Paſtoralis* 28. *Maji* 1571. erat excommunicatio latæ ſententiæ, Papæ reſervatæ, & privatio perpetua vocis activæ, & paſſivæ, qua ligabatur etiam ſubornatus, & ille, pro quo facta eſſet ſubornatio, niſi ſubornantem judici detuliſſet, ut ab eo puniretur: quam tamen Conſt. moderavit Gregorius XIII. Conſt. *Conſuevit* 8. Septem. 1573. reſervando abſolutionem Superiori generali, dummodo ſubornatio pro eo facta non fuerit, & auferendo dictas pœnas a non revelantibus ſubornationem.

Quæ Conſtitutiones licet latæ fuerint pro dictis Minoribus, Amenus tamen loc. cit. n. 34. cum Pellizario tom. II. tract. IX. cap. II. n. 181. §. *Cum autem* & n. 182. ſentit, afficere omnes Regulares, ea ductus ratione, quia = *Favorabiles ſunt Religionibus in communi; unde per viam communicationis ad omnes ſunt extenſæ, cum communicatio privilegiorum, inter pleroſque Ordines ſit univerſalis.* =

An autem hæc extenſio ſubſiſtat, ſub judice lis eſſet, cum agatur de pœna ſubeunda a ſubornatore, & exteroquin vulgatiſſimi jus ſit, in pœnalibus non dari extenſionem de perſona in perſonam niſi in lege pœnam imponente ſit expreſſa.

Subornatio autem fieri poteſt, vel minis, puta terrendo vocalem nolentem ſuffragium dare ei, pro quo fit ſubornatio, quod hic futurus ſit ipſi inviſus, quod conſecuturus non erit dignitatem aliquam; vel intempeſtivis, & continuis obſecrationibus, aliiſque illicitis hujus generis modis, qui legi poterunt apud laudatum Amenum loc. cit.

Quoad ſecundam dubii partem, ideſt quoad medietatem ſuffragii ſupra ſuffragiorum medietatem, qua quis electus fuerit, affirmative reſp. ſuppoſita dicta aperitione ſchedulæ, ut ſupra. Pro cujus electionis validitate hæc habet Reiffenſt. in mox *cit. n.* 139.
„ ibi: ſufficit autem quicunque exceſſus ultra me-
„ dietatem, etſi foret unius medii voti. V. G. ſi
„ eſſent tredecim vocales, ſeptem vota jam ſuffice-
„ rent, cum enim Jura loquantur indiſtincte, quod
„ valeat electio facta a majori parte Capituli, &
„ nullibi addant, debere eſſe exceſſum unius inte-
„ gri voti; ergo ſufficit qualiſcunque exceſſus; nam
„ ubi jura non diſtingunt, neque nos diſtinguere de-
„ bemus „. *Abbas in cap. Cumana 29. hoc tit. Cardin. de Luca tom. 1. diſcuſſ. I. de Parochiis n. 12. Bernardus Saan. lor. tit. cap.* IV. *n.* 19. *Paſſerinus cap.* XIX. *de elect. n. 18. citans alios.*

XII. An valeat facta cum duobus tantum ſcrutatoribus, puta cum Superiore Capituli, & uno ſcrutatore electo a Capitulo, ſeu etiam facta cum quatuor?

Reſp. Negative quoad utramque partem, *ex cap. Quia propter* XLII. Fagnanus ad *idem caput n. 43., & 44.*

XIII. An valeat facta abſque prævio juramento Electorum?

Reſp. Affirmative, Mattheucc. *Official. Curiæ cap.* XVIII. *n. 44.* etenim Clem. VIII. in Bulla: *Regularis diſciplinæ* §. XXXVI. præcipit quidem præmittendum eſſe, ſed abſque clauſula irritante: „
„ Jurentque electores ſecundum veritatem uniuſ-
„ cujuſque conſcientiæ, probatiores, & magis ido-
„ neos ſe electuros.

XIV. An valeat facta cum admiſſione in Capitulum indigni, ſeu inhabilis; hoceſt vocem activam non habentis?

Reſp. Affirmative, dummodo electus habuerit vota ſufficientia, præciſo voto illius, qui vocem activam non habet; etiamſi aliqui ſciverint, & nemo reclamaverit, ſeu exceperit contra admiſſum; excepto tamen caſu admiſſionis nominatim denunciati excommunicati, & notorii percuſſoris Clericorum, permittente eodem Capitulo.

Quod ſi aliquis excommunicatus non vitandus aliqua ex cauſa expelli nequeat, valida erit electio, prævia proteſtatione, quod electores nolint cum ipſo communicare, & velle ejus vocem nemini ſuffragari, dummodo ſemper, electus habuerit vota ſufficientia, abſque voto illius.

Quod ſi dubium fuerit, an electus habuerit vota ſufficientia, vi ſuffragii hujuſmodi inhabilis, electio erit caſſanda, ſed per ſententiam Judicis. Reiffenſt. *hoc tit.* §. *VII. a n. 164. uſque ad num.* 171.

XV. An valeat electio ſecundi vocalis, ſi Electores elegerint primum indignum, & inhabilem?

Reſp. Negative, *ex cap. Cum in cunctis VII. & Cap. Cum Vintonienſis XLV., & cap. Scriptum eſt XL. de elect. Reiffenſt. hoc tit.* §. 11. *num.* 251., & 254.

dum-

dummodo ſcienter elegerint, & electio affective ſecuta ſit, hoceſt admiſſa, & approbata. Fagnanus in cap. *Publicato* n. 41. Quod ſi approbata non fuiſſet, peccaſſent quidem ſi indignum ſcienter elegiſſent, ſed non incurriſſent pœnam. *Cap Perpetuo VIII. de Electione in VI.* privationis videlicet poteſtatis eligendi, pro una vice, *Reinfeſt. loco citato n.* 257.

XVI. An ſtante decreto viſitationis Apoſtolicæ edito 14. Oct. 1601. & a Clem. VIII. approbato, videlicet: *Privatio vocis activæ, & paſſivæ, ac inabilitatis decreta, ſententiæque ab ipſis Superioribus Ordinis latæ ne deinceps in ipſo electionis actu pronuncientur, promulgenturque, atque eæ promulgatæ vocales minime afficiant, niſi per menſem ante fuerint intimatæ, prout Sanctitas ſua omnino retuit.* Hujuſmodi ſententiæ pronunciari, & promulgari poſſint, ſi, convocato jam Capitulo, emergat caſus, propter quem quis privari debeat una, vel altera voce, ſeu utraque?

Reſp. Affirmative, prævia tamen rei citatione, & ſummarie habito a Præſide Capituli teſtium examine, conceſſo eidem reo termino competenti ad ſe defendendum, etiam ſi delictum eſſet notorium, ex Clementina *Paſtoralis*, §. Cæterum *de ſententia, & re judicata*: decretum enim loquitur de cauſis emerſis ante Capitulum, non in ipſo actu præliminari Capituli. Sic pronunciari poſſunt hæ ſententiæ in ipſo actu præliminari contra eos, qui aliquo laborant defectu ante ignorato, vel qui recenter deliquerunt, vel qui non detulerunt ad Capitulum ea documenta, & requiſita, ſine quibus lex præcipit, ne admittantur v.g. atteſtationem juratam a Sacerdotibus ſuæ familiæ de celebratione Miſſarum, juxta Conſt. Innocentii XII. *Nuper §. Curent. Math. Officialis Curiæ*. cap. XVIII. n. 50.

Nota tamen circa dictam atteſtationem, quod ſi caſu aliquo non exhibeatur, puta, vel quia præfati Sacerdotes injuſte eam facere noluerunt, vel quia Superior localis ex obliviore eamdem ſibi exarari non poſtulaſſet, ſed loco ipſius exhiberet Capitulo librum, in quo adnotata eſſent manu Officialium, vulgo Reviſorum ad hoc deputatorum, onera miſſarum una cum concordante adimplemento, non inde excludendus eſſet ab eodem Capitulo, cum autographus liber æquivaleret prædictæ atteſtationi, imo magis illi adhibenda eſſet fides, quam iſti, utpote quia iſta eſſe poſſet errori obnoxia.

Excludendus vero eſſet, ſi ex dicto libro non probaretur dictorum onerum adimplementum uſque ad numerum, cui infra breve tempus, ideſt infra menſem, ut notavi par I. pag. 904. ſatisfieri poſſit. Pontifex enim excludendum præcipit in pœnam omiſſionis ejuſdem adimplementi. Sed de hoc iterum ſermo erit infra, in reſp. ad Dubium XXX.

XVII. An admitti poſſit ad Capitulum is, de quo in ipſo actu Capituli dubitatur an illi competat votum vel activum, vel paſſivum; & quatenus affirmative, an electio inde ſecuta in perſonam ſic admiſſi, vel alterius, ſubſiſtat?

Reſp. Affirmative quoad primam partem, ſed cum proteſtatione: *Quatenus de jure admitti poſſit, & non aliter*; ſi tunc decidi cauſa non poſſit. Mattheuc. *loc. cit. n.* 61. Et ſic etiam affirmative quoad ſecundam partem, reſpectu alterius, ut in Reſp. ad XIV. Reſpectu autem perſonæ ſic admiſſæ, expectanda eſſet ſententia Judicis.

XVIII. An, ſtante decreto S. Cong. Epiſcop. & Reg. ſub die 7. Feb. 1643. videlicet: *Collocatos de familia in aliquo conventu, niſi per tres menſes immediate proximos Capitulo celebrando ibidem continuo permanſerint non habere votum in electionibus* = gaudere poſſint voto, ſi intra dictum trimeſtre extra conventum per aliquod temporis ſpatium permanſerint, pro aliquo munere ex obedientia obeundo, vel ſi non permanſerint ex obedientia, requiratur, ut trimeſtre ſit completum?

Reſp. Affirmative quoad primam partem, cum obedientia non debeat præjudicium inferre bono ipſorum juri, quod præſumi nequit S. Cong. in pœnam præſtitæ obedientiæ eis tollere voluiſſe, cum pateat non ob aliam cauſam ita declaraſſe, niſi ut fraudibus quorumdam Superiorum in electionibus obviam iret.

Affirmative etiam quoad ſecundam partem: etenim S. Cong. dum vult præcedere tres menſes, vult etiam eſſe integros, præcipue cum velit eſſe continuos, quod non verificaretur, ſi tertius menſis eſſet tantum inceptus, & hoc clarius evincitur ex mandato Clem. VIII. per extenſum relato in regeſto ejuſdem Congregationis immediate ad dictum decretum, per hæc verba: Non poſſano li Superiori collocare li Frati nel convento per tre meſi avanti il tempo dell'elezione, che quivi ſi avrà da fare, eccetto ſe aveſſero commeſſo ſcandolo notorio. E nelle elezioni che ſi avranno a fare ne' Capitoli conventuali, non abbiano voto quei Frati, che non ſaranno ſtati locati in quel convento per tre meſi avanti il giorno dell' elezione,

XIX. An valeat electio facta in perſonam extraneam a Capitulo?

Reſp. Affirmative, ex Gloſ. *in cap. cum inter Canonicos XXI. ver. alium, de elect.* ut DD. cumulate relati a Reinfeſt. loc. cit. n. 239. quamvis de honeſtate ſit, ut eligatur ex gremio.

XX. An deveniri poſſit ad electionem alterius, ſi electus recuſet, vel renunciet?

Reſp. Affirmative, *ex cit. cap. cum inter Canonicos, & cap. ſi Electioni XXVI. in VI. eodem tit*, dummodo Capitulares ſint adhuc congregati, & electio fiat eodem contextu. Fagnan. *in cap. Publicato, n. 39.* Reinfeſt. loc. cit. §. *XII. n.* 297. Quam tamen renunciationem multi ex DD. autumant fieri non poſſe. Remigius Maſcath *lib. 1. quæſ. 4. Inſt. Can. tit.* VI.

XXI. An deveniri poſſit ad electionem alterius, ſi poſt electionem factam bona fide, electus noſcatur eſſe inhabilis?

Reſp. Affirmative, *ex cap. Cum terra, & ex cap. Dudum de Elect. & cap. Perpetui in VI.* eodem loc. cit. Fagnan. n. 40. & 41. Reinfeſt. §. 11. num. 298.

Advertendum tamen eſt, in tali caſu deveniri quidem poſſe ad electionem alterius, ſed ſine intervallo, durante adhuc Capitulo; non autem eo diſſoluto, taliter ut non non ſit amplius locus, ſaltem quoad Regulares, iterum Capitulum convocandi.

XXII. An valeat Electio facta, ſi non celebrata fuerit die præfixo, ſive abſque impedimento, durante autem Capitulo.

Reſp. Affirmative quoad utramque partem *ex cap. Pro defuncto XLI. de Elect.* dummodo a Conſtitutionibus Ordinis non prohibeatur, cum clauſula ir-

Pppppp a ritan-

ritante. Fagnan. *in cap. Quia propter* 68. loc. cit.

XXIII. An Præſes Capituli gaudeat ſuffragio tam activo, quam paſſivo?

Reſp. Negative quoad utramque partem, niſi alias ſit de gremio Capituli, aut per leges municipales hujuſmodi gaudeat privilegio. Matthæuc. cap. XVIII. num. 51.

XXIV. An, poſito, quod Præſes ſit de gremio Capituli, gaudeat altero ſuffragio activo qua Præſes?

Reſp. Negative, ut ſatis proviſum in Reſp. ad XXIII.

XXV. An Præſes Capituli ſit de ipſius ſubſtantia?

Reſp. Negative, *ex cap. Quia propter de Elect. & cap. VI. Seſſ. XXV. Tridentin. de Regul. Fagnan. ad dictum cap. Quia propter n.* 72.

XXVI. An, publicato ſcrutinio, ſuſpendenda ſit electio, ſeu alia celebranda, ſi quis dicat ſe paratum eſſe ad probandum impedimentum electi per majora ſuffragia?

Reſp. Negative, niſi probare poſſit in continenti; ſed opponens jus ſuum proſequi debet coram Superiore. Fagnan. *in cap. Publicato, n.* 44.

XXVII. An præmittenda ſit a Judice declaratio privationis juris eligendi pro prima vice, inflicta a cap. *Quia propter de elect.* contra non obſervantes formam ſcrutinii, & a *Cap. Cum in cunctis* contra eligentes indignum?

Reſp. Negative, Reiffenſt. loc. cit. §. 11. numer. 251. 261.

XXVIII. An innocentes, qui remanſerunt in Capitulo, devenire poſſint ad electionem alterius, etiam non expectata declaratione Judicis ſuper privatione juris eligendi pro unica vice contra eos, qui non obſervaverunt formam ſcrutinii, vel elegerunt indignum?

Reſp. Affirmative, *ex cap. Bonæ memoriæ, & cap. Dudum de Elect.* Reiffenſt. *loc. cit. n.* 261., *& ex cap. Congregato* LIII. Si vero non elegerunt, ceſſerunt juri ſuo, pro quo fruſtra poſtea reclamarent.

XXIX. An ad validitatem electionis neceſſario prælegendæ ſint Conſtitutiones Apoſtolicæ, videlicet Urbani VIII. *SS. Dominus noſter* circa obſervantiam Conſtit. & Decret. ad Officium S. Inquiſitionis pertinentium, ac Clem. VIII. *Regularis diſciplinæ*: contra ambientes, ſicuti & an præmittendum ſit juramentum, ad formam dictæ Conſtitutionis: *Regularis Diſciplinæ*?

Reſpon. Affirmative, quoad Conſtit. & Decr. ad Officium S. Inquiſitionis pertinentia. In dicta enim Bulla = *Sanctiſſimus Dominus noſter* = præſcribitur, *ut omnes Superiores teneantur ſub pœna privationis officii, ac vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrenda, in quocunque generali, ac provinciali capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congreſſu, ſuos ſubditos, ac Religioſos commonere de injuncta omnibus obſervantia, & executione earumdem Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Decretorum ad S. Officium Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem pertinentium.* =

Quoad Conſtitutionem vero Clemen. VIII. Negative: licet enim Pontifex §. 36. præcipiat quidem hanc eſſe prælegendam, non tamen cum clauſula irritante: ibi = *Propterea priuſquam ad electionem deveniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum ad officia, gradus, & Prælaturas.*

Quoad Juramentum ſatis proviſum in reſponſione ad XIII.

XXX. An a Rectoribus, ſeu localibus Superioribus exhibendæ ſint litteræ teſtimoniales de obſervantia Decretorum I. circa celebrationem Miſſarum II. Archivi manutentionem. III. Bullarum lectionem. IV. Et liquidationem tam accepti, quam expenſi, ſive ſtatus domorum, ſicut fieri conſuevit in Capitulis, pro electione vocalium ad Capitulum generale?

Reſp. Affirmative quoad primam partem; Nam in Bulla Inn. XII. *Nuper a Congregatione* de celebrat. Miſſarum §. 33. hujuſmodi teſtimoniales requiruntur ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ in capitulo provinciali, per hæc verba: *Et inſuper teneantur omnes, & ſinguli Superiores locales in provincialibus capitulis, ſeu Congregationibus exhibere atteſtationem, ſeu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus ſubſcriptam, & juratam quod omnibus, & ſingulis tum perpetuis, tum manualibus Miſſarum oneribus, ad limites, & tenorem horum præſentium Decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino, & integraliter ſatisfactum; vel deficiente aliquo modica ſatisfactione, poſſit etiam hujuſmodi reſiduali implemento Miſſarum, diſtincte referendarum, intra breve tempus moraliter ſatisfieri; ea adjecta, & omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ atteſtationis exhibitionem, quicunque Superiores locales prædicti vocem activam, ſeu paſſivam in memoratis capitulis, ſeu Congregationibus omnino habere non valeant.* =

Quoad ſecundam partem, Affirmative; nam licet in Bulla Benedicti XIII. *Maxima vigilantia* = *de Archiviis* §. 15. id onus injungatur Generalibus, Provincialibus, & Viſitatoribus, ut in viſitatione tantum quærant de adimplemento dictæ Bullæ, tamen quia a Superioribus localibus diſpoſita de Archivis adimplenda ſunt ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & privationis vocis activæ, & paſſivæ, ideo tenentur hujuſmodi teſtimoniales exhibere, ut probetur eos non incidiſſe in talem pœnam, & ſic ſuffragium ferre poſſe in capitulo.

Quoad tertiam partem, pariter Affirmative, ob eamdem mox allatam rationem. His tamen non obſtantibus, cum tales teſtimoniales non præcipiantur exhibendæ a Conſtit. Apoſtolicis, ut præſcribitur circa celebrationem Miſſarum, tanquam conditio, ſine qua non, etiam ſi eas non afferrent, ſentirem adhuc admitti poſſe ad Capitulum: licet enim privati eſſent utraque voce, non poſſent tamen excludi, niſi poſt declarationem privationis.

Quoad quartam partem, Negative nuſquam enim injungitur hoc onus a Conſtitutionibus Apoſtolicis; ſecus tamen eſſet, ſi ſtatuto alicujus Capituli generalis, id onus injungeretur ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ.

XXXI. An valeat electio facta in ſecundo ſcrutinio, ſi electores omnes in primo ſcrutinio, in quo non ſecuta fuit electio, ob defectum numeri ſuffragiorum ſupra medietatem non ſervarunt formam Capituli *Quia propter* XLII. *de Elect. & cap. VI. Seſſ. XXV. Tridentini de Regularibus*: v. g. quia publicaverunt nomina eligentium, quam tamen formam ſervaverunt in dicto ſecundo ſcrutinio?

Re-

Reſpon. Affirmative, donec Electores declarati non fuerint per ſententiam Judicis privati poteſtate eligendi, quia pæna privationis hujuſmodi impoſita *in cit. cap. Quia propter eſt* ferendæ, non latæ ſententiæ, ut Gloſſ. ibid. & DD. comuniter relat. a Paſſerino de Elect. cap. 9. n. 61.

XXXII. An valeat, ſi ex decem Electoribus quatuor aligant unum, tres alium, & reliqui trea inutiliter?

Reſpon. Affirmative, *ex cap. In electionibus in VI. de elect.* qui enim habuit quatuor vota, cenſetur electus a majori parte Capituli; cum illi tres qui inutiliter ſuffragati ſunt, ceſſerint juri ſuo, nec ſint computandi in numero eligentium. Ita. Bonon. de elect. dub. 29. n. 2. & Paſſerin. de Elect. cap. 18. de ſcrutinio n. 24.

XXXIII. An valeat, ſi in primo ſerutinio unus ſuffragatus fuerit inutiliter, qua de caſua electio ſecuta non ſit; & in ſecundo idem ſuffragatus ſit utiliter, ita ut ipſemet fuerit electus uno tantum ſuffragio ſupra medietatem?

Reſpon. certum eſt ex cap. *cit. II. de Electionibus in VI.* inutiliter eligentem, puta per ſuffragium conditionale, vel alternativum, & incertum privari pro ea vice, voce paſſiva, ita ut ſi electus fuerit nulla ſit ejus electio. Verum hæc pæna locum habere nequit in electionibus Regularium, cum in his ſuffragia non publicentur, ac proinde ignoretur qui inutiliter ut ſupra, ſuffragatus fuerit, & ejus electio in Foro externo erit valida Paſſer. *loc. cit. cap.* 18. a num. 24. ad 29.

SECTIO CLXII.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. cap. VII.

Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio, ex alio ejuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur, ex iis, quæ in eodem monaſterio annum trigeſimum exceſſerit, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem recte vixerit, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligatur.

Permittit hic Tridentinum, Abbatiſſam eligi poſſe ex alio monaſterio ejuſdem Ordinis, ſi in monaſterio, cui præficienda ſit, non reperiatur dotata qualitatibus ab eodem requiſitis.

Huic autem dubio, an ſtante Conſt. S. Pii V. *Decreti 1. Feb.* 1570. reſtringentis cauſam egreſſus monialium a clauſura ad tres dumtaxat caſus, magni nempe incendii, lepræ, & epidemiæ, opus ſit facultate Sedis Apoſtolicæ, ut egredi poſſet illa, quæ ex alio monaſterio electa, Cong. Conc. reſpondit, non eſſe neceſſariam, ut refert Gallemart ad hoc idem cap.

Quidquid autem ſit de hoc aſſerto reſponſo, quod ignoratur, quo tempore emanaverit, attendenda ſunt hodie relata a Fagnano *in cap. III. Recolentes de ſtatu Monachor num.* 51. ibi = Quinimo etiam facultas Epiſcopo attributa ex decreto cap. VII. *Conc. Trident.* Seſſ. XXV. de Regol. fuit ſublata per eamdem Conſtitutionem, ut Greg. XIII. declaravit. Nam cum Generalis S. Auguſtini dubitaret, an poſt Bullam S. Pii V. de egreſſu monialium, liceat de monaſterio ad monaſterium monialem transferre, ut in eo, ad quod transfertur; Abbatiſſæ munere fungatur: Sac. Cong. dixit, referrendum Sanctiſſimo, qui cenſuit Bullam corrigere decretum Concil. *cap. VII. Seſſ. XXV. de Regul.* & ideo ex illo decreto non licere amplius extrahere moniales de monaſterio pro conſtituenda Abbatiſſa in alio, niſi obtenta ſpeciali licentia a Sede Apoſtolica. =

Non tamen ſublata eſt facultas tributa Epiſcopo in cap. V. hac ead. ſeſſ. reducendi intra mænia monaſteria monialium exiſtentia extra mænia, ut probat idem Fagnan. *loc. cit. n.* 52.

Stante prædicta Piana Conſtit, etiam ſublata eſt facultas, quam *ex can. I. Virgines cauſ. XX. q.* 4. *& cap. XVIII. Licet de Regul.*, habent moniales tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, licentia petita, licet non obtenta, juxta Gloſ. in dicto Can. *Virgines*; quidquid perperam ſcripſerint Navarrus, Rodriq, & Sanch. ex decretis Cong. Conc. & Epiſcop. prout probat laudatus Fagn. *loc. cit. n.* 48.

Cum autem in hoc Tridentini decreto nullum temporis ſpatium præfixum ſit de abbatiſſatus duratione, Gregorius XIII. Conſtit *Expoſcit 1. Jan.* 1583. præfixit triennium dumtaxat, pro monialibus intra Italiam, & utriuſque Siciliæ Regnum, quo elapſo vacare debet a regimine, etiam Vicariatus, per aliud integrum triennium; nec ſuper hoc diſpenſari poteſt ab Epiſcopo, ex Decreto Cong. Epiſcopor. & Regul. *in Mazzarien.* 8. *Martii* 1760.

SE-

SECTIO CLXIII.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. Proſequitur idem cap. VII.

IS vero, qui electioni præeſt, Epiſcopus, ſive alius Superior, clauſtra monaſterii non ingrediatur, ſed ante cancellorum feneſtrellam vota ſingularum audiat, & recipiat. In reliquis ſerventur ſingulorum Ordinum, vel monaſteriorum conſtitutiones.

Decretum hoc mandans, Epiſcopum præeſſe debere electioni Abbatiſſæ monialium ſibi ſubjectarum, Prælatum vero regularem electioni, quæ fit a monialibus ſibi ſubjectis, exemptis a juriſdictione Epiſcopi, ampliatum eſt a Gregorio XV. Conſtit. *Inſcrutabili 5. Feb. 1622.* decernente §. *V.* ut Epiſcopus una cum Superioribus regularibus per ſe, vel per alium, intereſſe etiam valeat huic electioni, citra tamen ullam monaſteriorum impenſam, ibi.

Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus una cum Superioribus regularibus quarumcunque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorumdem monaſteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, abſque ulla tamen ipſorum monaſteriorum impenſa.

Quæri hic poteſt, an ſecretæ electioni Abbatiſſarum officiat, ſi eadem expleatur per vota ſingularum monialium oretenus expreſſa coram Superiore, In folio Cong. Conc. *diei 26. April. 1727. in Tiburtina* referuntur plura decreta ejuſd. Cong. declarantia, non officere, etiam ſi expleatur coram duobus, aut tribus perſonis, adhibitis, non tamquam ſimplicibus teſtibus, ſed tamquam ſcrutatoribus, obſtrictis eadem ſecreti lege, ut videre eſt, in *Theſaur. Reſolutionum præfatæ Cong. tom. IV. pag.47.*

Reliqua circa hanc electionem vide infra cum de cap. XI. hujus ſeſſ. §. *Tenentur*, *&* *ſeq.*

SECTIO CLXIV.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. cap. X.

ATtendant ... Præter ordinarium autem Confeſſorem alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat.

Hoc decretum declaratum, & ampliatum eſt a Benedicto XIV. Conſt. *Paſtoralis 5. Aug. 1748.* quoad hunc Confeſſarium extraordinarium, ut jam notavi hac ead. part. II. pag. 972. & ſeq.

Verum præter ibi notata, hic ex laudata Conſtit. attendenda ſunt ſequentia, &

I. Ut deputetur non pro ſingulis Monialibus peculiariter, ſed pro tota communitate.

II. Ut hic teneatur audire confeſſiones earumdem omnium, quæ eidem confiteri velint. Si autem nolint, debent omnes una cum quibuſcunque aliis in monaſterio degentibus coram ipſo ſe ſiſtere, ſi non ad confeſſionem peragendam, ſaltem ad ſalutaria monita extra eam ab ipſo recipienda. Cur autem *Debeant* ſaltem coram ipſo ſe ſiſtere, hanc Pontifex rationem reddit = *Ne*, ſcilicet, *ſi Moniales aliqua extraordinarium Confeſſarium adirent, aliæ autem coram ipſo non comparerent, ſuſpiciones, atque oblocutiones excitarentur: & illæ quidem cenſerentur neceſſarias habuiſſe cauſas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactæ eſſent: aliæ vero ab hujuſmodi neceſſitatibus, & cauſis immunes judicarentur. Quam agendi rationem communi DD. calculo comprobatam ſan. mem. Prædeceſſor noſter Clem. Papa XI. edicto ſuo, (quod eſt XV. in ſecunda parte ipſius Bullarii) inviolabiliter ſervari mandavit; eamdemque omnium diœceſum conſuetudo recepit.* =

III. Ut dicti extraordinarii electio pertineat ad Ordinarium loci pro Monialibus ei immediate ſubjectis: pro Monialibus vero Regularibus ſubjectis, ad Superiorem regularem: prævia tamen pro utroque approbatione Epiſcopi, ſeu Ordinarii localis.

IV. Ut, ſi Superior regularis negligat talem deputationem facere, Ordinarius eam ſupplere debeat, & Major Pœnitentiarius, negligente dicto Ordinario.

V. Ut extraordinarius denegari nequeat Monialibus peculiaribus, in caſu gravis infirmitatis, etiam poſt alteram, aut tertiam deputationem, ut ſupra factam univerſo monaſterio. Et ſi Superior regularis pro Monialibus ſibi ſubjectis id denegaverit, deputari poterit ab Ordinario loci.

VI. Ut item denegari nequeat in caſu, quo Monialis aliqua firmiter recuſet ordinario Confeſſario confiteri. In caſu vero, quod ob ſpiritualem dumtaxat conſolationem, & profectum extraordinarium optet, ſuadet Pontifex, ut tam Ordinarius, quam Supe-

Superior regularis faciles ſe exhibeant in hujuſmodi conceſſione.

VII. Ut pro Monialibus Regularibus ſubjectis deputari poſſit extraordinarius tam e Clero ſeculari, quam ex altero Ordine regulari: imo etiam deputari debeat ſaltem ſemel in anno; quem ſi Superior regularis deputare detretaverit, deputari poſſit ab Ordinario.

SECTIO CLXV.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. cap. XI.

IN monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſecularium, præter eas, quæ ſunt de illorum monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ tam regulares, quam ſeculares, hujuſmodi curam exercentes, ſubſint immediate in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus diœceſi ſunt. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, niſi de ejuſdem conſenſu, ac prævio examine, per eum, aut ejus Vicarium faciendo: excepto monaſterio Cluniaceuſi cum ſuis limitibus, & exceptis iis monaſteriis, ſeu locis, in quibus Abbates Generales, aut capita Ordinum ſedem ordinariam principalem habent, atque aliis monaſteriis, ſeu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores juriſdictionem epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & parochianos exercent; ſalvo tamen eorum Epiſcoporum jure, qui majorem in prædicta loca, vel perſonas juriſdictionem exercent.

Hoc Decretum, ſtatuens tam ſeculares, quam Regulares exercentes in ſeculares perſonas animarum curam in iis Eccleſiis, quæ monaſteriis, ſeu domibus regularium virorum, aut mulierum annexæ ſunt, immædiate ſubeſſe debere in pertinentibus ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtratinem juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi diœceſani: ad tollendam ſiniſtram ejuſdem decreti interpretationem, a nonnullis excogitatam, quod nempe afficiat tantum, ſolos parochos, non vero Sacerdotes ab epiſcopali juriſdictione exemptos, ſi aliqua Sacramenta ad parochum pertinentis ſine Epiſcopi, & ejuſdem parochi licentia adminiſtrarent, ampliatum, & declaratum eſt a Gregorio XV. Conſtit. *Inſcrutabili* 5. *Feb.* 1622. ſic ſtatuente §. IV.

Ut deinceps tam Regulares, quam ſeculares quomodolibet exempti, ſive animarum curam perſonarum ſecularium, monaſteriis, ſeu domibus regularibus, aut quibuſvis aliis Eccleſiis, vel beneficiis, ſive regularibus, ſive ſecularibus incumbentem exerceant, ſive alia eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent, prævia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſive quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione de facto abſque auctoritate ſe ingerant in his, quæ hujuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni diœceſani Epiſcopi, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plene in omnibus ſubjiciantur.

Ad hæc tam Regulares, quam ſeculares hujuſmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem monaſteriorum monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo loci, ſimiliter tamquam ad hoc Sedis Apoſtol. delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

Ex Conſtit. S. Pii V. *Expoſcit* 22. Septembr. 1571. Epiſcopi Juriſdictioni ſubſunt parochiales Eccleſiæ, etiam Fratrum Militum S. Joan. Hieroſolymitani quoad animarum curam, & adminiſtrationem Sacramentorum.

Notandum, quod idem S. Pius V. ante hanc Conſtit. edidit alteram *Etſi cunta* 29. Novem. 1568. ſuper confirmatione privilegiorum dictis Fratribus Militibus ab ejus Prædeceſſoribus conceſſorum; attamen quoad hanc rem §. VII. diſpoſuit, ut ſequitur.

Volumus autem, quod præſentes literæ non comprehendant neque Eccleſias, neque perſonas in iis, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Conc. Tridentin. omnino ſervari debeant.

In

In altera confirmatione privilegiorum prædictorum Fratrum, edita a Gregorio XIV. Conſtit. *Quanta* 30. *Aprilis* 1591. §. X. *Sic habetur*.

Volumus autem, quod fel. record. Pii V. 22. *Septem.* an. VI., ac Greg. XIII. Prædeceſſor. noſtrorum literis ſub annulo Piſcatoris 25. Novemb. an. IX. Pontificatuum ſuorum expeditis, in ſuo robore, & efficacia permanentibus, præſentes literas non comprehendant, neque Eccleſias, neque perſonas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Conc. Trident. ſervari debeant.

Ex Conſtit. Clementis XI. *Cum ſicut* 30. *Jan.* 1705. competit locorum Ordinariis jus viſitandi parochiales Eccleſias Regularium in Inſulis Philippinis.

Idem Trid. decret. a d. Conſt. *Inſcrutabili* ampliatum eſt etiam in hoc, quod Adminiſtratores bonorum monaſteriorum monialium, Regularibus ſubjectarum (de quibus nullam mentionem facit Trid.) cogi, & compelli poſſint ab Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, ad reddendam ſingulis annis rationem adminiſtrationis, eoſque ex rationabili cauſa amoveri, ſi Superiores, prius de cauſa moniti, id facere detrectaverint, ut ibidem §. V. quemadmodum etiam reſolutum fuit a Cong. Conc. 28. *Septem.* 1754. *in Ferrarien. juriſdict.* una cum aliis dubiis ad eamdem adminiſtrationem ſpectantibus.

Pro hujus tamen Conſtit. intellectu emanarunt a S Cong. Conc. ſequentes declarationes ab ipſo Gregorio, & ſubinde ab Urb. VIII. approbatæ, quæ referuntur in calce ejuſdem Conſtit.

I. Epiſcopus vi dictæ Conſtit. non poteſt viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, neque Tabernaculum, neque confeſſionalia.

II. Nec iis præſcribere loca, tempus & conditionem perſonarum ſecularium, quarum confeſſiones audient.

III. Nullam ex eadem Conſtit. auctoritatem recipit in perſonas nullius diœceſis.

IV. Prælati territorium habentes, nequeunt exercere poteſtates hac Conſtitutione conceſſas.

V. Cum permittitur Epiſcopo aſſiſtere, & præeſſe electioni Abbatiſſæ monialium Regularibus ſubjectarum, non ei datur jus illam confirmandi.

VI. Confeſſarii, ſive ordinarii, ſive extraordinarii, ETIAM SUPERIORES nequeunt audire confeſſiones monialium ſui Ordinis ſine approbatione Epiſcopi, ſub pæna nullitatis confeſſionum.

Circa Superiores monialium regularibus ſubjectarum, idest Generales, & Provinciales, vide notata ſupra pag. 970. §. *Verum*.

VII. Approbatio generalis data Regularibus pro audiendis confeſſionibus, non ſufficit ad audiendas illas monialium.

VIII. Nec data pro uno monaſterio, valet pro alio.

IX. Confeſſarii extraordinarii indigent nova approbatione toties, quoties deputantur ad audiendas earumdem monialium confeſſiones.

X. Epiſcopus revocans earum Confeſſarios, & adminiſtratores bonorum, non tenetur cauſam ſignificare Superioribus regularibus.

XI. Hæc Conſtit. locum habet in omnibus delictis, & non in notoriis tantum, & cum populi ſcandalo.

XII. Poteſt Epiſcopus coercere, & punire Regularem accedentem abſque legitima licentia ad colloquendum cum moniali, etiam ſui Ordinis.

XIII. Tenentur Regulares ſignificare Epiſcopo diem electionis Abbatiſſæ, eumque uſque ad præfinitum tempus expectare, ſi antea ipſe expreſſe declaraverit, ſe uti velle facultate ſibi hac in parte attributa, Abbatiſſarumque electionibus *per ſe*, *vel per alium* intereſſe, ac præſidere. Poſt hanc vero declarationem licere Epiſcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus ſignificatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatiſſæ electionem procedunt.

Nota ex decreto Cong. Conc. 26. *April.* 1727. *in Tyburtina*, ut in Theſaur. Reſol. ejuſdem Cong. quod ſi Epiſcopus intereſſe velit huic electioni, intereſſe tantum debeat cum his limitationibus.

I. Scilicet, quod non poſſit ope Vicarii generalis, aut Cancellarii exquirere voluntates, vel recipere, aut adnotare vota monialium eligentium, ſed hæc omnia præſtari debeant a Superiore regulari; ſciente tamen, & audiente eodem Epiſcopo.

II. Quod nequeat ſuffragium ferre, ſicut & neque Superior regularis ſub pæna nullitatis electionis.

III. Quod ejus Cancellarius, durante ſcrutinio, neque intra Eccleſiam permanere poſſit; nec alii quincunque, etiam Religioſi ejuſdem Ordinis, exceptis Superiore, & Scrutatoribus.

IV. Quod confirmatio electionis fieri tantum debeat a Superiore regulari, tamquam a Prælato immediato.

Idem Tridentini decretum quoad juriſdictionem Epiſcopi in Eccleſiis parochialibus Regularium declaratum eſt a Bened. XIV. Conſt. *Firmandis* 6. *Novem.* 1744. circa actus, quos idem Epiſcopus in iis explere poteſt in viſitatione locali, ſtatuente.

I. A Parocho regulari excipiendos eſſe in dictis Eccleſiis Miſſionarios ab Epiſcopo miſſos tamquam viſitationis ſuæ prænuncios, juvandoſque in omnibus, quibus ad injunctum ſibi onus implendum opus illis eſſe contigerit.

II. Poſſe Epiſcopum ibidem, ſive intra, ſive extra viſitationem Confirmationis Sacramentum adminiſtrare.

III. Viſitare dumtaxat Altare, in quo SS. Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur, ejuſque tabernaculum.

IV. Fontem baptiſterii, ſi adeſt.

V. Confeſſionale, in quo Parochus confeſſiones audire ſolet.

VI. Pulpitum, in quo idem jus habet verbi Dei enunciandi.

VII. Sepulcrum, ſepulturas, & cæmeterium pro humandis parochianorum cadaveribus.

VIII. Tur-

VIII. Turrim campanariam, ſi adſint campanæ, ad parochiam proprie ſpectantes; ſacrarium, ſupellectilem pro adminiſtrandis Sacramentis, tam intra, quam extra Eccleſiam.

IX. Omnia vaſa, tam pro ſervandis Particulis conſecratis, tam pro oleis ſacris, aut acqua baptiſterii, vel alia rite benedicta.

In viſitatione vero perſonali ejuſdem Parochi regularis debere Epiſcopum illum examinare.

I. An legitimo titulo curam exerceat.

II. An obſervaverit, & obſervet reſidentiæ leges.

III. An vocatus ad Synodum, iverit.

IV. An conferentias ſuper caſibus conſcientiæ frequentet.

V. An adimpleverit onera animarum curæ annexa, applicationem ſcilicet Miſſæ pro populo Dominicis, & aliis diebus feſtis de præcepto: prædicationem verbi Dei iiſdem diebus, puerorum inſtructionem in Fidei rudimentis, & doctrinæ chriſtianæ præceptis, præcipue ante ſuſceptionem Confirmationis, & primam Communionem, ſedulam diligentiam in excipiendis fidelium confeſſionibus, & ſpiritualibus auxiliis ægrotantibus, ac in agone conſtitutis præſtandis; in debita inquiſitione adhibenda pro valida celebratione matrimonii, ſponſiſque inſtruendis circa conſenſum præſtandum, myſteriorumque Fidei notitiam ac recte ordinatis retinendis libris baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, & ſtatus animarum.

VI. Item debere Epiſcopum ſcrutari ipſius morem, & vitam in iis tantum, quæ ad populi ædificationem conferre, vel obeſſe poſſunt: non vero in iis, quæ ſpectant ad illius inſtituti obſervantiam.

VII. Poſſe itidem in eum decreta pronunciare, pœnaſque ſtatuere, ſi in prædictis omnibus deficientem invenerit, non privative, ſed cumulative cum Superiore regulari: ita tamen, ut, ſi aliter ab hoc, & aliter ab Epiſcopo decernatur, hujus, non vero illius decretis ſit ſtandum: reſervata eidem Epiſcopo privativa facultate in parochianorum mores inquirendi, eorumque ſcandala puniendi.

VIII. Parochum æquo jure removeri poſſe ab animarum cura, tam ab Epiſcopo, quam a Superiore regulari, abſque eo quod unus alteri cauſas judicii ſui aut aperire, aut probare, & certificare teneatur.

In eo autem, quod præfatum Tridentini decretum excipit ab Epiſcopi juriſdictione, viſitatione, & correctione etiam quoad animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem parochos, tam ſeculares, quam regulares, dictam animarum curam exercentes in monaſteriis, ſeu locis, ubi Abbates generales, aut capita Ordinum ſedem ordinariam principalem habent, declaratum eſt ab eodem Bened. in cit. Conſtitut. a §. *XIII. ad XIX.* decernente.

I. Non ſufficere ad hanc exemptionem cujuſlibet Abbatis reſidentiam, ſed debere eſſe reſidentiam Abbatis generalis totius Ordinis ſui.

II. Non requiri, quod monaſterium, ubi iidem Abbates, ſeu Superiores reſident, ſit caput Ordinis; ſed ſufficere, quod ſit ordinaria, & principalis ſedes eorumdem.

III. Illud monaſterium tantum dici ordinariam, & principalem ſedem, quod vel a Conſtitutionibus Ordinis, vel a conſuetudine, ut tale præfinitur. Si vero neque a Conſtitutionibus, neque a conſuetudine præfinitum ſit, tunc dici debere illud, quod Superior generalis pro ſua ſtabili reſidentia initio ſui generalatus elegerit. Quod ſi facta ſemel electione, variare præſumpſerit, neque monaſterium initio electum, neque alterum, ad quod etiam cum curia ſe tranſtulerit, gaudere privilegio ordinariæ, & principalis ſedis.

IV. His generalibus Superioribus non ideo competere jus aliquod in ſeculares ſubditos parochialium, in eorum ordinaria principali ſede erectarum, ſed privative ſpectare ad Epiſcopum; ſicuti & ad ipſum ſpectare interponere propriam auctoritatem, & conſenſum, prævio examine, ſuper admiſſione parochi, tam ſecularis, quam regularis, etiam ad nutum amovibilis, ab eiſdem Superiorioribus in dictis Eccleſiis deputati.

V. Poſſe Epiſcopum, & aliquando etiam debere, inſtare apud dictos Superiores pro parochi remotione, ſi hunc munus ſuum non recte adminiſtrare cognoverit; implorata etiam Sedis Apoſtolicæ auctoritate, quoties Superiores reluctaverint, aut plus æquo parocho a ſe deputato faverint.

VI. Parochiales unitas dictis monaſteriis pro ordinaria, & principali ſede conſtitutis, non gaudere exemptione a viſitatione, & correctione Epiſcopi, quamvis a Parochis regularibus adminiſtrarentur.

VII. Nec illas erectas in iiſdem monaſteriis, ſi qui Epiſcopi ipſas viſitare conſueverint.

In eo pariter, quo Trid. excipit ab ordinaria Epiſcopi juriſdictione, quoad viſitationem, moneſteria, ſeu loca, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores juriſdictionem epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & parochianos exercent, declaratum eſt in eadem Conſtit. §. XII. ſtatuente, Epiſcopum etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatum, ſe abſtinere omnino debere a viſitatione, alioque quocunque juriſdictionis actu in hujuſmodi Parochos, & parochianos, quoties dicti Abbates, & Superiores probaverint juriſdictionem epiſcopalem in eoſdem; & econtra Epiſcopus probare nequeat ampliorem in ipſos juriſdictionem, ex alio capite ſibi acquiſitam.

SECTIO CLXVI.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. cap. XII.

CEnſuræ, & interdicta, nedum a Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, a Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, at-

que ſerventur. Dies etiam feſti, quos in diæceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſerventur.

Huic decreto, præcipienti dies feſtos, ab Epiſcopo indictos etiam ab exemptis ſervandos eſſe, acceſſit ſequens declaratio Cong. Conc. relata a Novario in commentariis Apoſtolicarum Conſtitutionum Commentar. LVII. ad Conſt. S. Pii V. *Cum primum*. De feſtis diebus part. 1. n. 2. pag. 91. edit. Romæ 1677. = Cong. Conc. cenſuit, decretum cap. XII. verſ. *dies etiam feſti ſeſſ. XXV. de Regul.* ita eſſe intelligendum, ut Regularium ritus illis feſtis ſemper permaneant quoad Miſſas celebrandas, & cætera divina officia, tam publice, quam privatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſiis perſolvenda, nec circa hæc ab ipſis quoquo modo quidquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſe: quod ſi de facto præceperint, Regulares neutiquam ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verum quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Evangeliis, & Epiſtolis, quibus Clerus ſecularis utitur illis diebus feſtis. =

Hæc declaratio refertur etiam, licet diverſis verbis, a Galemart ad hoc idem cap. ſub *die 3. Jun.* 1600. *& in Salmantina* 10. *Jan.* 1604.

Cæterum, quamvis poteſtas indicendi ſub præcepto novorum feſtorum dies hic a Trident. Epiſcopis conceſſa, ablata dici nequeat; memores tamen eſſe debent moniti, quod Urbanus VIII. in Conſtitut. *Univerſa Idib. Septem.* 1642. iiſdem his verbis reliquit. §. III.

Ne autem dies feſtos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eoſdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione ſub præcepto novorum feſtorum ſtudeant abſtinere.

SECTIO CLXVII.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. cap. XIII.

Controverſias omnes de præcedentia, quæ perſæpe maximo cum ſcandalo oriuntur inter eccleſiaſticas perſonas, tam ſeculares, quam regulares, cum in proceſſionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis ſimilibus, Epiſcopus, amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcunque, componat.

Hoc decretum, declaratum eſt a S. Pio V. Conſtit. *Divina 27. Aug.* 1568. quoad Fratres Prædicatores, decernente, eis ubique competere præcedentiam ante quoſcunque Ordines Mendicantes, etiam in privatis actibus. Quam præcedentiam poſtea Clemens VIII. Conſtit. *Inter cætera 25. Sept.* 1592. iiſdem conceſſit etiam ante alios quoſcunque Ordines regulares (exceptis Canonicis, & Clericis ſecularibus, ac antiquis Ordinibus monachalibus.)

Circa controverſias præcedentiæ inter Ordines Mendicantium, & inter Confraternitates laicorum in proceſſionibus, attendenda eſt ſequens declaratio Gregorii XIII. Conſtit. *Expoſcit 15. Julii* 1583. §. ibi.

Volumus, & Apoſtol. auctorit. decernimus, quod quicunque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter ſe de præcedentia hujuſmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites, & cauſæ, præmiſſorum occaſione, ortæ jam ſint, ſeu oriri contigerit in futurum, qui in quaſi poſſeſſione præcedentiæ, ac juris præcedendi ſunt, ii, (quibuſcunque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & aliis ſubterfugiis prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis) in proceſſionibus, tam publicis, quam privatis præcedere debeant. Quando vero non probetur, aut non conſtet de quaſi poſſeſſione præcedentiæ hujuſmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii qui antiquiores in loco controverſiæ; inter Confratres vero inter ſe litigantes, ii, qui prius ſaccis uti ſunt, in proceſſionibus tam publicis, quam privatis præcedere debeant. Ita, ut ſi contigerit nova monaſteria, aut domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis

ex dictis Mendicantibus monaſteria, aut domus prius erecta, & inſtituta ſint, ille Ordo, qui prius monaſterium, ſeu domum in loco habuerit, præcedat.

Ex Conſt. Benedicti XIII. *Paſtoralis Officii* 14. *Feb.* 1726. Fratres Minores de Obſervantia ubique, & in omnibus gaudent praecedentia ſupra omnes Reformatos.

Ex altera ejuſdem Pontificis Conſt. *Militantis Eccleſiæ* 25. *Junii* 1727. in qua confirmatur Conſt. S.Pii V. ſuper præcedentia Canonicorum regularium Congregationis Lateranenſis Ordinis S. Auguſtini in Proceſſionibus, & in aliis actibus publicis, & privatis, hi, ubi eos intereſſe contigerit, ſtatim ipſum Clerum ſecularem non exemptum ſubſequi, dum ipſi ſubſequendo præcedunt; dum vero præcedendo præcedunt, illum immediate ſequi debent.

Ex Conſtit. Benedicti XIV. *Apoſtolici præcepti III. Idus Novem.* 1757. declaratum eſt eiſdem Canonicis competere præcedentiam ſupra Monachos Ordinis, & Congregationis S. Baſilii Magni, ibi.

Præmiſſis itaque .... Per has noſtras perpetuo valituras literas declaramus, ac definimus, decernimus, volumus, atque mandamus, Abbatem generalem Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium, nunc, & pro tempore exiſtentem, quoties dimiſſo pallio, ſeu cappa, in linea veſte, & habitu prælatitio ab hujuſmodi Abbatibus generalibus deferri ſolito, ad pontificias capellas, aliaſque functiones Palatii noſtri de more acceſſerit, tam in ſedendo, quam in procedendo, aliiſque quibuſvis actibus, Abbati generali Congregationis Monachorum S. Baſilii, nunc, & pro tempore exiſtenti, præcedere, & antelerri debere, ac præferendum, anteponendum, & in digniori loco ſemper collocandum fore, & eſſe. Mandantes dilectis Filiis Apoſtolicar. Cæremoniarum Magiſtris, ut dictum Abbatem generalem Canonicor. Lateranenſium, ejuſque futuros ſucceſſores, hujuſmodi præcedentiæ, & antelationis jure, rejecta quacunque contradictione, pacifice frui, & gaudere faciant.

Præterea eumdem Abbatem generalem Canonicorum Lateranenſium, præfatis veſte, & habitu indutum, cæteroſque Abbates, Prælatos, & Canonicos Regulares Lateranenſes, exuta ſuperiori veſte, ſeu pallio, aut cappa, uti Clericos, in linea veſte, & clericali habitu incedentes, in Proceſſionibus, & omnibus aliis actibus publicis, & privatis, tam in Urbe, noſtroque, & Succeſſorum noſtrorum conſpectu, quam alias in univerſis, & quibuſcunque aliis civitatibus, terris, oppidis, & locis, Abbati generali Ordinis, & Congregationis S. Baſilii, aliiſque reſpective Abbatibus, Prælatis, & Monachis ejuſdem Ordinis præcedere, ac in præmiſſis omnibus præferendos, anteponendos, ac in digniori loco ſimiliter collocandos fore, & eſſe. Simplices vero Abbates earumdem Congregationum Lateranenſis, & S. Baſilii, ſingulariter, & de per ſe, abſque eorum Conventibus, ſive in Conciliis generalibus, nationalibus, provincialibus, & ſynodalibus, ſive in aliis quibuſvis actibus publicis, & privatis, in quibus Abbates de jure, vel conſuetudine locum, & votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter ſe ſe, juxta ſingulorum ipſorum Abbatum ibidem intervenientium priorem, & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illorum promotione dumtaxat, non autem Congregatione, & Ordine, cujus ſint, antedictis præcedere, & præferri, anteponi, ac in digniori loco reſpective collocari debere, decernimus, & mandamus.

Reliqua circa praecedentiam conſule, ubi res poſtulat, Jacobum Gothifredum de jure præcedentiæ, & Lucium Ferraris *Prompta Bibliotheca* verb. Præcedentia, ubi plurima de ea congerit.

SECTIO CLXVIII.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. Proſequitur idem cap. XIII.

Exempti autem omnes tam Clerici ſeculares, quam Regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur: iis tamen exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.

Quæ ſint Proceſſiones, ad quas tenentur accedere Regulares, declaratum eſt a Cong. particulari, juſſu Urbani VIII. habita 27. *Jul.* 1628., & 21. *Aug. ac* 19. *Septem.* ejuſd. an. prout refert Pignatel. *tom. I. Conſult.* CXXI. videlicet.

= Auditis Procuratoribus Ordinum, negotioque
,, mature diſcuſſo, unanimiter cenſuerunt, poſſe
,, Epiſcopos pœnis ſibi beneviſis compellere quoſ-
,, cunque Regulares recuſantes, etiam Monachos,
,, & quomodolibet exemptos, ad infraſcriptas Pro-
,, ceſſiones accedere, atque illis intereſſe, exceptis
,, dumtaxat in ſtrictiori clauſura viventibus, & mo-
,, naſteriis ultra medium miliare a civitate diſtanti-
,, bus; nempe in die Feſto Sanctiſs. Corporis Chri-
,, ſti, in Litaniis majoribus, in Rogationibus, ac in
,, quibuſcunque aliis publicis, & conſuetis, vel pro
,, bono, cauſa, aut bonore publico, ab Epiſcopis in-
,, dictis Proceſſionibus; non obſtantibus quibuſcun-
,, cunque privilegiis, conſuetudinibus vel præſcri-
,, ptionibus, etiam immemorabilibus; privilegiis
,, tantum Apoſtolicis S.Concilio Trident. poſteriori-
,, bus contrarium deſuper diſponentibus minime
,, ſublatis.

Quænam autem publicæ dici valeant, reſolutum fuit a Cong. Conc. *in Ferrarien.* 23. *Septem.* 1709. *lib. XI. decret. pag.* 67. & 28. *Novemb. ejuſd. an. eod. lib. pag.* 69. *a tergo* Sacra &c. Sæpius declaravit, publicas Proceſſiones, ad quas exempti ab Epiſcopis vocati, accedere tenentur ex decreto *cap. XIII. Seſ. XXV. de Regul.* ejuſdem Concilii, eas eſſe intelligendas, quæ indictæ fuerunt pro bono publico, vel publico honore = Et rurſus Sacra &c. cenſuit, publicas Proceſſiones, de quibus idem Concilium *Seſſ. XXV. cap. XIII. de Regul.* loquitur, intelligi ſolitas, & conſuetas, necnon eas, quæ indictæ fuerunt pro bono publico, publicove honore = ut *in Theſauro Reſolut. ejuſdem Cong. Tom.* III. *pag.*85.

Ad has igitur nedum accedere tenentur exempti, & Regulares, ſed etiam compelli poſſunt per cenſuras (quidquid in contrarium ſentiat Gaudentius a Janua *tom. I. de viſit. Prælat. Eccleſiaſt. dub. X, ſect. IV. n.* 62. *& ſeq.*) ut pluries declaravit eadem Congr., & ſignanter contra Regulares, *in Albanen.* 23. *Septemb.* 1617. *lib. XI. decretor. pag.* 201. per hæc verba = Sacra &c. auditis partibus, reſpondit, Monachos S. Hieronymi, ut proponitur, ab Ordinario vocatos teneri, ac potuiſſe compelli, etiam pœnis, & cenſuris eccleſiaſticis, ad Rogationum D. Marci aliaſque publicas Proceſſiones accedere = Cui declarationi concordat (ita legitur in mox cit. *tom.*III. *dicta pag.*85.) alia reſolutio = *In Limana* 16. *April.* 1633. *lib. XIV. decret. pag.* 629. ibi = Sacra &c. cenſuit, in illis caſibus, in quibus Epiſcopis commiſſa eſt executio diſpoſitionis, Regulares comprehendentis, poſſe eoſdem Regulares, ſi inobedientes extiterint, etiam per cenſuras ad illius obſervationem compellere. =

Nec exempti tueri ſe poſſunt vigore privilegii, etiam poſt Trident. conceſſi, niſi hoc iis conceſſum fuerit recta, non vi generalis communicationis privilegiorum, *Rota in Militen. Proceſſionis* 24. *Jan.* 1757. §. *VI. coram Paracisno &* 14. *Febr.* 1759. §. 1. *coram Herreras.* Qui autem hoc exemptionis privilegio gaudeant, unuſquiſque Regularis Ordo conſulat Conſtitutiones Apoſtolicas eum eximentes. Meus Ordo Scholarum Piarum exemptus fuit ab Urbano VIII. Conſtit. *Debitum* 1. *Junii* 1629.

De privilegio conceſſo a S. Pio V. in Bulla, *Etſi Mendicantium* Collegiis ſtudiorum non interveniendi in publicis Proceſſionibus, quæri ſolet, an revocatum illud fuerit a Gregorio XIII. in Bulla *In tanta*? Affirmavit autem Rota *in Militen. Proceſſionum* 24. *Januarii* 1757. §. III. & 14. *Februarii* 1459. §. IV.

Circa Proceſſionem SS. Sacramenti in die, & infra octavam Corporis Chriſti, attendenda eſt Conſtit. Gregorii XIII. *Cum interdum II. Martii* 1573. in qua §. II. ſic habetur.

Univerſis, & ſingulis Clero, & Clericis, ac perſonis eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quam Ordinum, Religionum, ac Militiarum Regularibus, ac etiam &c. liceat ipſis, tam die ipſa Dominica infra octavam Corporis Chriſti, quam aliis totius octavæ prædictæ diebus, Proceſſiones ſuas celebrare &c. Nec ſuper eo tam ab Ordinis Prædicatorum hujuſmodi, quam aliis quibuſcunque perſonis &c. quomodolibet moleſtari, inquietari, vel perturbari.

Quam Conſtitutionem late examinat, ac propugnat *Urſaya tom. II. part. I. diſcept. IV.* in cujus ſummario, ſeu argumento ſic expreſſe habet = Vigore *Conſt. X.* ſan. mem. Gregorii XIII. abſque ulla Ordinariorum, vel Parochorum licentia poſſunt omnes, tam de Clero ſeculari, quam regulari, etiam extra eorum clauſtra facere Proceſſiones in die Octavæ SS. Corporis Chriſti, & in aliis diebus ejuſdem Feſtivitatis. Et pluries id noviſſime ſtatuit Sac. Cong Epiſcop. & Regul. & ſignanter *in Tricaricen. Proceſſionis* 18. *Aprilis* 1714. & 4. *Martii* 1717. & *in Potentina Proceſſionis* 12. *Maji* 1718. =

Sed notandum, quod, licet eodem die fieri poſſint, fieri tamen debent diſtinctis horis, ab Epiſcopo præſcribendis; ut declaravit Congr. Rituum 10. *Feb.* 1685. in cauſa inter Fratres Minores, & Ordinem Prædicatorum in Indiis, & *die* 24. *Martii* & 7. *Aprilis* 1696. quemadmodum declaravit etiam Cong. Epiſcop. & Regul. *in Tricaricen. Proceſſionis* 18. *April.* 1714. & 4. *Martii* 1717.

Circa Proceſſiones SS. Roſarii a Fratribus Prædicatoribus peragendas, attendendæ ſunt literæ Benedicti XIII. editæ in forma Brevis ſub die 10. *Aprilis* 1725. in quibus iiſdem indulſit, ut prima Dominica menſis Octobris ingrediendo limites cujuſcunque parochiæ, Ordinarii licentia minime requiſita, & abſque aſſiſtentia parochi, ac cum omni pompa peragere licite, & libere poſſint.

Circa Proceſſionem in ſolemnitate Corporis Chriſti peragendam in Baſilica Vaticana, Sede va-

can-

cante, attendenda eſt Conſtit. Benedicti XIV. *Paſtoralis ſolicitudinis 26. Feb.* 1744.

Nota, quod, exceptis Proceſſionibus SS. Sacramenti, & Roſarii, ut ſupra, Regulares in aliis Proceſſionibus, quas peragunt extra clauſtra, indigent licentia Epiſcopi, vel reſpectivi parochi, ut plùries declaravit Congreg. Concil. & ſignanter in *Aquen. 6. Junii* 1708. *ad VII. dubium*: ac inſuper declaravit ſatis eſſe, ut petita fuerit, licet non obtenta.

SECTIO CLXIX.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. cap. XIV. *Juncto cap. III. Seſſ. IV.*

Regularis, non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra monaſterii degit, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, a ſuo Superiore intra tempus, ab Epiſcopo præfigendum, ſevere puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat: ſin minus a ſuo Superiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.

Hoc decretum ampliatum eſt a Clem. VIII. *Conſt. Suſcepti 23. Feb.* 1596. infligente §. 3. pænam privationis dignitatum, & officiorum latæ ſententiæ contra Superiores hoc Tridentini decretum non ſervates in omnibus; ac addente, quod ſi Superior regularis ſuum religioſum, ut ſupra delinquentem, non puniverit, & illum impunitum a loco delicti ad alium ſuæ Religionis tranſmiſerit, inſtante Epiſcopo loci delicti, intra terminum ab eodem præfigendum, debeat dictum delinquentem ad eumdem locum delicti revocare; alias idem Superior incurrat pænam privationis vocis activæ, paſſivæ, Papæ reſervatam: & creſcente contumacia, poſſit, & debeat Ordinarius loci, ad quem tranſmiſſus eſt delinquens, ſive requiſitus ab Ordinario loci delicti, ſive aliter informatus, procedere adverſus eumdem, eumque punire juxta dictum decretum Tridentini tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, ibi,

Suſcepti muneris ratio poſtulat, ut eà, quæ in S. Trident. Concilio provide conſtituta ſunt, ab iis, ad quos ſpectat, inviolate obſervari curemus..... Motu proprio.... Omnibus, & ſingulis cujuſcunque Ordinis, & Inſtituti Regularium, etiam Mendicantium, Superioribus, in virtute S. obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipſo incurrendis pænis, præcipimus, & mandamus, ut juxta prædictum decretum, quilibet ipſorum Regularem non ſubditum Epiſcopo, intra clauſtra degentem, & extra ea ita notorie delinquentem, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, intra tempus ab Epiſcopo, præfigendum, ſevere puniat, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, & alias decretum ipſum in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterum, ſi Superior in Regularem delinquentem non animadverterit, quinimo, ſi illum impunitum ad alia ſuorum Ordinum loca extra Epiſcopi diæceſim, ut præfertur, tranſmiſerit, volumus, & ſimili motu, atque auctoritate decernimus, ut Superior, inſtante Epiſcopo, intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, & ſub eiſdem indignationis noſtræ, ac privationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon & ſub inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ac ulterius privationis activæ, & paſſivæ vocis, ad quas a nemine, præterquam a nobis, & a Romano Pontifice pro tempore exiſten. reſtitui poſſit, ipſo facto ſimiliter incurrendis pænis, ipſum Regularem delinquentem a loco, ad quem tranſmiſſus fuit, revocare, & in quo deliquit conſtituere, ſeu ſiſtere teneatur. Quod ſi hoc etiam facere prætermiſerit, per præſentes ſimiliter ſtatuimus, ut Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo Ordinario loci, in quo deliquit, ſimiliter requiſitus, vel alias de illius delicto informatus, ut præfertur, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, prædictum Concilii decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem ſevere animadvertete poſſit, & debeat.

Tum ex tanſcripto Tridentini decreto, cum ex hac Clementina Conſtit. clare infertur, quod quamvis Regulares, tam Mendicantes, quam non Mendicantes intra clauſtra viventes, quommodolibet extra delinquant, non ideo recta puniri poſſint ab Epiſcopo, ſed tunc dumtaxat, quando ab negligentiam eorum

eorum Superiorum in ipſos puniendo ad eum devoluta eſt juriſdictio in terminis Tridentini; extra quem caſum privative ſubſunt juriſdictioni, & punitioni eorumdem Superiorum, ut etiam declaravit Benedictus XIII. in ſequenti Motu proprio, edito quidem ſub die 26. *Martii* 1729. ad dirimendas lites quoad hoc inter Neapolitanum Nuncium, & Abbatem generalem pro tempore Montis Virginis, ſed vigorem eumdem præſeferente pro omnibus Regularibus, & Epiſcopis. Neque hic Motus proprius revocatus fuit a Clemente XII. Conſtit. *Romanus Pontifex VI. Kal. Aprilis* 1732. (in qua quædam aliæ dicti Benedicti Conſtitutiones revocatæ leguntur,) cum tranſcripto Tridentini decreto ſit omnino conformis, verumque ipſius intellectum explanet.

Motu proprio &c. Exponi nuper nobis fecerunt Don. Gallus Galluccio Abbas generalis; & Abbas Don. Ramirus Girardus Procurator generalis Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Virginis, quod licet Monachi omnes ejuſdem Ordinis degentes in monaſteriis ſub Obedientia Abbatis cum aliis requiſitis, per Concilum Tridentinum ſtatutis, etiamſi delinquerint extra clauſtra, juxta privilegia ipſis conceſſa per fel. rec. Urban. IV. Prædeceſſorem noſtrum in literis Apoſtolicis expeditis, = *ſub datum Idibus Januarii* 1264. = & diſpoſitionem ejuſdem Concilii *cap.* XIV. *Seſſ.* XXV. *de Regularibus*, ſint prorſus immunes, & exempti a juriſdictione noſtri in Regno Neapolitano Reverendiſſimi Nuncii; & ſubjecti privative tantummodo eorum Superioribus regularibus, prout ita declaravit Cameræ noſtræ Generalis Auditor, per ſententiam definitivam in contradictorio judicio, promulgatam contra Curiam Nunciaturæ *die* 27. *Novemb.* 1671. novas nihilominus modernus Nuncius excitavit prætenſiones procedendi contra eoſdem Regulares, ſic exemptos, vigore facultatum ſibi conceſſarum per fel. rec. Clementem PP. VIII. noſtrum pariter Prædeceſſorem in literis Apoſtolicis in forma Brevis, expeditis diebus 19. *Junii* 1592. *&* 22. *Auguſti* 1601. ſub inani etiam ſuppoſito, quod hujuſmodi facultas ipſi delegata quoque appareat per idem Concilium Tridentinum in ſupra relato = Cap. IV. = ac ex obſervantia, approbata per fel. rec. Clemente XI. noſtrum ſimiliter Prædeceſſorem, non attenta remiſſione hujuſmodi controverſiiæ præcedenter facta ad noſtram ejuſdem Concilii Tridentini Congregationem, & alteram particularem ſpecialiter delegatam. Subortis proinde variis caſibus, & remiſſa illorum eidem Nuncio cauſa, propterea in eadem Congregatione Concilii, nec in altera particulari priori loco, ut ſupra delegata, diſcuſſa, neque propoſita extitit. Agnoſcentes modo ipſi Oratores, non leve ſibi inferri præjudicium per continuationem juriſdictionis prædicti Reverendiſſ. Nuncii in detrimentum eorum exemptionis prædictæ, preces nobis humiliter porrexerunt, ut pro majori eorum tranquillitate controverſiam hujuſmodi ad nos avocare, & privilegia prædicta juxta ſenſum ejuſdem Concilii Tridentini, & literarum Apoſtolicar. interpretari, ac declarare, & ſic ab ulterioribus vexationibus, deſuper uſque modo paſſis, eximere, liberare, & alia opportune, prout juris fuerit, Apoſtol. auctoritate providere dignaremur. Noſque, ut diſſenſiones, & jurgia inter Eccleſiaſticos omni celeritate dirimantur, & ad hoc, ut privilegia per Romanos Pontifices conceſſa, contrario ſenſu non explicentur, auditis prius per Reverendiſſ. Epiſcopum Himerienſem, noſtrum modernum Auditorem, de ſpeciali noſtro mandato, partibus prædictis, earumque Procuratoribus, & defenſoribus, tam in voce, quam inſcriptis, viſiſque, & conſideratis omnibus, de jure videndis, & conſiderandis, juxta illius ſenſum nobis relatum, & cum illius voto, privilegia prædicta, & exemptionem reſpective declarare, liteſque hujuſmodi terminare, prout infra, decrevimus. Literas itaque Apoſtolicas Urbani Papæ IV. favore dictæ Congregationis Montis Virginis, & reſpective Clementis VIII. favore prædicti Reverendiſſ. Nuncii, privilegia, & facultates in eis, aliiſque poſterioribus literis etiam Clementis XI. conceſſas, & expreſſas, diſpoſitionem quoque prædicti Concilii Tridentini in enunciato = *cap. XIV.* = & alia quæcunque decreta in præmiſſis citata, & quomodolibet edita, & acta deſuper geſta, totumque, & integrum ſtatum, & merita cauſæ in eadem Congregatione Concilii, altera particulari Congregatione, & alio quocunque Judice particulari pendentis. Rationes itidem utrique parti competentes ſingulariter præſentibus pro expreſſis, de verbo ad verbum habentes, cauſam, & litem prædictam in ſtatu, & terminis, in quibus ad præſens reperitur, cum omnibus, & ſingulis illius emergentibus, dependentibus, adnexis, & connexis, & cum clauſula, *quam, & quas &c.* ad nos evocantes, illam penitus extinguimus, & abolemus, ac Partibus prædictis perpetuum

tuum

tuum ſilentium imponimus. Et auctoritate noſtra Apoſtolica declaramus, & decernimus; privilegia conceſſa dicto Reverendiſs. Nuncio in Regno Neapolitano per eumdem Clementem VIII. non aliter intelligi poſſe, & debere, quam de facultate procedendi contra = *cujuſcunque Ordinis Regulares exemptos, qui tamen ſint devii, & errantes, & extra clauſtra in delicto deprehendantur*, = nullam propterea ipſi competiiſſe, neque competere facultatem procedendi privative, neque cumulative contra = *Monachos, & Regulares degentes in conventibus, & monaſteriis ſub obedientia Abbatum, aliorumque Superiorum*, = & cum aliis requiſitis, per Concilium Tridentinum præſcriptis; reſpectu enim iſtorum, *totam juriſdictionem privative ſpectare ad Superiores regulares, etiamſi Monachi, ſeu Regulares extra clauſtra ita notorie deliquerint, ut populo ſcandalum publice oriatur*, juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini in ſupra relato Capitulo, & in caſu negligentiæ Superiorum regularium, eſſe locum præfixioni termini, ſicut ab Epiſcopo, ita etiam a Reverendiſſ. Nuncio, ut eo tranſacto, juriſdictio ad ipſum devolvatur, juxta cenſuram Concilii prædicti. Verba autem illa in primo dicto Privilegio Clementis VIII. *Ut iidem Regulares ſciant, ſe, præter eorum Superiorum correctionem noſtram etiam animadverſionem incurſuros*; intelligi ſemper debere de Regularibus deviis, & errantibus, & extra clauſtra vitam degentibus, non obſtante quacunque aſſerta contraria obſervantia. Literas Apoſtolicas proinde ejuſdem Urbani IV. & exemptionis ibidem conceſſas eidem Congregationi Montis Virginis, ac ſententiam per eumdem Cameræ Apoſtolicæ Generalem Auditorem in criminalibus latam prædicta *die* 22. *Novemb.* 1671. in qua pronunciatum extitit; Reverendiſſimo Nuncio nullum jus competiiſſe, & competere cognoſcendi cauſas civiles, criminales, & mixtas prædictorum Monachorum Congregationis Montis Virginis intra clauſtra cum requiſitis Concilii degentium, etiam extra ea delinquentium, & in delicto deprehenſorum, eſſeque privative ſubjectos eorum Superioribus regularibus juxta exemptionem, ipſorum favore conceſſam in præcitatis literis Urbani IV. & Concilio Tridentino prædicto in omnibus, & per omnia confirmamus, approbamus, convalidamus, & renovamus, ſuumque debitum ſortiri effectum, ac omnimodæ executioni perpetuis futuris temporibus demandari Apoſtolica auctoritate ſtatuimus. Decernentes &c. ſequuntur clauſulæ deregatoriæ.

Quod ſi quæras, an Regularis notorie delinquens in Eccleſia ſui Ordinis, dicatur delinquere extra clauſtra, ita ut ob negligentiam Superioris in eum puniendo ſubiit, ut ſupra, punitioni Ordinarii, Sperellus *Deciſ. XXXVIII. n.* 15. refert hoc ſequens Cong. Conc. decretum, quæ ad dubium ſibi propoſitum = An Regularis delinquens notorie in Eccleſia, ſeu monaſterio ſui Ordinis, in quo degit, ita ut populo ſcandalo ſit, dicatur delinquere extra clauſtra, ut locus ſit diſpoſitioni Conc. cap. *XIV. Seſſ. XXV. de Regul.* = cenſuit delinquere extra clauſtra, ſi in Eccleſia monaſterii delinquit, niſi clauſis portis Eccleſiæ, & ſolis Regularibus in ea exiſtentibus fuerit commiſſum delictum: ſi vero intra clauſtra monaſterii, vel Eccleſiæ interioris delictum ſit commiſſum, ex verbis Conc. non videtur procedere d. cap. XIV. quod expreſſe dicit = extra clauſtra = tamen ſi ſcandalum ſit notorium populo, ex identitate rationis idem videtur. =

Et notandum quoad ultimam partem hujus decreti, quod cum Cong. utatur verbo = videtur = infertur, debere Ordinarium cautius ſe gerere in puniendo, etiam attenta negligentia Superiorum; quandoquidem verbum hoc non certam, ſed opinabilem dumtaxat ſententiam præſefert.

Quod ſi iterum quæras, an, ſi contingat Regularem aliquem extra clauſtra notorie delinquentem, fuiſſe ab Epiſcopo ab eamdem Superiorum negligentiam carcere mancipatum, in eo detinendus ſit, donec proceſſus in curia epiſcopali conficiatur, eoque completo, inſtante Superiore, ad eum remittendus ſit una cum his probationibus, quæ habentur, eadem Cong. cenſuit = ſtatim remittendum eſſe, etiam poſito, quod Superior nullam inſtantiam faceret = prout refert Matthæucci *Official. Curiæ cap ultimo num.* 22., qui ſubdit = Cæterum illud = *ſtatim*, non phiſice, ſed moraliter accipiendum eſt. *Piaſecus prax. part. II. cap. III. art. VI. n.* 23. tempus remiſſionis reſtringit ad viginti horas. Sperellus vero, ubi ſupra, & poſt eum Panimol. = *dec. LXXXIV. adnot.* 3. *n.* 6. *ſub. n.* 6. = cum communi DD. ad duos dies limitat, & diutius per Piaſecum, & alios apud Antonellum = *de reg. Eccleſiaſt. lib. VII. capit. XVIII. num.* „ 4. = detinere non ſuſpectum de fuga, vel in „ caſu a Jure non permiſſo, infert excommunica„ tionem Canonis, juxta *Gloſſ. in Clemen. Frequens* „ *de exceſſ. Prælat. ver Capiunt*. Ex quo colligas, „ quod Regularis deprehenſus in delicto, ubi time„ tur de fuga, poteſt juxta Triden. *Seſſ. XXV. de* „ *Refor.* = ab Epiſcopo capi per ſuos miniſtros, & „ recta duci ad ſuum Superiorem, cum inſtantia, ut „ intra certum tempus eum puniat. =

Ex Conſtit. Gregorii XV. *Inſcrutabili* 5. *Feb.* 1622. §. *IV.* Regulares nullis prævilegiis, ac exemptionibus tueri ſe poſſunt quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta Monialium degentes, aut

circa

circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem monaſteriorum earumdem monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, *ab Epiſcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant*. =

Notandum ex Conſtit. Benedicti XIV. *Apoſtolicum Miniſterium* 30. *Maji* 1753. §. *XV*. Miſſionarios regulares in Anglia, licet manſionem facientes in privatis domiciliis, & non in monaſteriis, (quæ ibi omnibus prohibentur,) recenſeri non debere adinſtar illorum, qui extra proprium monaſterium vitam agentes, ſubſunt omnimodæ Ordinarii juriſdictioni juxta Conſtit. Clementi VIII. *Quorumcunque Religioſorum* 8. *Novemb.* 1601. ac propterea, ſi forte delinquerint, eorum correctio expetenda eſt a Superioribus regularibus juxta mox tranſcriptum Trident. decretum.

SECTIO CLXX.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. cap. XV.

IN quacunque Religione, tam virorum, quam mulierum profeſſio non fiat ante XVI. annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta, ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcunque effectus.

Hoc decretum, prohibens in quocunque Ordine regulari utriuſque ſexus, profeſſionem fieri ante XVI. annum poſt probationem unius anni a ſuſcepto habitu, ampliatum eſt a Clemen. VIII. in Decritis ſuper receptione novitiorum relati in calce ipſius Conſtitutionis *In ſuprema* 2. *Aprilis* 1602.

I. Profeſſionem nullam eſſe tam Converſorum reſpectu, quam admiſſorum pro Clericis, ſi probatio per annum, ut ſupra facienda, fiat in locis pro novitiatu apoſtolica auctoritate non deſignatis.

II. Ut Converſi non recipiantur ad habitum, ante XX. ætatis ſuæ annum, & ſic non admittendi ſunt ad profeſſionem, niſi poſt completum XXI., ibi.

§. I. Regularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimum juxra noſtri muneris debitum laborare non deſiſtimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano uſu compertum eſt, quod in omnibus conventibus, iis præſertim, qui majori reformatione indigent, ſinguli ad Religionem venientes, paſſim recipiuntur. Unde fit, ut quo magis nos variis Conſtitutionibus male affectas radices amputare ſtudemus, eo magis in dies depravatæ, infructuoſæque ejuſmodi noviter profitentium ſuccreſcant.

§. II. Cui quidem malo occurrere volentes, præſenti decreto ſtatuimus, diſtricteque præcipimus omnibus Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, cæteriſque Superioribus conventuum intra Italiæ, & Inſularum adjacentium fines exiſtentium quibuſcunque, & quorumcunque Ordinum Mendicantium, ut de cætero neminem ſub quovis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, niſi in conventibus auctoritate noſtra propediem in unaquaque Provincia deſignandis.

§. III. Inſuper ſancimus, ut quoad ejuſmodi conventus, ut præfertur, per nos deputati non fuerint, omnes præfatorum Ordinum Superiores a receptione quorumcunque Novitiorum, ſive ad habitum, ſive ad profeſſionem omnino abſtineant.

§. IV. Superior, qui hujus decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pænam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque activæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda, ſe noverit incurriſſe, ac aliis etiam pænis arbitrio noſtro ſubjaceat.

§. V. Receptiones vero, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra hujuſmodi decretum noſtrum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe nunc decernimus, & declaramus.

§. VI. Privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus quibuſcunque in contrarium minime obſtantibus.

Et §. XXII. Ipſi autem Converſi non recipiantur ante XX. ætatis ſuæ annum, et niſi ſaltem præcipua doctrinæ criſtianæ capita noverint.

A re-

A regula emittendi profeſſionem poſt integrum annum a ſuſcepto habitu, Tridentinum *Cap. XVIII.* hac eadem Seſſ. excepit mulieres, quæ Pænitentes, aut Convertitæ appellantur, in quibus ſervandas eſſe voluit earum Conſtitutiones: quo circa Cong. Conc. 2. *Martii 1606.* declaravit, ſi ex Inſtituto, vel Conſtitutionibus Convertitarum ad profeſſionem admitti conſueverint abſque anno probationis, decretum ejuſdem Concilii quoad Convertitas nihil earum Inſtitutis, aut Conſtitutionibus circa probationis annum detraxiſſe.

S. Pius V. Conſtit. *Summi Sacerdotii* 23. Aug. 1570. indulſit Monialibus novitiis Ordinis S. Dominici, ut in articulo mortis conſtitutæ poſſint profeſſionem emittere, licet non compleverint annum probationis, dummodo ſint ætatis a Trident. præſcriptæ; hac addita clauſula, *ita tamen, ut ſic decedentes conſequi poſſint Indulgentiam, & alias gratias, quas Moniales vere profeſſæ decedentes conſequuntur.*

= Verum (ita Fagnanus ad cap. XVI. *Ad Apoſto-* „ *licam de Regularib. n.* 33.) = hujuſmodi indultum „ quatenus adverſatur decreto Concil. Trid. in cap. „ 25. Seſſ. 25. de Regul. videtur redactum ad illius „ terminos a Greg. XIII. in Conſtitutione, quæ in- „ cipit, *In tanta*, eodem tom. 2. pag. 370. Ac proin- „ de, ſi Monialis ſic profeſſa ex tali infirmitate de- „ cederet, monaſterium non ſuccederet in bonis illius „ arg. c. *Conſtituit*, 20. qu. 3. & ſcripſi in c. *Sicut* „ *nobis* ſuper eodem, quod ſi ex morbo convaleſce- „ ret, non cenſeretur Religioni alligata, niſi tranſ- „ facto probationis anno, iterum profiteretur. Licet „ quoad indulgentiam, & gratias ſpirituales forte „ ſuſtineri poſſit indultum S. Pii V. non fuiſſe a Gre- „ gorio revocatum, prout tenuerunt multi ex Re- „ centioribus, quos tamen cumulant hic moderni „ Collectores n. 4. =

Hanc reſtrictiorem roborari tuetur ex ſupra relata clauſula, quam cum miſterio adjectam fuiſſe ait ad cap. XVII. *Sicut nobis* eod. tit. n. 33.

Sententiam Fagnani amplexa eſt etiam Cong. Conc. *in Narnien. profeſſionis, propoſita 22. Junii 1743., & reſoluta 25. Jann. 1744., ut in Theſaur. Reſolut. ejuſdem Cong. tom. XIII. pag.* 18.

Adeatur ſuper hac re Bened. XIV. *de Synod. diæc. edit. an.* 1755. *lib. XIII. cap. XII. num.* 3. *& ſeqq.*

S E C T I O. C L X X I.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. cap. XVI.

NUlla quoque renunciatio, aut obligatio, antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcunque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter vero facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſa renunciatione, etiam jurata, ſit irrita, & nullius effectus. Finito tempore novitiatus, Superiores novitios, quos habiles inverint, ad profitendum admittant, aut e monaſterio eos ejiciant. Per hæc tamen S. Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Jeſu, juxta pium eorum Inſtitutum, a S. Sede Apoſtolica approbatum, Domino, & ejus Eccleſiæ inſervire poſſint. Sed neque ante profeſſionem, excepto victu, & veſtitu novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocunque prætextu, a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, monaſterio aliquid ex bonis ejuſdem tribuatur: ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ monaſterium poſſideat; nec facile, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit: quin potius præcipit S. Synodus ſub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; & ut abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant: quod ut recte fiat, Epiſcopus, etiam per cenſuras eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.

Dubitatum olim fuit, an hoc Tridentini decretum locum haberet in teſtamentis, & aliis diſpoſitionibus, cauſa mortis a novitio factis ſine licentia Epiſcopi, vel Vicarii tam ante, quam poſt ingreſſum in Religionem, & etiam ante duos menſes proxime ante profeſſionem. Cong. Conc. declaravit, teſte Fagnan., in cap. *VIII. In præſentia de Probationib. n.* 50. non habere locum: cum hujuſmodi diſpoſitiones ad ejuſdem novitii placitum ante profeſſionem revocari poſſint, non autem poſt, ſed tantum declarari, ſi forte, ut dubiæ, & obſcuræ, interpretatione indigeant: & ſic ſalvatur ipſius libertas egrediendi a Religione, ad quam tamquam ad unicum finem prohibitionis, & irritationis reſpexit Trident.

Non ſemel inſuper eidem Cong. propoſitum fuit dubium, an dictum decretum comprehenderet donationes factas ante ingreſſum, & ſuſceptionem habitus, etiam intuitu ejuſdem ingreſſus, & etiam ante actum, ſeu momentum ſuſceptionis habitus; hæc ſæpius cenſuit, non comprehendere, contra Navarrum

conſil. LXXXI., *&* *LXXXII. de Regul.* & ſignanter declaravit *die* 22 *Jun.* 1613., prout refert laudatus Fagnan. in cap. XXIII. *Statuimus de Regul.* *n.* 47. = caput XVI. non vendicare ſibi locum in renunciationibus factis ante actum, ſeu momentum ſuſceptionis habitus; ac propterea ex decreto ſupraſcriptam renunciationem non eſſe nullam = Agebatur de renunciatione facta a Clerico Boccapaduli bonis tam paternis, quam maternis eadem die, qua ingreſſus eſt, monaſterium.

In eadem ſententia pluries fuit Rota Romana, ut videre eſt in *Tarentina donation.* 3. *Feb.* 1607. *coram Sacrato*, *in Parmen. tranſact. coram Duranda deciſ.CXXI. n.* 39. *in Peruſina hæredit.* 10. *Decemb.* 1620. *coram b. m. Card. Virili*, *& parte V. tom. I. Recen. deciſ. CXXV.* n. 42., *ac* 1. *Feb.* 1640. *in Romana donationis coram Tarraconen. item in Romana ſucceſſ.* 12. *Jan.* 1642. *coram Decano.*

Nota I. Dictum Trident. decretum comprehendere etiam renunciationem beneficii factam contra formam ab eo præſcriptam. Quæ tamen, etiam juxta eam facta effectum non ſortitur, niſi poſt profeſſionem; ita ut ante nemini conferri poſſit, prout eadem Cong. declaravit, teſte Fagnan. *loco cit. n.* 19.

Nota II. Excommunicationem ab eodem Trident. inflictam contra dantes, & accipientes aliquid ante profeſſionem novitii, non incurri ipſo facto, ut ex ipſius verbis patet.

Nota III. In caſu egreſſus reſtituenda quidem eſſe novitio omnia, quæ ſecum detulit, non vero veſtem regularem, ſed illius pretium, juxta præciſum tempus veſtitionis, ſi illius ſumptibus empta ſit, ex decreto laudatæ Cong. in dubio Reſtit. *Veſtis* 28. *Septem.* 1686. ipſum tamen teneri rependere monaſterio pro rata moræ in eo habitæ, quod inſumpſerit pro ejus victu: & hoc in iis Ordinibus regularibus, in quibus intervenire ſolet pactum, aut legitima conſuetudo de his ſumptibus a novitio ſolvendis; cum Trident. hos non prohibuerit, imo expreſſe permiſerit, *excepto victu*, *& veſtitu*.

In eo autem, quod Tridentinum declarat, nihil innovatum eſſe in Religione Clericorum Societatis Jeſu circa renunciationem, aut obligationem factam à novitio ante duos menſes proximos profeſſioni, & in novitiatu retentionem, vel ejectionem, declaratum eſt quoad aliqua dubia a Gregorio XIII. Conſtit. *Aſcendente Domino* 25. *Maji* 1584. quæ cum reſpiciant Ordinem dumtaxat ejuſdem Societatis, ad dictam Conſtit. lectorem remitto.

SECTIO CLXXII.

Eadem Seſs. XXV. de Regularibus Caput XVIII.

ANathemati S. Synodus ſubjicit omnes, & ſingulas perſonas, cujuſcunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam laicos, ſeculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquam in caſibus a jure expreſſis, ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcunque Religionis, vel ad emittendam profeſſionem; quique conſilium, auxilium, vel favorem dederint; quique ſcientes eam non ſponte ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquomodo eidem actui, vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubjicit eos, qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo ſine juſta cauſa impedierint. Eaque omnia, & ſingula, quæ ante profeſſionem, vel in ipſa profeſſione fieri oportet, ſerventur non ſolum in monaſteriis ſubjectis Epiſcopo, ſed & in aliis quibuſcunque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pænitentes, aut Convertitæ appellantur, in quibus Conſtitutiones earum ſerventur.

Circa excommunicationem hic latam in cogentes quamcunque mulierem ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcunque Religionis, vel ad emittendam profeſſionem; ſicuti & circa caſus hic expreſſos, jam inſtitutus eſt ſermo parte I. poſt cap. I. *Nullus de Regularibus* pag. 335. Vide etiam notata poſt cap. XV. hujus Seſſ. §. *A regula*, *pag.* 1049.

S E-

SECTIO CLXXIII.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. caput XIX.

QUicunque Regularis prætendat, ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem; aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile; velitque habitum dimittere quacunque de cauſa; aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum; non audiatur, niſi intra quinquennium tantum a die profeſſionis; & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcunque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tamquam apoſtata puniatur: interim vero nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur.

Hoc decretum, prohibens, ullum Regularem audiendum eſſe ſuper nullitate profeſſionis ex quocunque capite, niſi intra quinquennium a die profeſſionis reclamaverit, ampliatum eſt a Benedicto XIV. Conſtit. *Si data 4. Martii* 1748. in qua ſtatuitur.

I. Quod Superior regularis, detecto aliquo impedimento ante profeſſionem, a religioſo occultato, de quo prius interrogatus fuerit, etiam ipſo non reclamante, procedere poſſit in cauſa ſuper nullitate profeſſionis intra quinquennium in judicium deducta, una cum Ordinario loci.

II. Quod quinquennium, cum agitur de nullitate profeſſionis ob metum, computandum ſit a die emiſſæ profeſſionis, non a die, quo profeſſus liberam reclamandi facultatem habere cepit.

III. Quod cauſa nullitatis agi poſſit, etiam poſt elapſum quinquennium, dummodo a reclamante intra illud ſerio intentata fuerit, judiciumque proſequi neglexerit, aut nequiverit.

IV. Quod judices debeant eſſe Ordinarius loci, etiam Romæ, ac in ejus diſtrictu, & actualis Superior illius monaſterii eo tempore, quo cauſa in judicium deducitur. Quoad Moniales Ordinario ſubjectas judex ſit ſolus ipſe Ordinarius: quoad ſubjectas vero Regularibus, Superior regularis, cui univerſi monaſterii regimen creditum eſt, una cum Ordinario loci.

V. Quod Superior regularis, ſi judicium aſſumere nolit, aut nequeat, poſſit loco ſui alium ſubrogare, ſive Regularem, ſive ſecularem eccleſiaſticum juris canonici peritum: non tamen jus ſuum Ordinario loci cedere, ut ſolus procedat.

VI. Quod ſi judicia Ordinarii, & Superioris diſcreptantia fuerint, cauſa ad Sedem Apoſtolicam devoluta cenſeatur.

VII. Quod itidem ad eamdem Sedem privative ſpectet cauſa nullitatis profeſſionis, ex quo hæc emiſſa fuerit extra cœnobium pro novitiatu aſſignatum.

VIII. Quod ſub pœna nullitatis proceſſus, & ſententiæ non fundetur judicium in extrajudicialibus atteſtationibus, etiam juramento firmatis, quæ ad perpetuam dicuntur, ſed inſtituatur proceſſus verus, & judicialis, in quo & articuli exhibeantur ex parte reclamantis, & interrogatoria dentur ab eo, qui ſtat pro validitate profeſſionis, & teſtes, tam ſuper articulis, quam juxta data Interrogatoria examinentur: qui tamen proceſſus juxta Trident. *Seſſ. XXV. cap. XIX. de Regular.* nunquam inſtrui poteſt, niſi conſtet, reclamantem in Religionis ſuæ clauſtris morari, & regularem habitum reſumpſiſſe, ſi ipſum antea depoſuerit.

IX. Quod ſub eadem nullitatis pœna citentur tum defenſores monaſterii, in quo reclamans vota ſuſcepit, tum ipſius conſanguinei, ſive propinqui, ſive alii, quibus ſua bona donavit, aut ceſſit; ceterique omnes, quorum intereſt profeſſionem ſuſtineri: in primis autem ii, ſi ſuperſtites fuerint, qui indicati erunt, tam auctores, aut complices metus eidem reclamanti incuſſi, ut votis invitus ſe obſtringeret.

X. Quod a locorum Ordinariis deputetur defenſor profeſſionum ea lege, eoque modo, quo ex altera ejuſdem Pontificis Conſtit. = *Dei miſeratione* =, quam vide part. I. pag. 484., deputandus eſt defenſor pro validitate matrimonii: cui honorarium, expenſæque occurrentes exſolvendæ erunt ab illis, quibus profeſſus bona ſua renuntiavit; vel a Religione, ſi ii non exiſtant, aut nihil a profeſſo renuntiatum fuerit: vel ſi Ordo regularis nihil poſſideat, ex multis illius tribunalis, in quo cauſa agitata fuerit, ſive alterius, ut in citata Conſtit. *De defenſore matrimonii*.

XI. Quod poſt ſententiam latam a Superiore regulari, & Ordinario loci pro validitate profeſſionis, cauſa finita intelligatur, ſi profeſſus nullam interpoſuerit appellationem: ſi vero interpoſuerit, ſerventur præſcripta in dicta Conſtit. *De defenſore matrimonii*.

XII. Quod non niſi poſt duas ſententias conformes nullitati profeſſionis, profeſſus diſcendere poſſit a Religione, vel habitum dimittere ſub pœnis contra apoſtatas latis.

XIII. Quod judices in ſecunda, aut ulteriori inſtantia eſſe debeant ii, ad quos de jure aliæ omnes cauſæ eccleſiaſticæ poſt ſententiam Ordinarii, in gradu appellationis devolvuntur, una cum Superiore regulari, non illius monaſterii, in quo reclamans profeſſus eſt, ſed alterius monaſterii ejuſdem Ordinis in eorum civitate, aut diœceſi exiſtentis: vel eo non extante, cum Superiore viciniοris monaſterii ejuſdem Ordi-

Ordinis, ſeu perſona ab eodem Superiore deputanda: qui tamen Superior ad ferendam ſententiam non admittitur, ſi cauſa in ſecunda, aut ulteriori inſtantia ad S. Cong. aut Rotam devolvatur.

XIV. Quod ſi Judicium nullitatis inſtitutum fuerit poſt elapſum quinquennium, recurrendum omnino ſit a locorum Ordinariis, & Superiore regulari pro facultate reſtitutionis in integrum adverſus illius lapſum.

XV. Quod ſub pæna nullitatis actorum, etiam in cauſis diſcutiendis ſuper reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii ex commiſſione regularibus Superioribus, ac locorum Ordinariis a S. Sede directa, intervenire debeat, tam in prima, quam in ulterioribus dubii propoſitionibus defenſor profeſſionis.

XVI. Quod idem ſervetur, tam a Cardinalium Congregationibus, quam a Rotæ Auditorio, ſive quacunque Congregatione ſpecialiter deputata. Et defenſor deputetur ab eo, qui eſt caput tribunalis, expenſis eorum, de quibus ſupra.

XVII. Quod ad fruendum beneficio reſtitutionis in integrum præcedere debeant duæ conformes favorabiles reſolutiones, ſub pœnis pariter contra apoſtatas latis; ſi reclamans poſt primam e clauſtris migrare, multoque magis, ſi habitum dimittere præſumpſerit.

Nota I. ex Conſtitutione Sixti V. *Cum de omnibus 26. Novemb.* 1587. ac ejuſdem declaratoria immediate ſequenti *ad Romanum* 21. *Octob.* 1588. competiiſſe Superioribus Ordinum Regularium jus reclamandi ſuper nullitate profeſſionis emiſſæ ab illegitimis, ac criminoſis, aut ære alieno gravatis: ſtatuerat enim, ut illegitimi, nati ex inceſtu intra tertium gradum, vel ex ſacrilegio propter votum ſolemne, non poſſint recipi ad habitum, vel profeſſionem religioſam, etiamſi eſſent legitimati a Papa, vel Imperatore: & ſi contra fieret, ſtatuerat, profeſſionem nullam eſſe, & Superiores admittentes incurrere excommunicationem Papæ reſervatam. Ad habitum tamen Converſorum, ideſt famulorum, ſeu Oblatorum pro humilioribus miniſteriis recipi permiſit: alios autem illegitimos conceſſit, recipi poſſe, præcedente ſcrutinio, ſeu informatione, ſeu teſtimonio de vita, & moribus, in Capitulo generali, vel provinciali, approbatione intercedente: ita tamen, ut remanerent inhabiles ad gradus, & dignitates ſui Ordinis: etſi contra hanc formam reciperentur, decreverat, profeſſionem nullam, & recipientes incurrere excomminicationem Papæ reſervatam.

In Conſt. autem *ad Romanum* exceperat ab hac prohibitione legitimatos per ſubſequens matrimonium ſecundum jus commune, & declaravit, contra hæc decreta irritantia non intrare tacitam profeſſionem: denique derogavit omnibus privilegiis Ordinum legitimandi ad dignitates, & gradus Religionis.

Verum hæ Conſtitutiones moderatæ ſunt partim a Gregorio XIV. partim a Clemente VIII.

A Gregorio quidem Conſtit. *Circumſpecta* 15. *Martii* 1591. I. enim reſtituit privilegia Religionibus, olim conceſſa, legitimandi, etiam ad honores, & gradus, & dignitates: II. ſuſtulit nullitatem profeſſionis in omnibus prædictis caſibus: III. conceſſit, ut illegitimi quicunque, etiam licite recipi poſſint, præcedente ſcrutinio ſupradicto, dummodo filius illegitimus in Religione, in qua pater, ſive ante, ſive poſt nativitatem dicti filii profeſſus fuerit, ipſo patre vivente, non admittatur: IV. ſtatuit, ut illegitimi non admittantur, niſi cum conſenſu Generalis, vel Provincialis, & quod ſcrutinium, & approbatio fiat in Capitulo generali, vel provinciali: at in Religionibus, in quibus receptio pertinet ad particularia monaſteria, quæ habent jus filiationis, debeant, & poſſint recipi cum ſcrutinio talis capituli localis, ſeu conventus, & Superioris localis: & quod non recipiantur ad profeſſionem, niſi plena inquiſitio fiat de his, & in Capitulo eodem referantur, & approbentur.

A Clemente autem VIII. Conſtit. *In ſuprema* 2. *Aprilis* 1602. redactæ fuerunt ad terminos juris communis dictæ Sixti Conſtitutiones, auferendo inhabilitatem illegitimorum ad habitum, & profeſſionem, & nullitatem profeſſionis, ſive ob dictam inhabilitatam, ſive ob formam prædictam non ſervatam ſcrutinii, ut ſupra; ſalvis remanentibus pœnis ſtatutis a Sixto contra Superiores admittentes ad habitum, vel profeſſionem, non ſervata forma illa, ſcilicet ſcrutinii præcedentis.

Pœnæ a Sixto inflictæ leguntur §. VI. Conſtit. *Cum de omnibus*, ut ſequitur.

Et inſuper quoſcunque Religioſos, eorumque Superiores, qui aliquas perſonas, ut dictum eſt, inhabiles poſt hanc Conſtitutionem publicatam receperint, voce activa, & paſſiva, nec non officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuſcunque per eos obtentis, eo ipſo in perpetuum privamus, & tam illis privatos, quam ad illa quæcunque in poſterum obtinenda, perpetuo inhabiles, eorumque incapaces decernimus, & declaramus.

Nota II. Tridentini diſpoſitionem de non audiendis, niſi intra quinquennium ab emiſſa profeſſione Religioſis adverſus eam reclamantibus, injungitur, ut obſervetur etiam in Regno Peruano a decreto Cong. Conc. cofirmato ad Innocentio XI. Conſtit. *Nuper* 13. *Octobris* 1683.

SE·

Digitized by Google

SECTIO CLXXIV.

Eadem Seſſio XXV. *de Regul. Proſequitur idem caput* XIX.

NEmo etiam Regularis, cujuſcunque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem, nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum ſuæ Religionis.

Circa tranſitum ad laxiorem Religionem hic cuicunque Regulari interdictum, jam ſermo inſtitutus eſt ſupra pag. 863.

SECTIO CLXXV.

Eadem Seſſio XXV. de Regul. cap. XX.

ABbates, qui ſunt Ordinum capita, ac cæteri prædictorum Ordinum Superiores, Epiſcopis non ſubjecti, quibus eſt in alia inferiora monaſteria, Prioratuſve legitima juriſdictio, eadem illa ſibi ſubdita monaſteria, & Prioratus ſuo quiſque loco, atque ordine ex officio viſitent, etiam ſi commendata exiſtant. Quæ cum Ordinum ſuorum capitibus ſubſint, declarat S. Synodus, in iis, quæ alias de viſitatione monaſteriorum commendatorum definita ſunt, non eſſe comprehenſa: teneanturque quicunque prædictorum Ordinum monaſteriis præſunt, prædictos Viſitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipſa quoque monaſteria, quæ ſunt Ordinum capita, juxta S. Sedis Apoſtolicæ, & cujuſque Ordinis Conſtitutiones viſitentur. Et quandiu durabunt hujuſmodi commendæ, Priores clauſtrales, aut in Prioratibus conventum habentibus, Superiores, qui correctiones, & ſpirituale regimen exercent, a Capitulis generalibus, vel ipſorum Ordinum Viſitationibus inſtituantur. In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca, & jura concernunt, firma ſint, & illæſa.

Hoc decretum, præcipens, ut Priores clauſtrales, aut in prioratibus conventum habentibus Superiores, qui correctiones, & ſpirituale regimen exercent, a Capitulis generalibus, vel ipſorum Ordinum Viſitatoribus inſtituantur, etiamſi eorum monaſteria commendata ſint, ampliatum eſt ab Innoc. X. Conſt. *Paſtoralis* 25. *Sept.* 1654. favore monaſteriorum Ciſtercienſium, decernente §. II. ne eorumdem Commendatarii poſſint Priores, & officiales inſtituere, ac deſtituere, nec viſitare Monachos, eoſque corrigere, quod idem confirmatum fuit ab Alexandro VII. Conſt. *Exponi* 26. *Auguſti* 1655.

SECTIO CLXXVI.

Eadem Seſſio XXV. de Regularibus cap. XXII.

HÆC omnia, & ſingula in Superioribus decretis contenta (de reformatione ſcilicet Regularium) obſervari S. Synodus præcipit in omnibus cænobiis, ac monaſteriis, collegiis, ac domibus quorumcunque Monachorum, ac Regularium, necnon quarumcunque Sanctimonialium virginum, ac viduarum, etiamſi illæ ſub gubernio Militiarum, etiam Hieroſolymitanæ, vivant, & quocunque nomine appellentur, ſub quacunque regula, vel Conſtitutionibus, & ſub cuſtodia, vel gubernatione, vel quavis ſubjectione, aut annexione, vel dependentia cujuſcunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, vel aliorum Regularium, Monachorum, aut Canonicorum quorumcunque, non obſtantibus eorum

eorum omnium, & ſingulorum privilegiis, ſub quibuſcunque formulis verborum conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Conſtitutionibus, & regulis, etiam juratis, atque etiam conſuetudinibus, vel præſcriptionibus, etiam immemorabilibus,

Hoc decretum, ſtatuens, executioni demandanda eſſe decreta de reformatione Regularium, confirmatum eſt a Pio IV. Conſtit. *In Principis* 17. *Feb.* 1564. revocante quæcunque indulta confeſſionalia, Mare magnum, aliaque privilegia quibuſcunque Regularibus conceſſa, in iis, quæ Concilio Tridentino adverſantur.

Huic Tridentini præcepto acceſſit decretum Alexandri VII. quo ſub die 18. *Martii* 1666. proſcripſit hanc Propoſitionem la XXXVI. inter alias ab eodem damnatas = Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum. =

SECTIO CLXXVII.

Eadem Seſſio XXV. de Refor. caput II.

In hoc capitulo decernitur a quibus, & quando emittenda ſit Fidei profeſſio, cui acceſſit Conſtit. Pii IV. *Injunctum* 13. *Novemb.* 1564. præſcribentia formam, qua fieri debeat.

Præterea hoc Trident. præceptum renovatum fuit a Gregorii XIV. Conſtit. *Onus Apoſtolicæ Idib. Maji* 1591. §. *X.*

De onere, & tempore emittendæ Fidei profeſſionis, ac de iis, qui ad eam tenentur, jam inſtitutus eſt ſermo ſupra, cum de cap. XII. Seſſ. XXIV. de refor. pag. 1011.

SECTIO CLXXVIII.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. caput III.

QUamvis excommunicationis gladius nervus ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris; ſobrie tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt; cum experientia doceat, ſi temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis, ad finem revelationis ut ajunt, aut pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, a nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo, decernantur; & tum non alias, quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter, ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ ejus animum moveat: nec ad eas concedendas cujuſvis ſecularis, etiam Magiſtratus, auctoritate adducatur, ſed totum hoc in ejus arbitrio, & conſcientia ſit poſitum, quando ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore eas decernendas eſſe judicaverit.

Huic decreto, ſtatuenti, quando, &, a quo decernendæ ſint excommunicationes, ad finem revelationis, aut pro deperditis, vel ſubtractis rebus, acceſſit Conſtit. S. Pii V. *Sanctiſſimus* 27. *Jun.* 1570. præſcribentis formam, qua hujuſmodi Apoſtolicæ literæ monitoriales expediendæ ſint a Curia Romana, ibi.

Volens ſuper expeditione mandatorum, quæ fiunt in forma *ſignificavit*, pro rerum ſubtractarum, aut deperditarum reſtitutione, ſeu illarum, & illas ſubtrahentium revelatione, modum, & formam ſtatuere (manente in aliis reformatione officii Correctoris literarum Contradictarum a Sanctitate ſua edita) præſenti, quod perpetuo obſervari vult, ſcripto, ordinat, ut mandata pro reſtitutione, ſeu revelatione hujuſmodi dentur (modo ſuper illis ſupplicationes in præſentia ſuæ Sanctitatis ſignatæ fuerint) ad eorum dumtaxat inſtantiam, quorum civiliter intereſt.

Quæ

Quæ ſupplicationes rem ipſam, de qua agitur, reique valorem nominatim exprimant, niſi forte ſint pro Eccleſiis, locis piis, Univerſitatibus, Collegiis, aut univerſalibus ſucceſſoribus, quos veriſimile eſt certam rerum notitiam non habere; tunc enim hac ipſa perſonarum qualitate expreſſa, ita demum fieri poterit quædam in genere deſignatio rerum, ſi deſignatio neque nimis vaga, & incerta, atque adeo inveriſimilis ſit, & tamen oſtendat res ipſas (id, quod præcipue in omnibus attendendum eſt) minime vulgares exiſtere.

Committantur autem Epiſcopo ordinario loci, vel ejus Vicario in ſpiritualibus generali, ſub hac forma verborum, quæ eſt ex Conc. Trident. videlicet, *ſi cauſa diligenter, & magna maturitate per ipſum examinata, pro rei, loci, temporis, & perſonæ qualitatibus, ſibi pro ſua conſcientia videbitur expedire.*

Quæ in hac Conſt. ſervanda præcipiuntur, cum hæ literæ expediuntur in Curia Romana, ſignatæ coram Pontifice, ſervanda etiam ſunt reſpective, cum expediuntur ab Epiſcopo juxta facultatem hic ei a Trident. tributam.

Dubitatum olim fuit, an ſtantibus Trid. taxativis verbis = *A nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo decernantur*, quando ipſe pro re decernendas eſſe judicaverit, = tam Vicarius generalis Epiſcopi, quam Capitularis, Sede vacante, poſſit dictas literas concedere, & an utrique delegari poſſit hujuſmodi facultas per ſpeciale mandatum: propoſitoque dubio Congr. Concil. ſub die 14. *Feb.* 1583. Cardinales fuerunt inter ſe diſcrepantes, ideoque cenſuerunt, recurrendum eſſe ad Summum Pontificem pro declaratione: qui (Gregorius nempe XIII.) 27. ejuſdem menſis, & anni reſpondit ad utrumque dubium, poſſe tam Vicarium Epiſcopi, quam Capituli illas concedere abſque ſpeciali mandato; addiditque = *quia hic eſt actus juriſdictionis contentioſæ, quæ comprehenditur ſub generali commiſſione,* = *Ita Fagnan., ad cap. XIV. Quoniam de Off. deleg. n.* 41. *&* 42. Unde hodie ſtandum eſt huic Pontificiæ declarationi, quidquid in contrarium ſenſerint nonnulli DD.

Non levis hactenus efferbuit controverſia inter DD. an etiam præter Epiſcopum, & prædictos Vicarios, Prælati vere nullius has literas concedere poſſint? Affirmarunt nonnulli, ea moti ratione, quod Conc. Trident. *ſeſſ. XXV. cap. III. de Refor.* tametſi jus concedendi hæc monitoria videatur concedere Epiſcopis; nomine tamen Epiſcoporum veniunt & Prælati vere, & proprie nullius. At prævaluit opinio negativa, attentis quampluribus reſolutionibus Cong. Conc. relatis a Fagnan. in cap. XII. *Accedentibus, de Exceſſib. Prælator. n.* 25. & a Card. Petra per extenſum in *Commentario ad Conſt. IV. Caliſti III. ſect. II. n.* 64. *&* 65. quibus ſtantibus, laudatus Petra cit. *n.* 64. hanc facultatem negat etiam Prælatis regularibus reſpectu ſuorum ſubditorum.

Eas tamen concedere poſſunt Vicarius Apoſtolicus, Legati a Latere, & Nuncii Apoſtolici, juxta decreta Cong. Conc. & DD. allatos a Lucio Ferraris, *Prompta Bibliotheca verb. monitorium n.* 6. *&* 7.

Quod autem concedendæ ſint iis dumtaxat, quorum intereſt, hæc habet clariſſimus vir Franciſcus Mazzei, in Romana Curia Advocatus, nulli ſecundus, in notis ad dictam Promptam Bibliot. *loc. cit. n.* 4. = Quod ait Auctor (Ferraris) n. 12. eſſe monitoria illis tantum concedenda, quorum intereſt, „ id non eſt ita intelligendum, ut intereſſe petentium ipſa Monitoria ſit plane exploratum, recte „ enim = Raynaudus *de Monitor. part.* 1. *cap.* 1. „ *quæſt.* 12. in dubio quoque (ait) poteſt ei concedi Monitorium, ſi alioqui periclitaretur res, pro „ qua Monitorium petitur, ita ut, niſi tunc obtineretur Monitorium, eſſet poſtea futurum, ut comperto, & declarato juridice petentis jure, dilapidata, & averſa fuiſſet. =

Cum vero tam Trident. quam piana Conſt. ſtatuat, ut non aliter concedantur, quam ex re non vulgari, quæri poteſt, cujus valoris eſſe debeant res deperditæ, ſeu furto ſubreptæ, pro quarum revelatione concedendæ ſint.

Varia quidem eſt praxis Curiarum epiſcopalium. Romæ non conceduntur a Papæ Vicario, niſi ſub conditione, quod earum valor aſcendat ad quinquaginta ſcuta.

Verum quidem eſt, concedi etiam poſſe pro minori ſumma, conſiderata paupertate petentis, ac rei qualitate, quæ licet in ſe parva, ratione tamen damni, & circumſtantiarum poteſt eſſe gravis, quod remittendum eſt judicio Epiſcopi.

Hæ literæ promulgari debent a parocho, vel ab alio per Epiſcopum deputato tribus diebus feſtivis, exceptis tamen diebus Nativitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, ſolemnitatis Corporis Chriſti, ac aliis anniverſariis ſolemnioribus diebus, niſi Epiſcopus aliter judicaverit, ut præcipitur in Concilio IV. Mediolanenſi *part. III. tit. VIII. de Foro epiſcopali*; quod decretum etiam ab aliis quibusdam Eccleſiis adoptatum eſt.

Ordinarie loquendo excommunicatio in dictis literis inflicta ipſo facto incurrenda a ſcientibus, & non revelantibus detentores &c. non incurritur, niſi poſt tertiam promulgationem.

Verum eam incurret, ſi poſt primam etiam, cum poſſit, non revelaverit, quando rationabiliter prævideret, quod differendo poſt tertiam, illi, qui dictas literas impetravit, præriperetur ratio reum cogendi ad reſarciendum damnum, cum huic ſuppeditaretur tempus avertendi, vel abſtrahendi furtum, vel teſtes corrumpendi, vel quod interim reddi poſſet impotens ad ſolvendum, Pontas in *Diction. Caſuum Conſc. caſu XV. Verb. Monitor.*, qui inſuper addit, eſſe errorem vulgarem, nunquam ſatis damnandum, aſſerere neminem teneri in hac facti ſpecie detegere, niſi poſt tertiam monitorii promulgationem.

Si autem quæras, an, præciſo hoc caſu, quando in Monitorio declaretur, ut niſi ſciens revelaverit intra ſex. v.g. dies poſt tertiam promulgationem, incur-

incurrat ipſo facto excommunicationem, & Epiſcopus, a quo conceſſum fuerat, obierit, duobus puta diebus ante dictos ſex dies, eam incurrat, ſi intra hos non revelaverit, negative reſpondet laudatus Pontas loc.cit. *Caſu XVI.* eo legali motus principio, communi DD. calculo probato, quod cum Epiſcopus eam inflixerit, non ut legislator, ſed ut judex peculiaris, ejus juriſdictio vel per mortem, vel per remotionem ab officio, prout vulgati juris eſt, expirat: ideoque Monitorium ſcientem amplius non ligat, niſi a Succeſſore, aut a Vicario capitulari, Sede vacante, renovaretur.

Quam doctrinam Lucius Ferraris loc. cit. n. 71. extendit cum communi etiam ad caſum, quo literæ monitoriales concederentur a Papa, quia non dantur per modum legis univerſalis, ſed ſimplicis præcepti.

Cum autem hæ literæ monitoriales cum comminatione excommunicationis Epiſcopo reſervatæ, & reſpective Papæ, ipſo facto incurrendæ a ſcientibus & non revelantibus, ſæpiſſime concedi ſoleant, enumerantur hic pro praxi, & conſcientiæ quiete, qui ex ſententia probatorum Auctorum non tenentur ad revelandum, ac proinde dicta excomunicatione minime ligantur, &

I. Tam qui rem ipſam inventam detinet, aut furto ſurripuit, quam complex; cum nemo ſe infamare teneatur: quod locum habet juxta nonnullos, etiamſi ſpeciatim per monitorium caveatur, ut reus ſe patefaciat, Pontas *Verb. monitorium caſu IV.*

II. Qui detentorem ſciunt ſub ſigillo naturali, ab hoc ſibi commiſſo ad finem habendi conſilium,
„ *Divus Thom. parte II. q. 70. ar. 1. ad 2.* = Quan-
„ doque vero ſunt talia, quæ quis prodere non te-
„ netur: unde poteſt obligari ex hoc, quod ſibi ſub
„ ſecreto committuntur: & tunc nullo modo tenetur
„ es prodere, etiam ex præcepto Superioris, quia
„ ſervare fidem eſt de jure naturali: nihil autem po-
„ teſt præcipi homini contra id, quod eſt de jure na-
„ turali = Si tamen ageretur de re, quæ directe eſſet contra bonum publicum, tunc non excuſaretur, cum hæc ex vulgatis prævalere debeat bono privato, Pontas loc. cit. *Caſu VIII.*

III. Famuli; aliique omnes, qui revelando, grave damnum paterentur, idem Pontas cum communi, loc cit. *Caſu XIII.*

IV. Qui eſt teſtis unicus rei detentæ, vel furto ſublatæ, certo tamen ſciens, ſe eſſe unicum. *Can. Si teſtes § Unius vero cauſ. IV. q. 3.* quod confirmatur hoc juris effato = unus teſtis, nullus teſtis. = laudatus Pont. loc.cit. cum DD. ibi relatis *caſu XIX.*

V. Adoleſcens XII. vel XIII. annos natus; cum Eccleſia videatur olim non admiſiſſe talem ad revelandum, ut ex Conc. Chartaginen. VII. vulgo Affricano nuncupato, can. *Teſtes*, in quo ſic ſtatuitur = *Ad teſtimonium autem infra annos XIV. ætatis ſuæ non admittantur teſtes & cit. can. Si teſtes*, = qui deſumptus eſt a lege Julia. In Gallia tamen admitti poſſunt ad declarandum = idem Pont. *caſu XX. l. c.*

Quamvis vero tam teſtis unicus, quam impubes non revelando, excomunicationem non incurrerent, ſi tamen ex eorum revelatione Judex utiliter poſſet uti indiciis in gratiam domini rei deperditæ, vel furto ſublatæ, v. g. ſi revelarent eam in aliquo loco depoſitam eſſe, cenſerem teneri ſub gravi ad revelandum ex præcepto charitatis;

VI. Coſanguinei uſque ad IV. gradum, & affines ex cit. can. *Si teſtes §. Lege Julia publicorum judiciorum*, idem Pontas *caſu XII.*

Sed circa conjunctos ſanguine variant DD. alii enim ſtrictius procedentes, autumant excuſari dumtaxat eos, qui in II. gradu ſunt cum detentore, vel fure conjuncti, quique cum eo ſub uno pane, & tecto vivunt, ne per revelationem oriantur inter eoſdem rixæ, ſimulationes &c.

Verum cum conſanguinei uſque ad IV. gradum ex cit. Can. repellantur a teſtificando in judicio, crederem omnes ſine limitatione excuſari, cum ex eorum revelatione judex ad ſententiam devenire non poſſet, ideoque hæc eſſet inutilis.

Ex eadem ratione rixarum, & ſimulationum non tenetur uxor revelare maritum, cum cenſeatur unum, & idem cum eodem, & e converſo.

Circa affines, Cong. Conc. *in Fulginaten. 14. Decemb.* 1630. declaravit = Si veritas aliunde haberi non poſſit, ſcientes non excuſari ſola exceptione, ſeu pretextu affinitatis, quominus juxta formam dd. literarum apoſtolicarum revelare teneantur =. Hæc declaratio reperitur lib. XIV. *Decret. ejuſd. Cong.* a me recognita, *pag.* 365.

VII. Nec tenetur certo ſciens detentorem rei eam retinere juſto titulo compenſationis; cum tunc non ſit injuſtus detentor; ita communiter.

VIII. Nec ſciens eumdem detentorem ex auditu alterius, quando probe noverit, hunc illum revelaſſe; nam tunc judex ex teſtimonio de auditu certior fieri nequit, Pontas l. cit. *caſu XXVII.*

IX. Item nec ſciens ex auditu ab hominibus mentiri ſolitis, vel nominantibus detentorem præ levitate, aut ex rumoribus vulgaribus, & incertis, cum *Rumor... viciniæ* (ait Cæleſt. III. *in cap. V. Super, de eo, qui cognovit conſanguin. uxoris ſuæ*) *non adeo eſt judicandus validus...... niſi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant.* =

X. Item ſciens ex auditu a perſonis probis, & fide dignis, ſed ignotis, aut de quarum nominibus nulla eſt memoria, quas propterea indicare non poſſit; non tenetur revelare, cum ejus revelatio inutilis evaderet ad detentorem detegendum.

Si tamen (ita Pontas *caſu XXIII.* juſta aliqua ſit cauſa dubitandi de inutilitate, vel utilitate ipſius denunciationis, denunciare debet, judicíſque erit denunciatione illa uti, prout ipſi videbitur. Ratio eſt, quod quandoquidem lex, quæ denunciationem præcipit, certa eſt, ac evidens, ab obedientia nemo ſe liberare poteſt, cum cauſa, quæ ab obſequio liberare poſſet, æque certa, ac æque evidens non eſt; fieri enim poteſt illius denunciationem aliis conjecturis prægnantibus additam, judici utilem evadere poſſe juxta effatum, *quæ non proſunt ſingula, multa juvant.* =

SECTIO CLXXIX.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. Proſequitur idem cap. III.

IN cauſis vero judicialibus mandatur omnibus eccleſiaſticis, cujuſcunque dignitatis exiſtant, ut, quandocunque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe, tam in procedendo, quam definiendo, a cenſuris eccleſiaſticis, ſeu interdicto: ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civilibus ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcunque, etiam laicos, per multas pecuniarias, quæ locis piis, ibi exiſtentibus, eo ipſo, quod exactæ fuerint, aſſignentur.

Hoc decretum, ſtatuens, multas pecuniarias eo ipſo, quod exactæ fuerint, aſſignandas eſſe locis piis, ampliatum eſt ab Innoc. XI., cujus juſſu 5. *Feb.* 1678. expeditæ fuerunt a Cong. Epiſc. & Regul. literæ encyclicæ ad omnes Epiſcopos, relatæ *lib. X. de Synodo dicer. Cap. X. n.* 5. præcipiendo dictas multas ſtatim tradi cuſtodiendas fideli depoſitario, ut ſemper innoteſcat, quantum a delinquentibus exactum fuerit, & in quem uſum erogatum.

SECTIO CLXXX.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. caput IV.

COntingit ſæpe in quibuſdam Eccleſiis, vel tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus, a teſtatoribus præſcriptis, nequeat ſatisfieri; vel eleemoſynam hujuſmodi pro illis celebrandis adeo tenuem eſſe, ut non facile inveniatur, qui velit huic ſe muneri ſubjicere, unde depereunt piæ teſtantium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur: S. Synodus, cupiens hæc, ad pios uſus relicta, quo plenius, & utilius poteſt, impleri, facultatem dat Epiſcopis, ut in Synodo diœceſana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut in ſuis Capitulis generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire: ita tamen, ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios uſus reliquerunt.

Huic decretum derogatum eſt ab Urbano VIII. Conſtit. *Cum ſæpe* 21. *Jun.* 1625. *in decretis de celebrat. Miſſar.* §. 1. Statuente pro utroque caſu a Conc. expreſſo adeundam eſſe Sedem Apoſtol. ſi talia onera, impoſita ſint aut poſt Tridentinum, aut etiam in limine fundationis, ibi.

Diſtricte prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtol. Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Et hoc locum habet, etiamſi legatum relictum pro Miſſis celebrandis eſſet ita tenue, & nondum ab ullo acceptatum fuiſſet, ut adnotatum legitur poſt dictam Urbani Conſtitutionem: ac etiamſi nec eſſet qui vellet illud ſubire, ut ſæpius declaravit Cong. Conc. & præſertim *in Lucana Onerum Miſſarum* 20. *Jun.* 1682.

Secus vero eſſet, ſi is, qui legatum reliquit, expreſ-

expreſſam facultatem dediſſet Epiſcopo Miſſarum deſignatarum numerum minuendi; tunc enim licere Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtolica, ea facultate uti, cenſuit ead. S. Cong. uti habetur tom. *V. Bullar.* poſt laudatam Urban. VIII. Conſtitutionem.

Urbani decreta relata, & confirmata fuerunt ab Innocentio XII. Conſtit. *Nuper* 23. *Decem.* 1697.

S E C T I O C L X X X I.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. cap. VI.

STatuit S. Synodus, ut in omnibus Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis decretum ſub fel. rec. Paulo III. quod incipit, *Capitula Cathedralium*, obſervetur, non ſolum, quando Epiſcopus viſitaverit, ſed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicujus contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat: ita tamen, ut, cum extra viſitationem proceſſerit, infraſcripta omnia locum habeant: videlicet, ut Capitulum *initio* cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum conſilio, & aſſenſu Epiſcopus, vel ejus Vicarius, tam in formando proceſſum, quam in cæteris omnibus actibus uſque ad finem cauſæ incluſive, coram notario tamen ipſius Epiſcopi, & in ejus domo, aut conſueto tribunali, procedere teneatur. Unum autem tantum ſit utriuſque votum, poſſitque alter Epiſcopo accedere. Quod ſi ambo ab Epiſcopo diſcordes in aliquo actu, ſeu interlocutoria, vel definitiva ſententia fuerint; tunc intra ſex dierum ſpatium cum Epiſcopo tertium eligant; &, ſi in electione tertii etiam diſcordent, ad viciniorem Epiſcopum electio devolvatur; & juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus in quo erat diſcordia, terminetur: alias proceſſus, & inde ſecuta nulla ſint, nulloſque producant juris effectus. In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in decreto de concubinariis, & in atrocioribus delictis, depoſitionem, aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideo opus ſit perſonali detentione, poſſit initio ſolus Epiſcopus ad ſummariam informationem, & neceſſariam detentionem procedere; ſervato tamen in reliquis ordine præmiſſo. In omnibus autem caſibus ea ratio habeatur, ut juxta qualitatem delicti, ac perſonarum, delinquentes ipſi in loco decenti cuſtodiantur.

Pro conciliatione hujus Cap. cum *cap. IV. Seſſ. VI. de refor.* faciunt perpenſa a Bened. XIV. *de Synod. diœc. lib. XIII. cap. IX. edit. an.* 1755. *a n.* 5. ad totum 9.

,, Duo ſunt Textus Trident. Conç. ad materiam
,, hanc pertinentes. Primus habetur in *cap. IV.*
,, *ſeſſ. VI de refor.* ubi ſic legitur = *Capitula cathe-*
,, *dralium, & aliarum majorum Eccleſiarum, illo-*
,, *rumque perſonæ, nullis exemptionibus, conſuetu-*
,, *dinibus, ſententiis, juramentis, concordiis, quæ*
,, *tantum ſuos obligent auctores, non etiam ſucceſſo-*
,, *res, tueri ſe poſſint, quo minus a ſuis Epiſcopis,*
,, *vel aliis majoribus Prælatis, per ſe ipſos ſolos,*
,, *vel illis, quibus ſibi videbitur, adjunctis, juxta*
,, *canonicas ſanctiones, toties, quoties opus fuerit,*
,, *viſitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate*
,, *Apoſtolica, poſſint, & valeant.* =
,, De Capitulis exemptis ibi proculdubio Synodus
,, loquitur; quoniam & obtentis exemptionibus de-
,, rogat, & auctoritatis Apoſtol. mentionem facit, ut
,, ea Epiſcopos muniat. Vult autem, Epiſcopos
,, hæc etiam capitula, eorumque Canonicos viſitare
,, poſſe, corrigere, & emendare, tam per ſe ipſos
,, ſolos, quam cum adjunctis ſibi perſonis eorumdem
,, arbitrio deligendis. Quo nihil amplius deſideran-
,, dum videtur, ut jure poſſimus aſſerere, in facul-
,, tatibus Epiſcopi eſſe, quacunque exemptione,
,, quocunque privilegio, & qualibet etiam imme-
,, morabili conſuetudine nihil obſtante, Capituli, &
,, Canonicorum viſitationem peragere, eoſque pro
,, meritis corrigere, & punire, abſque eo quod te-
,, neatur alios in conſilium aſſumere, multoque mi-
,, nus aliquem ex Canonicorum, aut beneficiatorum
,, numero ſibi adjungere; cum in illius voluntatis
,, arbitrio poſitum ſit, alterius auxilio hac in re
,, uti, aut non uti: utendo autem, ex quolibet
,, hominum genere adjunctos ſibi deligere: quemad-
,, modum aperte reſcripſit Cong. Conç. in cauſa.
,, Zamoren. lib. 131. Poſitionum pag. 806. = Præ-
,, ſuppoſito, quod Capitulum Zamorenſe eſt exem-
,, ptum de conſuetudine immemorabili, quæritur,
,, an poſſit Epiſcopus viſitare Eccleſiam, illiuſque
,, Canonicos, beneficiatos, & alias Eccleſiæ perſo-
,, nas per ſe ipſum, vel an debeant intervenire adjun-
,, cti, aut aliæ perſonæ de Eccleſia, vel extra eam,
,, quia nunc procedit ſolus Epiſcopus cum Secreta-
,, rio, & Notario. Cong. Conc. reſpondit, poſſe
,, per ſe ipſum ſolum, abſque adjunctis = Animad-
,, advertenda in hac reſolutione ſunt ea verba: *per*
,, *ſe ipſum* quæ plane reſpondent aliis a Trident.

,, Conc.

Conc. in cit. Cap. IV. adhibitis : *per ſe ipſos* : ex quibus evidenter infertur, Epiſcopum, quoties Capituli exempti viſitationem ſeorſim inſtituere velit, id quidem poſſe, ſed eam *per ſe ipſum* explere debere, nec operam hanc alteri committere poſſe, ſicuti egregie advertit Fagnanus in cap. *Procurationes, n. 11. de Cenſibus* : contra vero, id licitum eſſe Epiſcopo, dum univerſæ diœceſis, vel partem illius viſitationem peragit, juxta decreta in cap. III. *Seſſ. XXIV.* & ſicuti Coug. Conc. perpendit in *Cauſa Hiſpalen. die 12. Martii an.* 1593. *lib. VII. decretor. pag.* 98. = Sacra &c. cenſuit, Ordinarium volentem viſitare in vim cap. *IV. Seſſ. VI.* teneri *per ſe ipſum* : volentem autem viſitare ex *cap. III. Seſſ. XXIV.* poſſe per ſuum generalem Vicarium, aut Viſitatorem, ſi tamen legitime impeditus fuerit. =

„ Nonnulli olim arbitrati ſunt, Epiſcopum hujuſmodi exempta Capitula viſitaturum, teneri duos ex Canonicis ſibi adjunctos adhibere, ex ea potiſſimum ratione, quod & Concilium in ſuo decreto ad Jus commune ſe referat iis verbis = *juxta canonicas ſanctiones* : & Jus commune duos, aut tres Cathedralis Canonicos Epiſcopo viſitanti adjungat, uti videre eſt in cap. *Ut juxta, de Off. Jud. ordin.* quam olim ſententiam Rota Romana amplexa fuiſſe dignoſcitur. Verum, cum ea Concilii verba *juxta canonicas ſanctiones* recte referri poſſint ad alia, quæ proxime conſequuntur, *toties, quoties opus fuerit*, nec extra omne dubium poſitum ſit, quod etiam ex regula juris communis teneatur Epiſcopus, exemptum Capitulum viſitaturus, duos ſibi Canonicos adjungere, ut videri poteſt in cap. *Debent, de Off. Jud. ordin. inter Extravag. commun.* = contra vero certiſſimum ſit, a Trident. Conc. (quod multo poſt habitum fuit, quam ſtatutum id extitit in jure communi) decretum fuiſſe, immunia Capitula viſitari poſſe per Epiſcopos ſive *ſolos*, ſive *illis, quibus ſibi videbitur, adjunctis*, nullus jam relatæ opinioni locus eſſe poteſt : ideoque merito fuit a S. Conc. Cong. rejecta : cujus judicium a Summo Pontifice Greg. XIII. approbatum fuit, & confirmatum, uti diſerte teſtatur Fagnanus in cit. cap. *Ut juxta, n. 37. de Off. Jud. ordin.*

„ Alter de hac ipſa re Conc. Triden. textus continetur in *cap. VI. ſeſſ. XXV. de reform.* ubi poſt confirmationem eorum omnium, quæ in antedicto *cap. IV. Seſſ. VI.* ſtatuta fuerant, eamdem materiam de Capitulis, & Canonicis ab epiſcopali juriſdictione exemptis proſequendo, tranſitus fit ad alium caſum, quo Epiſcopus *extra viſitationem* contra aliquem de Capitulo procedere velit : idque ab Epiſcopo fieri non poſſe ſtatuitur ſine conſilio, & aſſenſu duorum Capitularium, quos anno quolibet ineunte tenetur Capitulum deſignare, ut poſſint Epiſcopo ſemper adeſſe, ſi is extra actum viſitationis in aliquem ex Canonicis procedere velit. Quia vero, cum Epiſcopus ſolus ſit, Canonici autem duo, facile evenire poſſet, ut hi inter ſe conſpirarent, unitiſque ſententiis contrariam Epiſcopi opinionem eluderent ; ideo Concilium provide ſtatuit, ut duorum Canonicorum ſententiæ ſimul junctæ unius tantummodo ſuffragii vim habeant, & ut Epiſcopi quidem ſententia prævaleat, ſi alter ex Canonicis ſuum illi judicium adjungat : ſi autem Canonici ambo in contraria ſententia juncti perſeverent, nec Epiſcopus a ſua dimoveatur, tunc intra ſex dierum ſpatium ad tertii electionem procedendum fore decernit, præſcripta etiam hujuſmodi electionis forma, ſicuti fuſius legitur in dicto *Cap. VI. Seſſ. XXV.* ubi etiam prudenter ſtatuitur, quid faciendum ſit, ſi timeatur, ne certorum criminum reus fugam arripiat ; nimirum, poſſe tunc Epiſcopum ſolum, etiam extra viſitationis actum, ad neceſſariam perſonæ detentionem procedere ; firma tamen remanente obligatione adhibendi adjunctos in cauſæ proſecutione.

„ Si duo hæc Concilii decreta, quæ ſunt nimirum *in Cap. IV. Seſſ. VI.* & in *Cap. VI. Seſſ. XXV. de Refor.* apte inter ſe comparentur, quod non omnes faciunt, haud difficile erit Tridentinorum Patrum mentem deprehendere ; quæ ſcilicet, & liberum eſſe voluit Epiſcopis jus viſitandi Capitula, etiam exempta, per ſe ipſos ſolos, & abſque adjunctis ; & nihilominus eiſdem exemptis Capitulis præſervandum cenſuit privilegium, ut extra viſitationem non poſſit Epiſcopus contra Canonicum quemlibet procedere, niſi duobus aliis Canonicis ad id ſibi adjunctis, ac de eorum conſilio, & aſſenſu, eo modo, quem paulo ante explicavimus. De duorum hujuſmodi textuum conciliatione, ac de duorum caſuum diſtinctione, cum ſcilicet Epiſcopus, aut procedit *in viſitatione*, aut *extra viſitationem*, opportune tractant Barboſa = in notis *ad cap. VI. ſeſſ. XXV. n. 3. de reform. & de Canonicis, cap. XXVIII. n. 2. Tondut. Quæſt. beneſic. tom. I. cap. LXI. n. 2. Solorzan. de jure Indiar. tom. II. lib. III. cap.* XIV. *n. 66. Rota deciſ. 743. part. I. diverſor. & in Giennen. Adjunctorum 13. Feb. 1702. coram bon. mem. Molines, (quæ eſt deciſ. 13. in Mantiſſa ad Cardinalem de Luca tom. I. lib. III.) & in Taraconen. coram bon. mem. de Ulmo* (quæ eſt deciſ. 9. *poſt Proſperum in ſuo tractatu de Territorio ſeparato*) & præcipue *n. 7. & ſeq.* = ubi, Taraconenſi Capitulo contendente, non poſſe Epiſcopum contra Canonicos agere extra viſitationem, niſi duos ſibi adjunctos aſſumeret, juxta præſcriptum cujuſdam Conſtitutionis Benedicti XII. & Conc. Trid. = in cit. *cap.* VI. *ſeſſ.* XXV. = contra ipſum Capitulum judicium fertur ; propterea quod allegata quidem Conſtitutio ad caſum, de quo tunc quærebatur, nequaquam pertinere viſa eſt. Trident. vero decretum locum habere non poteſt, niſi Capitulum aliunde probetur exemptum, quod de Taraconenſi Capitulo tunc dici poſſe Rota non cenſuit. Et quidem ipſa etiam Cong. Conc. Trident. Interpres in ea ſemper fuit opinione, non eſſe locum decreto de adjunctis, quod legitur in cit. *cap.* VI. *ſeſſ.* XXV. *de refor.* niſi cum & agitur de Capitulo ab Epiſcopi juriſdictione exempto, & Epiſcopus contra Canonicum procedere intendit *extra viſitationem*, ſicuti colligitur ex variis ejuſdem Cong. reſponſionibus ad poſtulata Epiſcoporum = *Epiſcopus Brixien. ad obſervationem decreti Conc. Tridènt. ſeſſ. XXV. cap. VI. ſupplicat declarari,*

„ *an ea, quæ obſervanda injunguntur Epiſcopo extra*
„ *viſitationem procedenti contra cathedralis, &*
„ *collegiatarum Eccleſiarum Capitula, & eorum*
„ *perſonas adeo indiſtincte locum habeant, ut,*
„ *etiamſi Capitula hujuſmodi exempta non ſint, ea*
„ *nihilominus Epiſcopus obſervare teneatur. Sa-*
„ *cra &c. cenſuit, dictum Cap.* VI. *ſeſſ.* XXV. *ha-*
„ *bere tantum locum in Capitulis exemptis.* Similis
„ plane eſt alia reſponſio, quam Faventino dedit
„ Epiſcopo: *Epiſcopus Faventinus rogat, an Ca-*
„ *nonicos, & quoſcunque alios ſua Eccleſiæ delin-*
„ *quentes paſſit ſine Capituli, ſeu cujuſvis alterius*
„ *interventu corrigere, non obſtante Conc. Trident.*
„ *decr. ſeſs. XXV. Cap. VI. quod, ut ipſe exiſtimat,*
„ *de exemptis a juriſdictione Epiſcopi dumtaxat,*
„ *& non de aliis, intelligitur. Sacra &c. cenſuit,*
„ *ita eſſe intelligendum dictum cap.* VI. *ſeſſ.* XXV.
„ Eique concordat alia reſponſio Epiſcopo Gadicen-
„ ſi. *Diebus præteritis fuit petita pro parte Epi-*
„ *ſcopi Gadicenſis declaratia S. Cong. quod decr.*
„ *Conc. cap.* VI. *ſeſſ.* XXV. *dum loquitur de adjun-*
„ *ctis, non habeat locum, niſi in Capitulis exem-*
„ *ptis, & propterea petebatur declarari, quod Epi-*
„ *ſcopus Gadicen. non obligetur dicta decreto, nec*
„ *teneatur aſſumere adjunctos Capitulares, quia*
„ *Capitulum non eſt exemptum &c. Sacra &c. cen-*
„ *ſuit, ſi verum eſt, Capitulum Gadicenſe non eſſe*
„ *exemptum a juriſdictione Ordinarii, non habere*
„ *in eo locum decretum illud Conc. ſeſſ.* XXV. *cap.*
„ VI. Omnes hæ reſponſiones editæ ſunt anno 1573.
„ & leguntur *lib.* I. *decretor. pag.* 71. *pag.* 152. *a*
„ *terg. pag.* 156. *a terg. & pag.* 157.

S E C T I O C L X X X I I.

Eadem Seſſio XXV. de Refor. cap. VII.

CUM in beneficiis eccleſiaſticis ea, quæ hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referunt ſacris Conſtitutionibus ſint odioſa, & Patrum decretis contraria; nemini in poſterum acceſſus, aut regreſſus, etiam de conſenſu, ad beneficium eccleſiaſticum, cujuſcunque qualitatis, concedatur; nec hactenus conceſſi ſuſpendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque decretum in quibuſcunque beneficiis eccleſiaſticis, ac etiam cathedralibus Eccleſiis, ac in quibuſcunque perſonis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat.

Hoc decretum, prohibens tam acceſſus, aut regreſſus, etiam de conſenſu partium, ad quodcunque beneficium eccleſiaſticum, quam futuram ſucceſſionem in Coadjutoriis, declaratum eſt a S. Pio V. Conſt. *Romani* 12. *Sept.* 1571. revocante omnes dictos regreſſus, acceſſus, & ingreſſus, etiam eventuales, & pænales, ac Coadjutorias, etiam de conſenſu, quomodolibet hactenus conceſſas, etiam S. R. E. Cardinalibus, ſuper quibus literæ Apoſtolicæ integraliter expeditæ non fuerint, ibi.

Hinc eſt, quod nos volentes omnem hæreditariam beneficiorum eccleſiaſticorum ſucceſſionem de Eccleſia Dei tollere, ac libertati beneficiorum hujuſmodi providere, & ut de perſona magis utili, & idonea, prout requiritur, facilius provideri valeat, omnes, & ſingulos regreſſus, acceſſus, & ingreſſus, etiam eventuales, aut pænales, ac Coadjutorias, etiam de conſenſu, aut alias quomodolibet ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis efficaciſſimis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine clauſulis irritantibus, & aliis decretis quomodolibet per quoſvis Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros ad beneficia eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia, etiamſi ſecularia, Canonicatus, & præbendas, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, aut collegiatis Eccleſiis, & dignitates ipſas in cathedralibus, etiam metropolitanis poſt pontificales majores, ſeu collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales, regularia vero beneficia hujuſmodi, monaſteria etiam conſiſtorialia, prioratus, præpoſituras, dignitates, etiam conventuales, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia etiam clauſtralia, ac hoſpitalia, & præceptorias, etiam hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, etiam quarumvis aliarum Militiarum quibuſvis perſonis, cujuſcunque ſtatus gradus ordinis, & conditionis exiſtentibus, etiam epiſcopali, archiepiſcopali, patriarchali dignitate, aut Cardinalatus honore pollentibus conceſſos, ſuper quibus literæ Apoſtolicæ integraliter hactenus expeditæ non fue-

runt

runt, etiamſi in Plumbaria noſtra, aut penes Summatorem noſtrum reperiantur, motu proprio &c. tenore præſentium revocamus, caſſamus, & abolemus.

SECTIO CLXXXIII.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. Proſequitur idem cap. VII.

IN Coadjutoriis quoque cum futura ſucceſſione idem poſthac obſervetur, ut nemini in quibuſcunque beneficiis eccleſiaſticis permittantur.

Reprobantur hic Coadjutoriæ eum futura ſucceſſione in inferioribus beneficiis, diſtinctis ab Epiſcopatibus, & Præpoſituris regularibus.

Verum eum Tridentini Patres *Cap.* XXI. *Seſſ.* XXV. ſuam mentem expreſſerint, omnia, & ſingula, quæ de morum reformatione, atque eccleſiaſtica diſciplina ſtatuta fuerunt in hoc Concilio decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper suctoritas Sedis Apoſtolicæ, & ſit, & eſſe intelligatur. Uſus, & conſuetudo in iis concedendis obtinuit, ut pro temporum, & perſonarum circumſtantiis jam inde ſtatim poſt dictum Concilium obſervata, & in hæc noſtra tempora producta, ut palam faciunt exempla conceſſinnum, quæ in Datariæ regeſtis, tum ſub Pio IV. poſt abſolutum Concilium, tum ſub S. Pio V. tum ſub cæteris ſucceſſoribus Pontificibus, expeditæ reperiuntur. Ita Benedictus XIV. *de Synod. Diæc. lib.* XIII. *cap.* X. num. 29. edit. an. 1755.

Circa has Coadjutorias vide etiam notata part. 1. pag. 13.

SECTIO CLXXXIV.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. Proſequitur idem cap.VII.

QUod, ſi quando Eccleſiæ cathedralis, aut monaſterii urgens neceſſitas, aut evidens utilitas poſtulet Prælato dari Coadjutorem; is non alias cum futura ſucceſſione detur, quam hæc cauſa prius diligenter a Sanctiſſimo Romano Pontifice ſit cognita; & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ a jure, & decretis hujus S. Synodi in Epiſcopis, & Prælatis requiruntur: alias conceſſiones ſuper his factæ ſurreptitiæ eſſe cenſeantur.

Circa Coadjutores dandos Epiſcopis cum futura ſucceſſione adeatur laudatus Benedictus loco mox cit.

SECTIO CLXXXV.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. cap. X.

QUoniam, ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia, quibus cauſæ mandantur, uſque adeo haberi non poteſt, hincque interdum judicibus, non undequaque idoneis, cauſæ in partibus delegantur; ſtatuit S. Synodus, in ſingulis Conciliis provincialibus, aut diæceſanis aliquot perſonas, quæ qualitates habeant, juxta Conſtitutionem Bonif. VIII., quæ incipit, *Statutum*; & alioquin ad id aptas deſignari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam poſthac cauſæ eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et ſi aliquem interim, ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad futuram provincialem, aut diæceſanam Synodum: ita ut habeat quæque diæceſis quatuor ſaltem, aut etiam

etiam plures probatas perſonas, ac, ut ſupra, qualificatas, quibus hujuſmodi cauſæ a quolibet Legato, vel Nuncio, atque etiam a Sede Apoſtol. committantur: alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad ſummum Romanum Pontificem tranſmittant, delegationes quæcunque aliorum judicum, aliis, quam his factæ, ſurreptitiæ cenſeantur.

Hoc decretum, ſtatuens, ut unaquæque diæceſis habeat quatuor ſaltem, aut plures probatas perſonas in Conciliis provincialibus, aut diæceſanis deſignandas, quæ Judices Synodales vocantur, præditas qualitatibus expreſſis in Conſlit. Bonif. VIII. *Cap. Statutum, de Regul. in* VI. quibus, aut Epiſcopis cauſæ eccleſiaſticæ in partibus committendæ ſunt, ita ut delegationes aliis factæ ſubreptitiæ cenſeantur, cum facultate alium ſubſtituendi per locorum Ordinarium cum conſilio capituli uſque ad futuram provincialem, aut diæceſanam Synodum, ſi quam ex illis mori contingat, ampliatum eſt a Bened. XIV. in Epiſtola ad locorum Antiſtites, incipiente *Quamvis* 26. *Aug.* 1741. ſtatuente.

I. Ut eorumdem Synodalium judicum nomina, ut ſupra deſignatorum, vel ſuffectorum, quamprimum ab Ordinariis ad Summum Pontificem tranſmittantur, ut ita Officiales S. Sedis ſcire poſſint, quibus Apoſtolicas commiſſiones dirigere debeant.

II. Ut in caſu Concilii provincialis, aut ſynodalis non coacti, iidem Ordinarii interim eos eligant cum conſilio ſuorum Capitulorum, & illorum nomina pariter ad Pontificem tranſmittant.

III. Ut eligantur nedum quatuor, ſed etiam plures, ſi diæceſis amplitudo, aliæque peculiares circumſtantiæ id expoſcant, ibi.

Volumus itaque, & mandamus, quod in iis diæceſibus, in quibus vigiles Eccleſiarum Antiſtites ad tramites Tridentinæ Synodi Judices elegerunt in Conciliis, ſive provincialibus, ſive diæceſanis, electorum nomina quamprimum Nobis renuncient; & ſi forte unum, vel plures illorum mori contingat, antequam denuo eadem Concilia cogantur, decedentibus ſubrogentur novi judices, eligendi ab Epiſcopo cum conſilio Capituli, qui nomina ſubrogatorum in dicto munere, uſque ad diem Synodi duraturo, Nobis itidem ſignificent. Ubi vero Concilia provincialia, & ſynodalia jamdiu coacta non ſunt, nec ulla idcirco facta dignoſcitur Judicum electio, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Domino jugiter hortamur, & obteſtamur, ut ſublatis quibuſvis impedimentis, eadem Concilia, *ſicubi* ommiſſa ſunt, quamprimum haberi curent: interim vero cum conſenſu ſuorum Capitulorum judices eligant, & nomina electorum in Albo redacta Nobis remittant; & ſi mori aliquem contingat, alios cum conſilio capituli ſufficiant, ſuffectoſque Nobis indilate denuncient. Quo autem ad numerum eligendorum, etſi Tridentini decreto cautum ſit, quatuor ſaltem in unaquaque diæceſi eligi debere, plures nihilominus eligi volumus, ſi diæceſis amplitudo, aliæque peculiares circumſtantiæ id probe expoſcere videantur.

Monitos tamen eſſe volumus locorum Ordinarios, quod licet ad tramites præmiſſæ decretalis Bonif. VIII., cui etiam conſona ſunt diſpoſita a Tridentino, facultas judicandi tribuenda ſit perſonis, dignitate aliqua eccleſiaſtica, perſonatu, vel Canonicatu cathedralis Eccleſiæ inſignitis; hujuſmodi qualitates ita eſſe accipiendas, ut non deſit in perſona ad hoc munus aſſumenda, altera potiſſimum requiſita, qualitas doctrinæ, & idoneitatis, in qua ſumma negotii eſt conſtituta. Hoc pacto deſignati, & electi judices Noſtro ſupplicum Libellorum Secretario denuncientur ab Ordinariis, vel immediate per ſe ipſos, vel mediate per ſuos in Urbe negotiorum Geſtores, Noſtræque erit vigilantiæ ſolerter cavere, ne in poſterum ab Officialibus noſtræ Curiæ ad id deputatis, cauſæ aliis, quam dictis judicibus delegentur.

Notandum eſt hic, quod ex Conſlit. ejuſdem Bened. *Dei miſeratione* 3. *Novemb.* 1741. hujuſmodi judicibus committendæ ſunt cauſæ, præſertim matrimoniales, in defectum Epiſcoporum, quam habes part. I. pag. 484.

SECTIO CLXXXVI.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. Proſequitur idem cap. X.

ADmonet dehinc S. Synodus tam Ordinarios, quam alios quoſcunque judices in terminandis cauſis, quanta fieri poterit brevitate, ſtudeant: ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

Decretum hoc, præſcribens, ut tam Ordinarii, quam alii quicunque Judices, quanta fieri poterit brevitate in terminandis cauſis, ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu in alia parte judicii differenda, termini præfixione occurrant, ampliatum eſt, ut notavi poſt caput XX. Seſ. XXIV. de Reform. *pag.* 1024. *& ſeq.*

SECTIO CLXXXVII.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. cap. XI.

MAgnam Eccleſiis perniciem afferre ſolet, cum earum bona repræſentata pecunia, in ſucceſſorum præjudicium aliis locantur. Omnes igitur hæ locationes, ſi anticipatis ſolutionibus fient, nullatenus in præjudicium ſucceſſorum validæ intelligantur, quocunque indulto, aut privilegio non obſtante: nec hujuſmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam, juriſdictiones Eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus, locare; nec conductoribus per ſe, aut alios ea exercere: aliterque conceſſiones, etiam a Sede Apoſtolica factæ, ſurreptitiæ cenſeantur. Locationes vero rerum eccleſiaſticarum, etiam auctoritate Apoſtol. confirmatas, S. Synodus irritas decernit, quas a triginta annis citra, ad longum tempus, ſeu, ut in nonnullis partibus ad viginti novem, ſeu bis viginti novem annos vocant, factas, Synodus provincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones contractas fuiſſe judicabunt.

Circa anticipatas ſolutiones fructuum bonorum eccleſiaſticorum, quæ hic, ut ſucceſſoribus præjudiciales, nullæ declarantur, attendenda eſt Conſtit. Benedicti XIV. *Univerſalis Eccleſiæ* 29. *Aug.* 1741. in qua ſub pœna excommunicationis, & nullitatis contractus prohibetur venditio, ac diſtractus fructuum beneficiorum vel ad vitam, vel ad longum tempus per unam, vel per plures anticipatas ſolutiones. Textum habes part. I. pag. 287.

SECTIO CLXXXVIII.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. cap. XII.

NON ſunt ferendi, qui variis artibus decimas Eccleſiis obvenientes ſubtrahere moliuntur, aut qui ab aliis ſolvendas temere occupant, & in rem ſuam vertunt; cum decimarum ſolutio debita ſit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadant. Præcipit igitur S. Synodus omnibus, cujuſcunque gradus, & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in poſterum cathedrali, aut quibuſcunque aliis Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant. Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur. Hortatur dehinc omnes, & ſingulos

pre

pro chriſtiana caritate, debitoque erga Paſtores ſuos munere, ut de bonis ſibi a Deo collatis, Epiſcopis, & Parochis, qui tenuvioribus præſunt Eccleſiis, large ſubvenire ad Dei laudem, atque ad Paſtorum ſuorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.

In hoc capitulo agitur de ſolutione decimarum, ad quas Cong. Conc. 17. *Junii* 1645. declaravit, teneri etiam Regulares eo modo, quo ſolvebantur a laicis, priuſquam horum bona in ipſorum Regularium proprietatem translata eſſent, ut ex decreto ab Innocentio X. 31. *Julii* ejuſdem anni confirmato, quod in ejus Brevi incipien. *Nuper pro parte* 21. *Feb.* 1646. inſertum eſt, ut ſequitur = In cauſa decimarum Regni Poloniæ die 17. *Junii* 1645. Sacra Cong. Eminentiſſ. Cardinalium Conc. Trident. Interpretum iterum, atque iterum auditis Regularibus, & præcipue PP. Societatis Jeſu, eorumque juribus, & privilegiis mature diſcuſſis, cenſuit ab eiſdem Patribus, & aliis Regularibus ſolvendas eſſe Parochis, & aliis beneficiatis Regni Poloniæ decimas, quæ ſolvebantur a laicis, priuſquam bona in ipſorum Patrum, & aliorum Regularium proprietatem fuerunt translata: firmis tamen remanentibus tranſactionibus deſuper factis: quod decretum emanavit prævia exhibitione facta ab ipſis Patribus, cui etiam decreto poſtea conſenſerunt, prout & Agens Cleri Regni Poloniæ. Die vero 31. *Julii* 1645. Sanctiſſimus Dominus Noſter, Eminentiſſimo Cardinali Præfecto referente, in Conſiſtorio approbavit. =

Quod decretum, licet emanatum fuerit contra Regulares Regni Poloniæ, quicunque tamen Regulares eo ligantur = privilegia enim (ita Theſaurus *de pœnis Eccleſiaſt.* verbo *Decimæ Cap.* l.) conceſſa Regularibus exemptionis a decimis clauſa in corpore juris, ſunt perſonalia, quæ habent ſemper illam reſtrictionem, ex propriis laboribus *c. Licet*, *c. A nobis*, *c. Tua de decimis*, *Seraph. deciſ.* 827. *n.* 3. Sed alia ſunt hodie privilegia conceſſa extra corpus juris realia, ſcilicet, in quibus eſt clauſula = *eximimus prædia eorum, vel bona quæcunque, cum derogatione horum jurium* = *Suar. tom.* I. *de Relig. leg.* I. *tract. de decimis c.* 19. *n.* 13. *Henr. leg.* 7. *c.* 27. *n.* 7. *litt. L. Rodriq. quæſt. regul.* 45. *art.* 4. *tom.* 2. Iſta tamen privilegia realia non ſuffragantur, quominus Regulares teneantur ſolvere decimas reales, ſi prius erant prædia decumana, antequam a dictis privilegiatis fuerint acquiſita, etiamſi privilegiati poſtea ea propriis manibus excolant, *per c. Nuper de decim. Graff. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 58. *tom.* 2. *Miranda quæſt.* 49. *art.* 12. *tom.* 2. & numquam cenſetur derogatum *C. Nuper*, niſi facta fuerit ejus ſpecialis mentio, *Rot. recent. part.* 1. *dec.* 341. *n.* 2. Barboſ. ſuper dict. *C. Nuper*, quia eſt Conſtitutio conciliaris. =

S E C T I O C L X X X I X.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. cap. XIII.

Decernit S. Synodus, ut quibuſcunque in locis jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali, aut parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocunque privilegio aliis monaſteriis, hoſpitalibus, aut quibuſcunque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro jure, & eadem portione, qua antea ſolebat, cathedrali, ſeu parochiali Eccleſiæ perſolvatur: non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam, Mari magno, nuncupatis, aut aliis quibuſcunque.

Hoc decretum, mandans perſolvendam eſſe quartam funerariam cathedralibus, vel parochialibus Eccleſiis ſolvi ſolitam a XL. annis ante ipſum Concilium, non obſtantibus privilegiis de ea non ſolvendis, declaratum fuerat a S. Pio V. Conſt. = *Etſi Mendicantium* 16. *Maji* 1567. ita ſtatuente.

Quartam autem funeralium, de qua *Seſſ.* XXV. *Cap.* XIII. nequaquam ſolvere teneantur monaſteria, quæ a quadraginta annis citra fundata exiſtunt, poſtquam Concilium ipſum loquitur tantum de monaſteriis ante annos quadraginta fundatis; quæ ipſam quartam ſolvere conſueverunt; & ubi ſolvi conſuevit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de Miſſis, ſeu legatis, vel aliis Fratribus ipſis, ſeu Monialibus relictis, aut alias quomodolibet donatis ſolvi debet: ſicque intelligi hujuſmodi Concilii decretum, quoad quartam hujuſmodi ſolvendam debere decernimus. Ubi vero non eſt conſuetudo ſolvendi quartam hujuſmodi, de nullo ſupraſcriptorum ſolvi debere declaramus.

Quæ

Quæ tamen Conſtit. poſtea redacta fuit ad terminos Juris communis, & Conc. Trid. a Greg. XIII. Conſt. *In tanta* 1. *Martii* 1573.

Paulus V. Conſt. *Decet* 20. *Auguſti* 1605. confirmaverat decretum Cong. Concil. quo declaratum fuerat monaſteria, licet ædificata a quadraginta annis citra, non teneri ad ſolutionem dictæ quartæ = *modo ſint ejus Religionis, cui a dicta Sede* (Apoſtolica) *ante quadraginta annos indultum ſit, ut eamdem quartam non teneantur ſolvere Epiſcopo.* =

Demum a Benedicto XIII. Conſt. *Romanus Pontifex IV. Kal. Maji* 1725. revocata ſunt quæcunque privilegia poſt Clementin. = *Dudum de Sepul.* edit. in Conc. Viennen. & poſt Trident. conceſſa Regularibus, intra Italiam, & Inſulas adjacentes exiſtentibus de non ſolvenda dicta quarta parochiæ defunctorum, qui in Eccleſiis eorumdem Regularium tumulantur, in qua, ita ſtatuitur.

Quocirca Nos maxime expedire cenſentes, ut ejuſmodi controverſiæ, & lites ab Eccleſia Dei penitus arceantur; ac inſuper, licet univerſos Ordines Regulares, in quibus, nempe in Ordine Fratrum Prædicatorum Nos ipſi plurium annorum ſpatio verſati ſumus, ſpeciali paternæ charitatis affectu proſequamur, eoſque, uti de Eccleſia catholica, Fide, & Sede Apoſtolica optime meritos præcipuo ſemper in honore, ac pretio habuerimus, & habeamus; nihilominus conſiderantes exemptionem a ſolutione quartæ funeralis, præfatis Ordinibus a dicta Apoſtol. Sede conceſſam, modo vergere in maximum Parochorum præjudicium, tum propter multiplicationem conventuum, & monaſteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, & conſuetudinem Fidelium ſepulturam eligendi in Eccleſiis prædictorum Regularium; ac proinde non modo conſentaneum, ſed etiam neceſſarium arbitrantes, ut eorumdem Parochorum, quibus cæteroquin Sacri Canones, & priſca Eccleſiæ diſciplina aperte ſuffragantur, indemnitati opportune conſulatur, & antedicta Apoſtolica privilegia ad æquitatis limites reducantur. Hinc igitur eſt, quod Nos omnia, & ſingula memorata privilegia exemptiva a ſolutione quartæ funeralis quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, ac Inſtitutis Regularibus ab Apoſtol. Sede, ut præfertur, quandocunque, & quomodocunque conceſſa, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, ac de eorum tenore, & ſubſtantia ſatis, ſuperque inſtructi, de nonnullorum Venerabil. Fratrum Noſtror. S. R. E. Cardinalium, & aliquot etiam Romanæ Curiæ Prælatorum, a Nobis ad id ſpecialiter deputatorum conſilio, ſuadentibus etiam Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, in præſenti Sacro Concilio congregatis, ac inſuper motu proprio, ... hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, præmiſſa omnia privilegia quoad quartam funeralem tantum pro locis infra exprimendis moderamur, reformamus, ad viam juris reducimus, & quatenus opus ſit, etiam revocamus, & abrogamus, neque cuiquam deinceps ſuffragari poſſe, vel debere decernimus.

Præterea motu, ... ſancimus, ſtatuimus, & mandamus, ut in Italia, eique adjacentibus Inſulis, a die publicationis præſentis Conſtitutionis in futurum Parochis defunctorum, qui in Eccleſiis quorumcunque Regularium prædictorum tumulabuntur, perſolvatur, & cum effectu tradatur quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quæ in eadem Eccleſia circa cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accenduntur. A prædicta tamen quarta funerali exceptæ intelligantur, & ſint candelæ, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus aſſociantes, manualiter per viam accenſas deferant. Quod ſi funus non fieret in die tumulationis, ſed ad diverſam diem, vel ad aliud longius tempus differetur, Parocho nihilominus aſſignetur quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quæ ipſamet peracti funeris die in Eccleſia, ubi defunctus humatus fuit, circa cænotaphium, ſeu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejuſdem Eccleſiæ accenſæ fuerint. Hæc porro omnia locum habeant, & exacte in poſterum obſerventur, quotieſcunque defunctus extra ſuam parochialem Eccleſiam tumuletur, & exponatur; ſive quia in Eccleſia tumulante, vel exponente beneficium obtinuerit, ſive quia ibidem ſepulchrum habuerit gentilitium; ſive tandem quia in ea ſepulturam elegerit. Cæterum ſub prædicta quarta funerali comprehendi non intendimus, imo expreſſe ab ea excipimus legata Miſſarum, & Anniverſariorum, hiſque ſimilia, relicta ad favorem Eccleſiæ tumulantis, vel exponentis a defuncto diſpoſita; circa quæ, ac omnia, & ſingula alia, de quibus in præſenti Conſtitutione mentio facta non fuit, privilegia prædictis Regularibus Ordinibus ab Apoſtol. Sede conceſſa ſalva prorſus, illæſa, ac inviolata perpetuo permanere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpe-

ſpectabit, inconcuſſe, ac irrefragabiliter obſervari debere volumus, decernimus, & mandamus. Ubi vero conſuetudines legitime probatæ, conventiones, concordiæ, vel ſtatuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis faverent, illiſque pinguiorem prædicta quarta emolumentorum funeralium portionem aſſignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis, inconcuſſe ab omnibus obſervari, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine paribus, ſancimus, præcipimus, & jubemus.

Cum autem hæc Conſtit. vires ſuas non extendat extra Italiam, Inſulaſque adjacentes, Gaudentius a Janua *de Viſit. Prælati regul. tom.* II. *cap.* VII. *dub.* XX. *Sect.* III. *n.* 35. §. 1. quærit, quænam ſit praxis extra dicta loca, & ita reſpondet = Diſpo-
,, ſuerunt Apoſtolicæ ſanctiones plures, quod quar-
,, ta pars funerum etiam a Religioſis ſolvatur Paro-
,, chis reſpective, attentis horum oneribus: non
,, uniformiter tamen juxta varietatem temporum,
,, regionum, & conſuetudinum introductarum in
,, Extravag. Benedicti XI. = *Inter cunctas* = *de*
,, *privil. in VI.* aliaq. Bonifacii VIII. *Super Cathe-*
,, *drum de Sepulturis*, & Clementina *Dudum* pa-
,, riter *de Sepult.* Verum tamen plures item ſummi
,, Pontifices deinceps ab hujuſmodi ſolutione Reli-
,, giones ſenſim fere omnes Mendicantium exeme-
,, runt, cum expreſſa derogatione præfatarum ſan-
,, ctionum, Clementinæ ſignanter allegatæ *Dudum*
,, nimirum Martinus V. Eugenius IV., ac pluries
,, Sixtus IV. Religionem Prædicatorum, Noſtrumque
,, Ordinem Minorum Nicolaus V. ac Julius II. Car-
,, melitas, nec non Leo X. Ordinem Minimorum,
,, ſub pænis contra Parochos, qui dictam quartam
,, portionem quovis prætextu, & colore exigere,
,, & apud ſe retinere præſumerent, ut in Bulla, præ
,, cæteris, Leonis X. incipien. *Exponi Nobis* pro
,, Minimis. Cum exurgerent nihilominus in dies
,, inter Regulares, quartam præſtare renuentes,
,, Parochoſque exigentes horummet funerum por-
,, tionem, lites, ob conſuetudines ſignanter ab alteru-
,, tra partium in caſibus adductis, placuit Conc. ſa-
,, croſancti Tridentini Patribus ſuper hoc figere re-
,, gulam, quod nimirum ubicunque locorum vige-
,, ret conſuetudo, eo tunc a quadraginta annis ante
,, dicti Concilii promulgationem ſolvere Cathedra-
,, li, ſive parochiali cujuſcunque quartam dictam
,, funeralium, ea a Regularibus etiam quibuſcun-
,, que ſervaretur, videlicet ſolutio continuaretur
,, antiqua, non obſtantibus privilegiis, eſto Mari
,, Magni, *Seſſ. XXV. cap. XIII. de Reform.*
,, Ex quo deducunt Auctores, quod ubicunque lo-
,, corum a conventu, ſive Familia, vel Hoſpitali,
,, vel domo licet privilegiatis ab anno 1523. ſcilicet
,, quadrageſimo ante Concilium ſolutio quartæ erat
,, in uſu, ea deinceps indeclinabiliter adimplere-
,, tur, ſin minus, ita quod dictum ſpatium ante
,, Concilium, puta per annos quadraginta, minime ſo-
,, luta eſſet Parochis quarta, ſeu numquam fuiſſet
,, adimpleta in locis, vel antecedenter exiſtentibus,
,, vel poſt dictum annum de novo extructis dicta ſo-
,, lutio, nulla vigeat ejuſdem ſolutionis in poſterum
,, obligatio; & ita univerſaliter deinde obſervan-
,, dum eſſe concludunt per regiones, & loca extra
,, Italiam, quod ſcilicet, ubi non adſit hujuſmodi con-
,, ſuetudo a Concilio taxata, nequaquam ſolvatur
,, quarta, ſive ſolvi debeat portio funerum in caſa
,, extra Italiam, ubicunque Conſtitutio Benedicti non
,, cogit, aut obliget, quacunque non obſtante inſtan-
,, tia, ſeu prætenſione Parochorum, pro quo non
,, eſt neceſſe adducere Conſtitutionem S. Pii V. *Et ſi*
,, *Mendicantium:* a Gregorio XIII. Succeſſore revo-
,, catam, ac ſi non emanaſſet, cum ſatis perſpicue
,, declaretur, atque confirmetur Concilii decretum
,, per Clementem VIII. in Conſtitutione, incipien.
,, *Quod ſemel*, & Paulum V. in alia incipien. *Decet*
,, *Romanum Pontificem*. =

Si autem petas, an ad Regulares, vel ad Parochos ſpectet probare quod iidem Regulares per quadraginta annos ante Trident. dict[illegible] quartam non ſolverint, Cong. Conc. *in una Minorum Obſervantiæ Provinciæ Poloniæ* 14. *Novemb.* 1682. reſpondit, ſpectare ad Parochos, & ita etiam Rota in Calaguritana *Quartæ funeralis* 2. *Julii* 1728. *coram bon. mem. Ratto, inter impreſſas* 214. *n.* 5. *ac in Vilnen. Quartæ funeralis* 6. *Julii* 1749. *&* 23. *Jan.* 1750. *coram Caniglıac. Decano.*

S E C T I O   C X C.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. cap. XIV.

Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe divino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa, communi fidelium omnium offenſione, ſummoque clericalis militiæ dedecore teſtatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem miniſtri Eccleſiæ revocentur, populuſque hinc eos magis diſcat revereri, quo illos vita honeſtiores cognoverit: prohibet S. Synodus, quibuſcunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam conſuetudinem habe-

habere audeant: alioquin pœnis, a ſacris Canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Quod, ſi a Superioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum ſuorum quorumcunque, & penſionum ipſo facto ſint privati; quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perſeverantes, ſecundæ monitioni adhuc non parverint, non tantum fructus omnes, ac proventus ſuorum beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur, ſed etiam a beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur: & ſi ita ſuſpenſi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & penſionibus quibuſcunque eccleſiaſticis perpetuo priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuſcunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in poſterum reddantur; donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed, ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter dictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut ſuſpendat, ſupradictorumque omnium cognitio, non ad Archidiaconos, aut Decanus, aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat, qui ſine ſtrepitu, & figura judicii, & ſola facti veritate inſpecta, procedere poſſit. Clerici vero beneficia eccleſiaſtica non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perſeverantiam, & qualitatem ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab Ordine, ac inhabilitatis ad beneficia obtinenda, aliiſque modis juxta SS. Canones puniantur.

Circa modum procedendi contra beneficiatos, & Parochos concubinarios, eoſque privandi fructibus, ac beneficiis, jam inſtitutus eſt ſermo part. I. pag. 227. & ſeq.

SECTIO CXCI.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. Proſequitur idem cap. XIV.

Epiſcopi quoque, quod abſit, ſi ab hujuſmodi crimine non abſtinuerint, & a Synodo provinciali admoniti, ſe non emendaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi: & ſi perſeverent, etiam ad Sanctiſ. Roman. Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem, ſi opus erit, in eos animadvertat.

Cum hodie Synodi provinciales raro admodum, vel nunquam celebrentur, ut notavi part. I. pag. 558. tota hujuſmodi cognitio pertinet ad Summum Pontificem.

SECTIO CXCII.

Eadem Seſſio XXV. de Refor. cap. XV.

Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo conſecratis, quos maxime puritas, ſanctitaſque decet, longiſſime arceatur; non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, in Eccleſiis, ubi eorum patres beneficium aliquod eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcunque, etiam diſſimile, beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. Quod ſi in præſenti pater, & filius in eadem Eccleſia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius ſuum beneficium reſignare, aut cum alio permutare extra Eccleſiam intra trium menſium ſpatium; alias ipſo

 jure

jure eo privatus exiſtat, & ſuper iis quæcunque diſpenſatio ſurreptitia cenſeatur. Ad hæc reciprocæ reſignationes, ſi quæ poſthac a parentibus Clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium conſequatur, in fraudem hujus decreti, & canonicarum ſanctionum factæ omnino cenſeantur, nec collationes ſecutæ vigore hujuſmodi reſignationum, ſeu aliarum quarumcunque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipſis Clericorum filiis ſuffragentur.

De hac prohibitione quoad filios illegitimos Presbyterorum, jam ſermo inſtitutus eſt par. I. p. 77.

SECTIO CXCIII.

Eadem Seſſio XXV. de Refor. cap. XVI.

In hoc capitulo, præter extera, præcipit Trident. aſſignandam eſſe congruam portionem Vicariis perpetuis Eccleſiarum parochialium, taxandam arbitrio Epiſcopi; quod arbitrium ſublatum erat ex Conſtit. S. Pii V. ſed dicta Conſt. moderata eſt a Benedicto XIV. ut ſupra notavi pag. 829. & ſeq.

SECTIO CXCIV.

Eadem Seſſio XXV. *de Reform. cap.* XIX.

Deteſtabilis duellorum uſus, fabricante diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex chriſtiano orbe penitus exterminetur. Imperatores, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine, Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac juriſdictione, & dominio civitatis, caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur: etſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui vero pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pænam incurrant; & ut homicidæ juxta Sacros Canones puniri debeant; etſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli, tam in jure, quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam ſuaſerint, necnon ſpectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur; non obſtante quocunque privilegio, ſeu prava conſuetudine, etiam immemorabili.

Huic decreto acceſſit Conſtitutio Gregorii XIII. *Ad tollendum* 5. *Decemb.* 1582. has Tridenti pænas extendentis adverſus eos omnes, qui nedum duellum formatum, ſeu ſolemne, de quo idem Trident. loquitur, commiſerint, ſed etiam privatum, & minus ſolemne, ideſt ex condicto, ſtatuto ſolum tempore, & loco, ſine Patrinis, ſociis, loci ſecuritate, ac ſine literis provocatoriis, aut denunciationis chartulis.

Acceſſit inſuper Conſt. Clementis VIII. *Illius vices* 17. *Aug.* 1592., in qua §. V. extendit pænas omnes latas a Pio IV. Gregorio XIII., & Tridentino; ad omne ſingulare certamen, etiam privatum, ſeu minus ſolemne, & ad omnem provocationem, & cooperationem attentatam, etiam non ſecuta pugna, neque acceſſu ad locum, & ad omnes cooperationes circa chartulas, vel diſfidationis nuncia, licet provocationes intimatæ non fuerint adverſario, ſi per ipſos cooperantes non ſteterit, quominus intimarentur. Declarante inſuper, hos omnes incurrere excommunicationem, Papæ reſervatam (quam non reſervaverat Gregorius, nec Tridentinum) infamiam juris, & privationem eccleſiaſticæ ſepulturæ: locs vero certaminis incurrere eo ipſo interdictum, Papæ reſervatum,

Acceſſit etiam Conſtit. Benedict. XIII. de qua mox ſermo erit.

Acceſſit tandem Conſt. Benedicti XIV. *Deteſtabilem IV. Id. Novemb.* 1752. in qua §. *Jam vero*, ſtatuitur, ut ſequitur.

Si

Google

Si quis in duello, ſive publice, ſive privatim indicto, hominem occiderit, ſive hic mortuus fuerit in loco conflictus, ſive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujuſmodi homicida, tamquam interficiens proximum ſuum animo præmeditato, ac deliberato, ad formam Conſt. fel.rec. Prædeceſ. noſtri Benedicti Papæ XIII., quæ incipit = *Ex quo divina, data IV.* Id. Jun. anno Domini 1725. ab eccleſiaſticæ immunitatis beneficio excluſus, & repulſus omnino cenſeatur, ita ut a cujuſcunque ſacri, aut religioſi loci aſylo, ad quod confugerit, ſervatis tamen de jure ſervandis, extrahi, & judici competentis Curiæ pro merito puniendus tradi poſſit, & debeat: ſuper quo nos Epiſcopis, aliiſque ſuperioribus Antiſtitibus, ad quos reſpective pertinet, & pertinebit, in poſterum neceſſarias, & opportunas facultates præſentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in ſingulari certamine graviter vulnerato, ſi percuſſor in locum immunem ſe receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, & legum ſeveritatem evadere poſſe proſpiciatur, volumus, & reſpective permittimus, ut quatenus Periti ad inſpiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adeſſe retulerint, percuſſor ipſe, prævio ſemper decreto Epiſcopi, & cum aſſiſtentia perſonæ eccleſiaſticæ, ab eodem Epiſcopo deputatæ, ab hujuſmodi loco immuni extractus, ſine mora carceribus mancipetur: ea tamen lege judicibus indicta, ut illum Eccleſiæ reſtituere debeant, ſi vulneratus ſuperſtes vivat ultra tempus a legibus, quæ de homicidio ſunt conſtitutæ, alioquin in eaſdem pænas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII. literis conſtitutæ ſunt adverſus illos, qui delinquentem in aliquo ex caſibus, ibidem expreſſis, ex indiciis ad id ſufficientibus ſibi traditum reſtituere recuſent, poſtquam is in ſuis defenſionibus hujuſmodi indicia diluerit.

Præterea..... decernimus, ac declaramus ſepulturæ ſacræ privationem ex Sacroſancta Trident. Synodo inflictam morientibus in loco duelli, & conflictus incurrendam perpetuo fore, etiam ante ſententiam judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit; ac etiamſi vulneratus ante mortem non incerta pænitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis, & cenſuris abſolutionem obtinuerit; ſublata Epiſcopis, & Ordinariis locorum ſuper hac pæna interpretandi, ac diſpenſandi facultate.

Ulterius proſcripſit has Propoſitiones, quæ inſertæ habentur in eadem Conſtit.

I. Vir militaris, qui niſi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidoloſus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe, ſuoſque ſuſtentat, privaretur, vel promotionis alias ſibi debitæ, ac promeritæ ſpe perpetuo carere deberet, culpa & pæna vacaret, ſive offerat, ſive acceptet duellum.

II. Excuſari poſſunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt, pugnam non eſſe ſecuturam, utpote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit eccleſiaſticas pænas ab Eccleſia contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amiſſionis famæ, & officii.

IV. Licitum eſt in ſtatu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad ſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulſari nequit.

V. Aſſerta licentia pro ſtatu naturali applicari etiam poteſt ſtatui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magiſtratus, Juſtitia aperte denegatur.

S E C T I O C X C V.

Eadem Seſſio XXV. de Reform. caput XX.

Cupiens S. Synodus..... Decernit itaque, & præcipit, ſacros Canones, & Concilia generalia omnia, necnon alias Apoſtolicas ſanctiones, in favorem eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præſenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus obſervari debere. Proptereaque admonet

Impe-

Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatus, & dignitatis extiterint, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſint ornati, eo ſanctius, quæ eccleſiaſtici juris ſunt, tamquam Dei præcipua, ejuſque patrocinio tecta venerentur; nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliiſve Dominis temporalibus, ſeu Magiſtratibus, maximeque miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur; ſed ſevere in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque jurisdictionem impediunt, animadvertant: quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, religionem, Eccleſiarumque protectionem exiſtant, imitantes anteriores optimos, religioſiſſimoſque Principes, qui res Eccleſiæ ſua in primis auctoritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque ea in re quiſque officium ſuum ſedulo præſtet, quo cultus divinus devote exerceri, & Prælati, cæterique Clerici in reſidentiis, & officiis ſuis quieti, & ſine impedimentis, cum fructu, & ædificatione populi permanere valeant.

Hoc decretum, ſtatuens, libertatem, & immunitatem eccleſiaſticam obſervandam eſſe ſub pœnis in ipſam violantes a SS. Canonibus, Conciliis, & Apoſtolicis ſanctionibus impoſitis, quas hic innovat, declaratum eſt quoad immunitatem localem a Greg. XIV. Conſtit. *Cum alias* 24. *Maji* 1591. infligente excommunicationem latæ ſententiæ, Papæ reſervatam (ut etiam declaravit juſſu Clementis VIII. 26. *Novemb.* 1602. Congr. Epiſc. & Regul. quæ prius de jure communi erat tantum ferendæ ſententiæ) in præſumentem extrahere reum de loco ſacro, aut ei ibidem exiſtenti nocumentum aliquod inferre in ipſius perſonam, aut bona, quæ ſecum intulit, exceptis tamen caſibus, quos habes una cum eorumdem Pontificum Conſtitutionibus part. 1. a pag. 464. ad 471.

Circa abſolutionem ab excommunicatione incurſa propter publicam violationem libertatis, & immunitatis eccleſiaſticæ, videnda eſt Conſtit. Bened. XIV. *Paſtor bonus* §. XI. quam habes in calce hujus Operis.

SECTIO CXCVI.

Eadem Seſſio XXV. Decretum de Indulgentiis.

Abuſus vero, qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos, & correctos cupiens, præſenti decreto generaliter ſtatuit, pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe.

Hoc decretum, ſtatuens abolendos eſſe omnes pravos abuſus pro conſecutione Indulgentiarum, ampliatum eſt a S. Pio V. ut notavi ſupra pag. 820. & 887.

SECTIO CXCVII.

Eadem Seſſio XXV. Decretum de delectu ciborum, jejuniis, & diebus feſtis.

Quid novi ſtatutum fuerit a Conſtitutionibus Apoſtolicis circa delectum ciborum, jejunium, & feſtos dies, jam notavi ſupra parte I. pag. 452.

SE-

S E C T I O C X C V I I I.

Eadem Seſſio XXV. Decretum de Indice Librorum, Catechiſmo, Breviario, & Miſſali.

Quoad Indicem librorum huic decreto acceſſit Conſtit. Pii IV. *Dominici gregis* 24. *Martii* 1564. qua idem Index, a ſelectis Patribus, quibus ejus confectio a S. Synodo commiſſa fuerat, approbatus eſt una cum regulis ipſi Pontifici propoſitis, quas probavit etiam Clemens VIII. Conſt. *Sacroſanctum* 17. *Octobr.* 1595.

Ad has autem regulaa pertinent ſequentes Conſtitutiones.

I. Conſt. laudati Pii IV. *Cum pro munere* 24. *Martii* 1564.; qua prohibetur retentio, & lectio librorum Luteranorum, aut de hæreſi ſuſpectorum.

II. Conſtitut. Sixti V. *Cæli, & terræ* 5. *Jan.* 1585. qua prohibetur exercitium artis aſtrologiæ judiciariæ, & aliud quodcunque divinationum genus, librorumque hujuſmodi retentio, ac lectio.

III. Conſtit. Clementis VIII. *Cum hæbreorum* 28. *Febr.* 1593. qua probibetur hæbreis retentio, & lectio librorum Thalmudi, aliorumque damnatorum.

IV. Conſt. ejuſdem Clem. *Apoſtolicæ* 21. *Aug.* 1602., qua prohibetur quibuſcunque facultas concedendi licentiam legendi, & retinendi opera Caroli Molinei; ita ut a ſolo ſummo Pontifice concedi poſſit.

V. Conſt. Gregorii XV. *Apoſtolatus* 30 *Decemb.* 1622. qua revocantur omnes licentiæ legendi, & retinendi libros prohibitos.

VI. Conſtit. ſeu decretum Urbani VIII. *Sanctiſſimus* 18. *Septem.* 1625., quo prohibetur tranſmiſſio librorum imprimendorum extra ſtatum eccleſiaſticum abſque approbatione in ſcriptis obtinenda ab Urbis Vicario, & Magiſtro S. Palatii: qui nec imprimi poſſint abſque licentia Ordinariorum, & Inquiſitorum loci, de quacunque materia tractent.

VII. Conſt. Alexand. VII. *Speculatores Domini* 5. *Martii* 1664., qua injungitur obſervatio Indicis librorum prohibitorum noviter impreſſi poſt illum approbatum a Clemente VIII.

VIII. Decretum ejuſdem Alexandri, quo ſub die 18. *Martii* 1666. proſcripſit ſequentem Propoſitionem, la XLV. in ordine inter alias ab ipſo damnatas = Libri prohibiti, donec corrigantur, poſſunt retineri, uſquedum adhibita diligentia corrigantur.

Reliqua circa Indicem librorum, eorumque prohibitionem videnda ſunt notata pag. 811. & ſeq.

Quoad Catechiſmum ex decreto Trident. a ſelectis Patribus confectum, & a S. Pio V. probatum, vulgatumque, Clemens XIII. iterum in alma Urbe latino ſermone excudi curavit juxta Manutianum exemplum, quo laudati Pii auctoritate primum editus fuit: ſublatis tamen iis mendis, quæ in editione Romana, operarum vitio irrepſerant, ut ex ejus Conſt. *In Dominico agro* 14. *Junii* 1761.

Cum autem in ea ſpoponderit, ſe mandatarum, ut, in popularem ſermonem dicti Pii juſſu, jam converſus, & editus, prope diem denuo typis impreſſus in lucem proderetur, revera vulgatus eſt in typographia Cameræ Apoſtolicæ.

Quoad Miſſale, hoc ad rite Miſſas celebrandas ex Tridentini decreto reformatum, approbatum fuit a S. Pio V. cum abolitione aliorum, Conſt. *Quo primum pridie Id. Jul.* 1570. Sed cum poſtea variis de cauſis perperam in multis immutatum fuerit, Clemens VIII. illud ſuæ integritati reſtituit, & iterato ſuppleri, & emendari curavit, imprimique interdixit ſine licentia Inquiſitorum, vel Ordinariorum; atque aliorum uſum prohibuit, præſcribendo formam licentiæ typis vulgandi, ut ex ejus Conſt. *Cum Sanctiſſimum* 7. *Julii* 1604.

Quoad Breviarium acceſſerunt Conſtitutiones S. Pii V. *Quod a Nobis*, Clementis VIII. *Cum in Eccleſia*, ac Urbani VIII. *Divinam*, relatæ in fronte Breviarii Romani una cum decretis Cong. Rituum ad idem ſpectantibus.

S E C T I O C L X X I I.

Eadem Seſs. XXV. de recipiendis, & Obſervandis decretis Concilii.

Hic præcipit Tridentinum, ut quæ ab eo decreta ſunt, ab omnibus devote recipiantur, & fideliter obſerventur. Ad quorum obſervationem præter Conſtit. Pii IV. *Benedictus Deus* 26. *Jan.* 1564. ſuper confirmatione ejuſdem Concilii, ſpectat altera ipſius Conſtitutio *In Principis* 17. *Feb.* dicti anni, ut notatum eſt ſupra, cum de *Cap.* XXII. *Seſſ.* XXV. *de Regul. pag.* 1054. etiam altera *Alias* 2. *Aug.* 1564, qua deputantur octo Cardinales pro executione, & obſervatione eorumdem decretorum.

Spectat etiam Conſtit. Gregorii XIII. *Inter Apoſtolicas* 5. *Septem.* 1584. innovantis decretalem Nicolai III. relatam in cap. *Contingit I. de jure jurando in VI.* aliaſque ſanctiones contra jurantess, & jurare facientea illicita, impoſſibilia, damnoſa, & eccleſiaſticæ libertati adverſantia, illamque extendentis ad obſervantias, & juramenta obviantia decretis Trident. ſive hæc præſtentur ante poſſeſſionem Canonicatuum, Eccleſiarum, & Officiorum, ſive poſt, ſub

pænis

pœnis Papæ reſervatis in talia juramenta exigentes, ſi Epiſcopi ſint, ſeu pontificali dignitate præditi, ſuſpenſionis a divinis; ſi ſingulares perſonæ, his inferiores, excommunicationis, & inhabilitatis ad officia, & beneficia obtinenda; ſi Univerſitates eccleſiaſticæ, capitula, conventus, eorumque Eccleſiæ, & loca omnia laicalia, interdicti ſcilicet perſonalis, vel localis reſpective. In præſtantes autem dicta juramenta privationis eo ipſo uſus, & commodi rei, & gratiæ, cujus cauſa illicite juraverint, ideſt officii, beneficii, & prælaturæ.

Cum autem hic ulterius declaretur a Tridentino, providendum eſſe a Summo Pontifice commodiore quacunque ratione ei bene viſa, quoties in Concilii decretis recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua acciderint, quæ declarationem, aut definitionem poſtulent, acceſſit Conſtit. Sixti V. *Imenſa XI. Kal. Feb* 1587.; qua inſtituitur Congregatio Cardinalium cum facultate eadem decreta interpretandi, in iis tantum, quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & eccleſiaſticis judiciis, aliiſque hujuſmodi, ſtatuta ſunt, & Papa conſulto, eidem reſervata interpretatione eorum, quæ ad Fidei dogmata pertinent.

Et hic notandum cum Benedict. XIV. lib. *XIII. de Synodo diœc. cap. XXIV. n.* 23. quod cum Concilium Tridentinum declaraverit Seſſione *XXV. cap. XXI. de refor. Omnia, & ſingula ſub quibuſcunque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione atque eccleſiaſtica diſciplina* a ſe ſtatuta ſunt, *ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ, & ſit, & eſſe intelligatur*, quoties a Romano Pontifice aliquid indulgetur, aut ſtatuitur contrarium eidem Concilio, non opus eſt expreſſa illius derogatione, ſed (ſunt verba Benedicti ibi =
„ Satis eſt, ut removeatur neceſſitas expreſſæ de-
„ rogationis; proindeque ſufficiat ad hoc, ut dero-
„ gatum cenſeatur oppoſitæ conciliari ſanctioni, ſi
„ Pontifex aliquid ipſi contrarium indulſerit, aut
„ decreverit, ſupplicemque libellum, ſeu alias ar-
„ chetypum literarum Apoſtolicarum exemplar
„ ſua ipſe manu ſignaverit, juxta definitionem edi-
„ tam a S. Pio V. per ſchedulam ſui motus proprii,
„ relatam a Garcia *de benefic. par. IV. cap. V. n.* 32.
„ *&* 33.

„ Aque hæc eſt ſententia, in quam poſt lon-
„ gas diſputationes communi conſenſu convenerunt,
„ tum Abbreviatores Cancellariæ Apoſtolicæ, &
„ Rotæ Romanæ Auditores, tum etiam Cong. Car-
„ dinalium Conc. Trident. Interpretum.

In eadem ſententia fuit Fagnanus *in Cap. II. Nulli de Conceſſ. Præbendæ n.* 86.

Ab eodem Benedicto erecta eſt altera Congregatio particularis nonnullorum Prælatorum, adjecta eidem Cong. Conc. Conſt. *Decet* 23. *Novem.* 1740., in qua, innovata Conſt. Sixti V. *Romanus Pontifex*, de juramento præſtando a Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ante poſſeſſionem ſuarum Eccleſiarum, viſitandi nempe ſtatutis temporibus limina SS. Apoſtolorum, rationemque reddendi ſtatuum earumdem Eccleſiarum; ac altera *Immenſa* de munere Cong. Conc. reſpondendi eorum poſtulatis, eamdem obligationem extendit ad Abbates, Priores, Præpoſitos, alioſque, quacunque dignitate, etiam Cardinalatus honore inſignitos, tam Regulares, quam ſeculares, qui monaſteriis, ſeu Eccleſiis, quæ *Nullius* nuncupantur, præficiuntur cum juriſdictione ſpirituali, & territorio ſeparato, declaratque dictorum præfatæ Cong. particularis Prælatorum munus eſſe prædictorum omnium poſtulata diligenter inſpicere, omniaque in eis contenta accurate exponere, & communi conſilio omnibus conſideratis, quæ majoris momenti videbuntur, ad Cong. Conc. referre, ut, facta deinde a Secretario dictæ Cong. relatione Pontifici, hic, auditis votis tum Cardinalium eidem Cong. præpoſitorum, tum præfatorum Prælatorum, = *de rebus gravioribus, ex omnibus provinciis, & terrarum orbis partibus ad Sedem Apoſtol. a primis Eccleſiæ temporibus referri ſolitis, prout in Domino videbitur expedire, ſtatuere, & Epiſcoporum, aliorumque Præſulum poſtulatis, & deſideriis obſequi* = valeat.

F I N I S.

SECUNDÆ PARTIS, ET OPERIS.

LAUS DEO

APPEN-

APPENDIX

In qua continentur nonnulla addenda ad ſequentes Titulos ;

AD titulum XXVI. lib. III. *De Teſtamentis*, *&* *ultimis voluntatibus* poſt notata ad caput III. *Nos quidem* pag. 308. addenda eſt Decretalis D. Gregorii Magni ad Epiſcopum Meſſenatenſem, relata in cap. V. *Filius noſter* hoc Titulo.

☞ Filius noſter F. conqueſtus eſt, quod quondam pater ſuus aliqua Eccleſiæ veſtræ, ſepulturæ ſuæ gratia, juris alieni reliquit. Et quidem leges ſæculi hoc habent, ut hæres ad ſolvendum cogatur, ſi auctor ejus rem legaverit alienam. Sed quia lege Dei, non autem lege hujus ſæculi vivimus, valde mihi videtur injuſtum, ut res tibi legatæ, quæ cujuſdam Eccleſiæ eſſe perhibentur, a te teneantur, qui aliena reſtituere debuiſti.

In hac Decretali videtur primo intuitu, D. Gregorium reprobare diſpoſitionem Juris civilis, obſtringentis hæredem rem legatam dare legatario, vel æſtimationem rei, ſi teſtator ſcienter rem alienam legaverit.

Verum pro germano illius intellectu repetenda eſt facti ſpecies, ob quod emanavit, ex integro ejus textu relato a Gonzalez. Species igitur hæc eſt. Cum quidam teſtator jure legati reliquiſſet ſepulturæ ſuæ gratia Eccleſiæ Meſſenatenſi rem non ſuam, (calicem, videlicet, ex auro, & quinta argenti parte conflatum, ac mancipium) ſpectantem ad Eccleſiam Coſſentinam, nec Epiſcopus Meſſenatenſis Epiſcopo Coſſentino eam repetenti reſtituere voluiſſet, donec ab hærede æſtimationem accepiſſet, male detorquens in ſui favorem legem civilem, illum Gregorius, nedum tanquam alienæ rei detentorem, (quem neque eadem lex civilis patitur) contra legem Divinam, ad reſtitutionem damnavit, ſed & tanquam ſacrorum Canonum violatorem, quidquam exigi prohibentium pro ſepulturæ pretio; ideoque rei etiam æſtimationem eidem interdixit.

Ex qua facti ſpecie inferri nequit, D. Gregorium improbaſſe juris civilis diſpoſitionem, tanquam juri canonico contrariam, ut nonnulli Interpretes ex hac Decretali concluſerunt, (& potiſſimum Arnoldus Vinnius, qui lib. II. Selectarum cap. 26. auſus eſt aſſerere, D. Gregorium errore deceptum fuiſſe) ſed perperam; in Conc. enim Agathenſi hoc ſequens ſtatutum, juri civili penitus conforme, legitur, relatum Can. V. *Si Epiſcopus cauſ. XII. q. V.* = Si Epiſcopus, condito teſtamento aliquid de eccleſiaſtici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, niſi tantundem de juris proprii facultate ſuppleverit. =

Covarruvias hoc eodem tit. num. 8. hæc habet = Quartus intellectus hujus capitis eſt, ut nihil in eo diverſum a jure civili ſtatutum ſit, ſed id tantum in eo prohiberi, ne res aliena, invito domino, prætextu legati, a legatario detineatur: legatarius enim domino petenti cogi debet eam ſtatim reſtituere, licet ab hærede poſſit ejus æſtimationem petere ex juris civilis deciſione: atque huc tendit tota D. Gregorii Epiſtola = Quæ tamen æſtimatio in expoſiti facti ſpecie neque peti potuiſſet ab Epiſcopo Meſſenatenſi, cum expetebatur, ut dixi, contra ſacros Canones tanquam pretium ſepulturæ.

Ad Titulum XL. ejuſdem lib. III. de *Conſecrat. Eccleſ.* pag. 425. col. a. in principio, ☞ cum ibi dictum fuiſſe videatur, Benedictum XIV. annumeraſſe inter vitandos decedentes in duello, pro majori claritate addendum eſt = Hos dumtaxat annumeravit inter illos, qui juxta Trident. cap. XIX. ſeſs. XXV. de refor. perpetuo carere debeant eccleſiaſtica ſepultura, licet non fuerint declarati vitandi, & a peccatis, ac cenſuris abſolutionem obtinuerint, ut in ejus Conſt. relata par. II. pag. 1069.

Ad Titulum XLVII. ejuſdem lib. III. *De Purificatione poſt partum*, ad decreta Congregationis ſacrorum *Rituum Urbis*, *&* *Orbis* pag. 456. addendum eſt.

☞ Circa dubium V. = An benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum ſint de Juribus parochialibus = cui a S. Congr. reſponſum fuit: *negative*. Notandum eſt cum Benedicto XIV. *Inſtit. Eccleſiaſt. CV. n.* 115. = benedictionem Candelarum permitti in Eccleſiis, & Oratoriis Sodalitatum pro Confratribus, & Sororibus =, tum quia conſuetudo id pridem induxit; tum quia Cardinalis Colloredus de iis benedictionibus ita verba fecit: *Cæteras benedictiones in quæſtione expoſitas arbitror non ſpectare ad Parochum privative, præſertim, ſi pro Sodalibus tantum, & privatim fiant*. Cum pariter a Sac. Cong. Conc. die 24. Septembris an. 1718. petitum fuiſſet = *An liceat Capellano dictæ Societatis facere benedictionem, & diſtributionem Candelarum in dicto Oratorio pro Confratribus, & Sororibus in Feſto SS. Purificationis?* = Patres reſponderunt affirmative. =

☞ Circa VI. dubium = An benedictiones mulierum poſt partum &c., ſint de Juribus mere parochialibus = cui a Sac. Congr. reſponſum fuit =, negative, ſed benedictiones mulierum, & fontis baptiſmalis fieri debere a Parochis =.

Circa hoc reſponſum attendenda ſunt decreta Congr. Conc. poſteriora: die enim 3. Decemb. 1718. in

in Dertonen. jurium parochi alium ad dubium VII. = An jus benedicendi ſponſas, & puerperas ſpectet privative ad parochos = S. Cong. reſpondit = ad VII. affirmative quoad primam, & negative quoad ſecundam partem = ut in Theſauro reſolutionum ejuſdem Cong. tom. I. pag. 133. & die 7. Decembris 1720. in eadem cauſa iterum propoſita = an, & in qua parte ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis die 3. Decemb. 1718. = reſpondit quoad VII. in deciſis quoad primam partem, & quoad ſecundam *eſſe in libertate puerperarum accedere ad quamcunque Eccleſiam ſibi bene viſam* = dict. tom. I. pag. 399.

Idem eadem Cong. jam prius declaraverat die 20. Junii 1620. *in Bononien. Regulares poſſunt admittere in eorum Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem, nec poſſunt ab Epiſcopo prohiberi, lib. decretor. XII. pag. 45. & in Forolivien. jurium parochialium* 18. Novemb. 1684. *ad IV. ac in Nonantulana* 13. *Jan.* 1685.

Ex decreto ejuſdem Congr. ſub die 28. Auguſti 1688. *dubium juris benedicendi*.

Procurator generalis Ordinis Cappuccinorum ſupplicat declarari.

I. An Regulares dicti Ordinis requiſiti ab ægrorum dominis, poſſint abſque licentia parochi benedicere agris, & maledicere locuſtis, bruchis, & cæteris hujus generis vermibus, & quatenus affirmative.

II. An in functionibus hujuſmodi peragendis poſſint itidem abſque licentia parochi uti ſtola.

Sacra Congregatio reſpondit ad utrunque negative.

Ad Titulum VII. lib. IV. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, poſt notata ad caput VI. pag. 518. addenda eſt ſequens Decretalis Innocentii III. relata in cap. VII. hoc tit. ſcripta capitulo Meſſanenſi in Sicilia.

☞ Veniens ad præſentiam noſtram G. Laicus humili inſinuatione monſtravit, quod cum in Civitate Leomovicenſi quamdam ſibi matrimonialiter copulaſſet, ab ea recedens, Meſſanam advenit, ubi M. mulierem inſciam, quod aliam haberet uxorem, ſibi ſolemniter copulavit. Verum cum eidem pænitentia fuiſſet injuncta, ut ad legitimam rediret uxorem, & ipſe propter hoc in ſuam patriam rediiſſet, uxorem ſuam inveniens carnis debita perſolviſſe, ad Meſſanam rediit Civitatem, & ſupradictæ M. tanquam legitimæ cohabitavit uxori. Et infra. Licet autem, vivente uxore legitima, prædictam M. ſibi copulare nequiverit in uxorem; quia tamen uxore defuncta, utpote a lege ipſius ſolutus in eamdem M. de novo potuit matrimonialiter conſentire: *dummodo non præſtiterit fidem Adulteræ*, vel machinatus fuerit in mortem uxoris, mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eidem G. ut ſupradictæ M. affectu adhæreat conjugali, licentiam concedatis.

Ex hac Decretali inferri videtur, quod contrahens matrimonium ſecundum, conſtante primo, cum fœmina inſcia illius ligaminis, non amplius poſſit iterum cum ea contrahere, ſi eidem fidem dederit de contrahendo poſt mortem primæ uxoris, licet ipſa hujuſmodi ligamen ignoraverit.

Verum autem ejuſdem Decretalis intellectum ſatis deſumi poſſe crederem ex voto a me exarato ſuper ſimili ſequentis facti ſpecie.

Titius intuitu matrimonii rem habuit cum Berta, quam putavit ſolutam, deinde volens eam ducere, Berta ſincere aperuit ſe eſſe conjugatam: unde a nuptiis abſtinuit; ſed matrimonium ſibi mutuo promiſere pro caſu futuræ mortis conjugis.

Quæritur, an promiſſio illa cum adulterio inducat impedimentum criminis?

Conſultus igitur ego, quid juris eſſet circa propoſitum dubium, in eo fui ſenſu, nullum inductum fuiſſe impedimentum: attento enim principio, concordi Canoniſtarum calculo recepto, quod ad incurrendum hoc impedimentum neceſſario requiratur adulterium conſummatum ab utroque cognitum una cum reciproca promiſſione futuri matrimonii, ſive ante, ſive poſt illud habita, ut cum communi eorumdem Canoniſtarum ex cap. I. IV. VI. VII. VIII. hoc tit. pro certo retinendum eſſe ſcripſi in Appendice prima ad eundem tit. pag. 547. n. 13. in expoſiti facti ſpecie adfuit ſola promiſſio, quæ ſola ex citatis juribus nullum impedimentum inducit; & licet ante hanc adfuerit adulterium, non fuit tamen formale, ideſt ab utroque cognitum ut tale: nec poſt notitiam habitam a Titio de ligamine Bertæ, ulla interfuit copula.

Quio officiat tranſcripta Innocentii Decretalis, cujus verus intellectus eſt, ut fides data ſit copulativa cum adulterio formali, prout præſefert illud verbum *Adulteræ* a ſe cognitæ formaliter tali ex adulterio patrato poſt ſcientiam ligaminis, cum tunc fuiſſet vera adultera, & non prius, ut explicat etiam Gloſſa verb. *Adulteræ*, nec poterat intelligi de fide illi data, tamquam veræ uxori, (ut ipſa putabat) in matrimonio jam bona fide contracto, quo ſtante, reſpectu ipſius nullum adfuit adulterium a ſe cognitum ut tale. Navar. conſ. III. ad hunc tit. n. 2. Le Grauſſre §. *Quod ſi*. Varieſpen par. II. tit. XIII. cap. VII. de impedimen. crimin. n. 8. Maſchat. Inſtit. Canon. a me illuſtratæ cit. tit. n. 3.

Qui ſane intellectus, ne dicamus, Innocentium ſibi contrarium fuiſſe, repetendus eſt, nedum a Gloſſa, omnibuſque Interpretibus, ſed etiam a præcedenti ejus Epiſtola decretali, relata in cap. VI. *Significaſti* cit. tit. ac ab altera LXXXIX., relata a Gonzalea in commentario ad cap. VIII. *Si quis* d. tit. in quarum utraque definivit, ad incurrendum hoc impedimentum copulative requiri adulterium formale, ideſt ab utroque cognitum cum promiſſione futuri matrimonii, ut legenti patet. Certa ſiquidem regula eſt concordi Canoniſtarum calculo recepta = ut ſi quæ jura diminutius loquantur, ſupplenda, ſeu explicanda ſint ex aliis, plenius, & clarius loquentibus = Maſ. loc. cit.

Hoc idem dubium ſibi propoſitum ita ſolvit Engel hoc tit. n. 7. = Quæritur VII. quid juris, ſi fœmina ſoluta peccet cum conjugato, ignorans eum eſſe conjugatum: ex poſt facto autem, cum jam de hoc eſt certiorata, promiſſionem acceptet, vel de

„ de facto contrahat matrimonium ? Reſ. tali caſu „ probabiliter dici poſſe nullum ſubeſſe impedimen- „ tum, quia illa copula ex parte fœminæ ob igno- „ rantiam ſtatus conjugalis in altero non fuit forma- „ le adulterium, neque etiam adulterorum pæ- „ nam meretur, conſequenter nec iſtam, quæ a „ jure tantum adulterio cum promiſſione matrimo- „ nii conjuncto infligitur = Miror tamen, cur tantus Canoniſta ſentiat = *valde probabiliter* (& non certo) *dici poſſe nullum ſubeſſe impedimentum* = cum ſimus in odioſis, nec ſit in Doctorum, rigoroſe plus æquo opinantium, poteſtate ſtatuere impedimenta in caſibus a jure clare non expreſſis.

In caſu tamen allatæ Decretalis novum requiri utriuſque conſenſum pro valore ſecundi matrimonii recte ibi notat Gloſſa §. *De novo*, cum primus fuerit nullus ob tunc adhuc exiſtens viri ligamen cum prima; præſtandum quidem coram parocho, & teſtibus, ſi hoc contractum impedimentum fuerit publicum, juxta doctrinam traditam in hoc eodem Opere pag. 552. num. VI,

Notandum vero, quod in dictæ Decretalis ſpecie jus ad renovandum hunc novum conſenſum competit mulieri dumtaxat tamquam parti innocenti, ut notavi pag. 516. poſt *cap*, *Propoſitum*.

Ad Titulum XXXVIII. lib.V. de Pænitentiis, & remiſſionibus poſt §. *Quæ Decreta* pag 749. circa implementum præcepti Communionis paſchalis, addendum,

Huic præcepto non ſatisfacit Euchariſtiam ſumens abſque licentia Epiſcopi, vel proprii parochi non in propria parochiali Eccleſia, ſed in alia qualibet, quamvis patriarchalis, aut metropolitana, aut cathedralis ſit, ut jam primum declaravit Cong. Conc. in Limana, Suerina, & Peruſina menſe Septembris 1649; & 23. Januarii 1688. deinde Innocentius XI. *die* 5. *Februar* 1682. etiamſi Romanæ Urbis incolæ eam ſumerent in Eccleſiis patriarchalibus S. Joannis Lateranenſis, aut S. Petri in Vaticano: poſtremo Benedictus XIV. 2. Jun. 1751. in Epiſtola enciclica ad Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Poloniæ incipien. *Magno* §. XXI.

Ad Sectionem II. Partis II. poſt §. *Idem decretum* pag. 814. addendum = In decreto Cong. S. Inquiſitionis, juſſu Urbani VIII. edito 1. Auguſti 1641. fertur excommunicatio in ſingulares perſonas, & interdictum in collegia, & Univerſitates audentes ſine ſpeciali licentia Papæ imprimere, & quoquomodo in lucem edere libros, tractatus, compoſitiones, ex profeſſo, vel incidenter ſive in theologicis, ſive in philoſophicis agentes de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda, aut quavis occaſione, vel modo de materia divinorum auxiliorum, ſeu de gratia, & libero arbitrio tractantes, donec a S. Sede, ſuper hac materia aliter fuerit ordinatum.

Item ſub excommunicatione latæ ſententiæ prohibitum eſt retinere, & legere ſine dicta licentia librum aſſertum Cornelii Janſenii, cui Titulus Auguſtinus, ac alias compoſitiones, theſes, & ſcripturas occaſione dicti libri editas, materiam eandem concernentes.

Quæ pœnæ in caſibus ſupradictis reſervatæ ſunt Papæ, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, etiam Bullæ Cruciatæ, Jubilæi etiam generalis, & facultatibus Miſſionariorum, ac aliis a Sancta Sede emanatis, ſeu emanandis.

Hoc decretum inſertum eſt in Conſt. dicti Pontificis *In Eminenti* 6. Martii 1641. & Alex. VIII. 7. Decem. 1690. proſcripſit hanc Propoſitionem = Bulla Urbani VIII. *In Eminenti*, eſt ſubreptitia =.

Ad Sectionem CV. dictæ Partis II. poſt §. *Cæterum* pag. 977. circa facultatem, quam dare poſſunt Generales, & Provinciales ſuis Religioſis cum eorum licentia extra clauſtra morantibus confitendi cuilibet ſacerdoti tam ſæculari, quam regulari alterius Ordinis, ab Ordinario tamen approbato, addendum ☞ Cum ſub die 16. Sept. 1769. Epiſcopus Hildeſimen. ſupplici libello Clementi XIII. exhibito, & ad Cong. Conc. remiſſo expoſuiſſet, uſum invaluiſſe in civitate Hildeſimenſi, ut nonnulli Regulares ad civitatem ipſam pluribus intra annum vicibus accedentes, ibique per aliquot dies commorantes, ſoleant ſibi eligere Præsbyterum ſecularem ab Epiſcopo non approbatum, qui eis ſit a confeſſionibus, quamvis non deſint qui vel ex ſecularibus, vel ex Regularibus proprieque cujuſque Ordinis familiæ de Epiſcopi, vel Prælati regularis licentia confeſſiones excipiant, idque minime ferri poſſe cenſens, ſequentia dubia declaranda propoſuit.

I. An tales confeſſiones licitæ ſint in caſu?

II. An ignorante Epiſcopo, validæ fuerint?

III. An Epiſcopo ſciente, & contradicente in poſterum peragendæ validæ futuræ ſint?

Sacra Congregatio die 18. Novembr. 1769. reſpondit negative in omnibus, & amplius.

Nequeunt itaque Regulares, licite extra clauſtra degentes, etiam obtenta facultate a ſuis Generalibus, vel Provincialibus ſibi eligendi confeſſarium, hunc eligere, qui ab Ordinario loci, in quo reperiuntur, approbatus non fuerit.

Sacerdotes autem, tam ſeculares, quam regulares ne vigore quidem Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, in quo cuique, etiam Regulari, concedi ſolet a Sede Apoſtolica facultas ſibi eligendi confeſſarium, invalide abſolverent pænitentes, niſi actu approbati eſſent ab Ordinario loci, ubi confeſſiones audirent, neque ſi non abſolverent juxta licentiam conceſſam cum limitatione, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus perſonarum: certa quorum omnium ratio repetenda eſt ab Apoſtolicis Conſtitutionibus ita ſtatuentibus, appoſite in unum redactis in Synodo Tuſculana, celebrata an. 1763. *art. VII. de Miniſtro Sacram. Pænit.* n. 7. p. 650. ibi = Nam, præ- „ ter Pauli V. Urbani VIII. & Clementis X. Con- „ ſtitutiones, quibus contraria opinio damnata jam „ fuerat, Innocentius XII. per ſuam Conſtitutio- „ nem, *Cum ſicut* 19. *April.* 1700. decrevit, ac „ declaravit, confeſſarios tam ſeculares, quam re- „ gulares, quicumque illi ſint, in vim Bullæ Cruciatæ „ a pænitentibus ad audiendas eorum confeſſiones „ electos, eas audire non poſſe ſine approbatione „ Ordinarii loci, in quo ipſi pænitentes degunt, & „ in

in quo Confeſſarios ad ſuas excipiendaa confeſſiones requirunt; neque ad boc ſuffragari approbationem ſemel, aut pluries ab Ordinario aliorum locorum obtentam, etiam ſi pænitentes ſubditi illorum Ordinariorum forent, qui Confeſſarios electos approbaſſent: adeoque confeſſiones in poſterum aliter factaa, & auditas nullas, irritaa atque invalidas fore: Sacerdotibus vero, qui illaa audire præſumpſerint, ſuſpenſionia pænam ipſo facto incurrendam indixit. Opinionem autem contrariam tanquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, & in praxi perniciosam damnavit, eamque doceri, ſuſtineri, aut ad praxim deduci ſub pæna excommunicationia ipſo facto incurrendæ prohibuit. Innocentii XII. Conſtitutionem confirmavit mox per litteras in forma Brevia Innocentius XIII. *Apoſtolici Mioiſterii 13. Maji 1723.*, quibus etiam declaravit, Sacerdotes, ſive ſeculares, ſive regulares, qui ab Epiſcopis obtinuerint licentiam audiendi confeſſiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus perſonarum, non poſſe Sacramentum pænitentiæ adminiſtrare extra tempus, vel locum, vel perſonarum genua ab ipſis Epiſcopia præſcriptum, quocunque privilegio, etiam in vi Bullæ Cruciatæ, nullatenus ſuffragante. Sacerdotibus autem, tam ſecularibus, quam regularibus ad confeſſiones excipiendaa, vel ex vi Bullæ Cruciatæ, vel ex quocunque alio privilegio electis, minime ſuffragari, quod approbati alias fuerint ab Epiſcopo, qui loci, in quo confeſſionea audiendæ ſunt, Ordinarius aliquando fuerit, ſed non amplius ſit, vel quia obierit, aut Epiſcopatui renunciaverit, vel quia ad aliam Eccleſiam, auctoritate Apoſtolica, fuerit translatus, ſed neceſſariam omnino eſſe illius approbationem, qui actu ordinariam in ea diæceſi exerceat iuriſdictionem: eam tamen ſufficere etiam tacitam, ac tamdiu durare, quamdiu præcedens approbatio expreſſe revocata non fuerit: in quo caſu nova ex integro impetranda eſt, non ſecus ac quando prior approbatio, tempore præfinito elapſo, expiraverit. Innoc. XIII. literas Bened. XIII. aliis apoſtol. ſuia literis, *In ſupremo 23. Sept. 1724.* approbavit, confirmavit, atque innovavit. Verum cum novæ hac ſuper re excitari poſſent controverſiæ, Benedictus XIV., ut omnem in poſterum dubitandi occaſionem adimeret, Conſtitutionem edidit *Apoſtolica Indulta nonis Aug. 1744.*, qua ſtatuit, ac declarat, idem omnino jus, quod vigore prædictorum decretorum circa intelligentiam, & uſum indulti Bullæ Cruciatæ obtinet, etiam quoad reliqua ejuſdem generis indulta pariformiter valere, atque obtinere debere; & reprobationem dictarum opinionum, quatenus reſpiciunt intelligentiam, & uſum indulti Bullæ Cruciatæ a præfatis Pontificibus proſcriptarum, locum ſimiliter habere, quatenus eaſdem opiniones, & ſententias in medium proferri contingeret circa ſimilia etiam indulta, ſive univerſis per Eccleſiam criſtifidelibus, ſive alicui regioni, aut loco, Univerſitati, aut cœtui particulari Sodalium, ſeu Confratrum, quomodocunque, & ubicumque conceſſa, vel concedenda. =

Præter hucuſque a laudato Benedicto ſtatuta, & declarata, bæc ſubdit.

= Inſuper decernimus, & declaramua, id, quod generaliter de indultia præmiſſis ſentiendum jam diximus, generaliter quoque intelligendum eſſe de omnibus, & ſingulis perſonis, quæ ſub eorumdem indultorum conceſſione comprehenſæ reperiuntur, vel quas in poſterum comprebendi contingat, quæque ſupradictia indultis uti voluerint; ita videlicet, ut ſi in aliquo indulto tam ſecularibua, quam Regularibua tribuatur faeultas eligendi confeſſarium ab Ordinario loci approbatum, tunc confeſſarius vigore talis conceſſionis, ſive a ſeculari, ſive a regulari pænitente ad audiendaa eorum reſpective confeſſiones electus, nullatenus ejuſmodi confeſſionea audire valeat, niſi ab Epiſcopo diæceſano, & Ordinario loci, ubi confeſſio excipienda eſt, ad confeſſionea approbatus, & deputatus exiſtat, quacumque alia approbatione, tam illius generia, quam uterque Innocentius Prædeceſſores prædicti declararunt non ſuffragari, *quam ea, ſi de Regularibus agatur, quæ a ſolo proprio Regnlari Prælato obtenta foret, minime ſuffragante.* Æquum eſt enim, & rationi conſentaneum, ut quicunque ſpeciali indulti beneficio gaudere, eoque uti voluerit, ia conditionea in eodem indulto præſcriptas omnino ſervet; neque licitum eſt cuiquam conditionem illam approbationia confeſſarii per loci Ordinarium faciendæ alio modo intelligere, quam eo, quo ipſam intelligendam eſſe toties Prædeceſſorea noſtri Romani Pontificea, ut præmiſſum eſt, decreverunt. Quorum nos quoque veſtigiis inhærentes, præfatam conditionem in eodem plane ſenſu, quem illi tradiderunt, ab omnibus, & ſingulis hujuſmodi indulto ſub ea conditione conceſſa utentibua accipiendum, & ſervandum eſſe ſtatuimus, atque mandamus, quicunque illi fuerint, qui in vi ejuſmodi indulti confeſſarium ſibi eligent, ſive ſeculares, ſive regulares cujuslibet Ordinis, & Inſtituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, & Ordinum Militarium, etiam Militiæ Hoſpitalis. S. Joannis Hieroſolymitani, necnon Societatis Jeſu, atque alterius cujuſque Congregationis, vel Societatis, tametſi de illis, aut illorum, vel illarum aliquo, ſeu aliqua ſpeciali, & expreſſa mentio quomodocunque facienda foret. Ideoque confeſſiones, & abſolutionea in præmiſſis caſibus aliter in poſterum factaa, & reſpective auditas, ſeu impertitaa irritas fore, & invalidas declaramus; & contrariam quamcunque opinionem, ejuſque praxim deinceps prohibemus, ac reprobamus, tamquam explanatæ toties ab Apoſtolica Sede verborum intelligentiæ, ac menti noſtræ, quam ad omnem bac ſuper re ambiguitatem tollendam per præſentes clariua expoſuimus, penitus adverſantem.

☞ Et hic ſpeciatim monitoa velim Regulares, ſibi eligere volentes confeſſarium extra ſuum Ordinem vigore prædictorum indultorum, non ſatis eſſe illius approbationem fortaſſe obtentam *a ſolo proprio regulari Prælato*, niſi adſit etiam approbatio obtenta a loci Ordinario. Vide etiam a me notata pag. 976. §. *An autem*.

☞ Summorum Pontificum ſanctiones, quæ in hoc Opere deſiderantur, afferentur, ſi vita ſuperſtes erit, in Summario omnium Conſtitutionum Apoſtolicarum.

I N-

INDEX RERUM,

Quæ in his tribus Tomis continentur.

A

ABBAS regularis tenetur recipere benedictionem ab Epiſcopo diœceſano ſine ulla expenſa monaſterii, etiam prandii, nec quidquam is recipere poteſt poſtea, etiam ſponte oblatum 582. 584. Et ſi tertio requiſitus renuat eum benedicere, poteſt exercere ſuum officium, & eam recipere a quocumque Antiſtite 48, & ſeq. Semel benedictus amplius benedici non debet, etiam translatus ad aliud monaſterium 49. Nec conferre poteſt primam tonſuram ſuis novitiis, & oblatis 69. Si eſt Sacerdos, & benedictus poteſt conferre ordines minores, ſuis tamen ſubditis regularibus tantum ibid. non tamen Subdiaconatum 63. Poteſt iiſdem ſubditis prohibere exercitium ordinum receptorum, & aſcenſum ad ulteriores 848. Quas ſacras ſuppellectiles benedicere poſſit 423. & quid de Abbatibus Caſſinenſibus ibid., & 724. Nequit cognoſcere cauſas matrimoniales, pœnitentias publicas injungere, Indulgentias concedere ſine privilegio 709. Pontificalium uſus quomodo, & cui competat 722. ☞ Et referuntur decreta Cong. Rituum 723. & ſeq. & ibi de Abbatibus Caſſinenſibus. Abbatis regularis ſedes principalis quæ quoad exemptionem ab Epiſcopo pro viſitatione Parochialis eidem ſedi adnexæ 1041. An præſcribere poſſit jura parochialia 192.

Abbas Commendatarius habens jura epiſcopalia poteſt vocare quemcumque Epiſcopum pro conferendo ſubditis Sacramento Confirmationis: non vero ſi ejus Abbatia, licet exempta, ſita ſit intra fines alterius diœceſis 827. Non tenetur accedere ad Synodum diœceſanam 1003. & ſeq. ☞ Non poteſt diſpenſare ſuos ſubditos ab irregularitate ex delicto occulto 1006. Poteſt reſervare caſus 839. Habens quaſi epiſcopalem & temporalem juriſdictionem, exemptus eſt a viſitatione Epiſcopi quoad Eccleſias parochiales 887.

Abbas verè nullius ☞ alienare poteſt res Eccleſiæ modici valoris, & qui ſit modicus valor 288, & ſeq. Et venit nomine Ordinarii, & ad quem effectum 825. Hodie viſitare tenetur limina Apoſtolorum, & ſuarum Eccleſiarum ſtatum Congr. Concilii rationem referre 1072. ☞ Diſpenſare poteſt ſuper denunciationibus matrimonii, cum & ipſe quoad has veniat nomine Ordinarii 990. Poteſt cognoſcere cauſas abſentiæ Beneficiatorum 935. Eidem committi poſſunt diſpenſationes extra Rom. Curiam 921. Et quid quoad ordines ſuis ſubditis conferendos, & dimiſſorias concedendas 959. ad 961. An ordines ab ipſo collati non ſubditis, ſint validi ibid. qui dicatur Abbas primæ, ſecundæ & tertiæ claſſis ibid. An poſſit prohibere notariis imperitis exercitium, vide Notarii imperitia.

Abbates generales Ciſtercienſes an hodie conferre poſſint ex privilegio ſuis ſubditis Regularibus ordines Subdiaconatus, & Diaconatus 69.

Abbatiarum ſubditi ſæculares a quo Epiſcopo ordinandi 961.

Abbatiſſa eligenda, quibus prædita eſſe debeat qualitatibus, & ætate 39. 40. 1037. Hodie eligi nequit ex alio monaſterio ibid. durare debet per triennium dumtaxat intra Italiam, & utriuſque Siciliæ Regnum, nec eo elapſo, durare debet per aliud triennium antequam iterum eligatur, etiam ad Vicariatum, nec diſpenſari poteſt ab Epiſcopo 1037. Ejus electio intimanda eſt Epiſcopo, qui intereſſe poteſt cum Superiore regulari, ſi agatur de Monialibus Ordini regulari ſubjectis citra ullam monaſterii expenſam, & cum quibus limitationibus 1038. Et ejus confirmatio ſpectat ad Superiorem regularem, non ad Epiſcopum 40. 556. 1038. ☞ Ejuſdem electio expletur per vota monialium oretenus expreſſa coram ſuperiore, & Epiſcopo reſpectivè, etiamſi adſint duo, vel tres tanquam ſcrutatores ibid. & dicitur canonica 39. 40. 1037. 1038. & 1040. Hodie ſufficit votorum pluralitas, ſecus olim 40. In eorum paritate nequit Superior ferre ſuffragium ibid. & quid ☞ ſi moniales non concordarent ibid. Si ſubjectæ ſint Sedi Apoſtolicæ, electio Abbatiſſæ confirmanda eſt a Papa ibid., & 556. Ejus electioni intereſſe poteſt Epiſcopus per ſe, vel per alium, una cum Superiore regulari ſi huic ſubjecta ſit ibid. An in ejus electione detur ſimonia 556. Abbatiſſa venit nomine monialium 218. quæ, & quando benedici debeat, & pœna benedictionem non recipientis 40. & 374.

Abbatiſſa Canoniſſarum eligi poteſt etiam non profeſſa, ætatis annor. XXV. 40. & 374. In ejus electione requiruntur duo ex tribus partibus ſuffragiorum 39. Et nulla eſt, facta mediis pactionibus 40.

Abortum fœtus tam animati, quam non animati procurans, quam olim pœnam, & quam hodie incurrat 649. 650. 656. 861. 862. Et quas, ſi procurans illum, ſit Clericus, & Beneficiatus, & a quo diſpenſandus ibid. In dubio fœtus animati an incurratur irregularitas 657. Vide Fœtus. Abortus reus Presbyter mittendus eſt ad limina Apoſtolorum pro abſolutione 758. Vide S. Pœnitentiaria.

Abſens ob curam animarum, dum illam exercet, percipere poteſt integros fructus præbendæ 6. Abſens Canonicus ob curam animarum percipit fructus canonicatus ibid. Et etiam Canonicus Collegiatæ non inſignis exiſtentis in Urbe ibid., licet abſit majori tempore præfixo a ſtatuto, hoc indulgente, ſi confirmatum ſit a Sede Apoſtolica in forma ſpecifica, ibid.

Abſentia a choro permittitur per tres menſes ☞ dummodo ei obſtricti alternantibus hebdomadibus non inſerviant 1013. Contumax in abſentia, quomodo privari poſſit Beneficio 241. Abſentiæ Beneficiatorum cauſæ quæ ſint 935. Abſentiæ ab Epiſcopatu per tres menſes indultum, quomodo intelligendum 929. Abſentia a parochia, vide Parochus quoad reſidentiam. Abſentium Regularium vota pro electione ſuppleri nec a Protectoribus, nec a Sac. Congregationibus poſſunt 1032.

Abſolvere a culpa, & pœna ſolus Pontifex poteſt per conceſſionem Indulgentiæ plenariæ; Confeſſarii id præſumentes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam 844., & poſſunt publicè denunciari excommunicati ibid.

Abſolutio in articulo mortis, vide in Articulo mortis; data a ſimplici Sacerdote, vide Sacerdos ſimplex.

Acceptio perſonarum non eſt apud Deum, & jure Divino reprobata 271.

Acceſſus ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione obtinenda ob percuſſionem Clerici, hodie obſolevit 735. In quibus tamen caſibus præcipitur a Sac. Pœnitentiaria 754. Vide S. Pœnitentiaria. Acceſſum ad Romanam Curiam impedientis pœna 743.

Accuſans Clericus tam aggreſſorem, vel malefactorem reum ſanguinis, an fiat irregularis, vide Aggreſſorem. Accuſans falſo Confeſſorem de ſollicitatione, vide Calumniator. Accuſator falſus quam pænitentiam olim facere debebat 554.

Acta Judiciorum conſcribenda ſunt a publica perſona, ideſt a notario 169.

Actus fidei, ſpei, & charitatis parochus poſt miſſam die feſto celebratam, a populo alta voce elici curet 817.

Adminiſtratio Sacramentorum nequit fieri cum opinione probabili 977.

Adminiſtratores bonorum Monialium etiam Regularibus ſubjectarum, quibus ſingulis annis rationem reddere debent 1040, & a quibus amovendi ibid. Nec Epiſcopus eos removendo, tenetur cauſam Superiori ſignificare ibid.

Adſcriptio Eccleſiæ Clericis facienda 941, & quæ ſit hodierna diſciplina 978. & ſeq. ac pœna illam deſerentium 980.

Adulteri quomodo hodie puniendi 104., eis ob ductam alteram in uxorem, olim injungenda erat pœnitentia publica, & prohibebantur quamlibet in uxorem ducere, mortua prima, ſecus hodie 517.

Adulterium commiſſum in Eccleſia, etiam ad dictum unius, ea eſt reconcilianda 426. & 656.

Adulterorum & Adulterarum pœnæ 661. & ſeq. & quæ ſpeciales in Urbe 665. Adulteram uxorem permanentem maritus conſcius tenetur eam dimittere 663. Nec ☞ monitus ab Epiſcopo tenetur eam recipere, licet ad meliorem vitæ frugem converſam ibid.

Advocatia cauſarum quomodo Clericis interdicta 472.

Advocati munua exercere coram Judice ſæculari interdictus eſt Clericis 134. ☞ Quibus conditionibus eis permiſſum in Urbe ibid. Olim dabatur ex publico ærario litigantibus, hodie Romæ datur miſerabilibus perſonis a Congregatione S. Ivonis 123.

Ære alieno gravatos ad habitum regularem admittentis pœna 83. Item pœna eo Eccleſiam, aut Beneficium, aut menſam Epiſcopalem gravantis 302. Clerico ære alieno gravato an liceat cedere bonis 303. An etiam excommunicatio ei infligenda ibid. An uti poſſit privilegio Cap. *Odoardus* 302. & ſeq.

Ætas Parochi, dignitatum, & Archidiaconi 26. 71. Ætas pro profeſſione religioſa admittenda, vide Profeſſio religioſa. Ætas pro ſubdiaconatu, & diaconatu requiſita 72. Pro promovendo ad parochiam 65. Pro obtinenda dignitate in Cathedrali ibid. Ætas minorum quæ 319. Pro obtinendo beneficio etiam ſimplici eſt annus XIV. inceptus 939. Et hæc ætas ☞ computanda eſt a die nativitatis, non baptiſmi recepti ibid. Dicta ætas non requiritur, ſi agatur de beneficio ſimplici juris patronatus, quando in fundatione cautum eſt ut ſufficiat minor ibid. Ætas pro ſacris ordinibus recipiendis qualis hodie requiratur, & quæ hodie pœnæ tam in ordinantem, quam in ordinatum ante debitam ætatem 966, & ſeq. Annus ad hanc complendam ſufficit inceptus ibid. Ætas pro tonſurandis, & minoribus recipiendis debet eſſe ſeptem annorum completorum 938. Licet a Trid. non ſtatuta ☞ ut mendoſe legitur in Conſtitutione Sixti V. ſtatutum fuiſſe ibid.

Affinitatis impedimentum ex inceſtu olim extendebatur uſque ad IV. gradum, hodie uſque ad II. tantum 529, & ſeq. Si orta tamen eſt ex copula fornicaria; ſi autem ex conjugali, uſque ad IV. ut in conſanguinitate 532. Olim in matrimonio tam contrahendo, quam contracto attendendi erant iidem gradus ac in conſanguinitate, hodie autem attendendus eſt II. dumtaxat 530. Hoc impedimentum ſuperveniens matrimonio contracto non extenditur ultra II. gradum 532. Ita etiam in ſponſalibus per verba de futuro, nec orta ex copula fornicaria ultra dictos gradus inducit impedimentum dirimens matrimonium contrahendum ex declaratione S. Pii V. 532. Orta ex matrimonio conſummato, ☞ ſed poſtea declarato nullo, inducit impedimentum dirimens uſque ad IV. gradum ibid. Affinitas conſtituit impedimentum dirimens uſque ad IV. gradum inter collaterales; inter aſcendentes vero, & deſcendentes uſque in infinitum 532. Si poſt contractum bona fide detegatur antecedens impotentia ad copulam, & dubitatur, an ſit temporanea, vel perpetua, permittenda eſt conjugibus cohabitatio triennalis ad experiendum, an intra hoc tempus reddantur potentes 534. Si autem ſcienter contractum ſit cum impotentia perpetua, non ſunt permittendi ut cohabitent tanquam frater, & ſoror 534. & ſeq. Pœnæ maleficium, ſeu ſortilegium committentis ad cauſandam impotentiam coeundi, 535. Hoc impedimentum ſi præſumatur ortum ex fornicatione, quando ſit dirimens, & ad quem gradum ſe extendat 996. Et quando privet jure petendi debitum ibid.

Agnos Dei pingentium, inaurantium, & vendentium pœnæ 449.

Aggreſſorem, & Malefactorem ſuum Clericus accuſans cum proteſtatione ſe nolle pœnam ſanguinis, non fit irregularis, licet aggreſſor eam ſubeat 473. 657. & ſeq. Vide Vindicta ſanguinis.

Agrorum benedictio, vide Benedictio agrorum. Agrorum alienorum cultura Clericis interdicta 329.

Almarici dogmata damnantur ab Innoc. III. 2.

Albaneſes græco ritu viventes in Italia quoad Ordines ſuſcipiendos 362.

Alchimica ars quando prohibita 686. Ea aurum, & argentum falſans, vide Falſantes.

Alearum ludus, & taxillorum ſub qua pœna Clericis prohibitus 222., & ſeq.

Alienatio eſt commutare fundum unius Eccleſiæ cum fundo alterius 284. Alienationis nomen quæ contineat 285. & ſeq. Alienantium bona Eccleſiarum pœnæ ibid. *Ambitioſæ cupiditatis* Conſtitutio contra alienantes res Eccleſiæ an ſit ubique recepta 288. Et an extendatur ad Inſulas Italiæ adjacentes ibid. Ad incurrendas pœnas ab ea inflictas requiritur præſumptio alienantium ibid. Alienationis decreta interponentis pœna non ſervata forma præſcripta in literis Apoſtolicis 286. ☞ Alienationis facultas aliquibus Regularibus olim conceſſa, hodie ſublata eſt 292. Alienationes locorum juriſdictionalium, & locorum piorum ſub quibus pœnis prohibitæ, & quos afficiant 286. & ſeq. Alienationis nomine venit etiam venditio fructuum Beneficiorum ad vitam, vel ad longum tempus 287. Alienatio rei modici valoris de licentia Ordinarii fieri poteſt 287. Nequit fieri diverſis vicibus integrantibus magnum valorem ibid. 289. Quæ res dicatur modici valoris 288. & 290. Interdicta eſt Regularium ſuperioribus etiam majoribus 287. & ſeq. Permiſſa tamen eſt Abbatibus vere nullius 288. Alienantium pœnæ

ſiæ quæ hodie 259. Alienatio, & permutatio rerum Eccleſiæ quarum Clericorum conſenſu olim ab Epiſcopo facienda erat, & quorum hodie 278. Hodie præter conſenſum Clericorum Eccleſiæ, ad quam res ſpectant, requiritur beneplacitum Apoſtolicum ibid. & vide Permutatio.

Alimenta danda ſunt filiis illegitimis Clericorum etiam de redditibus Eccleſiaſticis 76. Danda ſunt etiam ſpuriis 517. & ſeq. Vide Spurii. Non debentur a Religione religioſis legitime ejectis 476.

Altaris conſecratio fieri debet ab Epiſcopo oleo conſecrato, ideſt chriſmate, & ex privilegio pontificio etiam a non Epiſcopo 416. 422. Et quid de Abbatibus in ſuis tantum Eccleſiis 423. Altaris ara vide Tabula Altaris.

Altare portatile quoad Miſſæ celebrationem refertur decretum 906. & ſeq. Privilegia abrogata quoad illius uſum 407. 418. Interdictum eſt Regularibus 419. 719. & ſeq. Et an eo uti poſſit Epiſcopus nondum conſecratus 727. Quando, & ubi eo uti poſſit Epiſcopus & Cardinalis 719. & 507.

Alternativo ſervitio choro addicti gaudentes ☞ uti nequeunt indulto abeſſendi per tres menſes eis Tridentino permiſſo 1013.

Alumni Propagandæ fidei. Vide Propagandæ fidei.

Amanuenſis ſcribens proceſſus in cauſa ſanguinis, an incurrat irregularitatem 477.

Amor initialis in confeſſione. Vide Attritio.

Anglia olim ſolvebat tributum D. Petro, & Sedi Apoſtolicæ 399.

Animarum teſtamentum quod dicatur, & ubi vigeat 316.

Annata media pro fabrica Eccleſiæ cathedralis, & collegiatæ a quibus ſolvenda 1016. & ſeq. Et penes quem deponenda, ac quomodo cuſtodienda, & eroganda 1017. Pœna illam male cuſtodientis, vel eroganti ibid. Quæ beneficia eximantur ab ejus ſolutione 1018.

Annus biſextilis quoad profeſſionem religioſam, vide Profeſſio religioſa.

Annus Jubilæi. Vide Jubilæi.

Annus novitiatus pro validitate profeſſionis. Vide Profeſſio Religioſa.

Anticipatæ ſolutiones fructuum bonorum eccleſiaſticorum annullantur 1063.

Antichreſis quid ſit, tam Clericis, quam laicis prohibita 672.

Antimenſiæ quid ſint, & qui his utantur 894. Ac quando in his celebrare poſſit ſacerdos latinus in Ruſſia Polonica 417. 441. 894.

Antonii de Panormo cenſura contra male ſentientes circa lectionem ſacræ Scripturæ 811. & ſeq.

Anuli delatio cui competat 223.

Appellatio interponenda eſt in ſcriptis, & unico contextu peti poſſunt apoſtoli 205. Quando interponi poſſit omiſſo medio 200. Intelligitur interpoſita ab eo, qui ſolo peregrinationis animo Romam petiit 199. & 213. Et quid quando quis ſe, & ſua Apoſtolicæ Sedi ſubjecit 199. An interponi poſſit a correctione morum 195. Item a ſententia interlocutoria, & quando 196. 203. In quibus caſibus non detur a ſententia definitiva, & afferuntur varia decreta 204. ad tot. 213.

Appellationis modus ſervandus in cauſis primæ inſtantiæ 212. 1025. Non datur in cauſis viſitationis, correctionis, habilitatis, & inhabilitatis, ac criminalibus ante ſententiam definitivam Epiſcopi, nec a quocumque alio gravamine, niſi gravamen per definitivam reparari non poſſit 196. 204. Neque datur a ſententia Epiſcopi prohibentis aſcenſum ad Ordines, & eorum exercitium ob delictum occultum extrajudicialiter lata 847. & ſeq. Sed datur tantum recurſus 212. & 847. Quando dari poſſit appellatio a decreto ſuſpenſionis lato contra illiteratos, & delinquentes 843. 850. ☞ Interdicta eſt Regularibus ad eorum Cardinales Protectores 201.

Appellationum tempora quando perpetuantur in Curia Romana 10. Appellans ab electione facta, vel facienda quam formam ſervare debet, & quando hæc habeat locum 33. Ejus formæ omiſſio in quibus non infirmet jus appellantis ibid. Hic producere debet acta primæ inſtantiæ coram Judice ad quem 174. & ſeq. Recuſante judice a quo, vel notario exhibere acta, abſolvendus eſt ibid. Quando tenetur ad horum expenſas, & in qua quantitate ibid. Qui actorum copiam exhibere teneatur, & quid quoad mercedem ibid.

Appellatio poſt concurſum ad Parochialem, vide Concurſus.

Applicatio Miſſæ pro populo. Vide Miſſæ applicatio.

Apoſtata regularis hodie remittendus eſt ab Epiſcopo ad ſuos Superiores 638. Recipiens Ordines etiam minores in apoſtaſia, quas pœnas incurrat ibid.

Apoſtatæ, & fugitivi ab Ordinariis in carcerem conjecti, vide Fugitivi.

Apoſtoli pro appellatione interpoſita ſunt literæ miſſoriæ, quibus appellans mittitur a Judice inferiori ad ſuperiorem, & quomodo, ac quando petendi. 207

Ara altaris Vide Tabula altaris.

Arbitrium liberum in operando vide Liberum arbitrium.

Archidiaconus quo ad facultatem viſitandi Eccleſias, ſuſpendendi & excommunicandi 32. Sub qua pœna tenetur ſe promovere ad presbyteratum 64. Ejus ætas, vide Ætas. Hodie impedito Epiſcopo, non poteſt amplius viſitare diœceſim 88. Viſitare tamen poteſt per ſeipſum Eccleſias, quas viſitare conſuevit ibid. ſed cum limitatione 32. 191. Non poteſt cognoſcere cauſas matrimoniales beneficiales & criminales earumdem Eccleſiarum, ☞ exceptis aliquibus diœceſibus ex ſpeciali commiſſione Epiſcopi 90. Hodie nequit amplius examinare promovendos ad Ordines ibid. & 577. Illos præſentando Epiſcopo aſſerens eſſe dignos, ut promoveantur, hodie eſt mera cæremonia 65. & 577. 944. Non poteſt examinare præficiendos Parochialibus, niſi ſit unus ex deputatis Examinatoribus in Synodo, neque inſtallare Abbates, & Abbatiſſas, & Beneficiatos præciſa conſuetudine 90. 581. 586. Hodie non gaudet juriſdictione in punitione clerici 217. Olim ex conſuetudine ferre poterat excommunicationem, ſecus de jure 705. In aliquibus locis ex conſuetudine ei competebat juriſdictio contentioſa 736. Quale ſcrutinium ordinandorum hodie faciat 944.

Archiepiſcopus nequit novas Cathedrales erigere 128. Quando viſitare poſſit Eccleſias, & Diœceſes ſuorum Suffraganeorum, & an hodie ſit in uſu 405.

Archipresbiter in aliquibus diœceſibus præcedit Archidiacono 91. Olim eidem reſervata erat receptio confeſſionis ſacerdotum ſibi ſubjectorum, ſecus hodie 92.

Arma Clericis interdicta, & quando permiſſa 214. 224. Arma laicis prohibita quæ, & ſub qua pœna 214.

Arma, & aliæ merces ad Saracenos deferri ſub qua pœna olim, & ſub qua hodie prohibita 613. 615. Eadem deferre ad quoſcumque infideles, & hæreticos expreſſe, vel nominatim a Sede Apoſtolica declaratos ibid. Et quos pœna comprehendat ibid. ☞ Quando nautæ Chriſtiani excuſantur a culpa, transferendo res bellicas ad

Xxxxxxx 2 Tur-

Digitized by Google

Turcas in ſuis navibus ibid. Et quando Remiges Chriſtiani in triremibus eorumdem ibid.

Artes Clericis prohibitæ quæ 917.

In Articulo mortis omnis ceſſat peccatorum reſervatio, & in eo abſolvere poteſt quilibet ſacerdos etiam declaratus excommunicatus vitandus, deficiente Confeſſario approbato 841. & ſeq. Sed ſi agatur de reſervatione cum cenſura, imponendum eſt onus Pœnitenti ſe præſentandi coram Superiore ſi convaluerit ſub pœna reincidentiæ in eandem cenſuram 843. Et ſi cenſura contenta eſt in Bulla Cœnæ, expetenda eſt prævia promiſſio de ſtando mandatis Eccleſiæ ibid. Præſumentes abſolvere, in tali articulo a cenſuris Epiſcopo, aut Papæ reſervatis extra dictam Bullam ſine tali prævia promiſſione, non videntur incurrere excommunicationem ibid.

Aſtrologia judiciaria ſub quibus pœnis prohibita 688. & ſeq.

Aſylo eccleſiaſtico qui hodie gaudeant, & qui non 464. ad tot 470. Quæ loca eo gaudeant, ☞ & ad quam diſtantiam ab Eccleſia hoc privilegium ſe extendat 471. Et quid ☞ de Religioſis confugientibus, ſive ad ſuas, ſive ad alienas Eccleſias, & monaſteria 464. Eo non gaudent miniſtri Montis Pietatis, aut alterius publici banchi furtum committentes circa ejus bona, & depoſitas pecunias 924.

Attritio peccatorum neceſſaria cum Sacramento Pœnitentiæ, & an includere debeat aliqualem Dei amorem initialem 835. 836. Sententia tam hanc requirens, quam excludens non eſt theologicæ cenſuræ nota taxanda ibid., ſuadendus tamen eſt pœnitens, ut conetur illum habere ibid.

Avviſi vulgo dicti, ſeu literæ infamatoriæ ſub qua pœna prohibitæ 695.

B

BAnchi publici depoſita, & bona furto abripientium, & falſantium pœna 924., & vide Aſylo.

Banientis Epiſcopum, & quoſcumque Eccleſiæ miniſtros pœna 742.

Baptiſmus confert gratiam, ac remittit, & tollit reatum peccati originalis, & propoſitio contraria proſcripta 814. Collatus parvulis eos efficit vere fideles, nec poſt adultam ætatem interrogandi ſunt, an illum ratum habeant 3. Quod per ipſum eis infundatur gratia, hodie eſt de fide 4. Olim conferebatur cum trina immerſione, ut etiam nunc in Eccleſia Mediolanenſi 442. Collatus per unam, vel trinam immerſionem ſive per infuſionem, ſive aſperſionem, ſemper eſt validus, ſed ejus miniſter ſervare debet conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ ibid. Collatus ſine illis verbis = te baptizo = eſt nullus, & affertur propoſitio proſcripta ibid. & ſeq. Quando reiterandus ſub conditione, & quale eſſe debeat dubium non fuiſſe, vel male fuiſſe collatum 443. Temere illum reiterans etiam ſub conditione, ſacrilegium committit, & contrahit irregularitatem juxta communiorem Canoniſtarum ibid. In quibus caſibus ſub conditione reiterandus ibid. Quando reiterandus expoſitis in hoſpitalibus ibid. ☞ Teſtimonium unius de Baptiſmo rite collato, ſatis eſt ibid. ☞ Quando reiterandus eſt adultis, ſecreto reiterandus eſt ibid. Non eſt conferendus in privatis domibus, exceptis Regum, & Principum filiis; ad eorum tamen preces, ac nepotibus ex filiis. & deſcendentibus ex maſculis, & qui horum nomine veniant 445, ac excepto periculo mortis baptizandi, ac illum ad Eccleſiam deferentium ibid. Reiterandus eſt presbytero non batizato, qui poſtea eſt iterum reordinandus 445. Conjectura ſuſcepti Baptiſmi non ſufficit, ideoque in dubio conferendus 443. 445. & ſeq. ☞ Baptiſmum in quo ſenſu Innoc. III. aſſerat non eſſe januam aliorum Sacramentorum 445. & ſeq. Quis Baptiſmo inculpabiliter non ſuſcepto ſalvari poteſt per fidem Baptiſmi, id eſt per ejus votum ibid. Illum ſolemniter conferens non ordinatus quam pœnam incurrat 701. & ſeq. Suſceptus a Diacono, vide Diaconus. Solemniter adminiſtrari poteſt a ſolo Parocho, & ſi ſacerdos tam ſæcularis, quam regularis illum adminiſtraret ſine hujus licentia, bona fide, vel ignorantia *craſſa* nullam incurret pœnam 846.

Baptiſmi adminiſtratio, vide Sacramentorum adminiſtratio.

Beguinarum Inſtitutum ſub qua pœna prohibitum, earumque ſtatum ſectantium, & ad illum aſſumendum cooperantium pœna 380.

Bellicas res deferentes ad infideles & hæreticos, vide Arma.

Bellum ſacrum pro recuperatione Terræ ſanctæ, vide Cruceſignatorum expeditio.

Benedictio Abbatum. Vide Abbas.

Benedictio agrorum an fieri poſſit ſine licentia Parochi 1074.

Benedictio Eccleſiæ ſolemnis ſpectat ad Epiſcopum, ſed ab eo delegari poteſt ſimplex Sacerdos & etiam ad reconciliandam de ea non eſt faciendum anniverſarium ſicut in dedicatione 416.

Benedictio nuptiarum in quibus diebus interdicta 159. & pœna eam dantis 160. Eadem danda eſt a proprio parocho, & pœna eam dantis ſi non ſit proprius, & a quo poſſit abſolvi 729. 994. & ſeq. Danda eſt etiam a parocho novi domicilii, ſi contrahentes poſt contractum matrimonium, illud mutaverunt ibid. Non danda eſt poſt traductionem ſponſæ ad domum viri ibid. Gratis danda, poteſt tamen accipi aliquid ſponte datum 580.

Benedictio puerperarum poſt partum fieri poteſt a quocumque Sacerdote ☞ ſine licentia Parochi 455. 1074.

Benedictio Eccleſiæ pollutæ vide Reconciliatio.

Benedictio ſecundarum nuptiarum, vide Nuptiæ ſecundæ.

Benedictiones variæ quæ privative competant Parocho, & quæ non 455. & ſeq.

Beneficia Eccleſiaſtica ſine fructuum diminutione, id eſt ſine nova reſervatione alicujus partis eorumdem in favorem cujuſcumque conferenda 283, & 398. ☞ Et quid, ſi jampridem reſervata erant non favore collatoris, ſed ex juſta cauſa 283.

Beneficiorum fructuum deductiones, quæ non convertuntur in uſus pios, prohibentur, & ſub quibus pœnis 1015. & ſeq. Eorumdem fructuum venditio vel ad vitam, vel ad longum tempus ſub pœna contra alienantes prohibita 287. 398. Eoſdem exigendi ceſſio prohibita 297.

Beneficium ære alieno gravantis pœnæ 302.

Beneficium ſine Epiſcopi conſenſu ſibi vindicantis pœnæ 392.

Beneficii fructus percepti ante literas Apoſtolicas non expeditas quando reſtituendi 265.

Beneficia S. Sedi reſervata quæ 277.

Beneficiorum reſignationem vi extorquentis pœna 743.

Beneficia curata quibuſcumque locis unita ſingulis annis gratis viſitanda ſunt ab Ordinariis 828. Incompatibilia etiam ſimplicia retinentis pœna 251. & ſeq.

☞ Beneficia permutata mala fide coram Ordinario conferri nequeunt ejus conſanguineis, affinibus, & familiaribus 258. & 300.

Beneficia indignis conferentis pœna 259. Vacantia in Curia Romanana per obitum curialium, reſervata ſunt Papæ 262. Plurium ſimultanea retentio prohibita 264. In eorum aſſecutione quis præferendus inter concurrentes 264.

Beneficiorum inferiorum Epiſcopatu poſſeſſionem capientis literis Apoſtolicis non expeditis pœna 265.

Beneficio curato proviſus cum onere de ſe promovere faciendo intra annum ad presbyteratum 265.

Beneficio per ſimoniam confidentialem obtento quis privetur, ſed non aliis 556.

Beneficii imparis titulo Ordinantis, & Ordinati pœnæ 873. 276.

Beneficii ſufficientia ad ſacros Ordines ſuſcipiendos qualis debeat eſſe 873. ☞ An detrahenda ſint Miſſarum onera ipſi adnexa ibid. quando, & quomodo ſuppleri poſſit inſufficientia 874.

Beneficii uſurpator quibus pœnis punitur 266.

Beneficium non vacans recipiens retinere nequit etiam poſt obitum illud poſſidentis 273.

Beneficiorum devolutio poſt ſemeſtre ob negligentiam collatorum ad quem ſpectet, & ad quæ Beneficia ſe extendat, ac quando ſemeſtre tempus incipiat 274.

Beneficia hodie vacant per aſſumptionem ad Epiſcopatum, & quæ incompatibilia ſint cum eo 276.

Beneficia vacantia ſede Epiſcopali vacante, olim reſervata erant ſucceſſori Epiſcopo, ſecus hodie & quando conferri poſſint a Capitulo 278.

Beneficia reſervata, vel affecta Sedi Apoſtolicæ an uniri poſſint parochiali 878.

Beneficiorum unio Parochialibus quomodo fieri poſſit ab Epiſcopo 878. Et quid ſi ea ſint juris patronatus, vel reſervata, vel affecta Sedi Apoſtolicæ, & quando ibid.

Beneficii reſignatio ad cujus titulum quis eſt ordinandus, quomodo fieri debeat 874.

Beneficiorum acceſſus & regreſſus prohibentur 1060.

Beneficium ſimplex quando ſit incompatibile cum alio 252.

Beneficium novitii. Vide Novitii Beneficium.

Beneficii permutatio; vide Permutatio Beneficii.

Beneficii privatio; vide Privatio Beneficii.

Beneficii promiſſio; vide Promiſſio Beneficii.

Beneficii ſimplicis unio; vide Unio Beneficii.

Beneficium ſufficiens ad ordines ſacros ſuſcipiendos; vide Ordines Sacri.

Beneficiorum pluralitas; vide Pluralitas Beneficiorum.

Beneficii reſignatio; vide Reſignatio Beneficiorum.

Beneficii devolutio; vide Devolutio Beneficii.

Beneficii renunciatio; vide Renunciatio Beneficii.

Beneficii collatio intra quod tempus facienda; vide Collatio Beneficii intra quod tempus.

Beneficiorum incompatibilium nomine quæ veniant; vide Pluralitas Beneficiorum.

Beneficii vacantis fructus; vide vacantium Beneficiorum fructus.

Beneficii fructuum ſequeſtratio, vide Sequeſtratio.

Beneficii fructus lite pendente; vide Fructus Beneficiorum.

Beneficii confirmatio adepti per præſentationem; vide Electio.

Beneficiorum unio; vide Unio Beneficiorum.

Beneficii ſimplicis obtinendi ætas; vide Ætas.

Beneficio ordines adnexi ſuſcipiendi; vide Ordines Beneficiis adnexi.

Beneficia ſeminario unienda; vide Seminarii erectio.

Beneficiatus in hæreſim lapſus; vide Hæreſis.

Beneficiati quoad ordines ſuſcipiendos; vide Ordines Beneficio adnexi.

Beneficiatus quicumque ad reſidentiam obſtrictus non reſidens quas pœnas incurrat 932. & ſeq. Item curam animarum habens non reſidens ibid. Quæ cauſæ excuſent a reſidentia 935. & ſeq.

Beneficiatus Parochus non eximitur ut olim a reſidentia ratione ſtudiorum 936. Et non reſidens quomodo privari poſſit, tam fructibus quam Parochia, ac in quos uſus eroganda ſint fructus, quibus privatus eſt 936.

Beneficiatus abſens a Choro quomodo hodie fructibus & Beneficio privandus 240. & ſeq. Et quoad Horas canonicas, vide Horæ Canonicæ.

Beneficiatus Theologiæ ſtudens; vide Theologiæ ſtudens.

Beneficiatus Infirmus; vide Infirmus.

Beneficiati hæredes; vide Hæredes.

Beneficiato privilegio teſtandi gaudenti ſine teſtamento, ac etiam extra reſidentiam decedenti qui ſuccedant 309.

Beneficiati teſtandi privilegio gaudentes, qui & quando excipiantur 309. & ſeq. Nequeunt vendere ſuorum Beneficiorum fructus ad vitam, aut longum tempus, & ſub qua pœna 398.

Bigamus vere, & interpretative indiget diſpenſatione Apoſtolica pro receptione Ordinum etiam minorum, nec diſpenſari poteſt ab Epiſcopo 86. Nec illos exercere poteſt, nec initiari prima tonſura, & privatur privilegio clericali, etiamſi ſit Græcus, non tamen privatur ſi jam ſit in ſacris 85. & ſeq. Suſpenſio illum ordinantis eſt ferendæ ſententiæ, ſicuti & exercitum Ordinis in ordinato ibid.

Bigamus ſimilitudinarie diſpenſari poteſt ab Epiſcopo ibid.

Biſextilis annus quoad profeſſionem religioſam; vide Profeſſio Religioſa.

Bizzocorum Inſtitutum ſub qua pœna prohibitum 380.

Blaſphemiæ crimen quibus olim pœnis puniebatur, & quibus hodie ejus ſpecies diverſæ 697. ad tot 699.

Blaſphemia etiam ſimplex denuncianda eſt Tribunali S. Officii ibid.

Bona fides quando detur; vide Poſſeſſor.

Bona emphiteutica eccleſiaſtica a quibus oneribus ſint exempta 464.

Bona eccleſiarum uſurpantes; vide Uſurpatio.

Bona Monialium quoad adminiſtratores; vide Adminiſtratores.

Bona Monaſteriorum quomodo, & a quibus adminiſtranda, & eorum fructus a nemine poſſideri poſſunt tanquam proprii 1026.

Bona Beneficiorum intuitu Eccleſiæ acquiſita an tuta conſcientia teſtamento relinqui poſſint, & ab hæredibus retineri, etiam attenta conſuetudine de iis teſtamento diſponendis 306.

Bonorum eccleſiaſticorum fructuum anticipatæ ſolutiones annullantur 1063.

Bonorum eccleſiaſticorum ceſſio interdicta 303. Item interdicta locatio ultra triennium. Vide Locatio.

Breviarium approbatum a Clem. & Urbano VIII. una cum decretis Cong. Rituum 1071.

C

Cadavera defunctorum condenda ſunt in tumba infra terram 324. Et depoſita ſupra, amovenda; nec condi poſſunt ſub altari, neque prope 421.

Cadavera decedentium ruri recreationis, vel negotii peragendi cauſa, ſi commode fieri poteſt, deferri debent ad ſepulturam parochialem, vel majorum, ſi alibi eam non elegerint 324. Quæ diſtantia requiratur ad hoc ut commode transferri poſſint, ibid. Cadavera Religioſorum extra clauſtra decedentium, vide Sepulturæ electio a Religioſo.

Cadavera mortuorum exenterantium pœna 325. Cadave-

davera excommunicatorum quando extrahenda ſunt e Cœmeterio 424.

Caducitatis a bonis Eccleſiæ in emphiteuſim datis remiſſio prohibita 286.

Cajetani Cardinalis opinio deleta juſſu S. Pii V. Vide Card. Cajetani.

Calicis conſecratio a quo fieri poſſit, & quid de Abbatibus 423. 441. Ex qua materia debeat eſſe calix ibid. Poſt ſumptionem ſanguinis debet vino perfundi, & digiti abluendi ſunt cum vino, & aqua ſimul 432. & ſeq.

Calumniæ juramentum. Vide Juramentum.

☞ Calumnians Confeſſarium de ſolicitatione abſolvi nequit niſi a Papa etiam poſt retractationem 560. Propoſitiones proſcriptæ de Calumniatoribus ibid.

Calumniator quas pœnas olim, & quas hodie incurrat 560. 682. & ſeq.

Cambium activum eſt ſpecies veræ negotiationis 473. 915.

Cambium ſiccum ſub qua pœna prohibitum 675. & ſeq.

Cameræ Apoſtolicæ applicantur fructus beneficiorum vacantium 161. Eadem Camera quoad Spolium. Vide Spolio.

Cancellaria epiſcopalis neque vendi, neque locari poteſt 591. & 869. In ea retinenda eſt taxa Innocentiana ibid. Nec quidquam ex emolumentis miniſtris debitis cedere debet Epiſcopo ibid.

Cancellariæ regulæ quoad Beneficia vacantia in curia a quolibet Pontifice confirmantur 262. & ſeq.

Candelarum diſtributio permittitur in Oratoriis Confraternitatum pro confratribus, & ſororibus etiam ſine licentia parochi 1073.

Canonis privilegio qui uti nequeant, & qui utuntur 760. Quando eremitæ gaudeant hoc privilegio ibid. ☞ Clericus hoc privatus quando remittendus eſt ad Judicem eccleſiaſticum 760. Eo hodie privari poteſt etiam abſque trina monitione 770. 776. An privetur hoc privilegio Tonſuratus, & minoriſta habitum clericalem non deferens 940.

Canonica portio, vide Portio Canonica.

Ad Canonicatum Collegiatæ ætas. Vide Ætas.

Canonicus quoad vocem in capitulo, vide Vocis privatio. Non reſidens quomodo privandus ſit fructibus 198.

Canonicus Cathedralis promoveri debet intra annum ad Ordines Sacros; excipiuntur Canonici S. Mariæ in Coſmedin, qui ſatis eſt, ut ſint Tonſurati 265.

Canonici Collegiatarum quando promovendi ſunt ad ſacros Ordines ibid.

Canonicus Pœnitentiarius. Vide Pœnitentiarius.

Canonicus coadjutus. Vide Coadjutus.

Canonicorum exceſſus; vide Exceſſus Canonicorum.

Canonici Catedralium, & Collegiatarum duo tantum, & non plures, ut olim, abſentes pro ſervitio Epiſcopi percipere poſſunt fructus Canonicatus, exceptis diſtributionibus, vel duas tertias partes, ſi in his ſolis iidem fructus conſiſtant 239.

Canonici Cathedralium ſunt conſiliarii nati Epiſcopi 280. Eorum conſilium quando adhibendum eſt ab Epiſcopo 558. & 707. Eorum conſenſus ad parochos puniendos, & horum Eccleſias interdicto ſubjiciendas non requiritur, & circa hunc Epiſcopus hodie præſcripſit 707. Invitandi ſunt ad Concilium provinciale, ſed non cogendi, ac in eo votum tantum conſultivum habent 282. Ad Synodum tamen diœceſanam tenentur accedere, ibid. Tam Cathedralium quam collegiatarum qualiter ſe invicem poſſint ſubſtituere 436. Tarde accedentes ad chorum, ſeu ante finem horarum exeuntes, quas pœnas incurrant ibid.

Canonici Regulares Lateranenſes præcedunt monachos Baſilianos 1043. Iidem, ac ☞ Sanctiſſimi Salvatoris olim præfici poterant cum uno ſocio parochiæ ſæculari de licentia Superioris Regularis; hodie requiritur etiam beneplacitum Apoſtolicum 366. & ſeq. & 866.

Canonici ſæculares olim vivebant in communi, & cum certo numero juxta proventus Collegiatarum 218.

Canonici S. Sepulchri, vide S. Sepulchri.

Canoniſſæ, quæ ſint, & quoad electionem earumdem Abbatiſſæ 40. 374.

Cantus addiſcendus a ſeminariſtis qualis 982.

Capella pro conſtruenda ſepultura vendi poteſt etiam ſine beneplacito Apoſtolico 322.

Capellania perpetua poteſt eſſe titulus ad Ordines ſacros ſuſcipiendos 874.

☞ Capellanus quando, & quoties quolibet anno poſſit intermittere Miſſæ quotidianæ celebrationem, & ad quam tenetur ex fundatione 254. & ſeq.

Capitula Cathedralium, & quæ eorum jura, ſi Epiſcopus captus fuerit ab hæreticis 51. Vide Cathedralium capitula.

Capitula exempta quomodo viſitari, ac corrigi poſſint ab Epiſcopo, tam intra, quam extra viſitationem 1058. & ſeq.

Capitulum, Sede epiſcopali vacante, quando conferre poſſit beneficia vacantia 278. ipſius conſenſum aut conſilium an hodie Epiſcopus amplecti teneatur 280. Nequit concedere dimiſſorias pro ordinibus recipiendis, & pœna eas impetrantium 961. & ſeq. Intra octo dies poſt mortem Epiſcopi eligere tenetur Vicarium Capitularem. ☞ cui hodie nequit ullam juriſdictionem reſtringere 962. & 1018.

Cardinalis Titularis SS. Laurentii in Damaſo, & Canonici quid juris olim habebant 125.

Cardinalibus Titularibus Eccleſiarum Urbis quod jus hodie competat 125. & ſeq. In iis diſpenſare nequeunt ſuos ſubditos ab irregularitate provenienti ex delicto occulto 1006. Nec ſuos familiares, ad ordines promovere 957. Et vide Familiares. Et quod jus competat Cardinali Urbis Vicario, vacante titulo 126.

Cardinalium dicto valde defertur 171.

☞ Cardinali Urbis Vicario, ejuſque Viceſgerenti creditur aſſerenti de vivæ vocis Pontificis oraculo, Rota deciſ. 117. num. 6. & 12. coram Durano 171. Idem Cardinalis prorogare poteſt ex juſta cauſa ad XL. dies moram Epiſcoporum poſt eorum promotionem 929.

Cardinalis poteſt privari Cardinalatu a Papa abſque Concilio, & afferuntur exempla 236. Non poteſt abeſſe a Romana curia ſine licentia Papæ ibid.

Cardinalibus quæ Eccleſiæ, & Beneficia non commendanda 269. Olim non ſuperabant Epiſcopos in dignitate 396. Et veniunt nomine Superiorum Epiſcopis, ac uti poſſunt altare portatili 727. Quam poteſtatem hodie habeant in eorum titulis 126. In aliena diœceſi nequeunt conſecrare Eccleſias ſine licentia Papæ 827. Quando retinere poſſint duos Epiſcopatus ibid.

Cardinales Epiſcopi non reſidentes quas pœnas incurrant 929. ad tot. 931.

Cardinales ſex ſuburbicarii, an hodie retinere poſſint alium Epiſcopatum 929. Non tenentur reſidere in dictis Epiſcopatibus ſuburbicariis 931. tenentur tamen eos viſitare, & an teneantur ad viſitationem liminum Apoſtolorum, & ad relationem ſuarum Eccleſiarum ibid.

Cardinales hoſtiliter inſecutoris, percuſſoris, & occiſoris pœna 738. & ſeq. Et quos comprehendat ibid. Ac pœna id non revelantium 739. iis tamen conceditur purgatio moræ, & ſi revelaverint, abſolvi poterunt a quocumque 741.
Cardinalium domum tempore conclavis, ac eorum familiares invadentis pœna 741.
☞ Card. Cajetani opinio aſſerens, ſacerdotem quater ſaltem in anno non celebrantem levis tantum culpæ reum eſſe, deleta eſt ab ejus libris juſſu S. Pii V. 968.
Carena unde dicta 508.
Carnium eſus permiſſus eſt feria VI. in quam incidit Nativitas Chriſti, exceptis iis, quibus vi voti, aut regulæ eſt interdictus 453.
Caſſinenſes Abbates quoad Pontificalia, vide Pontificalia.
Caſtitatis votum explicitum hodie non exigitur a provendis ad Ordines ſacros 694.
Caſtitatis votum ſolemne quomodo diſpenſari poſſit a Papa 368. & ſeq.
Caſuum reſervatio fieri poteſt ab Epiſcopo in ædificationem, & non in deſtructionem 838. Item ab ipſo Inferioribus quaſi epiſcopalem Juriſdictionem habentibus 840. paucos tamen reſervare debent, & eos tantum, quos ad chriſtianam diſciplinam retinendam reſervandos judicaverint, nec eos promiſcue, quibus adnexa eſt excommunicatio major, niſi forte reſervandi viderentur propter frequens ſcandalum, nec pro rebus parvi momenti ibid. Potius reſervandi ſunt in Synodo, quam extra 839. Nec parochis ut aliis Confeſſariis, tanta reſtrictio quoad reſervatos facienda eſt ibid. ☞ Regulares Superiores, non locales, ſed Generales, Provinciales, & Abbate reſervare tantum poſſunt eiſdem præſcriptis a Clem. VIII. & qui ſint 840. Præter hos alios reſervare nequeunt niſi in Capitulo Generali in toto Ordine, & in Provinciali in Provincia ibid., nec alicui peccato in dictis XI. caſibus non expreſſo adnectere poſſunt cenſuram, quam ſibi reſervent 841. Deputare debent in ſingulis domibus duos, vel plures Confeſſarios cum facultate ab his abſolvendi ibid, nec ab iiſdem abſolvere poſſunt Superiores locales ibid. Ab iiſdem eorum Confeſſarii toties, quoties abſolvere poſſunt, quoties denegata ipſis fuerit a dictis Superioribus abſolvendi facultas ab aliquo caſu reſervato ibid. In articulo mortis omnis ceſſat reſervatio ibid. Vide in Articulo Mortis.
Caſus reſervati Epiſcopo abſolvi nequeunt a Confeſſario habente facultatem abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis 972. Et abſoluti ab epiſcopalibus caſibus etiam a Regularibus in foro interno, non intelliguntur abſoluti in foro externo ibid. Habentes caſus reſervatos in una diœceſi abſolvi poſſunt in alia ☞ dummodo ad illam non in fraudem reſervationis accedant ibid. Regulares Confeſſarii abſolvere nequeunt a caſibus Epiſcopo reſervatis, & contraria propoſitio proſcripta 973. ☞ Abſolvere tamen poſſunt moniales ſibi ſubjectas a caſibus Epiſcopo reſervatis cum facultate ſuorum Superiorum, exceptis caſibus, quos ſibi ipſe reſervaverit in materia clare ſpectante ad Juriſdictionem delegatam 973.
Caſus reſervati Papæ occulti abſolvi poſſunt ab Epiſcopo, vel ab ejus Vicario de ipſius mandato in foro conſcientiæ tantum, ſi agatur de ipſius ſubditis, & de Epiſcopo illius regionis, ubi Tridentinum receptum eſt 1005. & ſeq. Excipiuntur contenti in Bulla Cœnæ ibid. ☞ Item excipiuntur cenſuræ incurſæ, ob ſimoniam in Ordine ibid. ☞ Item reſervati poſt Concilium Trident. 1006.
Caſus reſervati Urbis Vicario qui, & quot 744. & 750. Quando a Parocho abſolvi poſſint ibid.
Caſus Bullæ Cœnæ, vide Bulla Cœnæ.
Cathacumbas Sanctorum ſine licentia ingredientium pœna 442.
Cathechiſmus Conc. Tridentini approbatus a S. Pio V. & poſtea a Clem. XIII. iterum datus typis mendis expurgatus 1071.
Cathedralium Canonici quoad Ordines ſacros, vide Canonici Cathedralium.
Cathedrales quando non gravandæ ſunt penſionibus 1017. Illarum fructuum deductiones quando, & ſub quibus pœnis prohibitæ 1015. Earumdem, & collegiatarum Eccleſiæ reſtauratio quorum ſumptibus facienda 831. & ſeq.
Cathedralia capitula exempta quando, & quomodo puniri poſſunt ab Epiſcopo 824.
Catholicorum communicatio in divinis an licita cum catholicis, vide Communicatio Catholicorum.
Cauſæ mixti fori, vide Fori Mixti.
Cauſarum cognoſcendarum commiſſio extra Urbem, vide Commiſſio cauſarum.
Cauſarum deciſio quando terminari debet 143. Et in quibus procedendum ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu. & figura judicii 144. & ſeq.
Cauſarum dilationes, vide Dilationes cauſarum.
Cauſæ civiles mercedum miſerabilium perſonarum cognoſcendæ ſunt ab Ordinario etiam adverſus Regulares extra clauſtra degentes non obſtantibus ipſorum Conſervatorum deputationibus ſecus intra clauſtra degentes 632.
Cauſæ criminales Epiſcoporum hodie cognoſcendæ ſunt tantum a Papa 139. 193. Vide Crimina Epiſcoporum, & Criminales cauſæ eorumdem.
Cauſæ criminales pro ſententia ſanguinis, vide Judicium ſanguinis, & Sententia ſanguinis.
Cauſarum cognitio olim committi poterat ſimplici monacho, ſecus hodie 716.
Cauſæ contentioſæ celerius terminandæ ſunt 1024. 1043.
Cauſæ eccleſiaſticæ etiam beneficiales in prima inſtantia cognoſcendæ ſunt a locorum Ordinariis 1024. & ſeq. Et quæ excipiuntur ibid. Excipitur etiam cognitio ſuper executione literarum Apoſtolicarum de capienda poſſeſſione beneficiorum ibid. Dictæ cauſæ terminandæ ſunt ſaltem intra biennium & ut celerius terminentur, in proceſſu attendenda eſt nullitas dumtaxat citationis, Juriſdictionis, & mandati ibid. Modus appellationis ſervandus in dictis cauſis 212. 1025.
Cauſæ matrimoniales circa validitatem, vel nullitatem hodie cognoſcendæ ſunt ab Epiſcopo juxta Conſtitutionem Benedicti XIV. 484. ad tot 488. Niſi adſit conſuetudo immemorabilis favore Epiſcopo Inferiorum 710. ☞ Et in defectum Epiſcopi committi poſſunt judicibus Synodalibus 1062. Vide Matrimoniales cauſæ.
Cauſæ piæ diſpoſitio in extrema voluntate alteri manifeſtata valet 310.
Cedulas S. Spiritus. & Montis Pietatis falſantium pœnæ 924. Vide Falſantes.
Celebratio Miſſarum, vide Onera Miſſarum.
Cenſuræ, ☞ quando ſint latæ, & quando ferendæ ſententiæ 434. Eas abſolventis pro pecunia pœnæ 578.
Cenſuræ, & interdicta ab Ordinario promulgata publicari debent in ſuis Eccleſiis a Regularibus, ac ſervari 1041. & ſeq.
Cenſus quid ſit, & quando licitus 294. ad tot 296.
Ceſſio bonorum an liceat Clerico ære alieno gravato 302. & ſeq.
Charitativum ſubſidium, vide Subſidium.
☞ Choro addicti cum alternativo ſervitio uti nequeunt

Digitized by Google

unt Indulto abſentiæ trium menſium, eis a Tridentino permiſſo 1013.

Choro addicti quoad horas canonicas, vide Horæ canonicæ. Per ſe, & non per ſubſtitutos debent divina celebrare 434. & 1013. Quando poſſint ſe invicem ſubſtituere 436. Quando teneantur recitare Officium B. Virginis ibid. et ſeq. An teneantur ſub culpa recitare Officium defunctorum, Pſalmos pœnitentiales, & graduales 437.

Chriſma adhiberi debet in Conſecratione Eccleſiæ, & Altaris 412.

Chriſma, ſeu oleum Infirmorum conſecrandum eſt quotannis ab Epiſcopo diæceſano 421.

Chriſti membrum quis efficitur, nedum per Sacramentum fidei, ideſt Baptiſmum, ſed etiam per fidem Sacramenti, ideſt Baptiſmi 445.

Cimelia, horum nomine veniunt vaſa ſacra, & pretioſa, ac oblationes fidelium 89.

Circumſtantiæ peccati ſpeciem mutantes, ac etiam aggravantes intra eandem ſpeciem aperiendæ ſunt in confeſſione 746. & vide Confeſſio.

Ciſtercienſes Abbates quoad Ordines conferendos ſuis ſubditis. Vide Abbates Ciſtercienſes.

Extra Clauſtra Religioſus degere nequit ad longum tempus ſine Licentia Sedis Apoſtolicæ, nec deputari ad ſervitia Principum, Epiſcopi, & Cardinalis 479.

Clauſura monialium quarumcumque reſtituenda, & conſervanda ab Ordinariis, invocato etiam auxilio brachii ſæcularis, ſub pœna etiam excommunicationis, non tamen reſervatæ, in magiſtratus illud denegantes 1030. Monialis eam frangens exiens ☞ ac etiam ſupra tectum monaſterii aſcendens, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam ibid. Item in eam introducens ☞ etiam infantes cujuſcumque ætatis 1032. Quæ cauſæ excuſent ab exitu 1030. & 1037. ☞ Licentia exeundi interdicta eſt etiam Nunciis, & Congregationi Epiſcoporum, & Regularium 1031.

Clauſuram ingrediens ſine debita licentia incurrit eandem excommunicationem, & hæc a quibus, & ex quibus cauſis danda, licet agatur de in monaſteriis Regularibus ſubjectis 1031. Superiores regulares quando, & quomodo in eam ingredi poſſint ibid. Confeſſarii regulares tam ordinarii, quam extraordinarii monialium Regularibus ſubjectarum eam ſemper ingredi debent cum ſocio, & ſub quibus pœnis ibid. ☞ In eam recipi nequeunt Educandæ, & famulæ ſine licentia Sedis Apoſtolicæ 1032. Poſſunt moniales extra mœnia exiſtentes transferri ad monaſterium intra mœnia 1037. Eadem clauſura quando frangatur 372. & ſeq. Statuenda, & ſervanda eſt ab Ordinario in monaſteriis etiam exemptis ibid.

Clauſuræ monialium Regularibus ſubjectarum cuſtodiendæ, & conſervandæ cauſa competit etiam Epiſcopo, & quomodo 375. Et quæ in eas viſitare poſſit 376. Afferuntur decreta viſitationem, & ingreſſum concernentia ibid. & ſeq. Vide Ingreſſus in monaſterium.

Clericus conjugatus, vide Conjugatus Cleric.

Clericus ſive celebs, ſive conjugatus fori privilegio privatus ob delictum, & a Judice laico comprehenſus ☞ ſemper repeti poteſt ab Ordinario 940. ☞ Non amittit privilegium fori ſerviens alicui Eccleſiæ, licet ab Epiſcopo ei non adſcriptus 941. & ſeq. & circa hanc adſcriptionem quæ ſit hodie diſciplina 978. & ſeq.

Clericus conveniri nequit coram judice laico, & pœna ad illum trahentis 142. 146. Clericus autem convenire poteſt laicum in aliquibus locis coram Judice eccleſiaſtico 147. Clerici nomine, etiam conjugatus, venit ſola etiam Tonſura initiatus 759. & ſeq. Miniſtrans in Ordine non recepto quam pœnam incurrat 701. & ſeq. Initiatus etiam prima Tonſura dimiſſo habitu ſe enormitatibus immiſcens, ipſo facto eſt privatus privilegio fori 646.

Clerici inteſtati decedentis bonis quis ſuccedat 315. & ſeq.

Clericis negotia ſæcularia prohibita enumerantur, 212. 472. & ſeq. Eis interdicta ſunt ſervitia præſtanda in domibus laicorum 915. Et quæ artes eis permiſſæ 917. Laicorum obſequio addicti puniendi ſunt ibid.

Clericus ☞ accuſans ſuum aggreſſorem, vel malefactorum reum ſanguinis cum proteſtatione, eum non intendere vindictam ſanguinis, an fiat irregularis, vide Aggreſſorem. Cogi poteſt citra læſionem immunitatis perſonalis ad murorum cuſtodiam ob neceſſitatem; quæ tamen prius cognoſcenda eſt ab Epiſcopo 459. Vide Murorum cuſtodia.

Clericorum incontinentia quibus pœnis punienda 321. & ſeq.

Clericorum habitus, vide Habitus.

Clericorum, & Mulierum cohabitatio, vide Cohabitatio.

Clerici concubinarii pœnæ, vide Concubinarii Clerici.

Clerici exceſſus, vide exceſſus Clericorum.

Clerici veſtis, vide Veſtis.

Clericus negotiator, vide Negociatio.

Clericis arma interdicta, vide Arma.

Clericus ære alieno gravatus, vide Ære alieno.

Clericus per ſaltum promotus, vide per Saltum.

Clericus peregrinus, vide Peregrinus Clericus.

Clerici venatores, vide Venatio.

Cleric. excommunicatus, depoſitus, & interdictus, vide Divina.

Clerici Regulares non profeſſi, ſive ſæculares more Religioſorum in commune viventium promoveri nequeunt ad Ordines ſacros ſine ſufficienti beneficio 871.

Coadiutor quando, & a quo dandus eſt Epiſcopo 271, & ſeq.

Coadiutor Parochi tenetur ad reſidentiam, licet ſit canonicus cathedralis, ut Parochus, & ad eam cogi poteſt, & diſpenſari nequit ab Epiſcopo 94. 934. Secus ſi ex inſtitutione poſſit per alium ſervire 934.

Coadiutor Parochi quibus qualitatibus præditus eſſe debet 823. & vide Parochi coadiutores. Coadiutor Parochi aſſumi debet, cum opus fuerit, & ſub qua pœna, & quæ congrua ei aſſignanda 823. Dandus eſt Parocho leproſo, cum aſſignatione congruæ, & quantæ 270; Et quando dandus eſt in aliis caſibus 879.

Coadiutoria quando poteſt eſſe titulus ad Ordines ſuſcipiendos 874. Coadiutoria cum futura ſucceſſione in quibus caſibus hodie permiſſa 1060. *Coadiutoriæ amaritudo* excluditur per conſenſum coadiuti, nec datur invito 13.

Coadiutus Canonicus tenetur ad reſidentiam localem, non autem ad intereſſendum choro 1013.

Cœcus nequit prima tonſura initiari 84.

Cœcutiens ſacerdos, vide Sacerdos cœcutiens.

Cœcutientibus Subdiacono, & Diacono non conceditur aſcenſus ad Præsbyteratum 84.

Cœmeterium polluitur per ſepulturam excommunicatorum, & quorum 424. Et ex quo alio capite, ac quando intelligitur reconciliatum 428. Pollutum reconciliandum eſt aqua ſolemniter benedicta 424. Et cadavera ibi ſepulta quando extrahenda ibid.

Cognatio legalis a quibus, & inter quos contrahatur, & qui adoptare, & adoptari poſſint, & ad eam faciendam quæ conditiones a jure requiſitæ 526. & ſeq.

Digitized by Google

& ſeq. Alia eſt perfecta, quæ abrogatio dicitur, altera imperfecta, & quomodo utraque fiat ibid. Et ex utraque oritur impedimentum matrim. impediens, & dirimens ibid. Refellitur error Bulgarorum, qui ſenſerunt ex ea, nullum impedimentum oriri 526. Filius adoptantis, durante etiam adoptione, poteſt contrahere matrimonium cum filia adoptati 527. Si hæc cognatio ſuperveniat matrimonio, debitum conjugale non impedit ibid. Inter quos oriatur matrimonii impedimentum 547.

Cognatio ſpiritualis contracta ex Baptiſmo, & Confirmatione ad quos extenditur 521. 523. 524. 995. & ſeq. Non contrahitur a tenente in alterutro Sacramento procuratoris nomine 996. Nec a ☞ tenente in Confirmatione ſi non eſt confirmatus 524. An ☞ contrahatur per dictum Sacramentum collatum oleo Infirmorum 75. Hoc impedimentum a quibus, & inter quos tantum hodie contrahatur 520. 521. 525, 526. Non contrahitur a Patre, vel Matre levante de ſacro fonte, vel etiam baptizante proprium filium ex neceſſitate; ſecus ſi ſine neceſſitate, & diſpenſari deberent ab Epiſcopo pro petitione debiti conjugalis, non vero pro redditione reſpectu partis innocentis 521. ☞ Contrahitur tamen a Patre, vel Matre etiam ex neceſſitate levante, vel baptizante propriam prolem fornicarie ſuſceptam ibid. Non contrahitur per Cathechiſmum, ut olim 523. 524. ☞ Non contrahitur a Patrino non confirmato ſuſcipiente infantem in Confirmatione; an contrahatur ex collatione ſacramenti pœnitentiæ inter Confeſſarium, & Pœnitentem controvertunt doctores 526.

Cohabitatio Clericorum & Mulierum quæ prohibita, & ſub qua pœna 225.

Cohabitatio ſponſi in domo ſponſæ ante contractum matrimonium prohiberi poteſt ſub pœna arbitraria, non ſub pœna ſtupri 663.

Collatio Beneficiorum intra quod tempus facienda, nempe Juriſpatronatus laicalis, eccleſiaſtici Curatorum Eccleſiarum, Epiſcopatus, Archiepiſcopatus 50.

Collatio ſerotina, vide Jejunium.

Collectas, & exactiones Eccleſiis, & eccleſiaſticis perſonis ſine auctoritate Apoſtolica imponentium, ac clericorum eas ſolventium pœnæ 450. ad tot 462. Vide Onera Eccleſiaſticis.

Collectores ſpoliorum, vide Spoliorum.

Collectores eleemoſynarum pro ſubſidio terræ ſanctæ. Vide Quæſtores eleemoſynarum.

Collectores miſſarum, vide Miſſarum onera.

Collegia Romanæ Curiæ hodie nequeunt promovere ad doctoratum 1009.

Collegia Scholar. Piarum, vide Scholarum Piarum.

Collegii Eccleſiaſtici Urbis Rectori competit ☞ præcedentia ſuper Epiſcopos ibi degentes ut Convictores 130.

Collegiatarum Canonici quoad Ordines ſacros, vide Canonici Collegiatarum.

Collegiatarum Eccleſiarum reſtauratio, vide Cathedralium Eccleſiarum.

Comæ nutritio, & adſcititia vulgo Parrucca clericis interdicta, & ejus delatio in celebratione Miſſæ a ſolo Papa diſpenſatur 216. & ſeq.

Comites Palatini hodie nequeunt creare doctores pro obtinendo Epiſcopatu 919, 1009.

Commenda ad Ordines ſuſcipiendos poteſt eſſe titulus 874.

Commendæ Regularium ſunt Regularibus dandæ 27. In commendam quæ Eccleſiæ, & alia pia loca Cardinalibus non danda 269.

Commendatarii monaſteriorum nequeunt inſtituere, aut deſtituere Priores conventuales, ac Monachos corrigere 1053.

Commiſſio cauſarum cognoſcendarum extra Urbem demandanda eſt præter Ordinarios, Judicibus in Synodo deſignatis 95. Et ſervandæ ſunt Regulæ præſcriptæ in cap. XXI. de Officio, & poteſtate Judicis deleg. 98, 148.

Complex peccati contra VI. præceptum quando validè, & quando non abſolvitur, & quam pœnam abſolvens incurrat, & quando valide, ſed illicite abſolvere poſſit 635.

Communitas locorum quando teneatur ad Eccleſiæ reparationem 1018. Vide Reſtauratio.

Commutatio ultimarum voluntatum, vide Voluntatum ultimarum.

Communicatio catholicorum in divinis cum hæreticis, & ſchiſmaticis, an in praxi licita, afferuntur inſtructio Congregationis de Propaganda fide, & reſolutiones variorum dubiorum univerſalis Inquiſitionis 762. ad 765.

Communicatio cum excommunicatis vitandis ſub qua pœna prohibita 701, Qui cum eiſdem communicantes excuſentur ab incurſu excommunicationis minoris 772. Cum ☞ autem ab Innoc. III. in ejus decretali *Nuper*, relata tit. de ſent. excommun. non exprimantur qui ſint, ut hic ſuppleatur quod omiſſum eſt in corpore hujus Operis: hi enunciantur in capitulo Greg. VII. relato in Can. III. *Quoniam multos* cauſa XI. Q. III. de quo Innoc. mentionem facit in altera ejus decretali *Quod in dubiis* relata dicto tit. quæ videnda pag. 772.

Communicatio cum excommunicatis vivis interdicta, ac etiam poſt eorum mortem 424.

Communio paſchalis adminiſtrari poteſt ☞ a Regularibus ſuis familiaribus, ac pauperibus in eorum hoſpitalibus degentibus 728.

Communio paſchalis facienda eſt ſemel in anno tempore paſchali, & contrarium aſſerens excommunicatus eſt 748. Intra id tempus facienda eſt in Eccleſia parochiali, & in alia faciens non ſatisfacit præcepto 749. Etiamſi eam recipiat in Eccleſia cathedrali, aut matrice 750, & Romæ liceat eam recipiat in Eccleſiis Patriarchalibus S. Joannis in Laterano aut S. Petri in Vaticano ex decreto Innoc. XI. ſub die 5. Feb. 1682. relato a Bened. XIV. Inſtit. Eccleſiaſtica XVIII. n. 11. ☞ Quod decretum per errorem omiſſum eſt in corpore hujus Operis. Die Paſchatis nequit adminiſtrari a Regularibus 742. exceptis eorum familiaribus 728. 749. Non tamen familiaribus monialium 749. Afferuntur propoſitiones proſcriptæ 750. Non ſatisfaciens huic præcepto incurrit pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, quod in aliquibus locis eſt latæ ſententiæ, ut Romæ 750. Item privationem eccleſiaſt. ſepulturæ ibid. & ſeq. ☞ Quando hæc pœna, & quomodo executioni demandanda eſt a Parocho 751. ☞ Quando Sacerdotes non celebrantes tempore paſchali teneantur Euchariſtiam ſumere in Parochia 749.

Communionis ſacramentalis quotidianæ perceptio quando, & quibus permittenda 890. & ſeq. Vide Euchariſtia.

Concilia provincialia olim ſemel in anno cogenda, hodie quolibet triennio, & quæ cauſæ excuſent a 59. 558. & ſeq. & 1001.

Concilii cujuſcumque decretis Papa derogare poteſt abſque ejus ſpeciali mentione 351. 1072.

Concilium Tridentinum, vide Trident. Concilium.

Conceptio B. Virginis Mariæ 460. 815.

Conclavis tempore, vide Cardinalium dominum.

Concordata Regni Neapolitani circa Clericos 146.

Concubinarii Clerici beneficiati, & parochi quomodo puniendi, & privandi fructibus, & beneficio 227. 1067.

Concubinarii Epiſcopi denunciatio cui hodie facienda 221. Concubinarii Miſſam quando liceat audire 229. 230.

Concubinatus pœnæ 664, 1000.

Concurſus ad parochiam differri poteſt, dummodo electio parochi fiat intra ſex menſes, ſi parochia vacaverit in menſibus epiſcopalibus, & intra quatuor ſi vacaverit in menſibus reſervatis 36. Ad eum in caſu reſignationis parochiæ in manibus Epiſcopi non ſunt admittendi ejus conſanguinei, affines, & familiares 258. ☞ Secus ſi vacet per obitum ibid. In eo quis præferendus ex approbatis 264. Concurſus ad parochiam quomodo peragendus 1020. Intra quod tempus, & quomodo interponenda appellatio a mala relatione Examinatorum, & ab irrationabili judicio Epiſcopi ibid. Quando ſit nullus 1021. & ſeq. Quando eſt nullus, collatio devolvitur ad Sanctam Sedem 1020. Fieri poteſt ab Epiſcopo de parochialibus etiam S. Sedi reſervatis, & quomodo ibid. Quomodo debet ſe gerere Epiſcopus cum Judice appellationis ibid. Cui adjudicanda parochia poſt ſententiam Judicis, ad quem appellatum eſt ibid. Epiſcopus debet eligere quem cæteris magis idoneum judicaverit ibid.

Conditiones turpes adjectæ Matrimonio ejus ſubſtantiæ non repugnantes illud non invalidant 515.

Conductor quando expelli poſſit ob non ſolutam penſionem, & quando ei facienda eſt remiſſio penſionis conventæ 297. Eam non ſolventi non datur purgatio moræ ibid.

Confalonis Confraternitatis quæſtores, vide Quæſtores eleemoſynarum.

Confeſſariis ſæcularibus limitari poteſt ab Epiſcopo facultas ad confeſſiones audiendas quoad locum, tempus, & genus perſonarum 973. Nequeunt illas audire in domibus privatis, & ſub qua pœna 974.

Confeſſarius Regularis quacumque prerogativa præditus ſine Epiſcopi diœceſani licentia audire nequit confeſſiones ſæcularium 968. & ſeq. Neque vi Bullæ Cruciatæ, Jubilæi, ibid. & 1075. ☞ Approbatus autem ab ejus Generali, aut Provinciali audire poteſt confeſſiones ſæcularium ſuorum continuorum commenſalium ſine approbatione Epiſcopi 971. Approbatus ab Epiſcopo in ſua diœceſi nequit audire in alia diœceſi Confeſſiones ſubditorum Epiſcopi approbantis 971. Approbatus pro ſæcularibus, non intelligitur approbatus pro monialibus, etiam Ordini Regulari ſubjectis ibid. Et vide Confeſſarius monialium ☞ Approbari poteſt cum limitata facultate tam quoad locum, quam quoad tempus, quam quoad genus perſonarum 971. Et contraria propoſitio proſcripta 973. ☞ Semel approbatus poteſt quocumque tempore etiam paſchali confeſſiones audire 972. Item confeſſiones infirmorum ſine licentia Epiſcopi, & parochi 971. Tenetur fidem auditæ confeſſionis apud ipſos relinquere, & ad id cogi poteſt ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus 971. Ad quam relinquendam Romæ tenetur tam Regularis, quam ſæcularis ſub eadem pœna ipſo facto incurrenda 974. ☞ Approbatus ab ipſomet Epiſcopo examinari iterum nequit, neque ſuſpendi ſine ſuperveniente cauſa, Sedi dumtaxat Apoſtolicæ ſignificanda; poteſt tamen eum iterum examinare, ſi approbatus fuerit ab ejus Vicario, aut ab anteceſſore Epiſcopo 972. ☞ Omnes ſimul Confeſſarii ejuſdem conventus ſuſpendi nequeunt, inconſulta Sede Apoſtolica ibid.

Confeſſarius nequit abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis; & contraria propoſitio proſcripta 973. ☞ Abſolvere tamen poteſt ab iiſdem caſibus moniales Regularibus ſubjectas cum facultate ſui Superioris, exceptis iis, quos Epiſcopus ſibi reſervaverit in materia clauſuræ tangente delegatam ipſius Juriſdictionem 973. Etiam injuſte reprobatus, eas audire nequit, & contraria propoſitio proſcripta 974. Regulares Confeſſarii Miſſionarii quoad confeſſiones audiendas quibus legibus obſtringantur ibid. & 975. Confeſſarius quicumque quo loco, tempore, & habitu indutus eas audire poſſit ibid.

Confeſſarius regularis pro audiendis ſuorum Religioſorum confeſſionibus non indiget approbatione Epiſcopi, ſed ſui Generalis, vel Provincialis 976. Sæcularium confeſſiones nequit audire ſine approbatione Ordinarii, exceptis eorum familiaribus 747. Confeſſiones coram ipſo factæ validæ ſunt 748. Vide Familiares Regularium.

Confeſſarius novitiorum ſolus audire poteſt eorum confeſſiones, deputari tamen poteſt alius bis in anno a Superiore locali 977.

Confeſſarius quicumque vi Jubilæi, & Bullæ Cruciatæ nulliter audit confeſſiones, niſi approbatus fuerit ab Ordinario loci 1075. & ſeq.

Confeſſarii juriſdictio non ſufficit probabilis 976. & ſeq.

Confeſſarius monialium Regularibus ſubjectarum indiget approbatione Ordinarii ☞ licet ſit Generalis, aut Provincialis, qua tamen hi non indigent in Regno Hiſpaniarum 748. 970.

☞ Confeſſarii monialium ordinarii, & extraordinarii a quibus, & quomodo debent approbari, & eos removens, non tenetur manifeſtare cauſam Superiori 1040. Tam ordinarii, quam extraordinarii quas leges obſervare debent ex Conſtitut. Bened. XIV. & quas penas incurrant eas non ſervantes 972. & ſeq. Extraordinarii monialibus Ordini Regulari ſubjectis deputandi ſunt a Superiore Regulari tam ex clero ſæculari, quam Regulari etiam alterius Ordinis, & quæ regulæ ab his ſervandæ 1038. & ſeq. Toties, quoties ab Epiſcopo removeri poſſunt, ſi ejus Superiores moniti negligentes ſint in removendo 970.

Confeſſarius approbatus pro uno monaſterio non intelligitur approbatus pro alio, nec approbatus pro una vice intelligitur approbatus pro altera ibid. & 971. ☞ Hac approbatione indiget Confeſſarius monialium etiam Cardinalibus ſubjectarum 971. Quarum monialium Urbis Romæ confeſſarius eximatur ibid. Quas pœnas incurrant moniales confeſſionem emittentes coram ordinario, durante extraordinario, durante extraordinario 972.

Confeſſionalia in Eccleſiis Regularium viſitari nequeunt ab Epiſcopo 975.

Confeſſio ſacerdotum olim facienda erat Archipresbytero, ſecus hodie 92.

Confeſſio facta cum Presbytero hæretico nominatim excommunicato vitando, an ſit valida in articulo mortis 766.

Confeſſionem Regularium quando liceat eorum Superioribus audire 840. In articulo mortis quilibet ſacerdos excommunicatus etiam vitandus eam audire poteſt, deficiente Confeſſario approbato 840. & ſeq. Extra dictum articulum nequit audire confeſſionem etiam venialium 843.

Confeſſio debet eſſe integra quoad numerum, ſpecies, & circumſtantias peccatorum etiam occultorum, & contraria propoſitio proſcripta 837. Eamque tenens incurrit ipſo facto excommunicationem ibid. Peccata oblita in confeſſione neceſſario quis confiteri debet cum in memoriam redeunt, & contraria propoſitio proſcripta ibid. et ſeq. Circumſtantiæ ſpeciem aggravantes etiam aperiendæ ibid. Aperienda eſt etiam Confeſſario interroganti con-

ſuetu-

ſuetudo peccati, & contraria propoſitio proſcripta.

Confeſſionis miniſter eſt ſolus Epiſcopus, & ſacerdos ordinariam, & delegatam habens Juriſdictionem 838.

Confeſſio peccatorum mortalium cum circumſtantiis ſpeciem mutantibus præcepta eſt jure divino, & facienda eſt ab omnibus cum ad annos diſcretionis pervenerint, quæ ex præcepto Eccleſiæ ſemel in anno facienda eſt, & juxta praxim Eccleſiæ tempore quadrageſimæ 746. 747. Suadetur etiam Confeſſio venialium ante communionem paſchalem ibid. Coram quo ſacerdote olim, & coram quo hodie facienda ibid. Eam emittens coram ſacerdote regulari ab Epiſcopo approbato, ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis, & damnatur error Joannis de Poliaco contrarium aſſerentis 747. Afferuntur propoſitiones proſcriptæ circa Confeſſionem 750.

Confeſſio debet eſſe ſecreta, & per literas inter abſentes prohibita 750. ☞ Et explicatur decretum id prohibens, & correcta eſt ſententia Suarez 750. 834. & ſeq. Facta laico in articulo mortis in in quo ſita ſit; item facta diacono 670. & ſeq. Vide Diacono facta Confeſſio. Illam ad presbyteratus Ordinem non promoti audientis pœnæ 702. & ſeq. Eam audire nequit etiam venialium Regularis quacumque prærogativa decoratus ſine approbatione Epiſcopi diœceſani 953, & ſeq. Etiam in vim Bullæ Cruciatæ, & Jubilæi 1075. & ſeq.

Confeſſio integra an facienda ſit etiam tempore peſtis 926.

Confeſſio annua, vide Confeſſio peccatorum.

Confeſſio ſacramentalis an ſingulis menſibus ſub mortali facienda ſit a monialibus 373.

Confeſſio reorum ſpontanea quando eis non ſuffragetur 166. & ſeq.

Confirmatio Epiſcopi olim pertinebat ad Metropolitanum, hodie ad Papam in Conſiſtorio 43.

Confirmatio electionis, vide Electio.

Confirmatio præſentationis ad inferiora beneficia, etiam Juriſpatronatus, vide Electio.

Confirmationis ſacramentum conferri poteſt ab Epiſcopo in Eccleſiis Regularium etiam non parochialibus 825. 826. Illud conferens in propria diœceſi alienis ſubditis ſine licentia ipſorum Ordinariorum peccat, ſed non incurrit ſuſpenſionem, nec ſi in aliena diœceſi proprio ſubdito primam Tonſuram privatim conferat ibid. Ad hoc conferendum ſubditis Abbati commendatario poteſt vocari quilibet Epiſcopus, ſecus ſi Abbatia, licet exempta, ſit intra fines alterius diœceſis 827. Ejus miniſter extraordinarius poteſt eſſe non Epiſcopus 19. Cum oleo tamen & chriſmate ab Epiſcopo benedicto 73. Ordinarius eſt ſolus Epiſcopus ibid. ☞ An valida ſit collata cum oleo Infirmorum, & an inde oriatur cognatio ſpiritualis inter tenentem, & confirmatum, & hujus patrem 75. Ejus adminiſtratio vetita eſt Græcis incolis Italiæ, & inſularum adjacentium illico poſt Baptiſmum facta; Græcis vero Orientalibus permiſſa eſt; Collata a presbyteris græcis conferri debet ab Epiſcopis latinis ſub conditione 73. Et quando hæc conditio adhibenda ibid. & idem ſervandum, ſi ex diſpenſatione Apoſtolica Epiſcopus latinus ordinaverit aliquem a presbytero græco baptizatum ibid. Ipſius materia adæquata eſt ſimul impoſitio manuum & Chriſma 74. Collata cum ſolo oleo ſine balſamo iterum confirmari debet ſub conditione 75. Hoc ſacramento non ſuſcepto, nequit prima tonſura, & minoribus ordinibus initiari 938.

Confraternitas Confalonis de Urbe, vide Quæſtores eleemoſynarum. Confraternitas erecta in Eccleſia S. Thomæ de Urbe poterat olim ferre interdictum perſonale, ſecus hodie 710. Confraternitatum quæſtores, vide Quæſtores eleemoſynarum. Confraternitatibus laicorum, quæ functiones competant 455. & ſeq.

Confugiti ad Eccleſiam in quibus cauſis, quomodo, & cujus auctoritate extrahendi 465. & ſeq. Pœna ab illa indebite extrahentium 467.

Congregatio Judicis circa libros prohibitos, vide Regula X. Indicis.

Congregationis miſſionis presbyteri præfici nequeunt parochiæ ſæculari 367. & ſeq. Eorum vota ſimplicia a quibus diſpenſari poſſint ibid. Stabilitatis votum presbyterorum miſſionis a quo diſpenſari poſſit 367. 368.

☞ Congrua Vicariis perpetuis parochialium quæ hodie aſſignanda, & quæ emolumenta comprehendat 829. 830. 1068. Congrua coadjutoribus Parochorum aſſignanda 823. Et quanta 270. 880. Et prius Parocho infirmo, quam coadjutori, & ſi pro hoc Eccleſiæ redditus non ſufficiant, cogendi ſunt Parochiani ad ſubminiſtranda ei alimenta 270.

Conjugatus Clericus quando gaudere poſſit beneficiis, & promoveri ad ſacros Ordines remanens in ſæculo 232. 234. 235. Et quando gaudere poſſit privilegiis clericalibus, & quando non, 234. & ſeq. Et illuſtratur decretalis *Ex parte* tit. de Clericis conjug. Conjugati æque, ac virgines conſequi poſſunt æternam Beatitudinem 2. & 4.

Conjux de conſenſu uxoris poſt matrimonium conſummatum profeſſionem religioſam emittere poteſt, & an uxor teneatur Religionem ingredi, aut votum ſimplex caſtitatis emittere, & e converſo, & an hoc votum ſemper emittere teneatur 354. & ſeq. An quando injungendum ſit 355.

Conſanguinitas uſque ad VI. & VII. gradum olim inducebat impedimentum irritans matrimonium, hodie uſque ad IV. dumtaxat 530. 531. 532.

Conſecratio Eccleſiæ ſaltem cathedralis, & parochialis ſuadetur 413. Illius conſecratio, & dedicatio idem ſonat 414. Non eſt facienda ſine dote 425. & ſeq. Et quæ Eccleſia excipiatur ibid. Fieri debet ab Epiſcopo cum chriſmate, & quidem diœceſano, vel alieno de ejus licentia, licet agatur de Eccleſia Regularium exemptorum, nec deputari poteſt Abbas, vel quicumque alius non Epiſcopus 411. & ſeq. 423. Pœnæ Epiſcopi eam conſecrantis ſine licentia diœceſani ibid. & ſeq. Hæc conſecratio recenſetur inter Pontificalia 411. Quomodo Eccleſia Regularium conſecrari poſſit ab Epiſcopo non diœceſano 412. & ſeq. Nequit conſecrari ab Archiepiſcopo ſine licentia diœceſani ibid. Nec a Cardinalibus in aliena diœceſi ſine licentia Papæ 827. Abbas nullius poteſt dare licentiam cuicumque Epiſcopo conſecrandi Eccleſias ſui Territorii 412. Dicta conſecratio an fieri poſſit diebus non feſtis 414. Epiſcopi plures convenire poſſunt ad conſecrationem, ſed unus tantum linire debet duodecim Cruces ibid. Semper fieri debet cum Miſſa celebranda ab eodem Conſecratore, excepto caſu, quod fatigatus labore non poſſet celebrare, ibid. & ſeq. Conſecrata quando iterum conſecrari poſſit 415. A ſolo Papa concedi poteſt facultas non Epiſcopo eam conſecrandi 416. De Conſecratione, ſeu dedicatione fieri debet anniverſarium ibid. Et debet conſecrari cum expoſitione Reliquiarum 417. Non eſt iterum facienda, ſi Altare fixum amittat conſecrationem 421.

Conſecratio Epiſcopi non eſt differenda ultra tres menſes, & prorogatio ad ſex menſes non ſuffragatur

31. Excepto caſu impedimenti, & eam differentis pœna 31. An ſi ex gratia differatur, opus ſit expreſſa derogatione Trid. ibid. Huic intereſſe debent tres Epiſcopi 56. Unctio in hac conſecratione non eſt de jure divino, eſt tamen apud latinos antiquiſſima ibid. Et adhibenda in conſecratione Epiſcopi latini, ſecus græci 72, 73. Dictæ conſecrationis munus, licet agatur de Epiſcopo Cardinali, hodie intra tres menſes non ſuſcipiens, tenetur ad fructuum reſtitutionem, & ſi neque intra ſex ſuſceperit, ipſo jure eſt privatus Eccleſia 936. Nec Major Pœnitentiarius ei fructus condonare poteſt, neque titulum convalidare 937.

Conſenſus capituli, vide Capituli Cathedralis conſenſus.

Conſervatores Regularium extra clauſtra degentium non poſſunt cognoſcere cauſas civiles mercedum miſerabilium perſonarum, ſed Ordinarius 832. Eorum requiſita, & quas cauſas cognoſcere poſſint 851. & ſeq. Et quas pœnas infligere ibid; Hodie procedere nequeunt contra Epiſcopos ibid. Qui ad officium Conſervatoris aſſumi poſſint, ibid. Ad quarum perſonarum cauſas cognoſcendas ſe extendat eorum facultas 853. Sunt exempti a Juriſdictione Epiſcopi quoad eorum munia ibid. Quem notarium ſibi eligere poſſint ibid. Noviſſima Conſtitutio Clem. XIII. circa ipſorum facultatem 854. & ſeq. Monitum Benedicti XIV. circa tractatum Patris Mariæ Forti, extendentis ultra limites ipſorum Juriſdictionem 856.

Conſilium capituli quando adhibendum ab Epiſcopo 558.

☞ Conſtitutio Martini V. ſeu Articulus circa communicationem cum excommunicatis 761. Conſtit Sixti V. *Sanctum*, & *ſalutare* quoad Ordines conferendos, & recipiendos redacta eſt ad terminos juris communis a Clem. VIII. exceptis pœnis quoad ſimoniace ordinatos 938. Conſtitutio Innoc. X. *Ut in parvis* & altera *Inſtaurandæ* quoad Conventus Regularium 883. Conſtitutio Innoc. XII. *Speculatores* quoad Ordines ſuſcipiendos 872. Et altera *Nuper* quoad juriſdictionem Epiſcopi in Conventibus Regularium 886. Conſtitutiones Apoſtolicæ, Bullæ Cœnæ, & contra ſollicitantes in confeſſione afficiunt omnes, etiam Orientales 641. 646. Eædem, & aliæ quando legendæ a Regularibus 691.

Conſuetudo peccati, vide Confeſſio. Conſuetudo condendi teſtamentum a beneficiatis, vide Teſtamenti condendi conſuetudo. Conſuetudines præjudiciales Eccleſiis & Eccleſiaſticis reprobantur 18. Item exercendi ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis ſub pœna excommunicationis ibid. Et quid reſpectu græcorum 19. Item non ſervandi interdictum a Regularibus ibid. Conſuetudines variæ CV. abrogatæ referuntur 20. Iniquas conſuetudines obſervare jurantis pœna 283.

Conſultius verbum apponi ſolet in Decretalibus ob dubium facti 128.

Conſultores S. Officii revelantes cauſas, & materias ad illud ſpectantes, ipſo facto incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. Item permittentes, ut eæ revelentur 628.

Contractus antichreſos in quo ſitus, & prohibitus 672. Contractus cenſus, vide Cenſus. Contractus locationis, vide Locatio, Contractus conductionis, vide Conductor. Contractus mohatra prohibitus 294. & 678. Contractus ſocietatis qualis prohibitus 676. Contractus trinus, ſeu contractus trium contractuum in quo ſitus, & an licitus 677. Contractus venditionis cum pacto redimendi quando licitus 294. Contractus venditionis vulgo a credenza quas conditiones habere debeat, ut ſit licitus 679. Contractus uſurarius. Vide Uſura.

Contritio peccatorum qualis debeat eſſe, & contrariæ propoſitiones proſcriptæ circa dolorem 835. & ſeq.

Convalidatio matrimonii nulli a quo obtinenda, & quomodo executioni mandanda 549. ad 550.

Conventicula occulta facientis, & ea non revelantis pœna 627. 628.

Conventualis Miſſa, vide Miſſa conventualis.

Conventus novi olim a Regularibus erigi poterant de licentia tantum Epiſcopi, ſecus hodie 713, 714. 744. ☞ Conventus Regularium numquam ſuppreſſi qui ſubjaceant viſitationi, & Juriſdictioni Epiſcopi 406. 407. In ſuppreſſis quid hic agere poſſit 407. 408. Et quæ in ſuppreſſis, & poſtea reſtitutis ibid. ☞ Et afferuntur decreta horum viſitationem, & in iis Juriſdictionem Epiſcopi concernentia 407. ad tot 410. Iidem Conventus numquam ſuppreſſi ☞ fundati tam ante diem 21. Junii 1625. quam poſt, quando viſitari poſſint, & quæ jura in iis Epiſcopo competant 883. 884. Quæque in ſuppreſſis, & poſtea reſtitutis ibid. Afferuntur dubia, & declarationes Congr. ſuper ſtatu Regularium circa dicta jura ibid. ad tot 886. Et quæ jura exercere poſſit in conventibus poſt recuperatam exemptionem 886. Conventuum novorum erectio, vide Erectio conventuum.

Converſi Religioſorum veniunt nomine Religioſi 760.

Convertitæ moniales valide profitentur ante annum completum probationis 1049.

Convivia facienda a Canonico noviter recepto, vide Prandia.

Corporis defectus qui, & quando inducant irregularitatem 84. Ejus deformitas an inducat irregularitatem, relinquitur judicio Epiſcopi 84.

Corporis Chriſti ſolemnitas, vide Proceſſiones.

Credere in genere quidquid credit S. Mater Eccleſia non ſatis eſt 5. Vide Fidei dogmata.

Crimen non præſumitur in debito literarum ſtudio, ſed aliquando id fallit 175. 176. Crimen maleficum eſt mixti fori 695. Crimina Epiſcoporum hodie a quo cognoſcenda 1057. Vel eorum cognitio committenda eſt a ſolo Papa, & modus eorumdem cognitionis peragendæ ibid. 553. 554. 557. 1005. Crimina, ob quæ Parochus ipſo facto privatus ſit, & ob quæ privari poſſit 555. 556.

Criminales cauſæ graviores Epiſcoporum, vide Crimina Epiſcoporum. Criminales proceſſus ex officio ſcribens pro ſententia ſanguinis ſit irregularis 477.

Criminis impedimentum dirimens matrimonium ob ſecundum contractum, conſtante primo, inducitur dumtaxat, ☞ ſi utraque pars eſt conſcia de matrimonio conſtante alterius 516, & 1074. Adulter poſt mortem conjugis tenetur ducere ſic deſponſatam neſciam prioris ligaminis ad ipſius petitionem 516. 518. 1074. ☞ Si tamen pars innocens certior facta de alterius conjugio pergat cum eo maritaliter vivere idem, impedimentum incurret 516. Olim parti adulteræ injungenda erat pœnitentia, ut aliam ducere non poſſet in uxorem, ſed hodie pro foro externo commutata eſt in varias pœnas 517. 1000. ☞ Et illuſtratur Decretalis Innoc. III. relata in cap. VII. *Veniens*, de eo qui duxit in matrim. 518. 1074.

Cruciata, ſeu expeditio pro recuperatione terræ Sanctæ, vide Cruceſignatorum.

Cruceſignatorum expeditio pro recuperatione Terræ Sanctæ quando incepit 358, 359. Hodie non viget, neque privilegia ob eam conceſſa ibid. & 360.

Crux Altarium, & Proceſſionum non eſt benedicenda de præcepto, ſed benedici poteſt privatim a ſim-

plici

Digitized by Google

plici ſacerdote 424. Sine ea non licet celebrare, nec ſufficit ea poſita ſuper tabernaculum, ubi aſſervatur Euchariſtia 442. Non debet eſſe tam exigua, ut videri commode nequeat ibid. Non neceſſario ponenda in altari, ubi eſt Crucifixus ſculptus principaliter ibid. An ſit apponenda in altari, dum celebratur Miſſa, ubi Euchariſtia publice proſtrat ibid.

Cultura prædiorum propriorum permiſſa eſt Regularibus, ac Clericis 329. 472.

In Curia romana reſidentium privilegium 730.

Cuſtodia murorum quando facienda a Clericis, vide Murorum cuſtodia.

Cryptas Sanctorum ſine licentia ingredientium pœna 449.

D

DAmni dati ab animalibus a quo, quomodo, & intra quot dies cauſæ cognoſcendæ, & præter compenſationem pœna pecuniaria cui ſolvenda 734.

☞ DEBET, hoc verbum non ſemper importat neceſſitatem, niſi ob maximi momenti circumſtantiam, ſed tantum honeſtatem 499.

Debitum conjugale reddendum eſt leproſis, excepto caſu notabilis detrimenti reddentis 519. Etiam reddi, & peti poteſt a Patre, & ☞ Matre baptizante ex neceſſitate proprium filium 521. Et vide Cognatio ſpiritualis. Secus tamen, ſi proles prius fuiſſet fornicarie ſuſcepta, in quo caſu eſſet etiam matrimonium nullum 517.

Decimæ cui ſolvendæ 1063. Prædiales percipi nequeunt a laicis 281. Eas non deberi, Regulares prædicantes, & earum ſolutiones non ſuadentes, quam pœnam incurrant, & an hodie teneantur dictam ſolutionem ſuadere 333. & ſeq. De quibus bonis ſolvendæ a Beneficiatis 328. ☞ Item a Regularibus 330. Et eas non ſolventium pœnæ 1053. & ſeq. Et de quibus rebus a laicis 328. Perſonales, & minutæ hodie fere ubique obſoluere 331. & ſeq. Eas uſurpantium, earumdemque ſolutionem impedientium, ac conſentientium pœnæ 335. Decimæ ſolvendæ Principibus ab Eccleſiaſticis ex conceſſione Papæ 335. Earum ſolutio olim inſinuanda erat a Regularibus in ſuis concionibus 334.

Deciſio cauſarum quando terminari debet, & in quibus procedendum ſine figura judicii 143. & ſeq.

Decreta de alienatione rerum Eccleſiæ quomodo a Judice interponenda 286. ☞ Et quis judex hodie quæcumque decreta interponere poſſit 123. Decreta Tridentini quoad reformationem Regularium, vide Tridentini decreta. Decreta varia quoad appellationem 204. & ſeq.

Decretales illuſtratæ referuntur in Elencho II. Capitulorum excerptorum ex Decretalibus in hoc Opere relatis a pag. 789. ad tot. 806. Hoc ſigno ☞ indicatæ.

Defectus corporis qui inducant irregularitatem, vide Corporis defectus.

Deformitas corporis, vide Corporis deformitas.

Defunctorum cadavera condenda in tumba infra terram, & depoſita ſupra, amovenda 324. Ea exenterantium pœna 345. In defunctorum Miſſis quando poſſit adminiſtrari Euchariſtia 892.

Degradatio tam verbalis, quam actualis, ac ſolemnis contra quoſcumque diſtributive Clericos coram quot, & quibus olim, & coram quot, & quibus hodie facienda 738.

Dejectio a ſtatu clericali idem eſt ac depoſitio 668.

Delegatus non a Papa cujus ætatis eſſe debet 99. Delegatus a Papa quibus qualitatibus præditus eſſe debet ibid. An eædem qualitates requirantur in ſubdelegato a delegato a Papa ad aliquem particularem articulum ibid. Ipſius Juriſdictio non expirat per mortem delegantis, ſi lis fuerit conteſtata ſive citatione per edictum peremptorium, ſive per trinam citationem 97. Poteſt abſolvere actorem excommunicatum 98. Delegatus Papæ in punitione Epiſcopi rebellis, vel contumacis debet ſervare ordinem præſcriptum in cap. II. *Quia Pontificali* de Offic., & poteſt judic. delegat. 94. Et circa pœnas attendere debet diſpoſita a Trident. Cap. V. Seſſ. XXIV. de Reformat. 95. Illius poteſtatem impedientis pœna 94. Delegati Papæ ſententia etiam injuſta executioni danda eſt a Judice ordinario tanquam mero executore, & non mixto 98. Et quid agere debeat ne peccet illam exequendo ibid. Eam tamen exequi non debet ſi ſit invalida ibid. Delegatus, qui ſubdelegavit, ſi ſit excommunicatus, vel mortuus, appellatio interponenda eſt apud Papam 99. Quando delegatus remittere debeat actorem excommunicatum ad excommunicatorem 98.

Delicta non gaudentia aſylo eccleſiaſtico quæ hodie 454 ad tot 470. Delicta puerorum, vide Puerorum delicta. In Delictis Clericorum quomodo procedendum 140.

Delinquens Regularis extra clauſtra, vide Regularis quoad delicta. Regularis circa perſonas intra ſepta monialium etiam Regularibus ſubjectarum, & circa clauſuram, & bonorum adminiſtrationem puniri poteſt ab Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato 1047. & ſeq. Si vero ſit Miſſionarius degens extra clauſtra puniri debet a ſuis Superioribus ibid., & vide Miſſionarii Regulares. Delinquens punitur in eo, in quo deliquit 464.

Denunciatio hæreticorum facienda, & quas pœnas incurrat eam omittens 624. & ſeq. Etiam a Regularibus reſpectu ſuorum confratrum, quam aliorum ibid. ☞ Qua facta, non erunt moleſtandi, neque puniendi pro ſuis exceſſibus per quinquennium, inconſultis Inquiſitoribus & quid hodie de praxi 626. Denunciatio intra quod tempus facienda, & quas pœnas incurrat eam omittens 627. Et quid, ſi facta fuerit elapſo tempore ibid. Afferuntur decreta in quibus caſibus facienda eſt hæretici denunciatio contra propoſitiones proſcriptas 628. Quas ex his aſſerentes, & docens denuncianda ſit ibid.

Denunciationes faciendæ pro matrimonio contrahendo diſpenſari poſſunt pro matrimonio conſcientiæ 503. Olim non præſcriptum erat quoties faciendæ erant, & quibus diebus, hodie ex Tridentino ter fieri debent a proprio Parocho tribus continuis diebus feſtis inter Miſſarum ſolemnia 507. Olim Epiſcopus non poterat ſuper his diſpenſare, ſecus hodie ex Tridentino ibid. Parochus, aut Religioſus præſumens aſſiſtere matrimonio ſine prævius denunciationibus puniendi ſunt pœna ſuſpenſionis ab Officio per triennium, a qua, poſtquam lata eſt ab Epiſcopo nequeunt abſolvi niſi a Papa 508. 989. Si autem Religioſus nullum habeat officium cum juriſdictione, puniendus eſt pœna arbitraria, ſicuti & contrahentes 505. Teſtes vero ſcienter intereſſentes, puniri etiam poſſunt pœna excommunicationis 989.

Deprædatorum pœnæ, vide Raptores.

Deputati ſeminarii, vide Seminarii erectio.

Derelictorum origo quoad Ordines ſuſcipiendos, vide Originis locus.

Derogatio cujuſcumque Concilii fieri poteſt a Papa abſque ejus ſpeciali mentione 351. 1072.

Detruſio in monaſterium ob delictum hodie obſolevit, & quæ pœna ejus loco ſucceſſit 166. 576. 589. 649.

649. 736. Dicta detruſio ad tempus cum ſuſceptione habitus regularis obſolevit 706.

Devolutio beneficiorum Juris Patronatus laicalis, & Eccleſiaſtici poſt cujus temporis lapſum ad Superiores Antiſtites detur 50. An detur purgatio moræ jam inſtitutis poſt lapſum temporis ibid. Tempus præfixum computandum eſt a die notitiæ, non a die vacationis 51.

Diabolum ad maleficia, & ſortilegia conſulentis pœna 691.

Diaconus vi ſuæ ordinationis poteſt ſolemniter baptizare, requiritur tamen licentia Parochi, alias uſurparet illius Juriſdictionem 704. & ſi eſt Parochus, poteſt abſolute ſuos Parochianos baptizare, & ☞ corrigitur mendum Cardinalis Petra referentis circa hoc diminutum decretum Congr. Concilii ibid. An efficiatur irregularis exercens actum Ordini ſacerdotali adnexum, puta benedictionis ibid. Diaconi matrimonium contrahentis pœnæ 231. & ſeq. Diacono facta Confeſſio, de qua mentio eſt in Decretali *Fures* de furtis in quo ſita ☞ & oſtenditur error, qui in eadem Decretali irrepſit 670. & ſeq. Diaconus quoad hujus Ordinis ſuſceptionem, vide Ordines.

Dies feſti quot 160. In iis prohibentur actus judiciales ibid. Dies feſtus S.Franciſci Aſſiſienſis olim erat de præcepto 161. Dies feſtus SSmæ Trinitatis a quo inſtitutus 157. Dies feſtus SSmi Corporis Chriſti inſtitutus ab Urbano IV. 158. In diebus feſtis prohibentur mercatus, & nundinæ, & quomodo 157. Item exercitationes puerorum nudorum ibid. Dies feſti ab Epiſcopo indicti ſervari debent a Regularibus 161. 1042. Et an eos poſſit indicere ibid.

Dieta non intelligitur legalis, ideſt continens XX. milliaria, ſed vulgaris juxta conſuetudinem regionis 11.

Digniores ſunt promovendi ad Eccleſias, & contraria propoſitio proſcripta 1001.

Dignitatum ætas, vide Ætas.

Dilationes cauſarum in quibus cauſis concedendæ, & in quibus prohibitæ, nec nova reo concedendæ quando libellus eſt clarus 155.

Dimiſſoriæ pro ordinatione ſubditorum ſæcularium a quibus Abbatibus concedendæ, & a quo ſede vacante 961. Dimiſſoriis falſis Itali ordinati ab alieno Epiſcopo poſt ſententiam Judicis privantur privilegio fori 876. Dimiſſoriæ Ultramontanorum ordinandorum, vide Ultramontani.

A Diœceſana lege qui eximantur 315.

Diœceſana Synodus, vide Synodus Diœcæſana.

Diœcæſes Suffraganeorum quando viſitari poſſint ab Epiſcopo 406. Diœcæſis viſitatio, vide Viſitatio Diœcæſis.

Diſpenſatio matrimonii contracti, vel contrahendi in gradibus prohibitis vel cum impedimento quando concedenda, vel neganda 997. Quomodo, & qui gradus exprimendi pro ea obtinenda, pœna falſo exprimentium diſpenſationis cauſas ibid. & ſeq. Quando obtinendæ ſint literæ declaratoriæ ob gradum propinquiorem reticitum 999. Diſpenſatio obtenta ſine expreſſione raptus, eſt nulla ibid. Diſpenſatio adminiſtrandi in Ordine ſimoniacè ſuſcepto dari poteſt ab Epiſcopo, ipſo ordinato ignorante 177. Secus ipſo ſciente, licet occulta fuerit ſimonia 590. Diſpenſationes extra Romanam Curiam committendæ ſunt locorum Ordinariis, etiam Abbati nullius juriſdictionem epiſcopalem habenti 921. Commiſſæ Epiſcopo, vel ejus officiali, eas exequi nequit Vicarius Capitularis ibid. Pro earum executione quidquam recipi nequit ab executoribus, excepta taxa notario debita ibid. Quæ cognitio, & quod examen faciendum pro verificatione precum, ob quas obtentæ fuerunt gratioſæ diſpenſationes ibid. & ſeq. Diſpenſatio ab irregularitate, & ſuſpenſione, vide Irregularitas, & vide Suſpenſio. Diſpenſatio a pœnis incurſis propter homicidium, vide Homicida. Diſpenſatio votorum ſolemnium, vide Vota ſolemnia.

Diſtributiones omittunt abſentes a choro, nec eis tuta conſcientia condonari poſſunt ab intereſſentibus 243. 1013. ☞ Excipiuntur promovendi ad quoſcumque ſacros Ordines morantes per VI. menſes in Seminario, aut Epiſcopio; Item vacantes per X. dies exercitiis ſpiritualibus 243. & ſeq. Enumerantur alii quamplurimi, qui eas lucrantur 244. 245. Item qui eas non lucrantur ibid. Quando, & in quo caſu percipi poſſint ab abſente Theologiæ ſtudente cum indulto 260. Debentur abſenti a choro ob infirmitatem, & utilitatem ſuæ Eccleſiæ 270. Quando eædem, & in qua quantitate percipi poſſint 785. Tempore interdicti, quando percipi poſſint 745. Diſtributiones quas lucrantur choro addicti, dandæ ſunt etiam Canonico jubilato 1013. Hæ condonari nequeunt a Capitulo, nec retineri in conſcientia ibid.

Divinationes ſuperſtitioſæ ſub qua pœna prohibitæ 668. 688. & ſeq. Iis utentium ſuper ſtatu Reip. Chriſtianæ, S. Sedis, vita, & morte Papæ, ejuſque Conſanguineorum uſque ad III. gradum incluſive, non autem affinium, pœnæ 690. 692. A quibus nec major quidem Pœnitentiarius abſolvere poteſt ibid. Iis utentium in ludo vulgo *Lotto* pœnæ 687.

Divinorum ceſſatio quando prohibita 109. Ea celebrantis in locis interdictis pœna 701. Ea quicumque Clerici (etiam Epiſcopi) excommunicati, depoſiti, & interdicti miniſtrantes contrahunt irregularitatem & incurrunt excommunicationem; & ſi fuerint declarati ut vitandi, cum iis communicantes incurrunt excommunicationem minorem 699. & ſeq. Tempore interdicti quando ea celebrare permiſſum, vide Interdicti tempore.

In Divinis communicatio catholicorum cum hæreticis & ſchiſmaticis, vide Communicatio catholicorum.

Divinorum auxiliorum libros imprimentium, retinentium, & legentium pœnæ 1075.

Diviſio parochiæ, vide Parochiæ diviſio. Diviſio præbendarum, & dignitatum ſine cauſa prohibita 252.

Divortium quoad vinculum fieri nequit ob machinationem uxoris in mortem mariti, neque ex alio quocumque crimine, & contrarium ſentiens excommunicatus eſt 540. & ſeq. Nec ſi eſt perpetuum, fieri poteſt auctoritate privata ſecus ſi ad tempus ex juſta cauſa, dummodo abſit ſcandalum, & fiat cum conſilio Confeſſarii, aut alterius viri prudentis 542. & ſeq. Poſt Divortium habitum auctoritate Eccleſiæ ob adulterium uxoris maritus non cogitur ad dotis, & dotalitii reſtitutionem ibid. Divortio facto ob adulterium uxoris apud quem, & quomodo cuſtodienda antequam reſtituatur viro 161.

Docendi licentia nemini idoneo eſt deneganda, & gratis danda ſub pœna reſtitutionis percepti 593.

Doctrina Chriſtiana edocenda eſt etiam in Eccleſiis ruralibus, licet non parochialibus longe a parochiali poſitis a ſacerdotibus ibi celebrantibus 817. In dictis vero Eccleſiis parochiali proximis prohibitum eſt Miſſam celebrare ante parochialem ibid. ☞ Singulis Dominicis edocendi ſunt etiam laici profeſſi Regularium, præſertim Quæſtores, & ſub qua pœna, ſi ſecus fiat 818. S.Pius V. concedit Indulgentias confratribus Doctrinæ Chriſtianæ, & Epi-

Digitized by Google

Epiſcopis dedit facultatem erigendi Confraternitates pro illius inſtructione ibid.
Doctrinæ Chriſtianæ Presbyteri ordinantur ad titulum Congregationis 871.
Doctoratus laurea hodie nequit conferri a Comitibus Palatinis, nec a Collegiis Romanæ Curiæ 919. 1009. Doctoratus gradus conferendi expenſæ taxantur 603. Romæ pauperibus, & egenis gratis conferendus ibid.
Doctores hodie creari nequeunt a comitibus Palatinis pro obtinendo Epiſcopatu 919.
Domicilium ad effectum contrahendi matrimonium quando contrahatur 991.
S. Dominici Ordinis Novitiæ, vide Novitiæ Ordinis S. Dominici.
Domus parochialis quibus ſumptibus ædificari, vel reſtaurari debeat 881.
Domus ſcholarum Piarum, vide Scholarum Piarum.
Donatio bonorum eccleſiaſticorum ſub qua pœna interdicta 303. Permiſſa olim erat Epiſcopo donatio quinquageſimæ partis bonorum ſuæ menſæ, ſecus hodie 305.
Dos aſſignanda eſt Eccleſiæ conſecrandæ, & quæ excipiatur 425. 426.
Dotis reſtitutio uxori, vide Divortium. Dotes monialium tam intra, quam ſupra numerum quare permiſſæ 588. Apud quem deponendæ, & quando duplicandæ, & triplicandæ ibid. & ſeq. Dotes Confraternitatum diſtribuendæ honeſtis puellis, quæ virgines non ſunt, ab his retineri nequeunt ſine condonatione Sedis Apoſtolicæ, ſi ante earumdem conſecutionem honeſtæ non fuerint; dummodo in poſterum honeſte vixerint, ut declaratur in Bulla Benedicti XIV. Paſtor bonus 13. Aprilis 1744. §. XXVII.
Duellum Clericus committens, qua pœna olim puniebatur, & a quo diſpenſari poterat ab irregularitate, & inhabilitate ad beneficia, ſi adverſarius occiſus fuiſſet 661. Quæ hodie pœnæ incurrantur a committentibus duellum tam Clericis, quam laicis ſive ſolemniter, ſive privatim, & quæ perſonæ comprehendantur ibid. & 1068. & ſeq. In eo decedens excommunicatus eſt ☞ ſed non vitandus, ut per errorem dictum eſt in corpore hujus Operis pag. 425. Et carere debet eccleſiaſtica ſepultura, licet pœnitens deceſſerit 425. 1073. Et vide Sepultura. Propoſitiones proſcriptæ circa duellum 1068.

E

Ebrietas mentis inducit exilium, & libidinis incentivum 221.
Eccleſia Romana eſt caput, & magiſtrat omnium Eccleſiarum 739. Eccleſia polluta reconcilianda 426. a tot. 429. 666. Et per adulterium in ipſa commiſſum etiam ex dicto unius, eſt reconcilianda 666. An per celebrationem miſſæ intelligatur reconciliata 429. Eccleſia, ſive parochialis, ſive non, cujus expenſis reſtauranda, vide Reſtauratio. Eccleſia univerſalis fidelium eſt una, & extra illam nemo ſalvatur 3. Eccleſia ſoror alterius Eccleſiæ quæ dicatur 77. Eccleſia hæreditario jure nequit poſſideri 273. 1060. Eccleſia reddi nequit cenſualis 398. & ſeq. In Eccleſia quæ actiones vitandæ 910. & ſeq. Eccleſiæ adſcriptio Clericis facienda. vide Adſcriptio Eccleſiæ. Eccleſiæ Benedictio, vide Reconciliatio. Eccleſiæ conſecratio, vide Conſecratio Eccleſiæ. Eccleſiæ dedicatio, vide Dedicatio Eccleſiæ. Eccleſiæ pollutæ reconciliatio, vide Pollutæ Eccleſiæ reconciliatio. Eccleſiæ conſecratio fieri nequit ſine dote, & quæ excipiatur 425, & ſeq. Eccleſiæ providendum eſt viris litteratis, etiam ignobilibus, non nobilibus indoctis 262. Sacræ ſuppellectiles a quo benedicendæ, & quid de Abbatibus 423. Nec remanent benedictæ per celebrationem Miſſæ 423. & ſeq. Eccleſiam ære alieno gravantis pœna 302. Eccleſiarum bona uſurpantes, vide Uſurpatio. Eccleſiarum bona alienantis pœnæ 285. & ſeq. Eccleſiarum cathedralium reſtauratio, vide Cathedralium Eccleſiarum. Eccleſiarum reparatio ad quos ſpectet 1017. 1018. Eccleſiarum tam Urbis, quam aliorum locorum violatores, vide Violatores Eccleſiarum. Eccleſiarum ſtatus relatio, vide Status Eccleſiarum. Eccleſias plures obtinens hodie privatur obtinendi quam maluerit 251. 257. ☞ In Eccleſiis ruralibus parochiali proximis Miſſa celebrari nequit antè parochialem 817.
Eccleſiaſticorum proventus uſurpantes, vide Uſurpatio.
Educandæ morientes intra monaſterium in qua Eccleſia ſepeliendæ 320. Educandæ, & famulæ hodie recipi nequeunt in monaſteriis monialium ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, & earum neceſſitas, & qualitates examinandæ ſunt dumtaxat ab Epiſcopo 1032.
Ejectus religioſus ſingulis annis ☞ ſub mortali requirendus a Superioribus, & revertens emendatus, recipiendus: & Superiores compelli poſſunt a ſola S. Congregatione, non ab Epiſcopo 122. Ejectus tenetur ſub mortali ſervare vota compatibilia cum ejus ſtatu, & ſe emendare, ut iterum recipi poſſit a Superioribus; ac interim ſuſpenſus eſt ab exercitio Ordinum, & redditur inhabilis ad beneficia 476. Quid de ejectis a Societ. Jeſu ibid. Nec a Religione eis danda ſunt alimenta ibid. Eorum bona nondum reverſorum acquiſita hodie cui cedant ibid.
Electio cum collatione zeli ad zelum obſolevit, & hodie attenditur collatio numeri ad numerum 29. Electionis confirmationem non petens intra trimeſtre, eſt ipſo jure privatus, & declaratur 34. Item præſentatus ad inferiora beneficia etiam Juriſpatronatus ibid. Ab electione appellatio quando, & quomodo facienda 33. Electio Abbatiſſæ, vide Abbatiſſa. Electio Epiſcopi, & examen hodie non amplius ſpectat ad Metropolitanum, ſed ad S. Sedem 28. 63. Item Patriarcharum, & Archiepiſcoporum, ac Eccleſiarum earumdem proviſiones, exceptis Regiis privilegiatis 25. Ac etiam aliquibus Cathedralibus 197. 709. Electio Epiſcopi olim ſpectabat ad capitulum, ſecus hodie, ubi ſunt concordata 233. Confirmatio autem ad Metropolitanum, ſed hodie ad Papam ibid. Electio Regularium facienda eſt per ſecreta ſuffragia, & abſentium vota ſuppleri nequeunt ab eorum Protectoribus, nec a ſacris Cardinalium Congregationibus 1032. ☞ Afferuntur reſolutiones XXXIII. dubiorum ad eorundem electionis nullitatem, vel validitatem pertinentes 1031. ad tot. 1037. Privatio vocis in capitulo quando incurratur ibid. Electus differens petere confirmationem intra trimeſtre, eo ipſo privatus eſt electione, & declaratur 34. Eligentium nomina ſine mortali culpa publicari nequeunt 29. An Eligentes abſentes legitime impediti poſſint deputare alium ex numero eligentium ad ferendum ſuffragium ſi non agatur de abſentibus Regularibus ibid.
Eleemoſyna pro celebratione Miſſarum, vide Celebratio Miſſarum. Eleemoſyna earumdem Miſſarum illiberalis prohibita 894. Ejus pars retenta reſtituenda eſt, & cui 903. Eleemoſynarum Collecto,

Digitized by Google

lectores pro ſubſidio Terræ ſanctæ, vide Quæſtores Eleemoſynarum. Eleemoſynarum Quæſtores cum Indulgentiarum publicatione prohibiti 775. 887. & ſeq.

Emphiteuta moroſus in ſolutione canonis eccleſiaſtici conveniendus eſt coram Judice eccleſiaſtico 289. Cui competit purgatio moræ 297. & ſeq. Quando non poſſit vendere melioramenta 298.

Emphiteutica bona eccleſiaſtica a quibus oneribus ſint exempta 464.

Emphiteuſis bonorum eccleſiaſticorum prohibita, & caducata remitti prohibetur 286. ☞ Hodie permittitur ad tertiam generationem maſculinam tantum, & quæ conditiones ſervandæ ibid. Emphiteuſis quando tranſeat ad hæredes etiam extraneos 298.

Emponemata, ſeu melioramenta in bonis Eccleſiæ facta cedunt ſolo 306.

Emptio, & Venditio cum pacto redimendi quando licita 294.

Epiſcopalis conſecrationis munus, vide Conſecrationis Epiſcopalis.

Epiſcopatus eſt incompatibilis cum beneficio 276. An ſit Ordo diſtinctus a Sacerdotio 946. Conferri poteſt quocumque die Dominico ibid. Ad Epiſcopatum Eccleſiæ ſæcularis olim eligi poterat etiam Regularis, & quid hodie 41. Ad eum promovendus in quibus Ordinibus conſtitutus eſſe debeat. & a quo tempore 918. Ejus qualitates quomodo. & a quibus examinandæ ibid. & 919. 1001. Debet eſſe licentiatus in Sacra Theologia, vel Jure Canon. in Univerſitate aliqua, non a Comitibus Palatinis ibid. Quæ ſcientia requiratur in Regulari ad eum promovendo 920. Epiſcopatuum reſervatio Sedi Apoſtolicæ 41. 42.

Epiſcoporum crimina a quibus hodie cognoſcenda 1067. Epiſcoporum criminales cauſæ, vide Criminales cauſæ. Epiſcoporum exceſſus XXX. olim contra Regulares vigentes reprobantur 710, & ſeq. Epiſcopi electio, & confirmatio, vide Electio Epiſcopi. Epiſcopi concubinarii denunciatio a quo hodie facienda 223. Epiſcopi confirmatio, vide Confirmatio Epiſcopi. Ejus translatio, vide Translatio Epiſcopi. Ejus dicto, vel aſſertioni valde deferendum 271. Ejus jura in exemptos, vide Exempti. Ejus familiares quando, & quomodo ab eo ad Ordines promoveri poſſint 956. Vide Familiares Epiſcopi. Ejus nomine olim veniebat Presbyter 293. Epiſcopi duo in eadem diœceſi eſſe nequeunt, & quando id contingere poteſt 327. Epiſcopi Italiæ Ordines conferentes Ultramontanis, vide Ordines, & vide Ultramontani. Epiſcopum bannientis de quocumque territorio, & de loco, ubi habet Juriſdictionem, idque ratum habentis pœna 742. Ac hoſtiliter eum inſequentis ibid. Epiſcopus promovendus apud S. Sedem debet obtinere literas Apoſtolicas ante adminiſtrationem 26. 30. Poteſt ſibi eligere ſepulturam in aliena Eccleſia 305. Numquam intelligitur ſuſpenſus, niſi de eo facta fuerit ſpecialis mentio 450. An comprehendatur in Bulla S. Pii V. circa Conceptionem Virginis Mariæ ibid. Epiſcopus quoad Altare portatile 727. 907. Epiſcopus reſidentiam non faciens quas pœnas incurrat 928. tot. 931. Intra quod tempus poſt ejus promotionem teneatur ſe conferre ad reſidentiam, & ſub qua pœna 929. Ex quibus cauſis excuſetur ab eadem reſidentia, & a quibus hæ cognoſci debeant 929. & ſeq. Abeſſe poteſt per tres menſes, & quomodo hoc Indultum intelligendum ibid. An teneatur in foro conſcientiæ reſtituere integros fructus pro rata abſentiæ 931. Non corrigens ſimoniacos in adminiſtratione Sacramentorum ſuſpendendus eſt per duos menſes ab officio 871. Si eſt ab hæreticis captus, quando juriſdictio devolvitur ad Capitulum 51. Tenetur per ſe, ſi legitime non fuerit impeditus, Verbum Dei prædicare 815. Epiſcopus proprius quoad Ordines ſuſcipiendos quis ſit 948. Uti poteſt pro ſuo ſervitio duobus tantum Canonicis, & non pluribus, ut olim, non vero parochis, & an cum his diſpenſare poſſit ſuper reſidentia 239. Non reſidens, quando, & quomodo privari poſſit fructibus, & Epiſcopatu, & a quo 240. Item non reſidens, a quo denunciandus eſt Papæ ibid, & afferuntur varia decreta ipſius reſidentiam concernentia, & cauſæ ab eadem excuſantes 248. & ſeq. Conferens Ordines ſacros ſine titulo quam pœnam incurrat 250. Poſt conſecrationem privatur beneficio antea poſſeſſo 275. In punitione ſubditorum quid debeat præmittere, & quando teneatur adhibere conſilium Capituli 557. 558. Epiſcopus quoad Ordines, vide Ordines. Quoad conſenſum, & conſilium capituli, vide Capituli conſenſus. Quoad teſtamentum, vide Teſtamentum. Quoad portionem canonicam, vide Portio canonica. Quoad diſpenſationem cum ſimoniace ordinato, vide Diſpenſatio miniſtrandi. Quoad hæreticos. Vide Hæretici, & Hæreſis. Quoad loca exempta, vide Locus exemptus. Quoad adminiſtrationem Sacramentorum tempore peſtis, vide Peſtis tempore. Quoad diſpenſationem irregularitatis, vide Irregularitas. Quoad diſpenſationem ſuſpenſionis, vide Suſpenſio. Quoad caſus reſervatos Papæ, vide Caſus reſervati Papæ. ☞ Non poteſt abſolvere caſus occultos Papæ reſervatos poſt Concilium Tridentinum 1006.

Epiſcopus Regularis quidquid poſt conſecrationem acquirit, etiam non intuitu ſuæ Eccleſiæ acquirit eidem Eccleſiæ, non ſibi 716. Item quoad teſtamentum, vide Regularis ad Epiſcopatum promotus.

Epiſcopus Titularis, vide Titularis Epiſcopus.

Equites Hieroſolymitani veniunt nomine Regularium 218.

Erectio monaſteriorum tam virorum, quam mulierum de cujus licentia facienda, & quibus conditionibus 1027. 1028. Erectio novorum conventuum, vide Conventuum novorum.

Eremita quando gaudeat privilegio canonis, vide Canonis privilegio.

Eſculenta, & poculenta quæ, & quando liceat Judici recipere 219. 576. Item pro obtinenda gratia, vel juſtitia in Curia Romana ibid. Vide Munera.

Eſus carnium, vide Carnium eſus.

ET, hæc particula aliquando accipitur nedum pro conjunctiva, ſed etiam pro disjunctiva 662.

Euchariſtia vere continet Corpus, & Sanguinem Chriſti 3. Eam olim prohibebantur laici deferre ad ſuas domos, & ad infirmos 436. Hodie cuſtodienda eſt in tabernaculo ſub clavi, & pœna incaute eam cuſtodientium ibid. ☞ Qua pœna plecti poterunt ab Epiſcopo etiam Regulares exempti ibid. Et quid circa ejuſdem expoſitionem in Eccleſiis eorumdem 446. 447. Aſſervanda eſt in Eccleſiis parochialibus cum lampade continuo accenſa, & quid ſi ob paupertatem nequit accenſa retineri 447. In aliis Eccleſiis interdicta eſt ejus retentio, excepto privilegio, & conſuetudine, ac exceptis Eccleſiis Regularium, & Monialium, ac cathedralibus, in quibus tamen aſſervandum non eſt in altari majori ibid. Renovanda eſt in Eccleſia latina quolibet octiduo, & qua die; a Græcis autem ſingulis ſaltem quindecim diebus. Nequit adminiſtrari in Oratoriis privatis

vatis ſine licentia Epiſcopi 892. An ſingulis menſibus ſumenda ſit ſub mortali a monialibus 373. Non eſt cuſtodienda a Parocho latino in Pixide cum particulis ſub ſpecie panis fermentati pro Communione græcorum, nec ab his ſub ſpecie azimi pro Communione latinorum 441. Et quid de laicis latinis, & græcis quoad eam recipiendam ibid. Extra tempus paſchale adminiſtrari poteſt a quocumque Sacerdote etiam Regulari; ſecus intra id tempus 729. Ejus quotidiana perceptio, vide Communionis quotidianæ perceptio. Ejuſdem adminiſtratio intra Miſſam non ſemper, & indiſcriminatim ſacerdotes celebrantes adſtringit, & quæ conditiones ſervandæ 891. 892. Intra Miſſas defunctorum quando poſſit adminiſtrari ibid.

Eugenianæ Conſtitutionis privilegium quoad reſidentiam in Curia Romana 730

Exactiones Eccleſiis, & eccleſiaſticis perſonis imponentium, & Clericorum eas ſolventium pœnæ 460. ad tot. 462. Vide Onera eccleſiaſticis, & Immunitas realis.

Examen ordinandorum jam habitum a proprio Epiſcopo, an iterum fieri poſſit ab alieno, ad quem a proprio miſſi ſunt 937. Fieri tamen debet de ordinandis a quocumque ex Indulto S. Apoſtolicæ ibid. Fieri non debet ab Epiſcopo ſuffraganeo, aut auxiliario ibid. Examen parochi faciendum eſt ab Examinatoribus electis in Synodo 90. Examen promovendorum ad Ordines ſacros quale 942. 943. Examini novo quando ſubjici poſſint parochi, vide Parochi imperiti.

Examinatores pro concurſu ad parochiales quotannis eligendi ſunt in Synodo diœceſana 1021. Quot debeant eſſe, & quommodo ſupplendum ob mortem, vel diſceſſum aliquorum, & quando Synodus non celebratur ibid. ☞ Debent judicium ferre nedum circa doctrinam, ſed etiam circa qualitates promovendorum a Tridentino requiſitas ſub pœna nullitatis concurſus ibid. & 1022. Præelectio magis idonei ex ab ipſis examinatis ſpectat ad ſolum Epiſcopum, non ad eos ibid.

Exceſſus Canonicorum quomodo corrigendi ab Epiſcopo 107. Cum conſilio capituli 557. 558. Exceſſus XXX. Epiſcoporum olim vigentes contra Regulares reprobantur 710. 711.

Excommunicari nequeunt participantes in delicto eodem contextu ſine ſpeciali mentione 772. 775. 780.

Excommunicati vitandi qui olim fuerint, qui hodie 425. 761. ☞ Et affertur Conſtitutio Martini V. declarans, qui hodie dumtaxat ſint vitandi ibid. & ſeq.

Excommunicatio ferri nequit ab Archidiacono, & a Parocho 706.

Excommunicatio ferenda, ut ſit valida, quid requiratur 777. 779. Pœna præſcriptam formam in eadem ferenda non ſervantis ibid. & ſeq. ☞ Quando ſit latæ, & quando ferendæ ſententiæ 434.

Excommunicatio major incurritur ex communicatione cum hæreticis in crimine hæreſis, licet non vitandis 626. Excommunicatio in participantes ferri nequit a Judice Papa inferiori eodem contextu cum perſona expreſſa 772. 775. 780.

☞ Excommunicatio minor in quinque tantum Decretalibus expreſſe inflicta legitur 626.

Excommunicationis etiam minoris abſolutionem extorquentis, & ad id cooperantis pœna 137. Excommunicationis exceptio apponi poteſt in quaslibet parte litis 187. Non abſolvenda, niſi prius ſatisfacta parte 197.

Excommunicationes ad revelandas res deperditas, vide *Monitoria* ad revelandum.

In Excommunicatione inſordeſcens per annum eſt ſuſpectus de hæreſi 518. ☞ Hic citatur cap. VII. *Cum contumacia*, de Hæretic. in VI. quod promittitur referendum Sect. DCCCIX. eod. tit. ſed per errorem non relatum in hoc Opere, deſumptum eſt autem ex Decretal. Alex. IV.

Cum Excommunicatis communicatio ſub qua pœna prohibita 701. 761. & ſeq. 768. 772. Interdicta eſt etiam poſt eorum mortem, & quorum 424. Eorumque corpora quando exhumanda ibid. Cum excommunicato vitando communicans in crimine criminoſo, incurrit excommunicationem majorem, ſecus minorem, ſi non eſt vitandus 768. 773. Vide Excommunicatio minor.

☞ Excommunicatus an poſt mortem abſolvendus, & quando 771. 775. Et affertur Decretalis Innoc. III. *Sacris eſt*, vide S. Pœnitentiaria. Excommunicatus vitandus ſepulturæ datus abſolvendus eſt etiam poſt mortem, & quare; an abſolvendus ſit etiam non vitandus 321.

Exempti in quibus ſubdantur Epiſcopo tamquam delegato Sedis Apoſtolicæ 114. 115.

Exempti Clerici ſæculares alteri inferiori Ordinario intra ejuſdem Epiſcopi diœceſim exiſtenti ſubjecti, nequeunt ab Epiſcopo, etiam extra viſitationem, corrigi, & puniri 850. Non vero ſunt exempti ab ejus Juriſdictione Clerici exercentes curam animarum in Eccleſia adnexa commendæ Religionis Hieroſolymitanæ in concernentibus eandem curam, neque ab ejus correctione ob delicta, ſi non profiteantur obedientiam dictæ Religioni ibid. Neque Capellani, ſacriſtæ, & alii deputati ad ſimilia munia exercenda in Eccleſiis commendatis prædictæ Religioni, ſi non reſideant in domibus earumdem Eccleſiarum 850.

Exemptio a juriſdictione Epiſcopi, vide Exempti Clerici.

Exemptus locus, vide Locus exemptus.

Exequiæ mortuorum, vide Funeraria emolumenta.

Expectativæ mandatum inductum ab Alex. III. ſublatum eſt a Tridentino 8. 13. & alibi. Expectativæ in beneficiis abrogatæ ſunt, exceptis primis precibus Imperatoris 13. 258. Hodie raro concedi ſolent a S. Sede 273. 1023.

Expenſæ litis, vide Victus.

Expoſiti in Hoſpitalibus nequeunt promoveri ad Ordines ſine diſpenſatione, licet adſint conjecturæ de legitimitate 76. Et vide Baptiſmus. Expoſiti infantes in Hoſpitalibus circa Baptiſmum, matrimonium, diſpenſationem pro Ordinibus receptis, & recipiendis, ac alia Sacramenta, & eorum Parochum 652. & ſeq. Afferuntur varia decreta ibid. Expoſitorum origo quoad Ordines ſuſcipiendos, vide Originis locus.

Expulſus Religioſus, vide Ejectus.

Extractio rei ab Eccleſia, vide Confugiti.

Extra tempora a jure ſtatuta ſacros Ordines conferentis, & recipientis pœna quæ hodie 934. 945. Eos etiam hodie ſuſcipere poſſunt Regulares 646. 647. ☞ Et corrigitur a me notatum circa hoc privilegium in Additionibus ad *Inſtitut. Canonic. Maſchat. tit. de temporibus Ordinationum §. II. poſt Q. VIII.* 946. & ſeq. ☞ Ad eos tamen ipſis conferendos non arctatur Epiſcopus, quo nolente, nequeunt alium Epiſcopum adire ibid. Quoad ſæculares, ex quibus cauſis concedantur indulta eos recipiendi extra tempora 947. & ſeq. Eos ſuſcipiendi extra tempora privilegium quomodo intelligendum 965.

Extrema Unctio, vide Unctio extrema, & Sacramentorum adminiſtratio.

Digitized by Google

F

FAbrica Cathedralis, & Collegiatarum a quo repa-randa 1017. & ſeq. Fabrica S. Petri quoad miſſa-rum compoſitiones, vide Miſſarum onera.

Faciens, & conſentiens pari pœna punitur 772.

Factum ſimulatè in foro fori habetur pro valide facto 338.

Falſans literas Apoſtolicas, vide Literæ Apoſtolicæ. Falſantes literas Apoſtolicas, eiſque utentes quando, & quas pœnas incurrant 683. Eas incur-runt etiam Epiſcopi, eiſque majores 684. Quan-do puniendi ſunt ab Ordinariis, & quando non ibid. Falſantes literas Ordinariorum quam pœ-nam incurrant ibid. Falſantium monetas cujuſcum-que Principis, eiſque utentium pœnæ ibid. Item falſantium ſingraphas, ſeu cedulas Banchi S. Spi-ritus, & Montis Pietatis 635. & ſeq. Quid de Regularibus eaſdem falſantibus ibid. Item pœnæ aurum. & argentum arte alchimica conflantium, eique ſcienter utentium 636.

Falſarii olim inurebantur in fronte litera F quæ eſt prima Falſarii, ut ab omnibus cognoſcerentur, & extra provinciam ire compellebantur 632.

Falſi accuſatoris pœnitentia hodie obſolevit 554.

Falſo accuſantes Confeſſarium de ſolicitatione, vide Calumniator.

Famam alienam lædentis pœna 625. 626. Et tenetur ad palinodiam, ſeu retractationem ibid. Vide Maledicorum pœnæ.

Familiares Epiſcopi, Cardinalium, & Papæ qui dican-tur, & quando, ac quomodo promoveri poſſint ad primam Tonſuram, & Ordines 256. 257. Fa-miliares Epiſcopi titularis nequeunt ab eo ad Or-dines promoveri 257. Familiares Epiſcoporum, ut ad Ordines promoveri poſſint, quæ requiſita habere debeant, & ad quos titulos, & pœna or-dinantis, & ordinati his non ſervatis 957. 958. Familiares monialium non ſatisfaciunt præcepto Communionis annuæ, eam non recipientes in pro-pria parochia 749. Familiares Papæ offendentis pœna 739. ☞ Familiaribus Regularium admi-niſtrari poſſunt ab iiſdem Regularibus Communio paſchalis, Viaticum, extrema Unctio, eoſque in propriis Eccleſiis ſepelire abſque conſenſu Paro-chi, quibus tamen conditionibus requiſitis 728. 729. 749. Secus conditionibus non ſervatis 729. ☞ Iidem familiares confiteri poſſunt coram eo-rumdem Regularium Confeſſario, licet ab Epiſco-po non approbato 971.

Famoſi libelli auctor, vide Libelli famoſi.

Famulæ morientes intra monaſterium in qua Eccleſia ſepeliendæ 120.

Feria VI. in quam incidit Nativitas Chriſti, vide Jeju-nium.

Fermentatus panis, vide Panis fermentatus.

Feſti dies, vide Dies feſti.

Feſtivitates celebrandæ cum præcedenti vigilia, & jejunio, vide Vigilia.

Fidei dogmata circa Unitatem. & Trinitatem Dei, In-carnationem Filii, integritatem Virginitatis B. Ma-riæ, Sacramenta Baptiſmi, Euchariſtiæ, Pœniten-tiæ, & Matrimonii 1. ad tot. 3. Fidei præceptum obligat exterius eam confiteri, ſed non pro ſem-per, & in omni loco 5. nec ſatis eſt credere tan-tum in genere ibid. Ejus negatio quot modis fieri, & puniri poſſit 629. 630. Vide Ritus. Fidei pro-feſſio a quibus Beneficiatis, intra quod tempus, & coram quibus facienda, etiam Sede epiſcopali vacante, & pœna eam omittentium, ſeu male emittentium 1011. Qui alii præter Beneficiatos ad eam tenentur 1011. 1012. Fieri nequit per Procuratorem 1011. ☞ Et refellitur contraria, opinio eam admittens. ☞ Ejus omiſſioni non ſuffragatur regula triennalis 1011. An ad eam te-neantur Prælati Regulares 1011. Eam omittens non privatur diſtributionibus, nec voce in Capi-tulo, nec jure præcedendi 1011. Fructus, quibus privatur eam omittens, condonari nequeunt ab Epiſcopo & ſi ſunt de maſſa communi, applican-di ſunt fabricæ Eccleſiæ, vel alii loco pio, ſi non ſunt deputati, diſtribuendi inter alios Canonicos ibid. Parochus, qui eam emiſit coram Datario, non amittit fructus, nec tenetur eam repetere coram Epi-ſcopo 1011. Qui ad eam non teneantur 1012. Ad eam faciendam tenetur promovendus ad Epiſco-patum 1001.

Fidejuſſio (quæ vocatur a juriſtis vigilia ſolutionis) olim Clericis prohibita, ſecus hodie, & ſub qui-bus limitationibus 300. Eſt prohibita Regularibus etiam cum conſenſu majoris partis capituli 301. An permiſſa in re parva ibid.

Fidejuſſor in quibus caſibus ante ſolutionem de pro-prio, poſſit debitorem convenire, ut liberetur a fidejuſſione 301.

Fides per infidelitatem amittitur 821. Fides auditæ confeſſionis infirmorum ſub qua pœna apud ipſos relinquenda 971. 974.

Filii illegitimi, vide Illegitimi. Filii Clericorum ille-gitimi non poſſunt ſcribi hæredes, ſive ſuperſtites ſint, ſive obierint ante, neque eorum conſangui-neis relinqui poteſt legatum 75. Eis tamen deben-tur alimenta etiam de redditibus eccleſiaſticis ibid. Obtinere, & retinere nequeunt beneficium in Eccleſia, in qua Pater miniſtravit 77. Neque penſionem ſuper fructibus beneficii Patris ibid. Neque beneficium in Eccleſia, quæ ſit ſoror Eccle-ſiæ, in qua Pater habet beneficium ibid. Neque in altera Eccleſia, ad quam Pater ratione beneficii accedere ſolet diebus ſolemnioribus, quamvis non ſit ſoror ibid. Neque audire confeſſiones in Eccleſia, quam Pater qua parochus obtinuit, licet parochiam intermedia perſona obtinuerit 77. Poſſunt tamen eſſe Capellani amovibiles, ubi Pater fuit pariter amovibilis ibid. Non poſſunt obtinere quamcumque adminiſtrationem, ſeu be-neficium in Eccleſia, in qua Pater adminiſtravit, etiam intermedia perſona 78. Ordinati ad titulum Capellaniæ in Eccleſia, in qua Pater eam habuit, recurrere debent ad S. Congregationem pro di-ſpenſatione ibid. Neque gaudere poſſunt beneficio *Cap. Veniens*, ſi illud habuerunt, poſtquam facti fuerint Præsbyteri ibid. Illegitimi jam defuncti Pater legitimus immediate obtinere poteſt be-neficium, quod habuit filius 77. Filii Judæorum ad fidem converſi quoad bonorum retentionem, & liberationem a patria poteſtate, vide Judæorum filii. Filiis debetur legittima ex bonis donatis mo-naſterio a Patre ibidem profeſſo 341. Filiorum Principum nomine veniunt etiam nepotes ex fi-liis. & alii deſcendentes ex maſculis 445. & vide Baptiſmus. Filius familias an conſtitui poſſit pro-curator ad negocia, & judicia, & in qua ætate 234. Etiam degens ſub patria poteſtate, ſibi eli-gere poteſt ſepulturam 319. Teſtari poteſt pro ſuf-fragio animæ ſuæ de bonis caſtrenſibus, & ſemi-caſtrenſibus abſque conſenſu Patris ibid. Filius le-gitimus Epiſcopi non poteſt immediate ſuccedere in beneficio, quod habuit Pater 80. Filius legiti-mus natus ex Patre naturali legittimato, eſt ca-pax beneficii 77.

Fœtus maſculus, & fœmineus poſt quot dies dicatur animatus 657. Et in dubio qui abortui cauſam de-dit, eſt irregularis ibid.

Fornicatio inter Chriſtianum, & Hæbream, & e-

cun-

Digitized by Google

converſo, qua pœna punienda, & a quo 612.

Ad Forum eccleſiaſticum in aliquibus locis Clericus trahere poteſt laicum 147. Ad Forum laicum trahentis Clericum pœna 142. 146. Fori mixti cauſæ, vide Mixti Fori. Ad Fori privationem declarandam quomodo ſe gerere debeat Epiſcopus 941. Poſt ſententiam declaratoriam amiſſionis privilegii fori habitum reaſſumens, eo amplius non fruitur ibid. Inſerviens alicui Eccleſiæ, licet ei non adſcriptus ab Epiſcopo, vel alteri, cui adſcriptus fuit, eo non privatur ibid. Eo privatur Clericus Italus ordinatus ab alieno Epiſcopo falſis dimiſſoriis poſt ſententiam Judicis 576. Fori privilegio non gaudet Tonſuratus, & Minoriſta, clericalem habitum non deferens 939., & vide Habitum clericalem.

S. Franciſci Aſſiſinatis regulam gloſſantis pœna 785. S. Franciſci de Paula Ordinis exemptiones 785.

Fratrum minorum S. Franciſci Aſſiſinatis regulam gloſſantis pœna 785.

Fratricellorum, ſeu Fratrum de paupere vita Inſtitutum ſub qua pœna prohibitum 380.

Fraus quando præſumitur in Clerico reaſſumente habitum 940., & ſeq.

Fructus beneficiorum vacantium. Vide Vacantium beneficiorum. Fructus beneficiorum, lite pendente, deponendi apud perſonam idoneam 165. Nequeunt vendi ad vitam, neque ad longum tempus, & ſub qua pœna 398. Fructuum eorundem deductiones pro obtinenda poſſeſſione, quæ in uſus pios non convertantur, prohibentur, & ſub quibus pœnis 1015. 1016. Fructus bonorum eccleſiaſticorum anticipate ſoluti annullantur 1053. Fructus parochiæ, quos parochus non fecit ſuos ob non reſidentiam, applicari debent fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus 935. Fructus præbendarum, & beneficiorum percipi poſſunt in abſentia a docentibus, & diſcentibus S. Scripturam 815. Fructuum, & beneficii privatio contra Beneficiatos abſentes quomodo hodie facienda 240. 241. Quando iidem fructus applicandi ſunt in utilitatem Eccleſiæ, & quando intereſſentibus diſtribuendi 242. Fructus pignoris aſſignati creditori loco pecuniæ non numeratæ, quando retineri nequeant 672.

Fugitivus Religioſus ſingulis annis requirendus eſt a Superioribus, & revertens recipiendus, cum quibus tamen conditionibus 349. Fugitivi, & Apoſtatæ in carcerem ab Ordinariis conjecti conſignari debent eorum Superioribus, & ab his puniendi 1029.

Functiones parochiales enumerantur 455. 456.

Fuudatio novorum conventuum, vide Conventus novi.

Funeraria emolumenta debentur juxta taxam a Superiore ſtatutam, & juxta laudabiles conſuetudines, ad quas ſervandas cogi poteſt hæres 580. Et quare hodie ſtatuta fuerint 580. 583.

Fures hominum, vide Palagearii. Fures reos mortis accuſans Clericus, quando non ſit irregularis, vide Aggreſſorem. Comprehenſi, & vulnerati morti proximi quando excluduntur a communione fidelium 570. Furis nocturni homicidium, vide Homicida.

Furtive Ordinem ſuſcipiens vel quia illud ſuſcepit non deſcriptus, non examinatus, non approbatus, quam pœnam incurrat 706. Quando diſpenſari poſſit ab Epiſcopo ſuper irregularitate, ſi in eo miniſtraverit, & quomodo diſpenſetur hodie a S. Pœnitentiaria ibid. ☞ Comminatio excommunicationis contra furtive Ordines ſuſcipientes olim erat latæ ſententiæ, ſecus hodie 706. Furtiva ordinatio cum expreſſa declaratione Epiſcopi, ſe non intendere eos ordinare, eſt invalida ibid. ☞ Et quid faciendum, ſi agatur de ordinatione ſacerdotis 707.

Furtum committens propter neceſſitatem non extremam olim jejunare debebat feria II. IV. & VI. per tres hebdomadas, ſecus, ſi reſtituiſſet 671. Hodie pœnitentia iſta obſolevit ibid. In foro fori mitius puniendus ibid. In neceſſitate extrema, nec peccat, nec puniendus ibid. Afferuntur propoſitiones proſcriptæ circa furtum ibid. Furtum bonorum Montis Pietatis 924. Furtum non committit colligens ſpicas poſt meſſem, invitis dominis 671. Furtum requirens ex taleis, vide Futura.

Futura requirere ex taleis, & codicibus arborum prohibitum eſt 686.

G

GAbellas novas cui imponere, & veteres augere non liceat, & pœnæ 398.

S. Gallicani Hoſpitali Clerici adſcripti promoveri poſſunt ad Ordines Sacros ad titulum menſæ Hoſpitalis 871. Item Miſſionis Congregationis Alumni 872.

Gloſſantium regulam S. Franciſci pœnæ 785.

Gradus reticitus pro diſpenſatione contrahendi matrimonium 999.

Græci habitantes in diœceſibus latinorum hodie ſubduntur Epiſcopo latino diœceſano 108. Iidem, ac Albaneſes græco ritu viventes, ac in Italia permanentes quoad Ordines ſuſcipiendos, & quoad Confirmationem 364. & ſeq. Nequeunt celebrare divina more latino, nec latini more græco 441. Græci in ſacris matrimonium contrahentes quando, & quas pœnas incurrant 232. 233. Et quoad illud contrahendum 363.

Grammaticæ magiſter, vide Magiſter Grammaticæ.

Granciæ Regularium viſitari poſſunt ab Epiſcopo 403. 885, 886. Et quid in his exercere poſſit 886.

Gratia rejecta ab una ex Sacris Congregationibus, & obtenta ab altera, eſt nulla, & pœna eam obtinentis 137. Gratiam, & Juſtitiam obtinens in Curia Romana, munera dando, vel promittendo, vide Munera.

S. Gregorii Miſſæ XXX. quales approbatæ, & quales proſcriptæ 912. Ejuſdem Gregorii Decretalis relata in cap. V. *Filius noſter de teſtam.* illuſtratur, & vindicatur injuria ipſi impicta 1073.

Gubernator Urbis, ejuſque officiales in cauſa ſanguinis, & mutilationis non incurrunt irregularitatem 478.

H

HAbitum clericalem non deferens Tonſuratus, & Minoriſta privatur ipſo facto fori privilegio abſque prævia monitione, ſecus, ſi ad breve tempus deponat, vel ſi renunciaverit Clericatui, mutato animo illum reaſſumat 939. 940. Illum non deferens gaudet privilegio Canonis, & Capituli *Odoardus* 940. Privilegio fori non gaudet deferens habitum, & poſtea reaſſumens in fraudem ibid. Quando dicatur reaſſumere in fraudem 941. Privatus ob delictum privilegio fori, & a Judice laico comprehenſus, ☞ ſemper repeti poteſt ab Epiſcopo, licet ſit conjugatus 940, 941. Reaſſumens habitum poſt ſententiam declaratoriam amiſſionis privilegii fori, eo amplius non fruitur, ibid. Illud non amittit deferens habitum, & Tonſuram inſerviens alicui Eccleſiæ, licet non illi, cui fuit ab Epiſcopo adſcriptus 941. 942. Habitus, & veſtis clericalis qualis ſit, & pœnæ eum non deſc-

deferentium 222. 224. 225. *Habitus non facit monacum* 343. Habitus monachalis retinendus a Regularibus ad Epiſcopatum promotis, & a quibus 41. 221. 223. Habitus religioſi receptio *hodie* non inducit profeſſionem, nec tacitam quidem 338. 340. *Habitus religioſus proprius Religionis* occulte deferri nequit etiam cum Superioris licentia 1053. *Ad habitum regularem aſſumendum* mulierem cogentis pœna, & quos comprehendat 335. An ☞ comprehendat etiam ad illum aſſumendum cogentes virum 337. 338. 1050. Ad eum *hodie* admitti poſſunt illegitimi 1052. Habitus proprius novitii qui ſit 352.

Hæbrei nullum dominium *habent* in mancipiis chriſtianis, nec in mancipiis ethnicis chriſtianam Religionem amplecti volentibus, ac gratis, & non pro pretio, ut olim dimittere debent 603. 604. Neque chriſtianos pro ſervis adſcriptitiis, nec pro famulis, neque pro nutricibus, tam intra, quam extra eorum domos etiam de licentia Epiſcopi, vel Nuncii Apoſtolici, retinere poſſunt, ut olim 603. 606. In ſtatu eccleſiaſtico ſtabilium poſſeſſio eis interdicta 604. Una tantum ſinagoga eis permittenda, prohibitum eſt novas conſtruere, & eas ædificando abſque licentia S. Apoſtolicæ puniri poſſunt a S. Officio; ſed permiſſum ruinoſas reparare 604. 605. Non ſunt perturbandi in ſuis ſolemnitatibus 605. 607. Si Sinagoga poſita ſit in loco, ubi impediantur divina officia, transferenda eſt, & ſi ea deſtructa, ibi conſecrata eſt Eccleſia, non eſt eis reſtituenda, ſed pretium 605. Habitare cum eis præſumentes chriſtiani excommunicandi ibid. Ad fidem converſi non privantur bonis ad ipſos ſpectantibus, & locorum Gubernatores tenentur eos in eorumdem poſſeſſione manutenere ibid. Inviti non compellendi ad ſuſcipiendum Baptiſmum 606. 607. Eorum filii ☞ quando baptizandi invitis parentibus 607. 608. ☞ Regula pro probanda illorum voluntate ſuſcipiendi baptiſmum 608. Cogendi ſunt ad alimenta danda filiis converſis 609. Item cogendi ad audiendam prædicationem Verbi Dei ibid. Deferre debent ubique habitum diſtinctum a chriſtianis, cum ſigno in pileo glacei coloris, a quo a nemine diſpenſari poſſunt 612. 618. Copulam carnalem habentes cum chriſtiana qua pœna puniendi, & a quo 612. Non ſunt præficiendi officiis publicis ſub pœna commercii cum chriſtianis ibid. Nec vendi, aut locari eis poſſunt redditus Principis 613. ☞ Ipſis ad fidem converſis conceditur retentio bonorum etiam illicite acquiſitorum, dummodo non ſint cognitæ perſonæ, quibus facienda eſſet reſtitutio 616. Item privilegium Civitatis, & liberatio a patria poteſtate ibid. Quæ artes, mercaturæ, & negocia lucratoria ſint eis prohibita 617. 618. Puniendi ſunt tanquam hæretici redeuntes poſt Baptiſmum ad ſuos ritus 648. Sub quibus pœnis eis prohibita retentio Thalmut 627. Eorum filii ad fidem converſi, vide Judæorum filii.

☞ Hæredes Beneficiatorum, an tuta conſcientia retinere poſſint bona, Eccleſiæ intuitu acquiſita eis teſtamento relicta 306.

Hæreſis cognitio æque ſpectat ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ac ad Epiſcopum, ſive ad ambos ſimul 622. Ejus abſolutio hodie eſt Papæ reſervata; neque abſolvi poteſt vi Jubilæi, vel alterius conceſſionis ibid. & Vide Hæretici. Hæreſis externa quot modis committi poſſit 629. Hæreſim continentes, vel de hæreſi ſuſpectæ propoſitiones proſcriptæ quæ 628. In Hæreſim lapſus Beneficiatus, ſtatim privatus eſt titulo, & privandus poſſeſſione 628.

Hæreticæ pravitatis Inquiſitores, vide Inquiſitores.

Hæretici æque puniri poſſunt ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ac ab Epiſcopo 622. Hodie abſolvi nequeunt, niſi a Papa, etiam in vim Jubilei, aut alterius conceſſionis 622. 623. ☞ Sponte tamen comparentes, *vel* quoquo modo denunciati, æque remitti poſſunt ab alterutro reſpective ad ſimplicem confeſſarium pro abſolutione etiam in foro externo valitura ibid. *Damnatus* ab Epiſcopo, & Inquiſitore ſimul, abſolvitur ab eo, a quo confectus eſt proceſſus, niſi contrarius ſit uſus ibid. *Laici nullo modo cognoſcere poſſunt de crimine hæreſis*, & Epiſcopi id permittentes, incurrunt excommunicationem *Papæ* reſervatam 623. Neque Regulares quoad ſuos ſubditos, licet prævenerint Inquiſitores in cauſa *hæreſis*, ut olim 623. 624. Neque eos impedire poſſunt, quin confratres Inquiſitori denuncient 624. 625. Vide Denunciatio hæreticorum. Licet nominatim non denunciati vitandi, privandi ſunt eccleſiaſtica ſepultura 626. ☞ Et quid ſi ſine ſcandalo a Catholicis reſiſti nequeat ibid. Abſoluti per ſententiam, denuo examinari, & capi poſſunt ibid. Quando eorum libros imprimentes, legentes, & retinentes incurrant excommunicationem Papæ reſervatam, & quando Cong. Indicis 627. Cum Hæreticis communicatio in divinis an licita catholicis, vide Communicatio catholicorum.

Haſtiludia ſub quibus pœnis olim prohibita 659.

Hieroſolymitanæ militiæ Vicarii, familiares, coloni, & miniſtri puniri poſſunt a locorum Ordinariis 1009. Eis ſervientes quando eximantur ab eorum Juriſdictione 1010. Ejuſdem militiæ Clerici, vide Exempti Clerici. Ipſius Conſervatores, vide Conſervatores.

Homicida caſualis, vel ob juſtam defenſionem diſpenſatur, cauſa cognita ab Ordinario, vel ab alio, cui eadem cauſa committitur 862. Voluntarius tamen privatur ſpe diſpenſationis, ut promoveri poſſit ad ſacros Ordines, ac quæcumque beneficia, & jam obtentis perpetuo carere debet; obtinere tamen poteſt penſionem 862. (Secus eſt, ſi jam promotus 861.) Item nec procurans abortum fœtus animati effectu ſecuto ibid. Nec privatur ſpe diſpenſationis, ſi quis mandaverit aliquem verberari tantum, mandatarius vero occiderit, licet evaſerit irregularis; neque qui mandavit occidi Cajum, mandatarius occidit *Petrum* ibid. An voluntatis ſemper incurrat ipſo facto privationem beneficii inflictam a Trident.. ☞ & in quibus caſibus eam incurrat ipſo facto 862. A pœnis incurſis ob homicidium voluntarium diſpenſat ſolus Papa ibid. Epiſcopus vero diſpenſare poteſt cum homicida caſuali publico, ut miniſtret in minoribus antea ſuſceptis, & beneficium ſimplex retineat ibid. ☞ Prælati Regulares in vim communicationis privilegiorum cum aliis Ordinibus habentibus diſpenſandi privilegium, nequeunt ab his pœnis diſpenſare propter homicidium quocumque modo perpetratum 862. 862. Homicida voluntarius quibus olim, & quibus hodie pœnis puniendus 655. Privatur aſylo eccleſiaſtico ibid. Afferuntur propoſitiones proſcriptæ ibid. Quando permiſſum ſit homicidium furis nocturni 656. Homicida Rectoris Eccleſiæ, ſi eſt Patronus, privatur jure patronatur uſque ad IV. gradum 737. Hæc tamen pœna non extenditur ad filios natos ante homicidium ibid.

Homicidia non gaudentia aſylo eccleſiaſtico 467. Homicidium filii a matre commiſſum olim erat impedimentum matrimonium impediens, & qua pœna hodie puniendum 649. 652. Homicidii pœna olim tollebatur per compoſitionem pecuniæ, hodie ſecus 735.

Hominum fures, & venditores, vide Plagearii.

Ho

Honeſtatis publicæ impedimentum, vide Impedimentum publicæ honeſtatis.

Horæ Canonicæ olim a parocho recitabantur cum ſuis Clericis ſtatutis horis 429. Eas choro addicti recitare debent horis ſtatutis, nec ab his matutinum cum laudibus diei ſequentis, nec officium Defunctorum recitari poteſt poſt Completorium diei præcedentis Commemorationem omnium Defunctorum, & quando poſſit ibid. Secus extra chorum ibid, & ſeq. Earum privata recitatio non facta debitis horis, quando obliget ſub levi culpa ibid. An matutinum cum laudibus etiam privatim recitandum ſit ante Miſsæ celebrationem, & ſub qua culpa 430. A choro addictis quomodo, & quibus horis per ſeipſos recitandæ, & pœnæ eas tam publice, quam privatim omittentium 434. ad tot. 437. Nec ſatisfaciunt, ſi cum aliis non pſallant 435. Non prohibentur ſe invicem ſubſtituere, ſed ſervatis certis legibus 436. Beneficiati omnes ſive Curati, ſive non Curati, ad eas tenentur ſub mortali, & omittentes, tenentur ad reſtitutionem fructuum perceptorum poſt ſex menſes a die pacificæ poſſeſſionis beneficii pro rata omiſſionis, & quæ ſit illa rata 437. An Parochus adimplens omnia alia onera, eas omittens teneatur reſtituere integros fructus reſpondentes diei, in qua eas omiſit 438. Obtinens beneficium tenue ipſius victui inſufficiens, peccat non recitando, & tenetur ad reſtitutionem, & afferuntur propoſitiones proſcriptæ circa harum recitationem 438.

Hoſpitalia ſub immediata Regum protectione excepta ſunt ab Epiſcopi viſitatione, & quare 922. Non eximuntur tamen a redditione proventuum eorumdem 922. 923. Eadem, ac alia pia loca ad pauperum uſum deſtinata Cardinalibus non commendanda 269. ☞ In bonis decedentium in his quis ſuccedat 316. Eadem, aliaque pia loca ſub ſunt Epiſcopi Juriſdictioni, exceptis, quæ ſunt ſub immediata protectione Regum 373. 922. & ſeq. Eorum bona nequeunt in prophanos uſus converti ibid. Quando eorum fructus converti poſſint ab Epiſcopo in alios uſus pios 385. Eorum ſacerdotes deputati ad audiendas infirmorum Confeſſiones, removeri poſſunt ab eorum adminiſtratoribus ſine licentia Epiſcopi, ab hoc tamen approbari debent 385. Hi adminiſtrare poſſunt Sacramenta infirmis, eoſque ſepelire, dummodo non vigeat contraria conſuetudo favore Parochi ibid. Hoſpitalia habere poſſunt Eccleſiam, & Cœmeterium, & proprios Præsbyteros independenter a parocho quoad Sacramentorum Adminiſtrationem, & ſepulturam dandam inibi decedentibus, & eorum familiaribus, ubi adeſt conſuetudo 457. ☞ Imo hodie quoad hoc præſcripſerunt contra parochum ibid. In iis decedentibus, quæ Sacramenta adminiſtrari poſſint etiam a Regularibus 728.

Hoſpitalitas poteſt eſse titulus quoad Ordines ſuſcipiendos 874.

Hoſpites ☞ licet continuo degentes intra clauſtra Regularium, ac in iis decedentes, ſepeliri nequeunt in eorum Eccleſiis, nec ab eis Sacramenta recipere, inconſulto parocho 729.

Hoſtias, & Particulas conſecratas auferentium pœnæ 667. 704.

Humiliatorum Ordo extinctus eſt a S. Pio V. 162.

I

JAcobus Apoſtolus ordinatus fuit a Chriſto Epiſcopus, non a tribus Apoſtolis 72.

Jaculatoris, & hiſtrionis officium ſub qua pœna Clericis prohibitum 122.

Janſenii librum retinentis, & legentis pœna 1075.

Jejunium in quarum feſtivitatum vigiliis ſit ſervandum 451. 452. Cauſæ ab eo excuſantes ibid. Quis poſſit ab eo diſpenſare ibid. Regulæ ſervandæ a diſpenſatis, tam circa eſum epularum permiſſarum, & vetitarum, quam circa unicam commeſtionem, horam prandii, & colationem ſerotinam 452. 453. Potiones cum lacte vetitæ ſunt ibid. Feria VI. in quam incidit Nativitas Chriſti licitus eſt eſus carnium, & quibus interdictus 453.

Jeſuatorum Ordo ſuppreſſus eſt a Clem. IX. 785.

Jeſuitteſſarum Inſtitutum ſub qua pœna prohibitum 380.

Ignobiles idonei non ſunt repellendi a conſecutione præbendarum, ☞ & quæ detur limitatio 261. & ſeq.

Illegittimi nati ante ex utroque parente libero, legittimantur per ſubſequens matrimonium, tam quoad paternam hæreditatem, quam quoad Ordines, & honores, exceptis tamen promovendis ad Cardinalatum 537. Nati ex matrimonio nullo, ſed putative valido, contracto bona fide a matre in facie Eccleſiæ, habendi ſunt pro legittimis 538. Olim dicebantur legitimi nati ex ſponſa de futuro carnaliter cognita, licet matrimonium non fuerit contractum in facie Eccleſiæ hodie ſecus ex Tridentino 539. Illegittimi non poſſunt eſſe Canonici Patriarchalium Urbis, niſi in diſpenſatione papali facta fuerit ſpecialis mentio 81. Illegittimi ad nullum miniſterium, beneficium, & penſionem admittendi in Eccleſia, in qua Pater beneficium habet, vel habuit. 77. 1067. 1068. Quando hodie admitti poſſint ad habitum, & profeſſionem regularem, & de cujus auctoritate, & ad quas dignitates habilitentur 1052. ☞ Nequeunt admitti in ſeminarium licet legittimati quoad beneficia 982. Illegittimi quicumque ex quocumque damnato coitu nati promoveri nequeunt ad Ordines 76. Illegittimos legittimandi facultas quoad ſpiritualia, & temporalia competit ſoli Papæ in terris Eccleſiæ, in alienis vero quoad ſpiritualia directe, quoad temporalia indirecte, certis inſpectis cauſis 539. Ex ſpeciali tamen conceſſione Sedis Apoſtolicæ competit etiam Comitibus Palatinis, & Prothonotariis Apoſtolicis, cum limitatione tamen ibid. Illegittimorum Origo quoad Ordines ſuſcipiendos, vide Originis locus.

Illitterati ad Ordines promoti, vide Ad Ordines promoti. Illitterati Parochi, vide Parochi imperiti. Illitteratus quoad Ordines, vide Ordines.

Imagines ſacræ Dei Patris, Spiritus Sancti, Beatæ Virginis, & Sanctorum quomodo pingendæ 1026.

Immunitas eccleſiaſtica perſonalis non læditur a Clericis deſtinatis ad murorum cuſtodiam ob neceſſitatem prius cognitam ab Epiſcopo 459. Immunitas localis, ſeu aſylus, quibus olim, & quibus hodie non ſuffragatur 464, 470. Immunitas realis bonorum eccleſiaſticorum ad quæ bona ſe extendat, & afferuntur varia decreta 463. Immunitatem perſonalem lædentis pœna 743. Immunitati eccleſiaſticæ præjudicialia privilegia, & conceſſiones caſſatæ ſunt 281. Immunitatis eccleſiaſticæ violatio, tam quoad perſonas, quam quoad locum ſub quibus pœnis prohibita 462, 471, 1069. 1070.

Impedimenta matrimonium dirimentia 546. ad 549. Et impedientia quot olim, & quot hodie, & quæ 177. ☞ An inter ea recenſendum matrimonium ſcienter contractum cum conſanguinea ſui ſanguinis, ita ut contrahi nequeat cum alia ibid. Impedimenti revelatio matrimonium dirimentis ſcientem obligat ſub gravi peccato, licet ſub ſecreto, etiam juramento firmato illud ſciat 507.

Exce-

Digitized by Google

Excepto caſu ſi ex revelatione ſibi oriretur grave incommodum, ſive ſpirituale, ſive aliud ibid. Proles ſuſcepta ex matrimonio contracto cum impedimento aut ignoranter, aut ſcienter, eſt illegitima; & ſi ambo contrahentes conſcii ſint, privantur ſpe diſpenſationis 508. Impedimentum affinitatis, vide Affinitatis. Impedimentum criminis, vide Criminis impedimentum. Impedimentum publicæ honeſtatis quando contrahatur 996. Vide Publicæ honeſtatis. Impedimentum publicæ honeſtatis oritur ex ſponſalibus validis uſque ad primum gradum, ſecus ex quacumque ratione invalidis 481. Oritur tamen ex matrimonio tantum rato, & etiam nullo, dummodo non ſit nullitas ex defectu conſenſus 482. Impedimentum petendi debitum, vide Debitum conjugale. Impedimentum raptus, vide Raptus. Impedimentorum matrimonii probatio quomodo fieri debeat 168.

Imperatori conceſſæ ſunt primariæ preces quoad beneficia 273.

Imperitia parochorum, vide Parochi imperiti.

Impoſitio manuum in ordinatione Præsbyteri, vide Ordinatio.

Impotentia ad copulam, vide Impotentes.

Impotentes ad copulam ob impotentiam antecedentem matrim. in Can. II. *Requiſiti* cauſa XXXIII. quæſt. 1. ſtatuitur, ut ſimul cohabitare poſſint tanquam frater, & ſoror; verum ille canon tributus a Gratiano D. Gregorio eſt fictitius 533.

Impreſſio librorum, vide Regula X. Indicis.

Impuberes dicuntur qui non expleverunt annum XIV. hodie non recipiuntur in monaſteriis Regularium etiam educationis cauſa, exceptis quibuſdam Ordinibus Regularibus 337. 343. Iidem quoad delicta, vide Puerorum delicta.

Incendiarii agrorum, ſegetum, domorum, & Eccleſiarum, quæ olim, & quæ hodie pœna 735. Si declaratus fuerit ab Epiſcopo excommunicatus, nequit abſolvi niſi a Papa ibid.

Inceſtum ſcienter committens cum conſanguineis ſuæ uxoris, vel ſui mariti contrahit impedimentum petendi debitum, & olim interdictum ei erat, ſoluto matrimonio, aliud cum quacumque contrahere 527. 528. & ſeq. Ex ſtylo autem Pœnitentiariæ in diſpenſatione ad petendum debitum injungitur obſervatio hujus pœnæ. Etiam ex ſtylo Datariæ in diſpenſatione ſuper conſanguinitate uſque ad IV. gradum, ubi interceſſerit copula inceſtuoſa 527. Pœnæ corporales inceſtuoſorum 528. Inceſtus commiſſus ante matrimonium cum conſanguinea olim inducebat affinitatis impedimentum dirimens uſque ad IV. gradum; hodie tamen uſque ad II. tantum 529. Contractum inter victricum & uxorem privigni eſt validum 532. ☞ Victricus valide contrahere poteſt matrimonium cum uxore Privigni ibid.

Inceſtuoſi Pœnitentes, vide Matrimoniales diſpenſationes. Inceſtuoſus privatur jure petendi debitum 527. 528.

Incompatibilitas beneficii cum Epiſcopatu 276.

Incontinentiæ vitio laborantium Clericorum, & Prælatorum eos non punientium pœnæ 221, 222. 223.

Incorrigibilis Religioſus ob quæ delicta quommodo, & quando ejiciendus 474. ad tot. 476.

Index librorum prohibitorum approbatus eſt a Clem. VIII. una cum regulis ad ipſum ſpectantibus 1071. Et Conſtitutiones ad hoc ſpectantes ibid. Vide 811.

Indicis Congregatio circa libros prohibitos, vide Regula X. Indicis.

Indignis beneficia conferentis pœna 259.

Indulgentias ob quæſtum publicantium pœnæ 578. 887. 1070. Eas concedere nequit Abbas Regularis ſine privilegio 709. Quæ concedi poſſint ab Epiſcopo in dedicatione, & anniverſario dedicationis Eccleſiæ 754. 755. In Indulgentiis concedendis moderatio adhibenda 755. Earum publicatio a Quæſtoribus eleemoſynarum prohibita 755. Quæ ſuſpendantur, & quæ non anno Jubilæi 756. Earum publicatio pertinet ad ſolum Epiſcopum 890. Eaſdem publicare nequeunt Regulares antequam publicatæ fuerint ab Epiſcopo ibid. Falſas publicantes puniendi ſunt ab Inquiſitoribus ibid.

Indultu Apoſtolico pro Ordinibus ſuſcipiendis ad titulum patrimonii, vel penſionis Epiſcopus non coarctatur 875. Indultum abſendi a choro cum perceptione fructuum beneficii cauſa ſtudii conceditur ſtudentibus per quinquennium non tamen majoribus XXV. annis 600. 601. ☞ Romæ vero non conceditur ultra triennium ibid. ☞ Verum ad illud obtinendum debet accedere conſenſus gratis dandus a locorum Ordinariis, ubi ſita ſunt beneficia ibid. Hoc indultum olim concedebatur parochis ad ſeptennium, hodie vero pro nullo tempore 35. 600. Indultum abſentiæ ab Epiſcopatu per tres menſes quommodo intelligendum eſt 929. Indultum ſuſcipiendi Ordines ſacros Extra Tempora quomodo intelligendum 965.

Infantes expoſiti, vide Baptiſmus, & Infantes. Infantes Judæorum, vide Filii Judæorum. Infantes morientes apud nutrices in qua Eccleſia ſepeliendi 320. Infanticidium a matre, vel nutrice non omnino, & omnino culpabiliter qua pœna hodie puniendum 649. 652. Infantium Ordinatio, vide Ordinatio. Infantium retentio in lecto ſine repagulo in aliquibus locis eſt caſus Epiſcopo reſervatus 652.

Infidelitate amittitur fides 821.

Infirmis morientes in Hoſpitalibus quando in eorum Eccleſiis ſepeliri poſſint 385. Infirmo Epiſcopo incurabili morbo dandus eſt ei coadiutor non ab Archiepiſcopo, ut olim, ſed a ſolo Papa, etiam abſque conſenſu capituli 271. 272. Infirmorum confeſſio audiri poteſt a Confeſſario Regulari ſine licentia parochi 271. 275. Et tenetur fidem relinquere auditæ confeſſionis, & ſub qua pœna 274. Infirmus beneficiatus percipere debet etiam diſtributiones 270.

Ingreſſum in Religionem proponens, vide Propoſitum. Ingreſſus in monaſterium monialium quando Superioribus permiſſus, & quommodo faciendus 375. 376.

Injuria afficientis romanam Eccleſiam, Papam, Epiſcopum, Prælatum Regularem, & Principem pœna 695. & ſeq. Exemplum S. Pii V. in danda venia cuidam ſui injuratori, ibid. Injuria Epiſcopum afficientis pœna 610. 742.

Innocentii III. Decretalis relata in cap. VII. *Veniens* de eo, qui duxit in matrim. illuſtratur 1074. Innoc. X. Conſtitutio *Ut in parvis* 883. Innoc. XII. Conſtitutio *Speculatores* quoad Ordines ſuſcipiendos 873. Innocentii pariter XII. Conſtitutio *Nuper* quoad juriſdictionem Epiſcopi in conventibus Regularium 886.

Inquilinus domus quando poſſit expelli, & non ſolventi non datur purgatio moræ 497.

Inquiſitores hæreticæ pravitatis impedientes tam conſilio, quam auxilio in cauſa nedum fidei, ſed etiam eorum Juriſdictionis, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas 626. 627. Iidem communicantes ſuis Conſultoribus proceſſus ſpectantes ad eorum tribunal imponere eis poſſunt ſecretum, ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ, ne illos revelent 628.

Olim

Digitized by Google

Olim cognoſcere non poterant ſortilegia hæreſim manifeſtam non ſapientia, hodie cognoſcere poſſunt ſuperſtitiones etiam ſimplices 629.

Johannis de Poliaco damnatur error circa confeſſionem factam coram ſacerdote regulari 747.

Inſtantia prima cauſarum eccleſiaſticarum facienda eſt coram Epiſcopo 101.

Inſtaurandæ Conſtitutio Innoc. X. 883.

Inſtrumentorum vetuſtiorum exemplaribus quæ fides habenda 175.

Inſulæ Italiæ adjacentes quæ, & an comprehendantur in odioſis ſub nomine Italiæ 60.

Interdicti pœna ab ingreſſu Eccleſiæ ob non adimpletum præceptum Communionis paſchalis in aliquibus locis eſt latæ ſententiæ, ut Romæ 750. Interdicti ſententiam ferentis formam præſcriptam non ſervantis pœna 779. ☞ Quando ſit latæ, & quando ferendæ ſententiæ 434. Interdicti tempore defunctos ſepelientis pæna 322. Interdictos nominatim ſepelientis pæna ibid. IV. Interdicti tempore quæ Sacramenta adminiſtrari poſſint, & divina celebrari. In quibus feſtivitatibus publice celebrari poſſint Miſſæ, & ad eas audiendas admitti interdicti & qui 745. 776. Quando eo tempore percipi poſſint a Clericis diſtributiones quotidianæ 745. Interdicti tempore quando, & quibus diebus divinorum celebratio permittitur, & qui excludendi 717. 718. 727. Quando incurratur excommunicatio ibid. Interdictis in locis divina celebrantes monachi, ac moniales qua olim pæna plectebantur 721. Interdictum Regularium non ſervantium pænæ, & quando abſolvendi 726. Item pæne eo tempore mortuis ſepulturæ dantis ibid. ☞ Interdicti, & ſuſpenſionis pænam Epiſcopi, eiſque majores hodie non incurrunt, ſi ſpeciatim in quacumque Conſtitutione non ſint nominati, & an idem dicendum de excommunicatione 780.

Interpretatio privilegii Apoſtolici Papæ dumtaxat reſervata eſt 972. Interpretatio S. Scripturæ, vide Scriptura.

Interſtitia ex juxta cauſa diſpenſari poſſunt ab Epiſcopo 53. 963. 665. Interſtitia inter unum, & alium Ordinem ſervanda; quod temporis olim, & quod hodie intervallum contineant 963. 964. Servanda ſunt inter unum, & alterum minorem Ordinem, & refellitur contraria opinio 964. Judicium remittendi interſtitia ſpectat ad Epiſcopum diœceſanum etiam quoad Regulares ☞ excepto caſu quod hi poſt Tridentinum obtinuerint privilegium exemptionis ab Interſtitiis 964. 966. Diſpenſari non poſſunt a Prælatis inferioribus, ſed ab Epiſcopo 964. Diſpenſari poſſunt a Vicario generali habente mandatum generale, ac a Vicario capitulari ibid. Diſpenſari poſſunt nedum ob utilitatem, & neceſſitatem Eccleſiæ, ſed etiam ob ſolam neceſſitatem, vel utilitatem ibid. Et qualis debeat eſſe neceſſitas, vel utilitas ibid. ☞ Non tenetur Epiſcopus ea diſpenſare, etiamſi agatur de habentibus privilegium Ordines extra tempora ſuſcipiendi 964. 965. Tonſura, & minores nequeunt eadem die conferri, niſi adſit conſuetudo 964. 965.

Inteſtati Clerici decedentis bonis quis ſuccedat 315. 316.

Intruſio in beneficium quibus pœnis punienda 266.

Irregularitas ob corporis defectus quando inducatur 84. Et qui ſint ibid. Irregularitas contracta ex defectu natalium, etiam occulta, diſpenſari nequit ab Epiſcopo 82. Poteſt tamen, ſi proveniat ex delicto occulto, dummodo idem Epiſcopus ſit jam conſecratus, excepto homicidio ibid. & 1005. 1006 ☞ Irregularitatem non contrahit Clericus accuſans cum proteſtatione aggreſſorem pœna ſanguinis puniendum 478. 657. 658. Vide Vindicta ſanguinis ☞ Nec ſi a Parocho tradatur fides baptiſmi rei capitalis ad comprobandum majoritatem ætatis pro pœna mortis ſubeunda 478. 658.

Iſtrionis officium, vide Jaculatoris & &c.

Itinerantes Regulares quoad confeſſionem emittendam, vide Regulares itinerantes.

Jubilæi univerſalis annus poſt quot annos hodie conceditur 756. Et quid circa Indulgentias, eo durante, vide Indulgentias.

Jubilatio a ſervitio chori cui danda 1012. 1013. Nec eo gaudens tenetur ad reſidentiam localem, ut lucretur diſtributiones 1013.

Jubilatus Canonicus, vide Jubilatio.

Judæus an, & quando poſſit eſſe teſtis contra Chriſtianos vide Teſtis. Judæus gaudet aſylo eccleſiaſtico 465. Judæorum filii ad fidem converſi apud quem remanere debeant & educari 355. 356. Eis concedenda eſt retentio bonorum tam mobilium, quam immobilium, etiam ex uſura, & illicito quæſitu acquiſitorum, ſi ignotæ ſint perſonæ, quibus eadem reſtituenda eſſent & liberantur a patria poteſtate eiſque danda ſunt a parentibus quæ ſunt de jure debita ibid.

Judex circa juramentum uxoris de non veniendo contra alienationem dotis debet ſervare jus canonicum, non civile 183. Interponens decreta circa alienationem bonorum Eccleſiæ non ſervata forma in literis Apoſtolicis pro alienatione conceſſis, quam pœnam incurrat 286. Et quomodo procedere debeat in cauſæ cognitione 288. Judex male judicans quam pœnam incurrat 195. In quibus cauſis ut ſuſpectus recuſari poſſit 200. Qui poſſit interponere decreta 123. Judex quæ eſculenta, & poculenta poſſit recipere, & quando 219. 576. Judex tam extraordinarius, quam ordinarius eccleſiaſticus, & laicus ſententiam ferens per gratiam, ſordes & munera, exceptis eſculentis, & poculentis ſponte oblatis quæ paucis diebus conſumi poſſint, & exceptis moderatis expenſis, ſi extra domicilium eum proficiſci contingat, præter mortalem culpam quas pænas incurrat 219. Et cui facienda ſit reſtitutio recepti pro ſententia tam juſta, quam injuſta, etiam ante declarationem ibid. & 220. Et aſſeruntur propoſitiones proſcriptæ ibid. & 556. Judex eccleſiaſticus habens Juriſdictionem temporalem proferens ſententiam ſanguinis non ſit irregularis 477. ☞ Judex laicus tenetur conſignare Epiſcopo Clericum delinquentem, licet privatum privilegio fori 940. Ad Judicem laicum Clericum trahentis pæna 142, 145. Ad Judicem eccleſiaſticum Clericus trahere poteſt laicum in aliquibus locis 147. Eidem ſpectat cognitio cauſæ realis juramento firmatæ 141. Judices ſynodales a quibus, & quot in quacunque diœceſi deſignandi, eorum qualitates quæ, & quod eorum munus 1061. Quæ cauſæ eis committi poſſunt, & quando ibid. Judicis laici ferentis ſententiam contra Clericum pæna 139 In cauſa ſimoniæ mota in romana curia quomodo procedere debet 572. Quæ poculenta, & eſculenta, ac zenia eidem permittantur, ſi ſit delegatus a Papa 576. Judicem impediens, ne exerceat Juriſdictionem ſuam, vel cogat ad revocationem ſententiæ, aut abſolutionem, vel vexans cauſa ſententiæ, hodie incurrit excommunicationem Papæ reſervatam 751. Judicis requiſita quæ hodie pro interponendis decretis 123. Judicis relatio de cauſis a ſe cognitis ad Principem hodie obſolevit, & quid ejus loco ſubintravit 202.

Judiciorum acta conſcribenda ſunt a publica perſona, ideſt a notario 169.

☞ Jur

☞ *Judico*, hoc verbum frequenter uſurpatur in ea ſignificatione, quod idem ſignificat, ac opinor, non definio 510.

Judicium ſanguinis exercere ſub qua pœna Clericis interdictum 473, 477.

Jura parochialia quæ ſint, enumerantur 455, 456.

Juramentum præſtandum eſt Papæ ab Epiſcopo 127. In aliquibus locis illud vetitum eſt apponi in contractibus, & quare 141. Juramentum calumniæ præſtari poteſt in qualibet parte litis 152, & ſeq. Ex illius autem omiſſione proceſſus non eſt nullus, neque annullandus ibid. & 154. Juramentum quodcumque præſtari poteſt tam ab Epiſcopo, quam a Clerico etiam in cauſis decimarum 153. In ſacris conſtituti illud præſtant tacto pectore, 154. Quando præſtari poſſet diebus feſtis 156. Olim præſtari nequibat a non jejuno 169. Juramentum contra libertatem eccleſiaſticam, & adverſans decretis Tridentini reprobatur 184, ac illud obſervare facientis pœna 187. Idem præſtitum ab eccleſiaſtico Principi laico quando reprobatur 184. ☞ Non eſt dandum reo principali criminaliter examinato ſub pœna nullitatis proceſſus, & quando hæc nullitas inducatur 185. 186, 759. Juramentum de obſervandis iniquis ſtatutis, & conſuetudinibus præſtantium pœna 283. Vide Statuta. Juramentum metu præſtitum ſervandum eſt ſub pœna perjurii, & diſpenſari poteſt a legittimo Superiore 182. ☞ An, & quando in illius executione admittat parvitatem materiæ ibid. Juramentum præſtari debet a Procuratore in animam ſuam in cauſis contentioſis 154. Voto ſimplici adnexum, non diſſolvitur, voto ſoluto 357. Juramentum ſuppletorium quando deferri nequeat 185. Item juramentum litis deciſorium ibid. Juramentum præſtantium de illicitis, impoſſibilibus damnoſis, & libertati eccleſiaſticæ adverſantibus pœnæ 185. 1071. 1072. Juramentum uxoris, vide Uxor.

Juriſdictio eccleſiaſtica locari prohibita 591. Juriſdictio Epiſcopi in locis exemptis, vide Locus exemptus. Juriſdictio miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ non ſufficit probabilis 976. 977. Juriſdictio voluntaria exerceri poteſt ab Epiſcopo in aliena diœceſi 827. Juriſdictionem eccleſiaſticam alienantium pœna 286. 287. Juriſdictionem Ordinariorum, & ſacræ Rotæ impedientis pœna 265. Juriſdictionem ne Prælati exerceant impedientes hodie incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam 781. Juriſdictionem Eccleſiarum uſurpantes, vide Uſurpatio. Juriſdictioni Epiſcopi qui Conventus ſubſint, vide Conventus Regularium. Juriſdictioni Ordinarii, quando ſubjiciuntur Regulares 1028.

Jus canonicum quando diſſidet a civili, utrumque in foro ſervandum eſt, ☞ excepto caſu de alimento ſpuriis præſtando 517.

Jus nominandi, & deputandi Vicarios in ſpiritualibus locari prohibitum 591.

Jus patronatus quando acquiritur 394. Sola poſſeſſio non confert poteſtatem præſentandi, & quid ulterius requiratur 391. Et quid de quaſi poſſeſſione præſentandi ibid. Quando amittatur 881, & 1018. Et quando devolvatur ad Epiſcopum 387. 1018. Juris patronatus Eccleſia parochialis quando conferenda ab Epiſcopo ob diſcordiam Patronorum 387. Emi, ac vendi nequit citra ſimoniam 388. Ita nec præſentatio ibid. Juris patronatus beneficia an, & quomodo, ac quando poſſint uniri Parochialibus ab Epiſcopo 878. Ad beneficium juris patronatus ætas requiſita, vide Ætas. Juris patronatus Eccleſiæ etiam non parochiales reſtaurandæ ſunt expenſis Patroni 881. Vide Patronus.

Juſtificatio amittitur nedum per infidelitatem, ſed etiam per quodcumque mortale peccatum, & contrariæ propoſitiones proſcriptæ ibid. 821. Vide Liberum arbitrium, & Opera omnia. Ad Juſtificationem obtinendam ab adultis neceſſaria eſt præparatio, & contrariæ propoſitiones proſcriptæ ibid.

Juſtificatus non peccat, operans intuitu æternæ mercedis, & contrariæ propoſitiones proſcriptæ 822.

Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, vide Impedimentum publicæ honeſtatis.

Juſtræ, torneamenta, & haſtiludia ſub quibus pœnis olim prohibitæ 659.

L

Laici profeſſi Ordinum regularium inſtruendi ſunt Doctrina christiana 818.

Laicorum obſequio, ac ſervitio addicti Clerici puniendi 222. 915. 917. Laicus in aliquibus locis conveniri poteſt a Clerico coram judice eccleſiaſtico 147.

Languidi expoſiti, vide Expoſiti infantes.

Largitiones fidelium ad certum uſum deſtinatæ, nequeunt converti ad alium ſine beneplacito Apoſtolico 385. Et quando converti poſſint ab Epiſcopo ibid.

Lateranenſes Canonici, & Sanctiſſimi Salvatoris, vide Canonici Regulares Lateranenſes. In Lateranenſi ſolo Eccleſiæ fundatæ aggregati Clerici non ſunt exempti a juriſdictione Epiſcopi 850.

Lectio linguarum, vide Linguarum lectio. Lectio S. Scripturæ, vide Scripturæ Sacræ.

Lectores Theologiæ, juris canonici, & civilis in Univerſitatibus percipere debent integros fructus ſuorum beneficiorum, & quando duas tertias partes 600. Non autem diſtributiones ibid.

Legata pia ad certum uſum relicta, vide Largitiones.

Legati Apoſtolici receptionem impedientis pœna 20. Legatus a Latere quid poſſit 103. Nequit exercere Pontificalia in diœceſibus ſuæ legationis, niſi id ſit ei ſpecialiter conceſſum 827. Poteſt abſolvere a caſibus Papæ reſervatis, a quibus poteſt Epiſcopus ☞ ſi tamen agitur de reſervatis Papæ ante Tridentinum, non autem poſt 102. Tributa ei facultate abſolvendi percuſſorem Clerici, non intelligitur conceſſa pro aliis caſibus Papæ reſervatis ibid. Nequit abſolvere ab excommunicatione ob violationem immunitatis eccleſiaſticæ ibid. Olim recipiebat procurationes ab omnibus Eccleſiis, ad quas mittebatur 400. 402.

A Lege diœceſana qui eximantur 315. Legis auxilium fruſtra invocat qui peccat in legem 464. Legis civilis ſtudio vacare interdictum eſt Regularibus extra clauſtra, & ſub qua pœna 473. Et quibus Clericis 478. Legis novæ pœna diverſa tollit pœnam legis antiquæ 365. Lex civilis prohibens a parentibus præſtari alimenta ſpuriis deſtruit pietatem 517.

Legittima debetur filio ex bonis monaſterio donatis a patre ibidem profeſſo 343.

Legittimatio illegittimorum a quo facienda, vide Illegittimi.

Lenocinium quando dicatur, ejus pœnæ, & potiſſimum Romæ, & quos comprehendant 665.

Leproſorum matrimonium, vide Matrimonium leproſorum, & Debitum conjugale.

Libelli famoſi tam contra regimen ſtatus eccleſiaſtici, quam contra cujuſcumque famam auctor qua pœna multandus 695. 696. Eos edentes, retinentes, & publicantes in infamiam ſtatus Ordinum Prædicatorum, & Minorum incurrunt ex-

com

communicationem Papæ reſervatam 696. An ☞ hæc pœna extendatur ad infamia inurentes alios Ordines Regulares ibid. Libellus ſupplex rejectus ab una Congregatione nequit porrigi alteri, & ſub qua pœna 137. In judicio debet porrigi Judici, excipe in judicio ſummario 152.

Liberi Muratori, vide Conventicula.

Libertati eccleſiaſticæ contraria ſtatuta edentis, eaque ſervare jurantis, & ſervare facientis pæna 283. 777. 778. Vide Statuta.

Libertinorum origo quoad Ordines ſuſcipiendos, vide Originis locus.

Libertorum, ſeu manumiſſorum origo quoad Ordines ſuſcipiendos, vide Originis locus.

Liberum arbitrium hominis cooperatur ad obtinendam juſtificationis gratiam, & contraria propoſitio proſcripta 822.

Libri de divinis auxiliis, vide Divinorum auxiliorum. Librorum prohibitorum index, vide Index Librorum prohibitorum. Eorumdem impreſſio, vide Regula X. Indicis Libros manuſcriptos ante approbationem vulgantium pœna 713. Libros conſcriptos alio imprimendos transferentium, vel mittentium ſine licentia Urbis Vicarii, & Magiſtri Sacri Palatii pœnæ 814. Item pœnæ imprimentium, retinentium, & legentium ſine licentia Sedis Apoſtolicæ libros ex profeſſo, vel incidenter tractantes de divinis auxiliis ibid. 1075. Libri, & laminæ granatenſes prohibiti 814. Librum Cornelii Janſenii retinentium, ac legentium pænæ 1075. Pro libris prohibendis expurgandis, ac imprimendis regulæ obſervandæ 814. Libros prohibitos imprimentes, retinentes, & legentes quando incurrant excommunicationem Papæ reſervatam, & quando Congreg. Indicis, & quando mortale peccatum tantum committant 627. 813. 814.

Licentia docendi, vide Docendi licentia.

Limina Apoſtolorum qui viſitare teneantur 130. 178. Liminum Apoſtolorum viſitatio an obſtringat ſex Cardinales ſuburbicarios 931. Viſitari debent etiam ab Abbatibus nullius 1072.

Linguarum arabicæ mixtæ cum Hebraica, & Caldaicæ ſchola, olim præcepta erat in aliquibus Univerſitatibus 602. Romæ leguntur ibid. Linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Arabicæ lectio ubi facienda 598.

Literarum Apoſtolicarum cognitio pro earum executione circa capiendam poſſeſſionem beneficiorum interdicta eſt locorum Ordinariis 1024. Literæ Apoſtolicæ obtinendæ ſunt ab Epiſcopo promovendo apud S. Sedem ante adminiſtrationem 26. 30. Impetratæ ad gratias habent illum vigorem in diœceſibus, & civitatibus diviſis, quem habebant, dum hæ erant integræ, ſeu indiviſæ 101. Eas falſans a quo puniri poſſit 8. Et ſi carceratus eſſet de mandato Papæ, ad eum mittendus eſt ibid. Eaſdem falſantis pænæ, vide Falſantes. Earumdem executionem impedientis pæna 784. Literæ commendatitiæ pro ordinatione ſubditorum ſæcularium Abbatiarum quibus dirigendæ 961. Literæ teſtimoniales Epiſcopi originis, vel domicilii quommodo exarantur 956. ☞ Literæ commendatitiæ pro diſceſſu ſacerdotum negari nequeunt ab Epiſcopo ſine juſta cauſa 87. Literæ monitoriales ad revelandum res deperditas, vi. Monitoria ad revelandum. Literas Ordinariorum falſantes, vide Falſantes. Literæ vulgo *Avviſi* alienam famam lædentes ſub qua pæna prohibitæ 695.

Litis expenſæ ſolvendæ ſemper ſunt a victo, ſive præſente, ſive abſente 736. Litis quota cuique prohibita 218.

Loca aſylo eccleſiaſtico gaudentia 471. Vide Aſylo. ☞ Locatio bonorum locorum piorum Urbis, aliorumque locorum non eſt facienda cum conſanguineis, & affinibus Rectorum eorumdem locorum, & ſub qua pœna 287. Quando permiſſa, & de cujus licentia 287. 289. ☞ Locatio bonorum eccleſiaſticorum ultra triennium quando liceat ibid. 285. 592.

Locator quando expelli poſſit ob non ſolutam penſionem 297. Et quando facienda eſt ei remiſſio, ſeu condonatio annuæ penſionis conventæ ibid. Eidem penſionem non ſolventi non datur purgatio moræ 297.

Locus exemptus ab Epiſcopi juriſdictione triplex 825. Quæ in eorum quolibet exercere poſſit Epiſcopus ibid. Locus originis Ordinandorum, vide Originis locus.

Lotto ludus, vide Ludus, vulgo *lotto*.

Ludus alearum, vide Alearum ludus. Ludi theatrales in Eccleſiis prohibentur 220. *Ludus* vulgo *Lotto* interdictus eſt obſtrictis paupertatis voto tam ſolemni, quam ſimplici 369. 370. Etiam cum licentia Superiorum ibid. ☞ Refellitur opinio, ſeu aſſertum vivæ vocis oraculum Clem. XII. ludum hunc eidem permittens 370. ☞ Quicumque huic ludo vacantes cum pravis artibus, & damnatis ſuperſtitionibus incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ibid.

Luminaria adhibenda ſunt in celebratione Miſſæ, & ex qua materia eſſe debeant 441.

M

MAgiſter grammaticæ pro Clericis, & pauperibus ubique inſtituendus præcipitur 815. Olim conſtituendus erat in unaquaque Eccleſia cathedrali, & collegiata, & ei conferendum erat competens beneficium, vel aſſignandi aliqui fructus ex menſa capitulari, vel epiſcopali cum onere docendi gratis Clericos, & ſcholares pauperes 592. ad 594. Quæ hodie ſervetur diſciplina 599. Magiſter conductus a Communitatibus examinari duntaxat poteſt ab Epiſcopo quoad Doctrinam chriſtianam, & mores 599. Et cogendus eſt Doctrinam chriſtianam docere ibid. Magiſter novitiorum quoad eorum confeſſiones, vide Novitiorum Confeſſiones. Magiſter puerorum hodie ab Epiſcopo, & Magiſtratu ubique deputatur 815. Magiſter Univerſitatum, & quicumque alii a quibus quæſtionibus cavere, & quas opiniones amplecti debet 599.

Magiſtratus denegans auxilium Ordinariis proreſtituenda, & cuſtodienda clauſura monialium incidit in excommunicationem, non tamen reſervatam 1030.

Major Pœnitentiarius condonare nequit in caſibus publicis fructus amiſſos a beneficiatis clericalem habitum non deferentibus, bene tamen in occultis 860. Poteſt ex cauſa transferre moniales ultra montes de uno ad alium Ordinem 856 Poteſt abſolvere ſimoniacos in Ordine occultos. & in foro conſcientiæ duntaxat 869. Nequit condonare fructus Epiſcopo, qui intra tres menſes non ſuſcepit munus ſuæ conſecrationis 257. Et Vide Pænitentiarius major.

Maledicorum pænæ, tam contra Romanam Eccleſiam, quam contra Papam, Epiſcopum, Prælatum Regularem, & Principem. & Ordines Regulares ☞ ac an extendantur ad maledicos contra quoſcumque Ordines 696. 697.

Maledictionis æternæ nomine venit peccatum mortale 323.

Maledicum crimen eſt mixti fori 696.

Maleficium, vel ſortilegium committentis pœnæ 535. 601.

Malę fidei poſſeſſor, vide Poſſeſſor.

Mancipiorum ſervitus rigoroſa hodię amplius non viget 316. & alibi pluries.

Mandata de proveniendo beneficio hodie abrogata ſunt 13. 70. 95. 251. 1023. & alibi pluries.

Manumiſſorum origo quoad Ordines ſuſcipiendos, vide Originis locus.

Manuum impoſitio in ordinatione præsbyteri, vide Ordinatio.

S. Mariæ in Coſmedin Canonici, vide Canonici Sanctæ Mariæ.

Materia remota Ordinis. Vide Ordo.

Matrimoniales cauſæ privativè cognoſci debent ab Epiſcopo, niſi adſit conſuetudo immemorabilis favore Inferiorum 710. Nec cognoſci poſſunt a Prælato Regulari non habente Territorium ſeparatum, nec a Legato a Latere in ſua Provincia, ſed tantum ab Epiſcopo 164. 172. 191. 519. Et cognoſci poſſunt a Vicario capitulari Sede vacante 191. Vide Cauſæ matrimoniales. Quomodo tractandæ ſunt 484. Spectant ad judicem eccleſiaſticum, & contrarium aſſerens, eſt excommunicatus 988. Et qui judices ad earum cognitionem ſtatuantur 484. 1062.

Matrimoniales denunciationes ter faciendæ ſunt a proprio parocho tribus diebus feſtivis inter Miſſarum ſolemnia 988. 989. Ac etiam quando canuntur veſperæ de licentia Ordinarii 989. ☞ Nec faciendæ, niſi poſtquam ab eodem parocho reperti fuerint ſponſi inſtructi in Doctrina chriſtiana ibid. Pœnæ tam parochi, quam contrahentium, ac teſtium doloſe matrimonio præſentiam præſtantium, eis non præmiſſis 989. Quando fieri debeant in loco originis, aut domicilii ibid. Faciendæ ſunt in ambabus parochiis, quando contrahentes ſunt diverſarum parochiarum ibid. Item in parochia Conſervatorii a contrahentibus ibi degentibus 989. Ob quas cauſas diſpenſari poſſunt ab Ordinariis ibid. & ſeq. Diſpenſari nequeunt ab ejus Vicario generali ibid. ☞ Nomine Ordinarii quoad harum diſpenſationem venit etiam Prælatus inferior Epiſcopo, vere nullius 989. & ſeq. Quando remittendæ ſint a duobus Ordinariis ibid ☞ Si diſpenſatæ fuerint ante matrimonium, faciendæ ſunt in Eccleſia ante illius conſummationem 990. Quod tamen ubique non eſt in uſu.

Matrimonium contractum diebus feſtis neque eſt nullum, neque illicitum, ut nonnulli perperam opinati ſunt 159.

Matrimonii contracti intra gradus prohibitos diſpenſatio, vide Diſpenſatio Matrimonii.

Matrimonio conſummato, non poteſt maritus, invita uxore, profiteri Religionem, & e converſo 354. 355. Et quid de conjuge in ſæculo remanente poſt profeſſionem factam ab altero de ipſius conſenſu ibid.

Matrimonium hæbreorum poſt converſionem unius ex conjugibus quando diſſolvi poſſit 543.

Matrimonium vagorum, vide Vagorum.

☞ Matrimonium contractum coram Parocho prima tantum Tonſura initiato validum eſt 66. Contractum per procuratorem eſt validum, & an ratificandum coram Parocho, & teſtibus 135. Matrimonii impedimenta, vide Impedimenta ☞ Contrahi nequit in aliquibus diœceſibus etiam ſine ſolemnitatibus ſine licentia Epiſcopi 160. Antequam matrimonium contrahatur ab inceſtuoſis cum diſpenſatione, conſuetudo eſt, ut uterque contrahentium teneat candelam accenſam in Miſſa parochiali ſolemni 84. Matrimonium conſummatum, vel non contrahentis conſtituti in ſacris, & Religioſi pœnæ 231. 132. & 233. Et quando ſint ſuſpecti de hæreſi, & quando hæretici ibid. Matrimonium contrahens Subdiaconus quas pęnas incurrat 231. & ſeq. Matrimonium Diaconus contrahens quas pęnas incurrat ibid. Matrimonium Sacerdos contrahens quas pænas incurrat ibid. Matrimonium Religioſus contrahens quas pænas incurrat ibid. Matrimonium contrahens græcus in ſacris conſtitutus quando, & quas pænas incurrat 232. & ſeq. Matrimonio tantum rato, bimeſtre tempus conceditur utrique conjugi ad deliberandum de ingreſſu in Religionem, nec alter cogi poteſt intra id tempus ad illud conſummandum 362. Et emiſſa profeſſione ab uxore, poteſt vir etiam ad presbyteratum promoveri ibid. Cogi tamen poteſt, ſi dicto tempore elapſo, conjuge invita, reciperet Subdiaconatum ibid. Et illum ſuſcipiens quas pænas incurreret ibid.

Matrimonium ratum, etiam altero conjuge invito, diſſolvitur quoad vinculum poſt profeſſionem religioſam alterius, & pars remanens in ſæculo, tranſire poteſt ad ſecunda vota 354. 362.

Matrimonium coram Parocho proprio, & duobus teſtibus contrahendum eſt 990. Et quis ſit proprius Parochus, referuntur varii caſus 991. & ſeq. Item referuntur varii caſus, in quibus ratione præſentiæ proprii Parochi ſit validum, vel nullum 545. & 991. 992. ac 994. Validum eſt contractum ſine præſentia Parochi, ubi Trid. non eſt publicatum 992. ☞ Validum eſt contractum ſine tali præſentia in Holandia, & Belgigo inter utrinque hæreticos, vel inter Catholicum, & hæreticam 992. & ſeq. Jam contracta, deſcribenda ſunt a Parocho cum nominibus contrahentium, & teſtium in libro penes ipſum cuſtodiendum 995. Excepto libro matrimonii conſcientiæ, qui retinendus eſt penes Epiſcopum 503. & 995. Matrimonia conſcientiæ quomodo contrahenda, & deſcribenda 503. Et qua lege obſtringantur illud contrahentes ibid. ☞ Matrimonium ſolemnizantium ſine licentia Parochi pæna, & a quo poſſint abſolvi 729. 994. Secundum contractum, conſtante primo, aſſerens licitum, eſt excommunicatus, & illud contrahentis pæna 987. Vide Poligamorum pæna.

MATRIMONIUM olim validum erat ſolo conſenſu contrahentium initum, hodie ſecus, ſi non contractum ſit coram parocho, & teſtibus pag. 484. & ſeq. 510. & alibi pluries. Cauſa validitatis, aut nullitatis matrimonii hodie cognoſcenda eſt juxta Conſtit. Bened. XIV. ibid. & ſeq. Matrimonium ſecundum contrahens, non expectata ſententia nullitatis prioris matrimonii puniendus eſt pænis contra poligamos ſtatutis 490. 510. Nequit contrahi ſecundum ſine authenticis documentis de morte prioris conjugis, imo neque his habitis ſine licentia Ordinarii 491. Inſtructio pro examine teſtium ad probandum ſtatum liberum contrahentium, ſive exteri ſint, ſive non, aut conſtituti in articulo mortis ibid. & ſeq. Contractum ante pubertatem eſt validum, ſi malitia ſupplet ætatem 500. An contractum per verba de præſenti inter mulierem, & impuberem adhibitis ſolemnitatibus, tranſeat in ſponſalia de futuro, id pendet, & ex diſpoſitione juris communis 501. Si vero impuberes, aut puber cum impubere prædicto modo contraxiſſent, deberent ſervare ſolemnitates a Trid. præſcriptas, licet eas ſervaſſe ſint prima vice 502. Matrimonium clandeſtinum initum in locis, ubi Tridentin. numquam fuit promulgatum, eſt verum & ratum 502. Occulte contractum, ita ut nulla appareat legitima probatio, licet unus ex contrahentibus affirmet fuiſſe contractum, hi non

ſunt

Digitized by Google

ſunt compellendi, ut ſimul cohabitent, imo ſeparandi 502. Si vero ambo affirment fuiſſe contractum illudque publicare voluerint, olim habendum erat, acſi initum fuiſſet in conſpectu Eccleſiæ ſecus hodie ex Trident. 502. Ut publice celebraretur ſemper is fuit Eccleſiæ ſpiritus 503. ☞ Permittitur tamen hodie, ut in certis caſibus occulte iniatur ſine denunciationibus coram parocho, & duobus teſtibus quod dicitur MATRIMONIUM CONSCIENTIÆ, pro cujus celebratione attendenda ſunt præſcripta a Conſt. Bened. XIV. ibid. & ſeq. Hoc numquam evulgandum eſt, excepto caſu, de quo cavetur in dicta Conſtit. §. XII. 506. ☞ Evulgandum etiam eſſet, ſi non ex evulgatione oriretur ſcandalum, præſertim in vicinia, & parvis opidis 505. ☞ Hoc matrimonium in Germania vocatur Morganaticum, & qua lege contrahi poſſit ibid. MATRIMONII DENUNCIATIONES, vide DENUNCIATIONES PRO MATRIMONIO CONTRAHENDO. Contractum cum ſcientia utriuſque contrahentis impedimenti dirimentis privantur ſpe diſpenſationis, & proles inde ſuſcepta eſt illegitima, ſicuti illegitima eſt, etiamſi ignoranter contractum fuerit cum tali impedimento 508. Pœna parochi, aut Regularis præſumentis matrimonio intereſſe ſine præviis denunciationibus, vid. DENUNCIATIONES FACIENDÆ PRO MATRIMONIO CONTRAHENDO. Matrimonium contrahens cum conjugata olim jejunare debebat in pane, & aqua quadraginta diebus cum ſeptem ſequentibus annis 508. ☞ Contrahens ſecundum, conſtante primo, olim prohibebatur quancumque aliam ducere, mortua prima uxore 517. Et ex Conſtit. Urbani VIII. denunciandus eſt S. Inquiſitioni tamquam ſuſpectus de hæreſi, & ſi falſis teſtibus ſui ſtatus libertatem probaverit, præter pœnas contra polygamos damnandus eſt ad triremes in perpetuum, & ſi inhabilis eſt, ad perpetuos carceres, ac inſuper tradendus eſt curiæ ſæculari arbitrio S. Inquiſitionis 509. ☞ Ex praxi tamen dictæ Inquiſitionis mitius hodie puniuntur ibid. Falſi vero Teſtes damnantur ad triremes per quinquennium, aut brevius ibid. Matrimonium ratum non diſſolvitur per ſubſequens, etiam conſummatum 510. Et reprobatur conſuetudo contraria ibid. Contractum cum conditione turpi, illius ſubſtantiæ non repugnanti, eſt validum 511. Contractum a ſervis hodie eſt validum 519. & ſeq. Matrimonium contrahens etiam dumtaxat ratum cum moniali tam ille, quam illa ipſo facto excommunicationem incurrit, ſicuti & Religioſus profeſſus, & omnes in ſacris conſtituti, & ut tales publicari debent ab Ordinariis, donec ſeparentur a muliere, & abſolutionem obtinuerint non ab Epiſcopo, ut olim, ſed a S. Inquiſitione 513. Et ex praxi ejuſdem Inquiſitionis propter ſuſpenſionem, & irregularitatem, quam reſpective incurrunt, puniuntur tanquam ſuſpecti de hæreſi nec hodie diſpenſari poſſunt ſuper irregularitate ab Epiſcopo, ut olim ex decretali Alex. III. etiam poſt peractam pænitentiam, & triennalem emendationem 514. Quibus pœnis obnoxii ſunt etiam Equites Hieroſolimitani 513. Monialis vero redditur inhabilis tamquam bigama ad gradus, ad quos moniales virgines aſſumuntur ibid. Aſſerentes autem prædictos omnes poſſe matrimonium contrahere, contractum validum eſſe, declarantur excommunicati a Trid. ibid. Contractum poſt votum ingrediendi Religionem, eſt validum 514. Matrimonium leproſorum eſt validum 518. 519. Vide Debitum conjugale. Matrimonium ſervorum contractum ſine conſenſu dominorum a ſæculo VIII. Eccleſia, dirimi permiſit; ſecus a ſæculo XII. 519 & ſeq. Illud ſcienter contrahens *intra gradus prohibitos*, ipſo facto hodie eſt excommunicatus, & publicandus eſt talis, donec conjuges ſeparentur, & poſt denunciationem abſolvi poteſt ab Epiſcopo, ante denunciationem vero a ſimplici confeſſario, ſed ſine ſpe diſpenſationis: ſicuti & ſi ignoranter contraheret, non adhibitis ſolemnitatibus 530. & ſeq. Contractum contra inhibitionem Epiſcopi indictam, vel contrahentibus, vel Parocho, aut hujus Vicario, eſt validum, etiam ſi parochus invitus, & compulſus ejus celebrationi aſſiſtat 536. Hæc inhibitio fieri etiam poteſt a parocho extrajudicialiter, donec cauſa cognoſcatur 536. Ob quas cauſas fieri poſſit ibidem. Pœna contrahentium parochi, & teſtium matrimonio aſſiſtentium contra dictam inhibitionem 536. Contractum ſine conſenſu parentum eſt validum 540. Olim contrahi non poterat cum quocumque alio a machinante in mortem mariti, & a marito machinante in mortem uxoris, etiam poſt mortem alterutrius, ſecus hodie 541. Matrimonium paganorum contractum in gradibus ab Eccleſia prohibitis poſt converſionem non eſt diſſolubile 542. Capita impedimentorum Matrimonium dirimentium 546. ad 549. IMPEDIENTIUM vero ibid. & 177. ☞ Inſtructio pro obtinenda facultate convalidandi matrimonium nulliter contractum, ubi etiam expenduntur clauſulæ litterarum S. Pænitentiariæ pro convalidatione facienda 549. & ſeq. Matrimonium contractum cum meretrice, eſt meritorium 494. Reſpectu tamen viri, qui eſt juris ſui 495. Per vim contractum olim convalidabatur per cohabitationem, & per præſumptam copulam ſubſecutam, ſecus hodie ex Trident., & debet iterum contrahi coram Parocho, & teſtibus 495. 497. 499. 501. ☞ Si vero coram his contractum fuerit cum impedimento occulto, hoc ſublato, clam renovandus eſt conſenſus inter contrahentes ex declaratione S. Pii V. ibid. & 549. ad 552. Contractum inter mutos, & ſurdos per ſigna coram parocho, & teſtibus eſt validum 496.

S. Matthiæ vigilia, vide Vigilia.

Matutinum cum laudibus ſub qua culpa recitandum a ſacerdotibus ante celebrationem Miſſæ, vide Horæ Canonicæ.

SS. Mauritii, & Lazari Ordo exæquatur in omnibus Ordini Hieroſolymitano 1010.

Media annata, vide Annata media.

Medici pœnæ viſitantis poſt tertiam vicem Infirmum, quocumque morbo laborantem, non facta ab eo confeſſione ſacramentali 752. 753. Quos alios afficiant ibid. Qui morbus excludatur 753. An pœna interdicti eidem interdicta ſit latæ ſententiæ 754. ☞ An excuſetur a pœnis, ſi poſt tertiam vicem viſitet infirmum, qui confiteri recuſavit 754.

Medicus laicus an, & quando promoveri poſſit ad Ordines 67.

Medicinam exercere eſt Clericis interdictum, & quibus conditionibus permiſſum 67. Et quando promoveri poſſint ad ulteriores Ordines ibid. Ejus ſtudio vacare interdictum Religioſis extra clauſtra, & ſub qua pœna, ac etiam quibus Clericis 478.

Melioramenta in Eccleſiæ bonis facta cedunt ſolo 306.

Mendicantium Ordines enumerantur 785. Eorumdem ſtabilia poſſidentium exemptiones ibid.

Menſæ epiſcopalis pars quinquageſima hodie nequit donari monaſterio ſine Papæ conſenſu 282. 305. eam ære alieno gravantis pœna 302.

Menſuras, & pondera venditores adulterantes 293.

Mercatus prohibitus diebus feſtis 157.

Mercedum miſerabilium perſonarum. Vide Cauſæ civiles mercedum. Merces juſto prætio vendenda, & contrafacientes olim puniebantur ab Epiſcopo pœnis a Sacr. Canonibus ſtatutis, hodie pœnis temporalibus puniuntur a politicis Magiſtratibus 293. Menſuras, & pondera vendentium.

Meſſæ ſegetum, aliarumque frugum collectio quando fieri poſſint diebus feſtis 156.

Metropolitanus an hodie compellere poſſit Suffraganeos, ut accedant ad Metropolitanam 406. Idem eligendus eſt a quolibet Epiſcopo, & qui ab hac electione eximantur 1001. & ſeq.

Militans Deo nequit ſe implicare negociis ſæcularibus, & quæ hæc ſint 472. 473.

Militaribus Ordinibus ſervientes quando eximantur a juriſdictione Ordinarii 1010.

Minimorum FF. S. Franciſci de Paula exemptiones 785.

☞ Minores tam maſculi, quam fœminæ qui dicantur 319.

Minores Ordines recipiens ante Sacramentum Confirmationis indiget diſpenſatione, ut promoveri poſſit ad ſacros 938. Ac nova proviſione pro retentione beneficii ſimplicis ibid. Ætas requiſita pro illis recipiendis debet eſſe ſeptem annorum completorum ibid. Minorum fratrum S. Franciſci Regulam gloſſantis pœna 785.

Minoriſta uxorem ducens quando gaudeat privilegio clericali 216. Matrimonium etiam nullum contrahens, vel ſtatum incompatibilem cum clericatu aſſumens, vel habitum dimittens an privetur ipſo facto beneficio, & penſione 231, & vide Habitum clericalem.

Miniſteria Clericis interdicta quæ 472. 473. Miniſteria divina, vide Divina.

Miſſam celebrare ſine luminibus, ſine paramentis ſacris eſt mortale, licet urgeat neceſſitas pro audienda Miſſa die feſto 431. & ſeq. Si aliqua ex paramentis deficiant, quando celebrari poſſit ſine peccato: item nequit celebrari ſine miniſtro, qui ſemper debet eſſe maſculus, & an aliquando celebrari poſſit ſine eo, 215. & 442. Etiam ad præsbyteratum non promoti celebrantis pœnæ 702. 713. Miſſæ applicatio pro populo ex præcepto Divino facienda 925. Qui ad eam teneantur, & quibus diebus ibid. Quando differri poſſit ibid. An ad eam teneantur Epiſcopi, & Superiores Regulares ibid. Pro benefactoribus a quibus, & quando facienda ibid. ☞ Parochi Urbis tenentur eam applicare pro anima ſui parochiani pauperis defuncti 925. Miſſæ applicatio pro beneficiatoribus, vide Miſſæ applicatio pro populo. Miſſæ celebratio vulgari lingua interdicta 892. Et propoſitio contraria proſcripta 893. Celebrari debet retento ritu Eccleſiæ latinæ, & græcæ, & pœna in contrarium facientes 893. Rutheni ſacerdotes uti poſſunt altaribus, & calicibus, ac veſtibus quibus utuntur latini 894. Item latini Antimenſiis Ruthenorum in caſu neceſſitatis ibid. Miſſæ ſacrificium, vide Sacrificium Miſſæ. Miſſa olim audienda erat in propria parochia 327. Miſſæ iteratio cui, & ex quibus cauſis permiſſa 430. & ſeq. pœna eodem die eam iterantis ibid. Excepto die Nativitatis Domini, & Commem. fidelium defunct. ex privilegio, & quæ regula, & limitatio in illis ſervanda 441. Miſſam celebrans in neceſſitate mortalis peccati conſcius ad quid teneatur 433. Eam ſacerdos ſimplex quater ſaltem in anno ſub mortali celebrare tenetur, ſed non cogendus ſub pœnis 438. ☞ Et contraria opinio Cajetani reprobata a S. Pio V. ibid. Miſſa in Eccleſiis ruralibus parochiali proximis celebrari nequit ante parochialem 817. Miſſæ ſacrificio ad ſortilegia utentium pœnæ 691. ☞ Inhabilitas ad eam celebrandam ob dicta ſortilegia incurſa, non incurritur in caſibus occultis 692. Eam celebrantis ad præsbyteratum non promoti pœna 702. 703. Miſſa celebrari nequit ſine miniſtro maſculo, excepta neceſſitate, & quæ ſit, & numquam fœmina 215. Miſſam concubinarii quando liceat audire 229. & ſeq. ☞ Miſſa quotidie celebranda a Capellano quoties, & quando poſſit intermitti 254. Miſſam in parochiali propria olim audire tenebantur parochiani, & alieni expellendi erant, ſecus hodie ſi alibi eam audiant non contempto proprio parocho, & in quo ſitus ſit ille contemptus 327. & ſeq. Monendi tamen ſunt, ut eam audiant in propria parochia ibid. Miſſa votiva & pro defunctis recitanda conceditur a Congr. Concilii ſacerdoti cicutienti 84. Miſſam celebrans cum conſcientia peccati mortalis in cauſa neceſſitatis ob deficientiam Confeſſarii ad evitandum ſcandalum, tenetur quamprimum confiteri; & contrariæ propoſitiones proſcriptæ 833. *Li quamprimum* quantam temporis latitudinem habeat ibid. An hoc præcepto obſtringatur in tali caſu etiam laicus Euchariſtiam ſumens ibid. Miſſæ ſacrificium eſt propitiatorium tam pro vivis, quam pro defunctis & afferuntur propoſitiones proſcriptæ 895. Miſſarum onera beneficio adnexa, quo quis ad ſacros Ordines promovetur, an detrahenda ſint 873. Miſſarum onera perpetua, & manualia quomodo, & quando recipienda, & adimplenda 895. ad tot. 903. Decreta, & dubia circa eadem onera, & adimplementum ibid. Miſſarum colligentium pœnæ 903. Propoſitiones proſcriptæ circa Miſſarum onera 902. Eleemoſynæ Miſſæ pars retenta reſtituenda, & cui 903. Miſſarum reductio hodie facienda eſt dumtaxat a S. Apoſtolica 897. 1057. Qui caſus excipiatur ibid. Miſſarum compoſitiones a fabrica S. Petri obtentæ quando nullæ 900. Miſſarum & candelarum numerus ſuperſtitioſus interdictus 912. ☞ Modicum tempus ad eas adimplendas extenditur ad unum menſem 904. Et quando non ibid. Miſſam celebrans, non recitato matutino, vide Horæ Canonicæ. Eam celebrantis in Eccleſia polluta pœnæ 429. Miſſa conventualis cantata applicanda eſt ſingulis diebus ſub mortali pro benefactoribus in Patriarchalibus, in Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, non autem ſecunda, & tertia, præciſa conſuetudine 439. Miſſa a Parocho etiam amovibili applicanda eſt ſingulis diebus feſtis 925. Miſſa in oratoriis privatis, vide in Oratoriis privatis. Miſſæ celebratio permitti nequit Sacerdotibus etiam Regularibus ſine literis commendatitiis ſuorum reſpective Superiorum 904. Nequit celebrari extra Eccleſiam ibid. In quibus caſibus liceat 909. Nequit hodie celebrari in Oratoriis privatis cum ſoli Epiſcopi licentia 905. In quibus Oratoriis celebrari poſſit 905. 906. Quoad ejus celebrationem in Oratoriis privatis laicorum decretum 906. 907. Et quæ regula ſervanda pro celebratione in iiſdem 908. In die Nativitatis Domini celebrari poſſunt in iis tres miſſæ 909. Quoad celebrationem in Altari portatili ibid. Quando, & ubi in hoc Epiſcopus celebrare poſſit 907. Miſſæ qua hora celebrari poſſint 911. Miſſæ XXX. S. Gregorii 912. Vide S. Gregorii. Miſſarum eleemoſynæ, vide Eleemoſynæ Miſſarum, & Miſſarum onera. In Miſſis defunctorum quando poſſit adminiſtrari Euchariſtia 892.

Miſſale in gallicanam linguam converſum proſcriptum ab Alex. VII. 893. Miſſale Tridentini decreto reformatum, approbatum fuit a S. Pio V. cum abolitione aliorum 1071. Et a Clem. VIII. ſuæ integritati reſtitutum ibid.

Miſſionarii miſſi ab Epiſcopo quando recipiendi ſint a paro-

Digitized by Google

parocho regulari 1040. Miſſionarii regulares quoad confeſſiones audiendas quibus legibus obſtringantur 974. 975. Miſſionarii Regulares in partibus hæreticorum, & Infidelium deferre poſſunt habitum laicalem 420. Olim ad eos ire poterant ad prædicandum quicumque Regulares, & Clerici idonei de licentia tantum ſuorum Superiorum, hodie nequeunt ſine ſpeciali deputatione Sedis Apoſtolicæ, vel Congr. de Propag. Fide 610. Miſſionarius Regularis delinquens extra clauſtra puniri debet a ſuo Superiore, non ab Epiſcopo 1048.

Miſſionis Congr. presbyteri promoveri poſſunt ad Ordines ſacros ad titulum menſæ 872. Vide Cong. Miſſionis.

Mixti fori cauſæ quæ, & a quo judicandæ 149. 150. 308.

☞ Modicum tempus pro celebrationis Miſſarum implemento extenditur ad unum menſem, & quando non 904.

Mohatra contractus ſub qua pena prohibitus 294.

Monaſteria Regularium quando ſubjiciuntur Ordinarii juriſdictioni 1028. Monaſteria Regularium immediate ſubjectorum S. Sedi proprios non habentia Viſitatores quomodo regenda 370. Eadem ob collapſam etiam diſciplinam a ſolo Papa reduci poſſunt ad ſtatum Clericorum Regularium 379. Eadem Monaſteria hodie exempta ſunt a Juriſdictione Epiſcopi, & quæ 406. & ſeq. Monaſteria commendata, vide Viſitatio monaſteriorum. Monaſterium quale dicatur caput Ordinis, ut exemptum ſit a viſitatione Epiſcopi quoad parochialea adnexas 1041. Monaſteriorum Commendatarii, vide Commendatarii. Monaſteriorum bona, vide Bona Monaſteriorum. Monaſteriorum erectio, vide Erectio Monaſteriorum. Ad Monaſterium ingrediendum mulierem cogentis pœna 335. Et qui caſus excipiantur 336. & ſeq. In Monaſterium detruſio pro delictis, vide Detruſio.

Monetas falſantium aut tondentium, item eas ſic expendentium pænæ 924. Et vide Falſantes.

Monialium monaſteria frequentius adeuntes, & cum eis colloquentes tam laici, quam clerici puniri poſſunt ab Ordinario per cenſuras 217. Eorum conſanguineis in primo, & ſecundo gradu licet eaſdem alloqui ſine licentia Epiſcopi exceptis aliquibus diebus, & caſibus ibid. Interdicta eſt allocutio cum eiſdem, earumque Abbatiſſa ☞ etiam alienis Epiſcopis, Vice Legatis, & Præſulibus locorum Gubernatoribus ſine licentia Epiſcopi. Item Equitibus S. Joan. Hieroſolymitani, item Regularibus etiam proprii Ordinis ſub mortali culpa, aliiſque pænis etiam ad modicum tempus 217. A quo danda eſt eis licentia, ac Monialibus 119. & 218. Eiſdem monialibus hæc allocutio prohiberi poteſt ſub pena excommunicationis, licet Regularibus ſint ſubjectæ, a qua abſolvi nequeunt a Superioribus Regularibus 217. Monialium nomine venit etiam Abbatiſſa 218. Moniales quoad acceſſus ad ipſas, & allocutionem, vide Monialium monaſteria. Monialium bonorum adminiſtratores, vide Adminiſtratores. Monialium Confeſſarii Regularibus ſubjectarum indigent approbatione Ordinarii 748. Monialium confeſſiones, vide Confeſſarius Monialium. Monialium dotes, vide dotes Monialium. Monialium viſitatio, vide Viſitatio. Monialium novitiæ, vide Novitiæ Monialium. Monialium numerus, vide Numerus Monialium. Monialium clauſura, vide Clauſura Monialium. Moniales recipi nequeunt plures, quam quot de monaſterii proventibus ali poſſint 372. & ſeq. Moniales tenentur ſaltem ſingulis menſibus Confeſſionem ſacramentalem emittere, & ſe ſacra Synaxi reficere, & an ſub mortali culpa 273. An tranſire poſſint ad alium Ordinem, vide Tranſitus Monialium, & Pænitentiarius Major. Moniales ſorores, vide Moniales ſupra numerariæ. Moniales ſupranumerariæ quando, & de cujus licentia admittendæ 588. 589. Et ſi admittantur tres ſorores, tertia privatur ſuffragio activo, & paſſivo, quouſque altera ex duabus vixerit 589. Monialis matrimonium contrahens, vide Matrimonium. ☞ Monialis habitum ſuſceptura exui non debet ſæcularibus veſtibus in publica Eccleſia ex prohibitione Bened. XIV. & Clem. XIII. 515. Moniales alloquentes ſine licentia puniri poſſunt ab Epiſcopo 1040.

Monitio una quando tribus non æquivaleat 941.

MONITORIUM ad revelandum res deperditas, & furto ablatas a Papa vel Epiſcopo concedi debet ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrendæ a non revelantibus, Papæ & reſpective Epiſcopo reſervatæ, pro re tamen non vulgari 1054. Præſcribitur forma a S. Pio V. qua extendi debet 1055. Poteſt tamen concedi a Vicario generali, & capitulari, Sede vacante, abſque ſpeciali mandato Epiſcopi, aut capituli ex declaratione Gregorii XIII. ibid. Item a Vicariis Apoſtolicis legatis a latere, & Nunciis ibid. Non vero a Prælatis inferioribus, etiam vere *Nullius* ibid. Et concedi dumtaxat debet iis, quorum intereſt, licet intereſſe illud petentium non ſit plane exploratum, ne interim res pereat ibid. Circa valorem rei pro qua petitur varia eſt praxis curiarum ibid. Romæ conceditur a Vicario Papæ cum conditione, ut valor aſcendat ad quinquaginta ſcuta ibid. Licet concedi poſſit etiam pro minori ſumma, attenta paupertate petentis, & rei qualitate ibid. Promulgari autem debet a parocho, vel alio ab Epiſcopo deputato tribus diebus feſtivis, exceptis diebus Nativitatis Domini, Paſchatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes ſolemnitatibus Corporis Chriſti, aliiſque ſolemnioribus, niſi Epiſcopus aliter judicaverit ibid. Excommunicatio a non revelantibus regulariter incurritur poſt tertiam dumtaxat promulgationem, incurreretur tamen etiam poſt primam, quando rationabiliter prævideretur, quod differendo revelationem poſt tertiam præriperetur ratio cogendi reum ad reſarciendum damnum intereſſe habentibus ibid. Non autem incurreretur, ſi in Monitorio declararetur eam incurri niſi fieret revelatio intra ſex, vel tres dies poſt tertiam promulgationem, & Epiſcopus vel Papa obierit duobus diebus ante dictos ſex dies 1056. ☞ Referuntur qui non tenentur revelare ibid.

Mons Pietatis exigere aliquid poteſt citra uſuram ſupra ſortem mutuo datam, & pænæ contrarium aſſerentium 673. 674. Illius cedulas falſantis pænæ. Vide Falſantes. Montis Pietatis bona, & fructus in alios uſus, quam deſtinatos convertentium pænæ 924. Item pænæ illius miniſtrorum furtum, & falſitatem committentium ibid.

Moræ purgatio conductori, & inquilino domus penſionem non ſolventi de jure cæſareo non datur; datur autem emphiteutæ 297. Vide Emphiteuta.

Morientes in Hoſpitalibus. Vide Infirmi morientes.

Mortuorum corpora exenterantis pæna 345. Eorum exequiæ, vide Funeraria emolumenta.

Multæ pecuniariæ tam in civilibus, quam in criminalibus ad forum eccleſiaſticum ſpectantibus, applicari tantum debent fabricæ Eccleſiæ, aut pio loco arbitrio Epiſcopi 736. Et cuſtodiendæ a fideli depoſitario 1057.

Mulierem per vim cogentis, ut monialis fiat, aut monaſterium ingrediatur, & habitum regularem ſuſcipiat, & quos comprehendat 335. ☞ Et an etiam

etiam cogentes virum 337. Qui caſus excipiantur reſpectu mulieris pro coactione ad ingrediendum 338. 339. Mulieres qualiter, & quomodo trahi debent ad domum judicis pro teſtimonio ferendo 143. Mulieres Tertii Ordinis, vide Tertiariarum. Mulieris profeſſionem emiſſuræ exploranda eſt ab Epiſcopo voluntas 335. Mulierum, & Clericorum cohabitatio, vide Cohabitatio.

Munera promittentes, & dantes, ac recipientes pro obtinenda gratia vel juſtitia atque etiam ad redimendam vexationem in Curia Romana, etiam effectu non ſecuto, quas pœnas incurrant 781. & ſeq. Quos alias comprehendant, & quas materias ibid. Olim comprehendebantur etiam non revelantes; ſecus hodie 783. Non prohibentur eſculenta, & poculenta, & quæ ibid. Referuntur variæ actiones, & caſus in quibus incurruntur pœnæ ibid. Reſtitutio accepti cui facienda ibid. An a pœnarum incurſu excuſet ignorantia 784.

Muratori liberi. Vide Conventicula.

Murorum cuſtodia in caſu magnæ neceſſitatis fieri poteſt, & debet etiam a Clericis citra læſionem immunitatis perſonalis; neceſſitas tamen prius cognoſci debet ab Epiſcopo 459.

Muſica qualis interdicta in Eccleſiis 909. 910.

☞ Mutuum cum pacto ſolvendi aliquid ſupra ſortem ratione periculi quando liceat 680. 681.

Mutuans naviganti an poſſit aliquid exigere ſupra ſortem ibid. Et explicatur decretalis *Naviganti*.

N

NAtionales Clerici tantum admittendi ſunt ad Eccleſias, & beneficia in illis locis in quibus id a S. Apoſtolica indultum eſt, ſecus in aliis, cum apud Deum non ſit acceptio perſonarum 272.

Nativitatis Domini die, ac Commemorationis fidelium defunctorum quoad Miſſæ iterationem, vide Miſſæ iteratio. Eadem Nativitas incidens in feriam VI. Vide Jejunium.

Naufragantium chriſtianorum bona ſurripientes olim non incurrebant excommunicationem, ſi ea reſtituiſſent; hodie eam incurrunt Papæ reſervatam, etiam facta reſtitutione 667. Quando non incurratur ibid.

Naviganti mutuans, vide Mutuum.

Nautæ Chriſtiani res bellicas deferentes ad infideles, & hæreticos, vide Arma.

Negatio fidei quot modis fieri poſſit 629. 630.

Negocia ſæcularia Clericis prohibita enumerantur 472. 473.

Negociatio Clericis tam ſecularibus quam Regularibus interdicta, & ſub quibus pœnis, eam exercentibus tam proprio, quam alieno nomine 913. Negocia incohata a Clericis eiſdem obventa quomodo, & quando iidem proſequi poſſint ibid. & ſeq. Quando eis permitti poſſit extra dictum caſum 915. Afferuntur ſpecies negociationis ipſis interdictæ, & pœnitiæ 916. & ſeq.

Neophitus an promoveri poſſit ad Ordines, & quid de hodierna praxi 8. & 9. Et quid de Neophitis deſcendentes a Judæis tum Regni Portugalliæ tum aliarum regionum 9. Neophitorum origo quoad Ordines ſuſcipiendos, vide Originis locus. Et non promovendi ad Ordines ſine diſpenſatione Apoſtolica 951. Ad quos Neophitos hæc prohibitio ſe extendat ibid. Deſcendentes a Judæis nationis Portugalliæ an promoveri poſſint ibid.

Nepos legitimus ex Patre illegitimo capax eſt beneficii, quod avus antea poſſedit 77.

Nobiles indocti tanquam monſtra, & Eccleſiæ peſtis repellendi a conſecutione præbendarum 251. Nominandi, aut deputandi facultas Vicarios in ſpiritualibus locari prohibita 591.

Noſocomia quoad Sacramentorum adminiſtrationem & ſepulturam, vide Hoſpitalia. ☞ In iis decedentium bona cui competant 316. Et vide Hoſpitalia.

Notarii imperiti quacumque auctoritate, creati perpetuo, aut ad tempus prohiberi poſſunt ab Epiſcopo, ne officium ſuum exerceant, & ad quos contractus prohibitio ſe extendat 169. & 923. Hæc facultas competit etiam Prælatis inferioribus ibid. Notarius quicumque examinari poteſt ab Epiſcopo, & inſufficiens repertus expelli 169. Idem quoad expeditionem dimiſſoriarum, vide Ordines ſimoniace. Scribens proceſſus criminales pro ſententia ſanguinis fit irregularis 477. Notarii officium Clericis interdictum 476.

Novitiatus quoad profeſſionem, vide Profeſſio Religioſa. Factus ſine habitus ſuſceptione an invalidet profeſſionem, vide Profeſſio Religioſa. Ad novitiatum non deſignatum pro tali admittentis pœnæ 347.

Novitius quoad renunciationem beneficii, & bonorum, vide Renunciatio beneficiorum, & bonorum. Ipſius bona tribui nequeunt monaſterio 169. Non debet initiari prima Tonſura, nec Oblatus monaſterio 68. Novitii habitus proprius qui 352. Novitius, completo anno novitiatus, exiens ob infirmitatem, vide Profeſſio Religioſa. Novitiæ Ordinis S. Dominici, vide Profeſſio Religioſa. Novitiæ Convertitarum, vide Profeſſio Religioſa. Novitiæ monialium voluntas antequam profeſſionem emittant, exploranda eſt ab Epiſcopo 335. ☞ Novitiæ Ordinis S. Dominici profitentes in articulo mortis ante annum integrum probationis, lucrantur tantum Indulgentias 1049. Novitii beneficium nemini conferendum ante emiſſam profeſſionem, etiam de illius conſenſu 351. ☞ Et quid ſi illud renunciet nondum veſtito habitu proprio novitiorum, ſed alio diverſo 352. Novitius admittendus eſt gratis ad Religionem, & profeſſionem, & quid hodie recipi poteſt ab ipſa 586. & ſeq. Hic etiam venit nomine Religioſi 760. Novitii Regularium recipiendi ſunt tantum in locis deſignatis, & in qua ætate recipiendi ſunt Converſi 1048. Novitiorum Confeſſiones audire poteſt ſolus illorum magiſter, deputari tamen poteſt alius a Superiore locali bis in anno 977.

Nullitas profeſſionis prætenſa ex quocumque capite non eſt cognoſcenda niſi ante quinquennium, & a quo tempore hoc incipiat 1051. Et ſi cognita fuerit ante, recurrendum eſt pro ſanatione judicii 1052. Quando ejus cauſa agitari poſſit a Superiore Regulari etiam religioſo non reclamante 1051. & ſeq. Quomodo, & a quibus cognoſci poſſit, & a quo ſi agatur de monialibus tam Epiſcopo, quam Regularibus ſubjectis ibid. & ſeq. Non definienda ſine defenſore deputato, & quod hujus munus, nec illius definitio valeat, niſi poſt duas ſententias conformes 1051. & ſeq. Quando ejus cognitio devolvatur ad S. Sedem ibid. Cujus expenſis conficiendus nullitatis proceſſus ibid. Si ante has Religioſus dimittat habitum ex quacumque cauſa reclamans, non eſt audiendus, & puniendus tanquam Apoſtata 1051.

Nullius diœceſis Abbates quibus conferre poſſint Tonſuram, & minores Ordines 959. Et vide Abbates exempti.

Numerus monialium recipiendarum, etiam Regularibus ſubjectarum, quantus, & a quo taxari debet 1027. Numerus Regularium recipiendorum taxatus augeri nequit ab eorum Superioribus 1027.

Nuncius Apoſtolicus nequit abſolvere ab excommunica-

Digitized by Google

pieatione ob violationem immunitatis eccleſiaſticæ 102. Nec diſpenſare, ut Nutrices hæbreorum Infantes chriſtianorum alant 606. Olim recipiebat procurationes ab omnibus Eccleſiis, ad quas mittebatur 400. 402.

Nuper Conſtitutio Innoc. XII. quoad juriſdictionem Epiſcopi in Conventibus Regularium 886.

Nuptiarum ſolemnitas in quibus diebus prohibita 159. Quam prohibitionem aſſerens eſſe tyrannicam, ipſo facto incurrit excommunicationem, non tamen reſervatam ibid. Nuptias diebus vetitis ſolemniter benedicentis, & earum benedictionem recipientis pœna 160. Quid veniat nomine nuptialis ſolemnitatis ibid. An ante benedictionem matrimonium conſummantes, peccent ibid. Vide Benedictio nuptiarum. NUPTIÆ SECUNDÆ, nullæ ſunt contractæ abſque vero nuncio mortis unius ex conjugibus, quantocumque annorum ſpatio fuerit abſens 538. De jure civili prohibetur viduæ tranſitus ad ſecunda vota intra annum, ſecus de jure Canonico, a quo ſublata eſt nedum pæna infamiæ, ſed etiam aliæ pænæ a jure civili inflictæ, juxta tamen probabiliorem 543. 544. 545. Sublatæ etiam hodie pænitentiæ imponi ſolitæ ſecundo nubentibus ibid. Non ſunt benedicendæ ſive mulier ſive vir ad eas tranſeat 544. Si vero alicubi conſuetudo vigeat, ut benedicantur, ſi mulier nunquam nupſerit, vir autem uxorem habuerit, ſervanda eſt. Viduæ tamen nuptiæ non benedicuntur, licet vir numquam uxorem duxerit ibid. Pæna parochi eas benedicentis olim erat ſuſpenſio ab officio, & beneficio, abſolvenda a ſolo Papa poſtquam publicata fuerat ab Ordinario ☞ hodie eſt arbitraria 544.

Nutrices chriſtianæ Hæbreorum infantes alentes puniri poſſunt ab Inquiſitoribus S. Officii, nec diſpenſari poſſunt ab Epiſcopo, & nuncio Apoſtolico, & excommunicari poſſunt 605. 611.

O

OBlatus a parentibus monaſterio, olim uxorem ducere nequibat, ſecus hodie 216.

Odoardus capituli privilegio non privatur Tonſuratus, & Minoriſta habitum Clericalem non deferens 940. Et an eo uti poſſit Clericus 302. 303.

Œconomus dandus parochiæ vacanti, vide Parochiæ vacanti.

Officii nomine venit officium habens juriſdictionem eccleſiaſticam 503.

Officium defunctorum privatim recitari poteſt veſpere antecedenti ſecundam diem Novemb., & quando etiam in choro 430. Excepto hoc die, an obliget choro addictum 436. 437. Officium Divinum, vide Horæ canonicæ. Officium B. Virginis quando obliget choro addictos 436. 437.

Oleo conſecrato in caſu neceſſitatis poteſt addi non conſecratum, ſed in minori quantitate 421. & ſeq. Olei conſecrati ſpecies tres, & quotannis renovari debet, veteri conbuſto 422. Oleum ſanctum, ideſt infirmorum, quotannis conſecrari veteri combuſto etiam tempore interdicti 422. Et debet recipi a Parochis conſecratum a proprio Epiſcopo, & ante Paſcha ibid. & ſeq. In ſolo caſu neceſſitatis inungi poteſt infirmus Oleo veteri, & qui ſit caſus 423.

Onera Miſſarum, vide Miſſarum onera. ☞ Onera miſſarum beneficio adnexa quo quis ad Ordines ſacros promovetur, an detrahenda ſint 873.

Onera eccleſiaſticis imponentium, eaque ſolventium pœnæ 460. ad tot. 462. Et afferuntur decreta circa eccleſiaſticorum immunitatem 463. & ſeq. Vide Immunitas realis.

Opera omnia facta ante juſtificationem non ſunt peccata, & contraria propoſitio proſcripta 822. Opera ſervilia quando exerceri poſſint diebus feſtis; & a qua hora dies feſtus incipiat, & ad quam terminet 156. 157. & 158.

Opinio probabilis ad Sacramenta adminiſtranda reprobatur 977.

Optio Eccleſiæ plures obtinentibus hodie prohibita 251. 257. Optio perſonarum non eſt apud Deum, & jure divino reprobata 272.

Oratoria privata quoad Miſſæ celebrationem quæ 905. & ſeq. Regularium Oratoria intra clauſtra, & eorum in domibus ruralibus, ac Granciis 905. & ſeq. Oratoria privati laicorum decretum 906. & ſeq. Quæ regula ſervanda pro celebratione in iiſdem 907. 908. In iis die Nativitatis Domini celebrari poſſunt tres Miſſæ 909. In iis nequit adminiſtrari Sacramentum Penitentiæ, & Euchariſtiæ ſine licentia Ordinarii 892. et 909. Oratorium privatum in Granciis Regularium in quibus degunt converſi pro agrorum cultura, poteſt viſitari ab Epiſcopo 403. In eo olim Miſſam celebrare poterant iidem Regulares, ſecus hodie ſine indulto Apoſtolico ibid. Et quid de privilegiatis ☞ Regularibus quoad hoc Oratorium 404. In Oratoriis privatis quando, & quomodo celebrari poſſit Miſſa, & a quibus eam audientibus ſatisfieri 720.

Ordinandorum examen jam habitum a proprio Epiſcopo an iterum fieri poſſit ab Epiſcopo alieno, ad quem miſſi ſunt a proprio 937. Fieri tamen debet ab Epiſcopo ordinante, ſi agatur de ordinandis a quocumque ex Indulto S. Apoſtolicæ ibid.

Ordinarii juriſdictioni quando ſubjiciuntur Regulares 1028. Ordinarius quoad Tonſuram, & Ordines ſuſcipiendos quis dicatur 873. ☞ Ipſius nomine venit etiam Prælatus vere nullius quoad diſpenſationem denunciationum matrimonialium 990.

Ordinati a ſchiſmaticis, vide Schiſmatici, & S. Pœnitentiaria Ordinatus a Papa, vide Ordines.

Ordinatio quoad Abbates 194. ☞ Ordinatio Infantium ☞ ad ſacros Ordines eſt valida, ſed illicita, & hi non tenentur ſervare caſtitatem, niſi adulta ætate, eam tacite, vel expreſſe ratam habeant 58. ☞ Facta præsbytero ſine impoſitione manus, eſt iteranda ſub conditione ad cauthelam 75. Item ſi porrecta ſit patena ſine hoſtia ibid. ☞ Olim uſque ad ſæculum IX. fiebat cum ſola impoſitione manuum in univerſa Eccleſia 75. ☞ In Ordinatione presbyteri, & Diaconi materia tangi debet phiſice, & non moraliter 76. Ordinatio facienda ab alieno Epiſcopo de commiſſione proprii quomodo executioni mandanda 268. Ordinatio generalis pro Ordinibus ſacris ubi facienda 948.

Ad Ordines promovendorum qualitates, & requiſita 963. Ad Ordines promoti ab Epiſcopo non proprio pæna 967. Item Epiſcopi non proprii ordinantis pæna ibid. Ordines ſacri ſuſcipi nequeunt ſine beneficio eccleſiaſtico ſufficienti ad victum promovendi, & pacifice poſſeſſo 871. Etiam quoad Clericos Regulares non profeſſos, & ſive ſeculares more Religioſorum in commune viventium ibid. Qui ad eos promoveri poſſit ad titulum Congregationis, & quoad titulum hoſpitalis ibid. Eos ſuſcipiendi privilegium extra tempora quomodo intelligendum 965. & ſeq. Ordines ſimoniace, ac etiam primam Tonſuram tam recipiens quam conferens quas pænas olim, & quas hodie incurrat 868. & ſeq. Ab his etiam occultis nequit abſolvere Epiſcopus in vim cap. VI. ſeſs. XXIV. ibid. & ſeq. Major tamen Pænitentiarius poteſt

in

in foro conſcientiæ dumtaxat 869. Quid ex Taxa Innocentiana prohibeatur Epiſcopo recipere in collatione Ordinum, & prima Tonſura, & quid permittatur notario pro expeditione dimiſſoriarum ibid. 870. Ex notarii commodo nil poteſt Epiſcopus percipere, neque cancellariam locare ibidem An dicta Taxa extendatur ad loca extra Italiam ibid. Pœnæ inflictæ contra ſimoniace Ordinantes, & Ordinatos non incurruntur, niſi intercеſſerit ſimonia realis, utrimque completa 870. Mediator ſimoniæ in Ordine nullam incurrit ſuſpenſionem ibid. Præſentator ad Ordines ex officio aliquid recipiens, & literas dimiſſorias concedens incurrit ſuſpenſionem ad triennium ab executione Ordinum ſuorum 870. An incurrantur prædictæ pœnæ a notario, ſi excedat dictam Taxam ibid. Non incurruntur tamen recipiendo aliquid ſponte oblatum, poſt ordinationem tamen ibid. Simoniace Ordinati abſolvi, & diſpenſari tantum poſſunt ab Epiſcopo, ſi ipſis ignorantibus, ſimonia intervenerit, dummodo Epiſcopus complex non fuerit ibid. Ordines recipiens extra tempora eſt ſuſpenſus, & illos exercens fit irregularis; quæ tamen ſuſpenſio non eſt reſervata, & peracta pœnitentia, poteſt diſpenſari ab Epiſcopo, ut in ſuſceptis miniſtret 51. 52. 56. ☞ Ordinem ſuperiorem ſuſcipiens, non obtenta abſolutione a ſuſpenſione incurſa ob Ordinem ſuſceptum extra tempora, an fiat irregularis 52. Ordinum minorum, & Subdiaconatus collatio ſimul, & eodem die improbatur 57. Ordinem Diaconatus conferens ante legitimam ætatem, incurrit ſuſpenſionem non reſervatam 58. Et illum recipiens eſt ſuſpenſus ibid. Ordinem recipiens a Papa non poteſt promoveri ad alios ſine ejus licentia 57. ☞ Et ſi ſit ſuſpendendus, debet remitti ab Epiſcopo proceſſus ad ipſum Papam 124. Ordines quoad Neophitos, vide Neophitus. Ordines ſcienter conferens illiterato incurrit pœnam ſuſpenſionis, ferendæ ſententiæ per annum a collatione Ordinis 73. & ſeq. Ordinem recipiens illiteratus incurrit ſuſpenſionem ab exercitio Ordinis ad tempus beneviſum Epiſcopo ibid. Ordines conferri nequeunt ſine diſpenſatione ad cautelam ab irregularitate ei, qui exercuit artem medicinæ 67. Ordines conferens non ſubdito, incurrit ſuſpenſionem a collatione Ordinis per annum, non vero a celebratione Miſſæ, ut olim 61. Conferri nequeunt ſubdito Epiſcopi ſuſpenſi a viciniori Epiſcopo abſque providentia S. Sedis ibid. Ordines conferens non ſubdito ſine dimiſſoriis proprii Ordinarii, eſt ſuſpenſus a collatione Ordinis male collati non vero minoris ibid. Ordines olim conferri poterant ab Epiſcopo, ſive domicilii, ſive beneficii, ſive originis, & quid hodie ex Conſtit. Innoc. XII. 62. Ordines conferens Ultramontano abſque licentia ſui Epiſcopi incurrit ſuſpenſionem reſervatam, a qua abſolvi poteſt a Majori Penitentiario 60. Ordo Presbyteratus conferendus eſt Diacono poſtquam per integrum annum ſe in hoc exercuerit, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ſeu neceſſitatem aliter Epiſcopo videatur 70. Ordines ſacri conferri nequeunt ſine titulo, & quotuplex hic ſit, & pœnæ ordinantis, & ordinati ſine illo 250. Et quando, & quouſque ordinans alere teneatur ordinatum 268. Et quid ſi collati fuerint ab alio Epiſcopo de commiſſione proprii ibid. Ordines conferendi ſunt a proprio Epiſcopo, & cauſa excuſans ut per alium conferantur 268. 937. Ad Ordines aſcenſus prohiberi poteſt ab Epiſcopo ob delictum etiam occultum extrajudicialiter, ſicut & interdici Ordinum miniſterium abſque manifeſtatione cauſæ, quam tamen manifeſtare debet Sedi Apoſtolicæ in caſu recurſus 847. & 848. Nec datur appellatio ab ejus ſententia, ſed tantum recurſus ibidem. Hæc eadem poteſtas non competit Vicario generali: competit; tamen Prælatis Regularibus ibidem. Ordines ſubditis ſecularibus Abbatiarum a quo Epiſcopo conferendi 961. Et an hi collati ab Abbatibus ſint validi 960. Ordines familiaribus Epiſcopo quommodo conferri poſſint, vide Familiares Epiſcoporum. Ordines minores quibus conferri poſſint ab Abbatibus exemptis, & nullius diœceſis 959. Et vide Abbates exempti. Ordines ſacri collati extra tempora, vide Extra tempora. Ordines ſacri quibus qualitatibus præditis, & cum quo examine conferendi 943. & ſeq. Ordines conferendi ſunt ab Epiſcopo ſuis ſubditis per ſeipſum, & eo impedito, illos probatos, & examinatos ad alium mittere poteſt 937. An Ordines recipiens ab alieno Epiſcopo cum dimiſſoriis proprii jam ab hoc approbato, & examinato iterum examinari poſſit 937. Ordines minores conferri poſſunt poſt prandium, ſed expedit, ut mane conferantur 53. Et etiam non ſervatis interſtitiis ibid. Ordines ſubdiaconatus, & Diaconatus conferri poſſunt ſuis ſubditis Regularibus ab Abbatibus Generalibus Ciſtercienſibus ex privilegio 69. Quibus diebus feſtis conferri poſſint 964. Ordines etiam minores recipiens in apoſtaſia quam pœnam incurrat 638. Ordines ſuſcipiendi cum titulo patrimonii, vel penſionis, vide ad Titulum Patrimonii, & ad titulum penſionis. Ordines beneficiis adnexi ſuſcipi debent a beneficiatis intra annum, & pœna eos non ſuſcipientium 920. & ſeq. Et beneficia eorum vacent ipſo jure ibid. Ordines recipientium pœna cum patrimonio ficto 842. Ad Ordines promoti ab anteceſſoribus Epiſcopis, ſi illiterati ſint, ſuſpendendi ſunt ad tempus ab exercitio Ordinum, & denuo examinari poſſunt 850. Ordines & prima Tonſura collati ab Epiſcopo titulari, vide Titularis Epiſcopus. Ordines, & primam Tonſuram Epiſcopi Italiæ conferentes Ultramontanis ſine dimiſſoriis proprii Ordinarii, quam pœnam incurrant tam ipſi, quam ab eis ordinati 843. Si ordinati fuerint Itali, poſt ſententiam judicis fori privilegium amittunt 849. Plures eadem die non conferendi, vide Interſtitia. Ordinem furtive ſuſcipiens. Vide Furtive Ordinem. Ordini Sacerdotali actum adnexum exercens Diaconus, vide Diaconus. Ordines quoſcumque per ſaltum recipiens, vide Per Saltum. Ordines minores, vide Minores Ordines. Ordines ſacri, ubi conferendi ſint 938. Ordines ſuſcipiendi ſunt a proprio Epiſcopo, & quis is ſit 948. Vel ab alio de ejus licentia, & quid tunc ſervandum ſit ibid. Et vide Sub itus Epiſcopi. Regulares quando, & quomodo promoveri poſſint a quocumque Epiſcopo 951. & ſeq. ☞ Ordines collati ab Epiſcopo cum expreſſa declaratione, ſe non intendere ordinare furtive illos ſuſcipientes, ſunt invalidi 707. Vide Furtive Ordinem.

Ordines Mendicantium enumerantur 735. Eorumque exemptiones ibid.

Ordinis S. Dominici novitiæ. vide Novitiæ Ordinis S. Dominici.

Ordo Humiliatorum ſuppreſſus eſt a S. Pio V. 162.

Ordo Jeſuatorum extinctus eſt a Clem. IX. 735.

Ordo regularis nequit uniri alteri ſine beneplacito Apoſtolico 366.

Ordo Templariorum extinctus eſt a Clem. V. 162.

Orientales afficiuntur Conſtitutionibus Apoſtolicis Bullæ cenæ, & contra ſolicitantes in confeſſione 641. & 646.

Originis locus quoad illegittimos pro Ordinibus ſuſcipien-

ſcipiendis quis ſit 949. 950. Item qui Expoſitorum, Derelictorum, Libertorum, Manumiſſorum, & Libertinorum, ac Neophitorum 950.

P

PActum cum diabolo iniens ad maleficia, & ſortilegia facienda quas pœnas incurrat 691. Pactum cum Parocho circa ſepulturam olim valebat, ſecus hodie 132. 133. Pactum quotæ litis cuique prohibitum 218. Pactum redimendi in contractu venditionis quando licitum 294.

Pagani gaudent aſylo eccleſiaſtico 468. In II. vel III, vel ulteriori gradu matrimonio copulati poſt converſionem non debent ſeparari, cum Conſtitutionibus canonicis non ligentur 542.

Palatini Comites, vide Comites Palatini.

Pallium conceditur Epiſcopo Quinqueccleſien. 176.

Panis fermentatus nequit adhiberi a ſacerdotibus latinis in ſacrificio Miſſæ pro communicando infirmo per viaticum 441.

Papa ſuprema poteſtate pollet in Eccleſia univerſali, & contraria propoſitio proſcripta 844. Solus poteſt abſolvere a culpa, & pœna per conceſſionem Indulgentiæ plenariæ ibid. Eſt ſupra Concilium 351. ☞ Concilio derogare poteſt abſque illius ſpeciali mentione ibid. 1072. Papæ familiares offendentis pœna 739. Vide Familiares. Papæ electionem concernentia legenda in tractatu Stephani Camarda 32. Ejus electio olim ſpectabat ad Epiſcopos Cardinales, & Epiſcopos ſimul, & Clerum; hodie ad ſolos Cardinales 396. Circa ejus vitam, & mortem, ejuſque conſanguineorum divinationes, vide Divinationes.

Paramenta ſacra a quo benedici poſſint 423.

Parochia reſignata in manibus Epiſcopi non eſt conferenda etiam per concurſum ejus conſanguineis, affinibus, & familiaribus 258. ☞ Secus ſi vacet per obitum ibid. Parochiæ privatio quando, & quomodo fieri debeat 260. Parochiæ fructus integri cedere debent ejus Rectori ibid. Non eſt unienda Cathedralibus, etiam ob harum paupertatem 261. Neque alteri pio loco 292. Vide Unio Parochiarum. Parochia vacans, Sede papali vacante, vide Sede Papali vacante. Conferri nequit monaſteriis ſine conſenſu Papæ 282. & 292. Parochiarum inſtitutio cum limitum præfixione a quo tempore incepit 282. Parochia ſæcularis nequit in perpetuum, vel ad tempus conferri Regulari ſine diſpenſatione Apoſtolica, quæ concedi non ſolet, niſi inſtante Epiſcopo pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ, ob penuriam ſcilicet ſacerdotum ſæcularium 363. An exerceri poſſit a Regulari 386. Parochiæ Regularium Parochus a quo, & quando debeat inſtitui, & removeri ibid. Parochia juriſpatronatus quando conferenda ab Epiſcopo ob diſcordiam patronorum 387. Parochiæ diviſio, vide Diviſio Parochiæ. Parochiæ inſtitutio ſine conſenſu Epiſcopi eſt nulla 390. Et quid, ſi inſtituerit ad parochiam Juriſpatronatus, nondum jure præſentandi ad eum devoluto 390. Parochiæ vacanti Æconomus deputandus eſt ab Epiſcopo. Item ab habente omnimodam juriſdictionem epiſcopalem 105. & ſeq. Conferenda per concurſum 66. Parochiæ conferendæ ſunt dignis, & idoneis, qui per ſeipſos eas regant, in eiſque reſideant, & pœna has conferentium, illaſque recipientium 237. Parochiarum duarum retentio prohibita, & ſub qua pœna, ac quæ retineri poſſit, & quæ ipſo facto vacet 237. Parochiæ diviſio quomodo, & ex quibus cauſis, & ſumptibus facienda 458. Quomodo, & a quo providendum ob paupertatem parochiæ dividendæ, & Parochianorum pro ſuſtentatione novi Parochi, ſive Rectoris 458. ☞ An Epiſcopus poſſit hodie ob dictam paupertatem aſſignare partem proventus menſæ epiſcopalis ibid. & ſeq. Parochiæ ſæculari quomodo præfici poſſit Canonicus Regularis Lateranen. Vide Canonicus Regularis Lateranenſ. Præfici nequeunt Presbyteri Congregationis Miſſionis 367. Parochiæ privatio ob non reſidentiam quomodo fieri debeat 936. Et vide Privatio parochiæ. Parochialium Eccleſiis exemptis annexarum viſitatio circa quæ, quando, & quomodo facienda ab Epiſcopo 1039. & ſeq. Quæ eximantur ibid. Quas functiones in eis exercere poſſit, & quas res, & perſonas viſitare 1040. & ſeq. Parochiæ reſtauratio, vide Reſtauratio Parochialium. Ejus Eccleſia quando redigenda ſit ad uſum profanum, & qualem 881. Ejuſdem paupertati, quomodo provideri debeat ab Epiſcopo 878. ☞ Eadem non eſt penſionibus gravanda ex quocumque titulo, & quando ſine beneplacito Apoſtolico 260. 396. & 1014. Excepta media annata pro una vice 1016. Ipſius Domus reſtauratio, vide Domus parochialis.

Parochiales Eccleſiæ ſubjectæ Abbati quaſi epiſcopalem, & temporalem juriſdictionem habenti viſitari nequeunt ab Epiſcopo 887.

Parochiales functiones & jura enumerantur 455. & ſeq.

Parochiani quando cogendi ſint ad ſubminiſtranda alimenta Coadiutori Parochi 270. 237. Item ad reſtaurationem Eccleſiæ parochialis 881. Parochianum alienum, vel proprium, alibi electa ab hoc ſepultura, ſepelientis pœna 319.

Parochus inſtitui nequit, niſi in ætate XXV. annor. 65. Nec opus eſt, ut ſit in ſacris, & ſola tantum prima Tonſura ſit initiatus, quo caſu poſſet etiam aſſiſtere matrimonio, dummodo intra annum promoveatur ad presbyteratum 66. 548. ☞ Studiorum cauſa abeſſe nequit, etiam cum licentia Epiſcopi, ut olim, nec hæc concedi ſolet a Papa 35. Parochi examen faciendum eſt ab Examinatoribus electis in ſynodo 90. Parocho uti nequit Epiſcopus pro ſuo ſervitio 239. Et quando eum quoad [illegible] diſpenſari poſſit ſuper reſidentia ibid. Parochus proprius quoad validam matrimonii celebrationem quis ſit, & referuntur ii, quorum matrimonio aſſiſtere poteſt 548. & ſeq. Ac referuntur varii caſus, in quibus ratione illius præſentiæ matrimonium eſt validum vel nullum 545. 991. ad 994. ☞ Matrimonio aſſiſtere poteſt, licet non ſit adhuc ſacerdos, vel ſit ſuſpenſus, aut excommunicatus toleratus 66, & 548. & ſeq. Poteſt loco ſui deputare quemcumque ſacerdotem ☞, qui valide aſſiſteret etiam ſi deputatus eſſet a Parocho ad generalem Sacramentorum adminiſtrationem ibid. Parochus quoad Confeſſiones audiendas an iterum examinari poſſit, & ſuſpendi 975. Eas audire poteſt extra ſuam parochiam, intra tamen civitatem, ſeu oppidum, ubi ſita eſt parochia, non autem intra diœceſim 976. Suorum tamen parochianorum audire poteſt ubicumque, ibid. Dimiſſa parochia, eas nullibi audire poteſt ibid. Parochi imperiti, etiam Regulares, ab Epiſcopo prædeceſſore inſtituti, ſi conſtat ſucceſſori eſſe imperitos, poſſunt denuo examinari tam intra, quam extra viſitationem ab eodem Epiſcopo, ſi adſit vehemens ſuſpicio de eorum imperitia 879. 975. & ſeq. Negative autem, ſi non vigeat ſuſpicio ibid. Si aliquis reperiatur imperitus, etiam græci ritus, dandus eſt ei Coadjutor latinus, ſi deficiat græcus 879. Cum aſſignatione congruæ ex fructibus parochialibus, in quo caſu Parochus debet fide-

ſidere 879. Et ſi hi non ſufficiant ad ſuſtentationem utriuſque, Epiſcopus providere debet, data Parocho facultate non reſidendi, ibid. Si non attingat annum XXV. & intra annum non promoveatur ad presbyteratum, privatur ipſo jure parochia 26. & 36.265. Si autem eſt parochus Collegiatæ, privandus eſt per ſententiam 26, & 36. Ob quæ crimina eadem parochia ipſo facto privatus ſit, & per quem privari poſſit ibid. Non habet juriſdictionem ordinariam in foro externo, ſed interno, nec poteſt ferre excommunicationem 105. & 706. Tenetur diebus Dominicis, & diebus feſtis explicare populo myſteria Miſſæ, & prædicationem Verbi Dei facere, vel per ſe, vel per alios, in Eccleſiis etiam exemptis 816. & ſeq. Qualis debeat eſſe hæc prædicatio ibid. ☞ Ab ea ſe eximere nequit, vel quia contraria ſit conſuetudo, vel quia habeatur per annuales Concionatores, vel quia ſit exiguus parochianorum numerus ibid. Tenetur pueros inſtruere doctrina chriſtiana, ☞ & hora, qua eam docet, turbari nequit occaſione alicujus magnæ ſolemnitatis, quæ fieri contigat in alia Eccleſia, quæ intermittenda eſt, etiam ſi agatur in Eccleſiis Regularium ibid. & 817. ☞ Parochis non ut aliis confeſſariis reſtringi debet facultas abſolvendi a caſibus reſervatis 840. Quando poſſit abſolvere ſuos parochianos, qui paſchalem Communionem non receperunt 750. Quoad munia parochialia ea per ſe ipſum, non per ſubſtitutos ſubire debet, exceptis caſibus a Tridentino permiſſis, & qui ſint 259. & 935. Idem reſidentiam non faciens, quas pænas incurrat 932. Quando, & quomodo privari poſſit parochia, & afferuntur varia decreta, & cauſæ eum a reſidentia ultra bimeſtre excuſantes 246. & ſeq. Hæ cognoſcendæ ſunt ab Epiſcopo 933. 934. & ſeq. Nec ſine hujus licentia abeſſe poteſt per hebdomadam, excepto caſu neceſſitatis, quæ moram non patiatur, & tunc ſufficeret licentia Vicarii Foranei ibid. Abeſſe tamen poteſt per biduum ſine licentia 933. Non poteſt moram trahere tam diurno, quam nocturno tempore in civitate, ſive oppido, licet non longe diſtanti a parochia, ſubrogato etiam ſacerdote loco ſui 934. Tenetur etiam reſidere in domo parochiali, licet in ea non reſidens, non teneatur ad reſtitutionem fructuum ibid. Et ſi Eccleſia eam non habeat, in aliqua domo propinquiore ibid. Parochus amovibilis, tenetur ad applicationem Miſſæ pro populo, & ad reſidentiam ut perpetuus 925. & 934. Hæc reſidentia non ſatis eſt corporalis, ſed debet per ſe ipſum parochialia munera ſubire, & aliter faciens, graviter peccaret 935. Olim tenebatur ſecum retinere Clericum coadjutorem pro celebratione Miſſæ, & docendis pueris 215. Parochi percuſſor mittendus eſt ad limina Apoſtolorum pro abſolutione 758. Et vide S. Pœnitentiaria. Parocho leproſo, vel per ſe ſolum non ſufficienti ad exercendum animarum curam, quomodo ſubveniendum, vide Congrua. Parochus quoad Miſſæ applicationem pro populo, vide Miſſa pro populo. Idem quoad nuptias, vide Nuptiæ. Idem quoad Horas Canonicas, vide Horæ Canonicæ. Ejuſdem Vicarius, vide Vicarius parochi. Idem quoad profeſſionem fidei, vide Fidei profeſſio.

Parochus regularis in concernentibus animarum curam ſubjacet Epiſcopo 386. Et quomodo ab eo puniri poſſit. & removeri 1041.

☞ Parochus SS. Salvatoris in Unda quoad jura reſpectu Patrum Scholarum Piarum, vide Valetudinarium pauperum ſacerdotum.

Parrucca, vulgo dicta, Clericis interdicta, vide Comæ.

Participantes in delicto excommunicari nequeunt in genere 772. 775. 780.

Particulas & Hoſtias conſecratas auferentium pænæ 667. 704.

Parvi conventus, vide Conventus Regularium.

Parvuli quoad Baptiſmum. Vide Baptiſmi collatio parvulis.

Paſchale tempus intra quot dies concludatur 748. Vide Tempus paſchale.

Paſchalis Communio. Vide Communio paſchalis.

Paſchalis Queſnelli error circa ſatisfactionem pœnitentiæ ante abſolutionem damnatur 748. 811.

Patriarcha Hieroſolymitanus olim eligebatur a Canonicis Sancti Sepulchri, & erat eorum caput 280.

Patriarchalium quatuor ſedium tituli hodie conferuntur a ſolo Papa 717.

Patrimonii titulo quando Ordinandus 250. 258. Eo ficto, vel nullo Ordinati, & Ordinantis pænæ 585. & ſeq. Et quos afficiant ibid. & 849. Ad ejus titulum quando quis promoveri poſſit ad Ordines ſacros 874. Quæ regula ſervanda eſt ab Epiſcopo, etiam quando quis promoveatur ad titulum patrimonii cum Indulto Apoſtolico 875. Hoc conſtitui nequit in aliis quibuſcumque proventibus, niſi fundatum ſit in bonis certis, ſtabilibus, & fructiferis 875. & ſeq.

Patrini in Baptiſmo, & Confirmatione quot poſſint deſignari 525. 996. Cognationem contrahunt tantum deſignati 525. Verum contrarium ſentiunt DD. ſi non deſignati, vel a parentibus, vel a Parocho plures tangerent ibid. Epiſcopus non poteſt diſpenſare ſuper deſignatione plurium patrinorum ibid. Deſignandi ſunt a parentibus, prius ſciſcitandis a parocho, & in eorum defectu ab eodem parocho ibid. Non contrahit cognationem patrinus, ſi ſolo digito baptizandum tangat ibid. ☞ Patrinus deſignatus cognationem contrahit cum patre, & matre baptizati, ſi hunc recipit de manu ſacerdotis, vel obſtetricis, licet in actu baptiſmi illum non tangat 526. Non contrahitur, ſi patrinus deſignatus tangeret baptizatum, ſed abſque animo illum levandi, nec a tenente procuratorio nomine 526. 996. In Confirmatione non adhibendus eſt non confirmatus ☞ Et ſi adhibitus ſit, non contrahit cognationem juxta declarationem Cong. Concilii 524.

Patroni nolentes ſubire onus reparandi Eccleſias, amittunt Juſpatronatum 881. 1018. Et vide Reſtauratio, & Juriſpatronatus. Patroni diſcordantes in nominatione Parochi, quando jus amittant 387. Iidem præſumentes Parochum inſtituere, & amovere, neglecta Epiſcopi auctoritate, ac Eccleſiæ bona adminiſtrare & diſtribuere, quas pœnas incurrant 387. & ſeq. Item quas pœnas incurrat recipiens dictam Eccleſiam ſine conſenſu Epiſcopi ibid. Quando amittant juspatronatum, & cui devolvatur 389. Non poſſunt ſeipſos nominare, bene tamen filios, & nepotes, ſi ſint idonei 388. 395. Jure præſentandi ad Epiſcopum non devoluto, quid ſi Epiſcopus inſtituerit ad beneficium 490. Patronus eccleſiaſticus habet ſemeſtre tempus ad præſentandum ☞ licet jus præſentandi acquiſiverit donatione laici, cui conceſſum eſt quatrimeſtre tantum 392. Patronus laicus poſt præſentationem unius, hoc non refutato, poteſt ſucceſſive præſentare alterum æque idoneum & tunc Epiſcopus poterit præferre quem maluerit, ſecus de Patrono eccleſiaſtico 392. & ſeq. Una, & eadem vice ab utroque Patrono poſſunt plures præſentari 393. Patronus laicus præſentans indignum pro ea vice non excidit a jure præſentandi, ſecus eccleſiaſticus, ſi ſcienter præſentaverit ibidem

Præ-

Digitized by Google

præſentatis pluribus ad parochiam, hæc non eſt conferenda per concurſum, licet jus præſentandi ſit mixtum, ſed ſunt omnes examinandi ibid. Patronus eccleſiaſticis tenetur præſentare ad parochiam magis idoneum, & dignum inter approbatos ab Examinatoribus 393. Quando Epiſcopus teneatur de judicio illius inquirere ibid. Et quid cum appellatur a poſthabito ex præſentatis ibid. Qui honor debeatur Patrono 394. Redacto ad inopiam ſuccurrendum eſt pro alimentis de bonis Eccleſiæ a ſe fundatæ ibid. Item ejus filiis & ſucceſſoribus de familia 394. ☞ An ſuccurrendum ſit etiam perſonæ extraneæ, in quas jus tantum præſentandi, & non integra hæreditas tranſmiſſa eſt ibid. Patronus nequit præſentare ſeipſum, acceptare tamen poſt præſentationem factam ab aliis compatronis 395. ☞ Poteſt tamen præſentare ſeipſum juxta aliquos, ſi agatur de beneficio non habente prælationem ibid. Patronus parochiæ nullam fructuum partem ſibi retinere poteſt 260. Patronus occidens Rectorum ſuæ Eccleſiæ amittit Juſpatronatum uſque ad IV. gradum 737. Quæ tamen pœna non extenditur ad filios natos ante homicidium ibid.

Paupertati parochialium quommodo providendum ab Epiſcopo 878.

Paupertatis votum ſolemne (ac etiam ſimplex) frangitur a Regularibus ludo ☞ vulgo *Lotto*, vacantibus, etiam cum licentia ſuorum Superiorum juxta Conſtitutionem Clementis XII. confirmatam etiam a Clementis XIV. poſt hujus Operis editionem 369. 370. Idem votum quommodo diſpenſari poſſit a Papa 368. 369. Vide Peculium.

Peccans in legem fruſtra invocat auxilium legis 464.

Peccati conſuetudo. Vide Confeſſio. Peccata in Confeſſione oblita. Vide Confeſſio.

Peccatoribus publicis injungenda eſt publica pœnitentia, & a quo 744. 745.

Peccatum Originale. Vide Originale peccatum.

Peculium. ſeu retentio pecuniæ, & bonorum tam mobilium, quam immobilium ſub qua pœna interdicta Regulari etiam cum licentia Superiorum 363. 364. Et afferuntur varia decreta circa dictam retentionem, & uſum peculii ibid.

Pedagia nova cui imponere non liceat, & pœnæ 398.

Penſio non imponenda ſuper parochia 260. 398. Perpetua nequit imponi ſuper beneficiis, inconſulto Papa 398. Illius titulo quando Ordinandus 250. Ad ipſam obtinendam ætas, vide Ætas. Ac Ad titulum penſionis.

Percuſſio Clerici, ſi levis eſt, abſolvi poteſt ab Epiſcopo, ſecus a Papa, vel ab eodem Epiſcopo de ſpeciali ejus commiſſione 757. Facta a pueris ante pubertatem abſolvi poteſt ab Epiſcopo etiam poſt pubertatem 692. 779. Quando dicatur levis & mediocris 757. & ſeq. An ſit gravis, & enormis a quo judicandum 758. Quis poſſit ab ea abſolvere 758. An a Confeſſariis Regularium ibid. ☞ Pro abſolutione ab enormi olim percuſſor mittendus erat ad Sed. Apoſtolicam 758. & 760. Secus hodie, exceptis aliquibus caſibus 757. & 758. Quos vide Verbo S. Pœnitentiaria ☞ Religioſus percutiens ſuum confratrem, & etiam Clericum ſæcularem, aut Religioſum alterius Ordinis abſolvi poteſt a ſuis Prælatis etiam ab enormi 122. 218. 758. & 773. 774. Percuſſor Parochi proprii non abſolvitur, niſi poſt acceſſum ad limina Apoſtolorum 758. Percuſſor publicus Clerici nequit abſolvi ab Epiſcopo 235. & 757. Vitandus eſt 759. ☞ An mulieres, ac illi, qui non ſunt juris ſui, Clerici percuſſores hodie abſolvi poſſint ab Epiſcopo pro enormi, & publica percuſſione 760. Item percuſſionem mandantes ibid. Percuſſores occulti hodie abſolvi poſſunt ab Epiſcopo 761. Non opus eſt ut publicentur vitandi, ſi ſunt notorii 766. & ſeq. Si non ſunt notorii, non ſunt vitandi niſi poſt declarationem ibid. & ſeq. Item an vitandi, ſi tantum ſint diffamati 768. Abſoluti ab Epiſcopo ob percuſſionem enormem propter impedimentum accedendi ad Sed Apoſtolicam, hoc ceſſante, obtinere debent a Papa abſolutionem 767. 770. & 775. An abſolvi poſſint a Legato Apoſtolico ibid. & 102. Laicus percutiens Clericum vel monachum, ad juſſionem Abbatis excommunicatus eſt 769. Olim cauſa diſciplinæ percutiebantur monachi, & Converſi, ſed obſolevit ut inconveniens 770.

Percuſſor proprii Religioſi abſolvi poteſt a ſuis Prælatis 122. 218. 758. 773. 774.

Peregrinantes quoad appellationem. Vide Appellatio

Peregrinus Clericus hodie ordinari nequit ab Epiſcopo alieno 87. Peregrinus ſacerdus ignotus deſtitutus literis dimiſſorialibus, & teſtium depoſitione de illius ordinatione, an quando, & quomodo admittendus ad Miſſæ celebrationem 86. 87. Et quando non admittendus etiam a Regularibus ibid.

Permutatio beneficiorum hodie permiſſa eſt Epiſcopo & quibus conditionibus ſervatis 47. & 48. Et ſub qua pœna prohibita; & quid hodie poſt Conſtitut. S. Pii V. circa facultatem Epiſcopi quoad hanc 299.

Permutatio, ſeu commutatio rei unius Eccleſiæ cum re alterius Eccleſiæ, eſt alienatio interdicta 284. 298.

Perſonarum acceptio, vide Acceptio perſonarum.

Peſtis tempore Sacramenta adminiſtranda, vide Sacramentorum adminiſtratio. An ad ea miniſtranda teneatur Epiſcopus, & quando 927. An tunc confeſſio integra facienda ſit 926. Facienda eſt etiam reſidentia perſonalis 926.

Petri Lombardi doctrina circa Trinitatem reprobatur in Conc. Lateranen. IV. 2.

Piæ cauſæ favore diſpoſitio in extrema voluntate alteri manifeſtata valet 310.

Pignoris fructus conceſſi ſi creditori loco pecuniæ non numeratæ retineri nequeunt citra uſuram poſtquam ſortem æquant, vel excedunt 672.

S. Pii V. exemplum in dando veniam ſuo injuriatori 696.

Piſcatio diebus feſtis quando licita, & pro ea facienda, licentia danda eſt ſine ullo onere, ut olim 158. 159.

Pluralitas beneficiorum etiam juriſpatronatus olim permiſſa, hodie interdicta ſine Papæ diſpenſatione 9. & 12. 1019. Permiſſa eſt retentio alterius tantum, quando primum non eſt ſufficiens ad ſuſtentationem 12. Non eſt permiſſa retentio trium beneficiorum, licet juriſpatronatus, etiam de licentia Epiſcopi ibid. Collato ſecundo beneficio obtinenti primum ſufficiens, vacat primum, non ſecundum 13. Vacant etiam duo inſufficientia poſt collatum tertium ibid. Beneficiorum duorum curatorum, & non curatorum incompatibilium retentio abrogata eſt a Tridentino 32. 237. 238. Ea obtinens ad quid teneatur 110. Et quid facere poſſit Epiſcopus contra ea obtinentes ibid. Quæ dicantur incompatibilia 111. Retentio duorum beneficiorum curatorum diſpenſari non ſolet a Papa 82. Nec obtineri poſſunt, licet redditus ſint tenues 66.

Plus valet quod agitur, quam quod ſimulate concipitur 338.

Poculenta, & eſculenta quando liceat Judici recipere 219. Quæ & cujus quantitatis ac valoris, & in quibus caſibus admittantur 576. Vide Munera.

Digitized by Google

Pœna diverſa legis novæ tollit pœnam legis antiquæ 365. ☞ Pœnæ eccleſiaſticæ quando ſint latæ, & quando ferendæ ſententiæ 434.

Pœnitentia publica non eſt injungenda Clericis 85. Nequit imponi ab Abbate Epiſcopo inferiori 709. An injungi poſſit publicis peccatoribus a ſimplici Confeſſario, & Pœnitentiariis Epiſcoporum 745. Pro delictis publicis S. Pœnitentiaria interdum eam injungit ibid. Item in diſpenſatione matrimonii ob prævium inceſtum commiſſum 84. & ſeq. Ea infamatus licite promoveri nequit ad Ordines ibid. Proviſio beneficii ea infamato facta eſt valida, ☞ ſed caſſanda ibid. Pœnitentia falſi accuſatoris hodie obſolevit 554. Pœnitentiæ Sacramento recuperatur gratia per peccatum amiſſa 3. 4. Ejuſdem adminiſtratio, vide Sacramentorum adminiſtratio. Ipſius miniſtri juriſdictio non ſufficit probabilis 276. 277. Idem nequit adminiſtrari in Oratoriis privatis ſine licentia Epiſcopi 721. Et vide Confeſſio, Pœnitentiæ ſatisfactio impleri nequit per alium, & contraria propoſitio proſcripta 844. Et eſt omnino imponenda, & qualis imponi non debeat ibid. Nec eſt præmittenda abſolutioni, & damnatur error Paſchalis Queſnelli, ac aſſertur propoſitio proſcripta 748.

S. Pœnitentiaria ſolet remittere ad Sacr. Inquiſitionem Ordinatos a ſchiſmaticis, & quare 646. Præcipit acceſſum ad Urbem occiſori proprii parochi, quem poſtea remittit in forma Miſſi ad Ordinarium pro abſolutione 758. Item pro abortu occulto a præsbytero perpetrato ibid. Solet etiam committere abſolutionem excommunicati poſt mortem, ſi pœnitens deceſſit, ad effectum illum ſepeliendi in loco ſacro, & tunc in forma publica, & affertur Decretalis Innoc. III. 771. Eadem S. Pœnitentiaria quoad pœnitentiam publicam, vide Pœnitentia publica. ☞ Ejus literarum clauſulæ requiſitæ pro convalidatione matrimonii nulliter contracti expenduntur 549. & ſeq. Ad quem effectum committat publicam abſolutionem poſt mortem excommunicati, licet ſigna dederit pœnitentiæ 321. 771. 775.

Pœnitentiarius Canonicus excludi nequit a Synodo diœceſana 282. Inſtituendus eſt in omnibus cathedralibus, & quomodo, ac quibus qualitatibus præditus 1007. 1008. Ejus munus, & quæ præbenda ei aſſignanda 1008.

Pœnitentiarius Major concedere poteſt tranſitum ad aliud monaſterium ſtrictioris Ordinis monialibus ultra montes ex legitima cauſa 345. Et ita tranſlatæ debent iterum profiteri, ſi monaſterium ſit diverſi Ordinis ibid. Dos cui monaſterio tunc cedat, ibid. Quam facultatem habeat dandi licentiam Regularibus tranſeundi ad aliam Religionem 353. A quibus divinationibus abſolvere nequeat 692. Vide Major Pœnitentiarius.

Poligamia, ſeu Digamia olim ſolis Patriarchis permiſſa fuit, hodie ſecus, & contrarium ſentiens excommunicatus eſt 543.

Poligamorum pœna 988. Ac teſtium ſalſo eorum liberum ſtatum aſſerentium ibid.

Pollutio Eccleſiæ ex quot capitibus accidat 428. Hac polluta, quando polluatur Cœmeterium ibid. Quando polluatur per effuſionem humani ſeminis, & ſanguinis 428.

Pondera, & menſuras venditor adulterans 293.

Pontificalia exercere poteſt Epiſcopus in locis exemptis ſitis intra ſuam diœceſim, & procedere poteſt per cenſuras contra exemptos reluctantes 45. Eorum uſus quomodo, & quibus competat 722. Et referuntur decreta Cong. Rituum 723. & ſeq. Pontificalia quoad Ordinum collationem exerceri nequeunt in aliena diœceſi ſine expreſſa licentia Ordinarii loci, & ſub qua pœna tam Ordinantis, quam Ordinati 825. Pontificalium nomine quæ veniat ibid. In quo loco ab Epiſcopo poſſint exerceri ibid. Poteſt ea exercere in Eccleſiis Regularium etiam non parochialibus, & qua pœna Regulares renuentes ſint puniendi ibid. & 826. Non poſſunt exerceri ab Epiſcopo non habente Epiſcopatum in Eccleſia ſua juriſdictionali ſine licentia Epiſcopi intra cujus diœceſim eſt Eccleſia 827. Exerceri tamen poſſunt, ſi locus ſit in nulla diœceſi ibid. Exerceri nequeunt a Metropolitano etiam Legato a latere in diœceſibus ſuæ legationis, niſi in facultate legationis hoc habeat ibid. neque ab Epiſcopo extero in Eccleſia Monialium a juriſdictione Epiſcopi exemptarum, ſibique ex privilegio S. Sedis ſubjectarum ſine licentia Epiſcopi diœceſani ibid. Neque ab Epiſcopo viciniori in Abbatia nullius ſine licentia Abbatis ibid. Habens licentiam ea exercendi in aliena diœceſi, poteſt etiam in ea ſuis ſubditis Ordines conferre 827.

Portio canonica ex relictis Eccleſiæ per ultimam voluntatem olim debebatur Epiſcopo ex lege diœceſana, & quando debeatur hodie 315. De quibus non debeatur ibid. Qui ab ea exempti ſint ibid. Vide Quarta funeraria.

Portugalliæ nationis Judæorum deſcendentes an promoveri poſſint ad Ordines 951.

Poſſeſſor bonæ fidei præſcribit, ſi bona fides adfuerit, tam initio, quam in decurſu præſcriptionis 189. Poſſeſſor malæ fidei numquam præſcribit 189.

Poſtulatio in Judicio quomodo Clericis interdicta 472.

Potiones cum lacte in die Jejunii vetitæ ſunt 452.

Potus, aut cibus ſumptus ante mediam noctem, non præmiſſa dormitione, non impedit celebrationem Miſſæ 555.

Præbenda theologalis, vide Theologalis præbenda. Præbendarum, & dignitatum diviſio, vide Diviſio præbendarum. Præbendarum, & dignitatum reſignatio, vide Reſignatio præbendarum. Præbendarum fructus percipiendi in abſentia, vide Fructus præbendarum.

Præcedentia inter Eccleſiaſticos 128. 129. ☞ Inter Rectorem Collegii Eccleſiaſtici de Urbe, & inter Epiſcopos ibi degentes tanquam Convictores 130. Inter Ordines Regulares cui competat, & quid circa controverſias de ea ortas 1042. 1043.

Præceptorum Dei obſervatio non eſt impoſſibilis, & contrariæ propoſitiones proſcriptæ 821.

Prædicatio Verbi Dei quoad Epiſcopos 815. Quoad Parochos qualis debeat eſſe, vide Parochus quoad Verbi Dei prædicationem. Prædicatio interdicta eſt Regularibus etiam in propria Eccleſia ſine licentia Epiſcopi, & publice docentes aliquid Eccleſiæ catholicæ contrarium, puniri poſſunt ab Epiſcopo licet exempti 353.

Prædicatores quæſtuarii, Vide Quæſtuarii. Prædicatores etiam exempti tam ſæculares, quam Regulares præſumentes prædicare in alienis Eccleſiis ſine licentia Epiſcopi, puniri poſſunt per cenſuras 818. Regulares in Eccleſiis propriis poſſunt prædicare de licentia ſuorum Superiorum, debent tamen ſe Epiſcopo præſentare, & ab eo benedictionem recipere, licet petita, & non obtenta, ſecus autem, ſi Epiſcopus contradixerit, & contrafacientes puniri poſſunt 819. Epiſcopus autem ſine rationabili cauſa contradicere non debet, nec generatim id eis prohibere ibid. Quam benedictionem tenentur petere etiam prædicare volentes in Oratoriis ſui Ordinis, & ad crates monialium ſibi ſubjectarum ibid. Prædicantes in Eccleſiis examina-

Digitized by Google

minari poſſunt ab Epiſcopo licet nominati fuerint ab Univerſitatibus, & Magiſtratibus, & Epiſcopi anteceſſores examinare non conſueverint. Licentia autem prædicandi ſemel eis conceſſa ob rationabiles cauſas etiam occultas revocari poteſt ibid. Neque poſſunt prædicare in publicis viis, Epiſcopo contradicente ibid. Ex tacita tamen licentia ejuſdem poſſunt ſermonem habere in Sanctorum ſolemnitatibus in propriis Eccleſiis, & in parochialibus, ſi a parocho vice ſui deputantur ibid. Prædicantes in propriis Eccleſiis non tenentur accipere a Cancellario Epiſcopi literas patentes obtentæ benedictionis, tenentur autem ſi aliquas conciones habere debeant in Eccleſiis ſæcularibus ibid. Etiam prædicantes in propriis Eccleſiis prohiberi poſſunt, ne prædicent ea hora, in qua Epiſcopus per ſe ipſum prædicat, vel coram ſe prædicare faciat ex cauſa publica, vel judicet propter bonum publicum non expedire, ut prædicent ea hora, qua in alia Eccleſia habetur concio, ſicuti ſi ea hora impediatur parocho exercitium doctrinæ chriſtianæ 820. Deputatio & electio prædicatorum in propriis Regularium Eccleſiis etiam parochialibus ſpectat ad eorum Superiores, non ad Epiſcopum ibid. Religioſi Societatis Jeſu prædicare poſſunt etiam ſacris Ordinibus non initiati ibid. Per confirmationem privilegiorum Regularibus conceſſorum non derogatum eſt Decreto Tridenti, quin prædicatores Regulares, aliique exempti poniri poſſint ab Epiſcopo, ſi delinquerent in prædicatione ibid.

Prædicatorum, & Minorum Ordinum quæ privilegia revocata 326.

Prædiorum conductio interdicta eſt Regularibus, & quibuſcumque Clericis 329. 472. Eorum cultura, ſi propria ſint, eſt eis permiſſa ibid.

Præfatio SSmæ Trinitatis hodie recitari debet etiam omnibus diebus Dominicis 157.

Prælatus Epiſcopo inferior nequit diſpenſare ab Interſtitiis 964. ☞ Nequit exercere facultates conceſſas Epiſcopo a Greg. XV. in Conſt. *Inſcrutabili* 1040. Ejus parochiæ nequeunt viſitari ab Epiſcopo 1041. Prælatus regularis poteſt prohibere ſuis ſubditis aſcenſum ad Ordines, & exercitium ſuſceptorum ex informata conſcientia 848. ☞ Idem nequit eos diſpenſare a pœnis incurſis ob homicidium voluntarium, niſi ejus Ordo gaudeat in recto hujuſmodi privilegio 862. & ſeq. Prælatus Epiſcopo inferior poteſt cognoſcere cauſas abſentiæ beneficiatorum 935. Vide Locus exemptus. Prælatus Regularis quoad cognitionem matrimonialium cauſarum, vide Matrimoniales cauſæ. Quoad Pontificalium uſum, vide Pontificalia. Quoad caſuum reſervationem, vide Caſuum reſervatio. ☞ Prælatus vero nullius venit nomine Ordinarii quoad diſpenſationem denunciationum matrimonialium 990. Prælatus regularis an teneatur ad profeſſionem fidei 1001.

Præſcriptio XXX. annorum olim valebat contra privilegia Eccleſiarum, nunc requiritur ſpatium XL. 188. & ſeq. & 715. Præſcriptio bonorum Eccleſiæ XXX. annorum ſufficit contra quemcumque privatum, non autem contra Eccleſiam 188. Contra jura vero Eccleſiæ Romanæ requiritur centenaria 190. An detur favore Abbatum contra jura epiſcopalia 192. Præſcriptio juris mittendi a Prælato Epiſcopo inferiore ſuos ſubditos ad quemcumque Epiſcopum pro Ordinibus ſuſcipiendis non admittitur 192. ☞ Et ſtatuitur modus, & caſus, quo hodie mitti poſſint 951. 952.

Præſtimonium ad Ordines ſuſcipiendos poteſt eſſe titulus 874.

Præſumptio criminis contra ſtudiis deditos non facile admittitur, ſed aliquando fallit 175. 176.

Prandia facienda a Canonico noviter recepto prohibentur, & an toleranda contraria conſuetudo 584.

Preces primariæ beneficiorum conceſſæ ſunt Imperatori 273.

Presbyter reus abortus. Vide Abortus.

Presbyteratus Ordo iterandus Presbytero deprehenſo non baptizato 445. Ad eum promovendi qualis ſcientia requiratur 967. 968. Eo non ſuſcepto, Miſſam celebrantis, & Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrantis pœnæ 702. 703. Quando ab eis eximatur ob ſpontaneam confeſſionem 704.

Presbytericidæ quæ olim pœna 745.

Presbyterium laici ingredientis pœna, ☞ & quando incurratur 214.

Primam Tonſuram ante debitam ætatem conferentis, & recipientis pœnæ 966. 967.

Primicerius, ſive Cantor, hodie amplius non ſubeſt Archidiacono 95. Primicerius, qui hodie eſt ſcholaſticus, debet eſſe ſaltem licentiatus in Theologia, & docere quæ Epiſcopo videbuntur, vel per ſe, vel per alium 92.

Principum nomine qui veniant 445.

Privatio beneficii reſidentiam requirentis quando fieri debeat ob contumaciam abſentium 241. In quibus caſibus ipſo facto incurratur 555, & 862. Privatio fructus, & beneficii poſſeſſi a beneficiatis, & Parochis quomodo facienda 227. 1067. Privatio parochiæ ob non reſidentiam quomodo fieri debeat 936. Illius privatio, ac aliorum beneficiorum ob quæ crimina ipſo facto incurratur 555. 556.

Privatio privilegii clericalis, vide Privilegii clericalis privatio.

Privatio vocis in Capitulo, vide Vocis privatio.

Privilegia, & conceſſiones præjudicialia S. Apoſtolicæ, & immunitati eccleſiaſticæ caſſata ſunt 281. Privilegia Eccleſiarum præſcribi poſſunt non poſt XXX annos, ut olim, ſed poſt XL. 715. Eorum renunciatio præſcribi poteſt poſt XXX, & quid requiratur ibid. Privilegia Ordinum Prædicatorum, & Minorum quæ revocata 326. Privilegia Regularium abrogata, quæ hodie, & contraria propoſitio proſcripta 730. ad 733. 1054. Privilegii Apoſtolici obſcurior interpretatio reſervata eſt S. Apoſtolicæ dumtaxat 972. ☞ Privilegii clericalis privatio hodie incurritur ab Ordinato in minoribus intra annum Sedis vacantis 962. 963. ☞ Privilegio clericali privati quando repeti poſſint ab Epiſcopo Tribunali laico 222. 223. Privilegio Canonis qui uti poſſint, & qui non, vide Canonis privilegio. Privilegio fori eo ipſo privatus eſt Clericus, dimiſſo habitu ſe enormitatibus immiſcens 646. 770. 939. Privilegium Altaris portatilis, vide Altaris portatilis. Privilegium Capituli Odoardus, vide Odoardus. Privilegium fori, vide Fori privilegium. Privilegium eugenianæ Conſtitutionis, vide Eugenianæ Conſtitutionis. Privilegium Oratorii privati, vide in Oratoriis privatis. Privilegium non reſidentium in Curia Romana 730. Privilegium ſuſcipiendi Ordines ſacros extra tempora quomodo intelligendum 965. Vide extra tempora.

Probatio impedimenti matrimonii, vide Impedimenti probatio.

Ad Proceſſiones quando teneantur Regulares accedere, & quibus pœnis compelli poſſint ab Epiſcopo 713. 1044. Qui eximantur ibid. Quæ dicantur publicæ ibid. An plures fieri poſſint eodem tempore ibid. Quando Regulares indigeant licentia Epiſcopi ad eas peragendas ibid. & ſeq. Proceſſiones in ſolemnitate Corporis Chriſti fieri poſſunt ab omni-

Digitized by Google

omnibus Eccleſiis quocumque die infra ejus octavam, & derogatum eſt Conſtitutioni S. Pii V. editæ favore FF. Prædicatorum ibid. & 832.

Proceſſus criminales in cauſa ſanguinis ſcribens, vide Criminales proceſſus. Proceſſus nullitas in cauſis eccleſiaſticis attendenda eſt dumtaxat ob defectum ceſſationis juriſdictionis, aut mandati 1024.

Proclamationes Matrimoniales, vide Matrimoniales denunciationes.

Procuratio debita Epiſcopo viſitanti 395. 707. & 709. Quando debeatur eidem viſitanti moniales 374. Unica debetur pluries viſitanti intra annum 401. 1004. In ea exigenda attendenda eſt conſuetudo vicinarum provinciarum, non jus commune ibid. Non debetur pro viſitatione cujuſcunque privati Oratorii 403. Nec pro viſitatione Regularium 407, & ſeq. Danda a viſitatis in pecunia quando permiſſa 410. & ſeq. Et una tantum ſolvenda, licet plura loca viſitentur 411. Danda Legatis, & Nunciis Apoſtolicis in deſuetudinem abiit 471. Vide Viſitatio.

Procurator ſæcularis pro cauſis forenſibus conſtituendus eſt Regularibus, licet hodie per ſe ipſos id munus præſtari poſſit 135, & ſeq. Procurator in cauſis contentioſis jurare debet in animam ſuam 154. Procuratoris munus favore laicorum Clericis interdictum 472.

☞ Profeſſio religioſa legitime emiſſa facit verum Religioſum, non habitus receptio 129. Cum habitus non faciat monachum 857. Neque tacite, neque expreſſa induci poteſt ante annum XVI. non expletum. ☞ Inducitur tamen tacita, ſi præceſſerit annus probationes cum ſuſceptione habitus per annum, computandum a XVI. completo uſque ad XVII. completum 39. 307. 338. 340. 351. Illius nullitatem ob metum factæ objiciens non auditur niſi intra quinquennium 136. Æquiparatur morti naturali 343. Facta non expleto anno integro noviciatus eſt nulla 340. & ſeq. Eſt tamen valida facta expleto anno, licet novitius a novitiatu exierit ob infirmitatem, & poſtea redierit 344. Eſt etiam valida facta a Converſis, non expleto anno ibid. & 514. & ſeq. ac 1049. ☞ Facta a mulieribus novitiis Ordinis S.Dominici in articulo mortis non expleto anno quid operetur 1049. Vide Annus novitiatus. Item facta in locis non deſtinatis pro novitiatu 347. Diſſolvit matrimonium ratum 354. Quæ vota facta ante extinguat 356. & ſeq. ☞ Facta ab Alumnis de Propaganda fide ſine conſenſu Apoſtolico eſt nulla 357. Profeſſio non inducitur per ſolam habitus ſceptionem, ut olim 338. 340. Facta abſque animo profitendi, in foro fori eſt valida 338. Non eſt valida facta ante annum XVI. completum ☞ computandum de momento in momentum 335. 340. 351. ☞ Et quid in anno biſextili ibid. Emiſſa per vim quando ſit invalida 335. Facta ſine habitus ſuſceptione a degente in novitiatu an ſit invalida 351. Et quid de novitiis Societatis Jeſu ibid. Non dicitur valida per emiſſionem voti caſtitatis, nec per ſolam habitus ſuſceptionem 516. Ut valida ſit quæ hodie requirantur 514. Poſt integram probationem in qua ætate facienda & a Clericis, & a Converſis, & quando ſit nulla 1048. & ſeq. Ad eam emittendam cogentium pœnæ 335. & 1050. Illius nullitas hodie quomodo probanda 1051. Vide Nullitas profeſſionis.

Profeſſus poſt annum novitiatus facti in locis non deſtinatis pro novitiatu nequit ſine licentia S.Congregationis a Religione diſcedere, neque ejici 347. Et pœna diſcedendis, & ejicientis ibid.

Promiſſio beneficii adhuc non vacantis tam in genere, quam in ſpecie prohibetur 273. 275. Et an quælibet promiſſio ſit prohibita 276.

Promovendi digniores ad Eccleſias, vide Digniores.

Propagandæ fidei Congregationis Alumni nulliter emittunt profeſſionem religioſam ſine diſpenſatione Apoſtolica 357.

Propoſitiones Paſchalis Queſnelli circa lectionem S. Scripturæ proſcriptæ 811. Propoſitiones proſcriptæ hæreſim continentes, vel de hæreſi ſuſpectæ 628.

Propoſitum ingrediendi Religionem an, & quando æquiparetur voto ſimplici 346. 348. 350.

Proprietarius religioſus quas pœnas incurrat 363. 365. Ejus pecunia poſt mortem inventa in quid eroganda 368. Eſt excommunicandus, & privatur ipſo facto ſepultura eccleſiaſtica 751.

☞ Protectores Ordin. Regularium nequeunt ſupplere vota abſentium in electionibus eorumdem 1032.

Prothonotarii Apoſtolici participantes quot hodie; eorum habitus: in quibus eximantur a juriſdictione Ordinarii 1010. Et quid de non participantibus ibid. Eorum privilegium 539.

Provincialia Concilia, vide Concilia provincialia.

Pſalmi Penitentiales, & Graduales an choro addicti recitare teneantur 436.

Pubertatis annus in mare eſt XIV. completus; in fœmina XII. pariter completus 498.

Publicæ honeſtatis impedimentum quando contrahatur 996.

Pueri notorii percuſſores Clerici ante pubertatem abſolvi poſſunt ab Epiſcopo etiam poſt pubertatem 779. Puerorum delicta non ſunt immunia a pœnis ſpiritualibus, ſi ſint doli capaces 692. Sed mitius quam in cæteris punienda ibid. An abſolvi poſſint ab Epiſcopo ob Clerici percuſſionem ibidem.

Puerperarum benedictio poſt partum, vide Benedictio puerperarum, & Purificatio.

Punitio ſubditorum quomodo facienda ab Epiſcopo & quando de conſilio Capituli 558.

Punitur quis in eo, in quo deliquit, & fruſtra auxilium legis invocat, qui committit in legem 464.

Porgatio canonica hodie obſolevit 229. 555. 561. 647. 656. 733. Purgatio vulgaris in quo ſtra, & ſub quibus pœnis olim prohibita 661. Purgatio moræ, vide Moræ purgatio.

Purificatio poſt partum adhuc hodie viget, & quæ regula ſervanda a puerperis, & a quo benedicendæ ☞ nec ſunt cogendæ ad recipiendam benedictionem a Parocho 454.

Q

Quæſtores eleemoſynarum cum publicatione Indulgentiarum reprobantur 754. & 837. Non vero Quæſtores Regularium, & Piorum locorum ibid. Si monaſteria exiſtant intra diœceſim, illorum Quæſtores prohiberi nequeunt ab Epiſcopo, & prohibentes quam pœnam incurrant ibid. Neque Quæſtuantes per ſe ipſos intra diœceſim tenentur petere licentiam ab Ordinario 888. Neque tenentur ei oſtendere licentiam ſuorum Superiorum ibid. Tenentur autem Quæſtuantes extra loca, in quibus non eſt ſitum eorum monaſterium; imo tenentur ab eodem Ordinario conſenſum obtinere ibid. In quibus caſibus Ordinarius poſſit eis interdicere quæſtuationem ibid. Quæſtoribus Confraternitatum quando impediri nequeat quæſtuatio. Quæſtores Confraternitatis Confalonis de Urbe quæſtuare poſſunt in toto ſtatu eccleſiaſtico pro redemptione Chriſtianorum 883. Quæſtuatio pro ſubſidio terræ Sanctæ quibus indulta, & quo-

Digitized by Google

& quoties in anno commendari debet a Concionatoribus etiam in publicis actionibus 889. Regulæ ſervandæ a quibuſcumque Quæſtoribus ibid.

Quarta funeraria præſcribitur poſt lapſum XL. annorum 318. Ejus quantitas deſumenda eſt a locorum conſuetudine 317. 318. Quando dividenda inter duas parochias 323. Cui Parocho integra debeatur pro funere defuncti habentis duos ingreſſus in ejus domum ibid. Quibus ſolvenda etiam a Regularibus, & revocata ſunt privilegia eximentia ab ejus ſolutione 1064. 1065. De quibus rebus ſolvenda ibid. Qui eximantur ab ejus ſolutione 1066. Ad quem ſpectet probare exemptionem ibid.

Queſnelli error. Vide Paſchalis Queſnelli. Ejus propoſitiones proſcriptæ 811.

Quotæ litis pactum cuique prohibitum 218.

R

RAptor quarumcumque mulierum excommunicationem incurrit, licet non rapuerit ad effectum contrahendi matrimonium 999.

Raptores, & depredatores excommunicandi, & non ſatisfacientes privantur eccleſiaſtica ſepultura 666.

Raptus puellæ olim non inducebat impedimentum dirimens matrim. quandiu in poteſtate raptoris fuerit, ſi poſtea ipſa conſenſerit, ſecus hodie, & qua pœna puniendus 668. Raptus puellæ conſentientis invitis parentibus non eſt rigoroſe raptus, nec puniendus pœna raptus, nec ☞ inducit impedimentum dirimens ibid. ☞ Et conciliatur contraria ſententia D. Thomæ ibid. ☞ Non eſt raptus, ſi rapiatur mulier ad effectum explendæ libidinis, non ad contrahendum matrimonium ibidem & 669. ☞ Bona rapientis mulierem ad effectum contrahendi matrimonium quando tranſeant in dominium raptæ 669. An raptus mulieris etiam inhoneſtæ ad dictum finem ☞ puniendus ſit pœnis a Trid. inflictis, & refellitur opinio Farinacci ibid. Raptus quando inducat impedimentum Matrimonii 999. Non inducit, ſi rapta ſit conſentiens, & ſollicitans ad illum ibid.

Reconciliatio Eccleſiæ tam conſecratæ, quam ſimpliciter benedictæ quomodo, & qua aqua, & a quo facienda 426. & ſeq. Et quam cito fieri debet 427. Hac reconciliata, quando ſit reconciliatum cæmeterium 428. In ea non reconciliata celebrans an fiat irregularis, & quas pœnas incurrat 429. Per ſolam celebrationem Miſſæ an intelligatur reconciliata ibid. ☞ Reconcilianda eſt ob adulterium in eo commiſſum etiam ad dictum unius 666.

Rectores beneficiorum cum onere adiuvandi Parochum tenentur ad reſidentiam 94.

Recurſus a ſententia Epiſcopi 848.

Reductio Miſſarum, vide Miſſarum onera.

Regreſſus ad beneficia, vide Beneficiorum acceſſus.

Regula X. Indicis interdicit librorum impreſſionem, & venditionem ſine licentia Superiorum tam Romæ, quam extrà, ſub quibus pœnis, ac quomodo concedenda 813.

Regulares exempti quando, & in quibus caſibus conveniri poſſint coram Ordinario 721. Iidem quoad tranſitum ad laxiorem Religionem, vide Tranſitus. Et quoad decimas, vide Decimæ. Iidem quoad Ordines recipiendos a quocumque Antiſtite 951. & ſeq. Iidem quoad eos recipiendos extra tempora, vide *Extra tempora*. Iidem quoad ſuos familiares circa Sacramentorum adminiſtrationem, vide Familiares Regularium. Quoad Proceſſiones, vide Proceſſiones. Quoad conventus novos, vide Conventus novi. Quoad Viaticum, Extremam Unctionem, & ſepulturam ſuorum familiarium, vide Familiares Regularium. Quoad Communionem paſchalem, vide Communio paſchalis. Quoad caſuum reſervationem, vide Caſuum reſervatio. Eorum electio, vide Electio Regularium. Quando ſubjiciuntur juriſdictioni, & viſitationi Ordinarii 407. & ſeq. ac 1028. Et vide Viſitatio Regularium Epiſcopo ſubjectorum. Eorum confeſſionalia viſitari nequeunt ab Epiſcopo 975. Eorumdem conventus numquam ſuppreſſi, vide Conventus Regularium. Nequeunt admittere in ſuis Eccleſiis ſacerdotes ad celebrationem Miſſæ ſine literis commendatitiis ſuorum reſpective Superiorum 904. Eorum Oratoria quoad Miſſæ celebrationem 905. 906. Iiſdem providetur contra XXX. exceſſus Epiſcoporum 710. 711. Eorumdem numerus recipiendorum, vide Numerus Regularium. Eorum Granciæ, vide Granciæ Regularium. Eorum privilegia, vide Privilegia. Quæ privilegia ſint hodie abrogata 731. ad 733. Iidem quoad præcedentiam, vide Præcedentia. Quoad dies feſtos ab Epiſcopo indictos, vide Dies feſti. Quoad cenſuras ab Epiſcopo promulgatas, vide Cenſuras. Quoad delinquentes extra clauſtra, vide Regularis quoad delicta. Quoad delinquentes Religioſos Miſſionarios extra clauſtra, vide Delinquens Regularis. Quoad eorum cauſas forenſes, vide Procurator. Regulares cujuſcumque perſonæ obſequio, ſeu alteri cuicumque ſe ſubjicientes ſine licentia Superioris, & a conventibus recedentes, eoſque recipientes etiam prætextu recurrendi ad Superiores, qua pęna plectendi 1029. Romam venire tantum poſſunt cum licentia Generalis, ac etiam Provincialis, & Protectoris 1029. & ſeq. Miſſi ad Univerſitates ſtudiorum cauſa habitare debent in aliquo conventu ibid. Iidem quoad confeſſiones ſæcularium, vide Confeſſores ſæcularium; Quoad confeſſiones monialium, vide Confeſſarii monialium Regularibus ſubjectarum. Quoad Confeſſiones ſuorum confratrum non indigent approbatione Ordinarii, ſed Generalis, aut Provincialis 748. Iidem quoad acceſſum ad Moniales, & quoad allocutionem cum ipſis, vide Monialium monaſteria. Quoad prædicationem Verbi Dei, vide Prædicatio & Prædicatores. Quoad ludum vulgo *Lotto* 369. & ſeq. Vide Ludus. Quoad denunciationem hæreticorum 623. 624. ☞ Poſt denunciationem ab eis factam per quinquennium puniri nequibant pro eorum exceſſibus ab eorum Superioribus, niſi conſultis Inquiſitoribus, & quid hodie circa praxim 626. Vide Denunciatio Regularium, Suſpendi poſſunt ab Epiſcopo ab audiendis confeſſionibus ex informata conſcientia, licet a ſe cum nulla temporis limitatione approbati ob ſupervenientem cauſam confeſſionem concernentem 847. 848. Eorum Superiores quando poſſunt ſubditorum confeſſiones audire 840. ☞ Nec unquam uti poſſunt contra eos notitia in confeſſione habita 841. ☞ Itinerantes de licentia ſui Generalis, vel Provincialis confiteri poſſunt cuicumque confeſſario, approbato tamen ab Ordinario loci, ubi reperiuntur, non vero approbato tantum Sauperiore alterius Ordinis 976. 1075. & ſeq. Iidem quoad Indulgentiarum publicationem, vide Indulgentiam. Quoad Baptiſmum, vide Baptiſmum, Quoad Extremam Unctionem, vide Unctio extrema. Quoad Viaticum, vide Viaticum. Quoad Ordines recipiendos quando, & quomodo mittendi ad Epiſcopum non diœceſanum 192. 951. 952. Regulares proprietarii, vide Proprietarius. Regulares ad Epiſcopatum promoti, qui teneantur retinere habitum

gum ſui Ordinis, & qui eximantur 41. 222. 223. Regulares utriuſque ſexus non accipiendi ultra vires monaſteriorum 272. Et vide Numerus Regularium. Regulares Prælati quoad diſpenſationem irregularitatis propter homicidium contractæ, vide Homicida. Eiſdem competit facultas interdicendi ſuis ſubditis aſcenſum ad Ordines, & miniſterium ſuſceptorum ex informata conſcientia ob delictum occultum 848. Eorumdem pæna ære alieno gravatos ad habitum admittentium 83. Regulares in quibus ſubduntur Epiſcopo, & in qoibus non 202. 114. ad 122. Iidem quoad retentionem impuberum in eorum monaſteriis educationis cauſa, vide Impuberes. Regulares rei alicujus delicti hodie transferri nequeunt ad monaſterium diverſi Ordinis 579. Intereſſentes taurorum agitationibus quam pænam incurrant 660. Quoad delicta extra clauſtra commiſſa quando puniri poſſint ab Ordinario loci, & quas pænas incurrat Superior eos non puniens, vel mittens ad alium locum impunitos 1045. & ſeq. An delinquens cum ſcandalo populi in ſua Eccleſia dicatur delinquere extra clauſtra, ita ut puniri poſſit ab Epiſcopo ob negligentiam Superioris 1047. ☞ Carceri mancipatus ob delicta, ab Epiſcopo remittendus eſt ſtatim ad ſuum Superiorem una cum proceſſu, etiam ipſo non petente ibidem. Regularium translatio de uno ad alium Ordinem etiam laxiorem quomodo, & quando fieri poſſit 863. & ſeq. Et ad quos Ordines transferri nequeunt 864. Moniales exiſtentes ultra montes transferri poſſunt cum cauſa a majori Pænitentiario ad alium Ordinem 37. & 866. Regularium parochiæ circa quæ, & quomodo viſitari poſſint ab Epiſcopo 1039. & ſeq. Et quæ eximantur ibi. Vide Parochiæ Eccleſiis exemptis annexæ. Eorum monaſteria etiam ob collapſam diſciplinam hodie a ſolo Papa reduci poſſunt ad ſtatum Clericorum ſæcularium 379. Regularis nequit admitti ad Prælaturas, etiam Collegiatæ 41. Olim poterat eligi in Epiſcopum ſæcularis Eccleſiæ, & quid hodie 41. Ut promoveri poſſit ad Epiſcopatum hodie non requiritur licentia ſui Superioris, ut olim 41, & 37. Ad quem etiam nominari, & poſtulari poteſt 41. Qua doctrina præditus eſſe debeat, & a quibus cognoſcenda 920. ☞ Ad eum promotus, & etiam ad Cardinalatum nequit quidquam ſecum aſportare ipſi ad uſum in Religione conceſſum, exceptis ſcriptis, & indumentis 41. Tenetur deferre indumenta lanea ex colore ipſius Ordinis proprio, ſi non eſt ex Clericis, & Canonicis Regularibus 41. & 920. ☞ Et tenetur ad obſervationem ſuæ regulæ, quæ non impediat munus Epiſcopatus, aut Cardinalatus ibid. Dimiſſo Epiſcopatu, aut expleto munere extra clauſtra, tenetur ad ea redire ſub pæna ſuſpenſionis a Divinis ibid. Nequit teſtari de bonis, etiam non intuitu Eccleſiæ acquiſitis 307. Et quidquid poſt conſecrationem aquirit, licet non intuitu Eccleſiæ, huic, non ſibi aquirit 716. An ipſius decedentis bona cedant Cameræ Apoſtolicæ ibid. Vide Epiſcopus Regularis. ☞ Si emiſerit votum de non procuranda, vel acceptanda dignitate extra ſuum Ordinem, diſpenſari debet a Papa, & non a proprio Superiore, quo obſtrictus remanet, licet translatus fuerit ad alium Ordinem, in quo tale votum non emittitur 37, & 866. ☞ *Eſt autem notandum, quod ibi ſermo eſt de voto, non de promiſſione quæ fieri ſolet in aliquo Ordine.*

Relationes cauſarum olim a judicibus faciendæ. Vide Judicum relationes.

Religio nova hodie inſtitui nequit ſine approbatione Sedis Apoſtolicæ 379. Ejuſque inſtitutio, & habitus quibus, & ſub qua pœna interdictus 380. Religionis ingreſſum proponens. Vide Propoſitum.

Religioſus efficitur per validam profeſſionem, non per receptionem habitus 129. Cum habitus non faciat monachum 857. Religioſus proprietarius. Vide Proprietarius Religioſus. Idem matrimonium contrahens, quas pœnas incurrat 231. 232. Ejus nomine veniunt etiam Converſi, & Novitii 760. Ejus nomine ☞ non venit ſemper Regularis 375. Nequit extra clauſtra ad longum tempus degere ſine licentia Sedis Apoſtol. nec deputari ad ſervitia Principum, Epiſcopi, & etiam Cardinalis 479. Religioſus incorrigibilis. Vide Incorrigibilis ☞ Confugiens tam ad ſuam, quam ad aliorum Eccleſiam, ac monaſterium gaudet aſylo 468. & ſeq. Idem extra clauſtra decedens quoad ſepulturam. Vide Sepulturæ electio a Religioſo. Religioſus fugitivus. Vide Fugitivus. Idem ejectus. Vide Ejectus Religioſus. Idem Expulſus. Vide Ejectus.

Reliquiæ Sanctorum quomodo cuſtodiendæ, a quo approbandæ, & publico cultui exponendæ 448. Reliquias e catacumbis extrahentium pœna 449. Reliquiarum ☞ Servorum Dei in extractione corporum eorumdem detractio prohibita eſt ſub pœna ſuſpenſionis, interdicti, & excommunicationis Papæ reſervata 449. ❡ Non aſſervandæ intra monaſterium Monialium, ſed in earum Eccleſiis, neque in domibus laicorum, ibid. Eas laici reverenter tangentes non peccant, ibid. Nequeunt deferri in proceſſionibus a Minoriſtis, ibidem. Eas furto abripientium, ac vendentium. & cauſa quæſtus exponentium pœnæ, ibid. Redimi tamen poſſunt pretio de manibus infidelium, & hæreticorum, ibid. Exponendæ ſunt in conſecratione Eccleſiæ, & an etiam in conſecratione Altaris, ſive petræ 417. Inſignes non retinendæ penes laicos, nec in privatis ædibus 421.

Renunciatio privilegiorum. Vide Privilegiorum renunciatio.

Renunciatio beneficiorum ante ſecutam profeſſionem regularem eſt nulla 46. 1050. Valida eſt facta intra duos menſes proximos profeſſioni cum licentia Ordinarii, effectum tamen habitura poſt ſecutam profeſſionem 46. Quæ licentia nequit præſumi, etiam cum obſervantia XXX. annorum ibid. Nequit admitti ab Epiſcopo ſine cauſis expreſſis a S. Pio V, nec ſi eſſent conferenda per concurſum 46. Vide Reſignatio beneficiorum.

Renunciatio bonorum facta a Novitio quando ſit valida, & quæ conditiones requirantur ad ejus validitatem 46. & 1049. Quæ donationes, & largitiones interdictæ, ibid. & 1050. Et quid de renunciatione in Ordine Societ. Jeſu, ibid.

Reorum confeſſio ſpontanea quando eis non ſuffragetur 166. 167. Reo non probante, actorem eſſe excommunicatum, hic audiendus eſt 187. Reos mortis damnans Judex eccleſiaſticus, quando non ſit irregularis 477. ☞ Eos accuſans Clericus quando non ſit irregularis 657. 658. Reorum ad Eccleſiam confugitorum extractio. Vid. Extractio.

Reparatio fabricæ Cathedralis ſpectat ad Epiſcopum 1017.

Repudium uxoris propter adulterium reprobatum eſt a Chriſto 543.

Rerum deperditarum, vel furto ſublatarum revelatio. Vide Monitorium.

☞ Reſcriptum obtentum ab una Congregatione, prius denegatum ab altera, eſt nullum, & pœna illud ſic obtinentis 137.

Reſervata, vel affecta beneficia Sedi Apoſtolicæ, quæ

Digitized by Google

quæ ſint 277. & ſeq. An uniri poſſint parochialibus 878.
Reſervationes mentales beneficiorum prohibitæ, & quando hæ habeantur 173.
Reſidentia coadjuti. Vide Beneficiatus quoad reſidentiam. Reſidentia Coadjutoris beneficiati. Vide Coadjutor Beneficiati quoad reſidentiam. Reſidentia Epiſcopi. Vide Epiſcopus quoad reſidentiam. Reſidentia Parochi. Vide Parochus quoad reſidentiam. Reſidentia Beneficiati. Vide Beneficiatus quoad reſidentiam. Reſidentia Cardinalium. Vide Cardinales quoad reſidentiam. Item Cardinalium Epiſcoporum, & ſex Cardinalium Epiſcoporum ſuburbicariorum. Vide Cardinales Epiſcopi, & Cardinales ſuburbicarii Reſidentia coadjutoris Parochorum. Vide Coadjutor Parochorum quoad reſidentiam, & Coadjutor perpetuus. Reſidentia tempore peſtis facienda eſt a Parocho 926. Reſidentia Rectoris beneficiorum cum onere adjuvandi Parochum. Vide Rectores beneficiorum. Reſidentiæ lege obſtrictus, etiam Cardinalis, quomodo, & quando privandus beneficii fructibus, ac ipſo beneficio 237. & ſeq. & 240. Per quod tempus quotannis abeſſe poſſit 237. & 240. Reſidentiam non faciens Canonicus quomodo privari poſſit fructibus Canonicatus 198. Eam non faciens Parochus quomodo privari poſſit parochia 260. Ad eam Parochus ſemper tenetur, etiamſi ei datus ſit Coadjutor ob imperitiam 879. Reſidentiam non faciens Epiſcopus, quas pœnas incurrat 928. ad tot 931. Infra quod tempus poſt ejus promotionem teneatur ſe conferre ad reſidentiam, & ſub qua pœna 929. Ex quibus cauſis excuſetur a reſidentia 929. & ſeq. Et a quibus cognoſci debeant, ibidem. Abeſſe poteſt per tres menſes, & quomodo hoc indultum intelligendum 929. An teneatur in foro conſcientiæ reſtituere integros fructus pro rata abſentiæ 931. An bona ipſius non reſidentis ſubjiciantur ſpolio Cameræ Apoſtolicæ 928.
Reſidentium in Curia Romana privilegium 730.
Reſignatio beneficiorum fieri debet cum publicatione, nec recipitur a Dataria conſenſus cum data anteriori, nec conceditur prorogatio ad dictam publicationem, etiam pro prima vice 47. Non acceptata a reſignatario, reſignans non amittit titulum, neque poſſeſſionem, ibid. Eſt nulla cum pacto caſſationis penſionis reſervatæ, ibid. Ac cum pacto omnium caſſationum penſionum obtentarum per anticipatas ſolutiones ibid. Et pœna ita reſignantis, & reſignatarii, ibid. Et pecunia ſoluta pro dicta caſſatione applicanda eſt locis piis, vel pauperibus 48. Beneficia reſignata in manibus Epiſcopi nequeunt conferri conſanguineis, vel familiaribus reſignantis, vel ipſius Epiſcopi, vel illi, pro quo facta eſt commutatio per preces, & alia ſigna, ut eſſet ſucceſſor reſignantis ibid. Reſignatio præbendarum, & dignitatum, & beneficiorum quando permiſſa 252. Quando juſto, vel injuſto metu extorta ſit reſcindibilis ibid. Beneficii reſignatio ad cujus titulum quis eſt ordinatus, quomodo fieri debeat 874. Reſignationem beneficiorum vi extorquentis pœna 743.
Reſtauratio Eccleſiæ, ſive parochialis, ſive non, cujus expenſis facienda 456. 459. Item reſtauratio parochialium Eccleſiarum liberæ collationis ex quibus fructibus fieri debeat 882. Et his deficientibus, qui teneantur contribuere ibid. Si adhibitis omnibus juris remediis reſtauratio fieri nequeat, redigendæ ſunt ad uſum profanum non ſordidum, & titulus transferendus eſt ad Eccleſiam Matricem, aut proximam 881. Quando compellendi ſint ad novam reſtaurationem Parochiani, ibid. Si ſint Juriſpatronatus, tenentur reſtaurare Patroni, ibid. Et nolentes, amittunt Juſpatronatum, & Eccleſiæ tranſeunt ad liberam collationem Epiſcopi, ibid. & 1018.

Revelatio impedimenti matrimonium dirimentis. Vide Impedimenti revelatio.
Revelatio rerum deperditarum, ſeu furto ſubtractarum. Vide Monitorium.
Ritus falſæ Religionis proteſtativi ſunt contra Fidem, & an liceat uti indifferentibus 629.
Ad Romanam Curiam acceſſum impedientis pœna 743.
Rutheni Sacerdotes uti poſſunt in celebratione Miſſæ altaribus, calicibus, & veſtibus ſacris, quibus utuntur Latini 894.

S

Sacerdos celebrans ſine dimiſſoriis, & ſine licentia Epiſcopi loci nullam pœnam incurrit 87. Sacerdotis concubinarii Miſſam quando liceat audire 229. & ſeq. Sacerdotis matrimonium contrahentis pœnæ 231. & ſeq. Sacerdos latinus prohibetur celebrare ſuper Græcorum altaria, ſi carent petra conſecrata 444. & ſeq. Et quando uti poſſit in Miſſæ celebratione Antimenſiis in Eccleſiis Ruthenorum 894. Sacerdos peregrinus ignotus nequit admitti ad celebrationem Miſſæ ſine dimiſſoriis etiam in Eccleſiis Regularium 87. & 904. Vide Peregrinus Sacerdos ignotus. Sacerdos tenetur ſub mortali ſaltem quater in anno Miſſam celebrare, & ad eam celebrandam cogi poteſt ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis 968. ☞ Et contraria opinio juſſu S. Pii V. deleta eſt ex libris Card. Caetani ibid. Olim tenebatur emittere confeſſionem coram Archipresbytero, ſecus hodie 92. ☞ Item non celebrans tempore paſchali, tenetur ad Communionem paſchalem recipiendam in propria parochia 749. Sacerdos ſimplex hodie nequit abſolvere extra articulum, vel periculum mortis, & nec a venialibus, aut mortalibus alias confeſſis 843. & 891. ☞ Sacerdoti diſcedenti a diœceſi non ſunt deneganda ab Epiſcopo litteræ commendatitiæ ſine juſta cauſa 87. Cæcutienti ſolet concedi facultas a Congr. Concilii celebrandi Miſſam votivam, & pro defunctis 84.
Ad Sacerdotium promovendus, quali ſcientia præditus eſſe debeat 967., & ſeq.
Sacramenta quæ, & quando miniſtrari poſſint a Sacerdotibus in hoſpitali deputatis, ejuſque familiaribus 385. Vide Hoſpitalia. Nequeunt adminiſtrari cum opinione probabili 977. Eorum ſimulatio. Vide Simulatio. Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ adminiſtrari debent a Parocho, etiam tempore peſtis, & cum periculo vitæ 926. An adminiſtranda per ſeipſum, aut per alios ibid. An tunc confeſſio peccatorum dimidiari poſſit ibid. Item tunc adminiſtranda ſunt Sacramenta Viatici, & Extremæ Unctionis, & quomodo utraque ibid.
Sacrificium Miſſæ peragendum eſt ſub ſpecie panis, & vini, & non ſub ſpecie panis tantum, etiam ex diſpenſatione, ☞ ut falſo diſpenſatum fuiſſe cum Sacerdotibus Norvergiis refert Volterranus ab Innocentio IV, & VIII. 440. Plus de vino, quam de aqua eſt adhibendum ibid. Et quid ſi aliquando plus de aqua immiſſum eſſet, & vinum ſit potens ibid. Panis in Eccleſia latina debet eſſe azimus etiam a celebrantibus, & degentibus inter Græcos in Oriente ſub pœna ſuſpenſionis a divinis 441. Sacrificio Miſſæ utentium ad ſortilegia pœnæ 691. Vide Miſſæ Sacrificium.

Digitized by Google

Sacriſta hodie amplius non ſubeſt Archidiacono, ut olim 93.

Sæcularia negocia Clericis prohibita numerantur 472. 473.

Sagittariorum ars, in quo olim ſita, & ſub qua pæna prohibita in bello injuſto, & inter catholicos, & catholicos 662.

SSmi Salvatoris Canonici. Vid. Canonici Regulares Lateranen.

Per ſaltum Ordines recipiens, & extra ſtatuta tempora, ac ante ætatem legitimam, nec ſine legitimis dimiſſoriis ex Bulla Pii II. ipſo facto ſuſpenſus eſt ab eorum executione, & ſi in iis miniſtraverit a ſolo Papa diſpenſandus eſt 705. Et quas pænas incurrat, ſi in eis non miniſtraverit 705. Ex Bulla Sixti V. diſpenſari nequibat ſab Epiſcopo, imo nec a majori Pænitentiario, etiam in foro conſcientiæ, & in caſu occulto, ſecus hodie ex Bulla Clem. VIII. ibid.

Sanctorum Cathacumbas. Vide Cathacumbas. Sanctorum reliquiæ. Vide Reliquiæ. Eorum cryptas. Vide Cryptas.

Pro Sancto neminem publice, venerari licet abſque approbatione Sedis Apoſtolicæ 448.

Sanguinia judicium, & vindicta ſub qua pæna Clericis interdicta 473. & 477. Vide Vindicta ſanguinis.

Satisfacio pro peccatis confeſſis. Vide Pænitentia.

Satyras edentes, retinentes, & publicantes. Vide Libelli famoſi.

Schiſmatici Epiſcopi rite ordinati valide conferunt Ordines 645. Ab ipſis ordinati olim erant ſuſpendendi, hodie ipſo facto ſuſpenſi ſunt ab executione Ordinum, a ſolo Papa diſpenſandi ibid. A S. Pænitentiaria remitti ſolent ad Sac. Inquiſitionem pro diſpenſatione ob præſumptionem, quod ſint infecti erroribus eorumdem 646. Vid. Ordinati a Schiſmaticia. Schiſmatici puri, ideſt nulli adhærentes hæreſi, olim quæſtio erat, an eſſent ipſo facto excommunicati, hodie ſunt ipſo facto ex Cap. I. Bullæ Cœnæ 646. Eorum fautores incurrunt excommunicationem non reſervatam ibid. Appellantes a decretis, & ſententiis Papæ, eorumque fautores ad futurum Concilium, & uſurpantes nomen Papæ, incurrunt excommunicationem eidem reſervatam ibid. Eorum pænæ ibid. Cum iiſdem communicatio in divinis an licita. Vide Communicatio catholicorum.

☞ Scholarum Piarum Religioſi deputati ad curam Valetudinarii pauperum Sacerdotum de Urbe non ſubſunt parochiæ quoad Sacramentorum adminiſtrationem tam pro ſe, quam pro presbyteris, ac familiaribus ibidem decedentibus 457. ☞ Et videnda eſt concordia inter dictos Religioſos, & parochum confirmata a Congr. Concilii poſt editionem præſentis Operis, quæ aſſervatur in Archivio dicti Valetudinarii. Earum magiſtri adſtringuntur ſpeciali voto ad inſtituendam juventutem cujuſcumque ordinis, & conditionis pietate, ☞ & *quibuſvis liberalibus diſciplinis, latinis, & græcis, & ſcientiis, etiam majoribus* 599. & 1028. & ſeq. ☞ Earum domus, & Collegia erigi poſſunt ſine conſenſu præexiſtentium Regularium, etiam non ſervata diſtantia 1028, & ſeq.

Scientia ad Presbyteratum promovendi qualis debeat eſſe 967. & ſeq.

Scriptura confecta ab Epiſcopo, vel Capitulo quomodo habeat vim inſtrumenti 171.

Scripturæ Sacræ lectio, ſi commode fieri poteſt, facienda eſt in quocumque monaſterio Manachorum 598. Eam interpretantea contra ſenſum S. Eccleſiæ, & unanimem conſenſum Patrum publicari, & puniri debent ab Ordinariis 809. Olim incurrebant excommunicationem Papæ reſervatam, & quibus hodie pænis puniri poſſint 810. Ipſius impreſſio cum adnotationibua ſine licentia Superiorum, in ſcriptis obtinenda, prohibita ibid. Sicut & impreſſio vulgari lingua, & ſub quibua pænia tam in Bibliopolas, quam in eam legentes 811. Propoſitiones proſcriptæ circa ipſius lectionem ibid. Cenſuræ Antonii de Panormo contra male ſentientes circa lectionem ejuſdem ibid., & ſeq. Illius verbis utentium ad ſcurrilia, ſuperſtitiones, & incantationes pænæ 814. Ejus lectio inſtituenda præcipitur 815. Hanc docentes, & addiſcentes gaudent privilegio percipiendi fructus præbendarum, & beneficiorum in abſentia ibid. Vide Antonii de Panormo circa lectionem S. Scripturæ.

Scrutinium faciendum pro promovendis ad Ordinea Sacros quale 62. & 942. & ſeq.

Secretum non manifeſtandi aliquid non obligat in præjudicium tertii, aut ſi agatur de damno publico 507.

Secretum S. Officii revelantes, & procurantes, ut illud reveletur, incurrunt ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatam 628.

Secundæ nuptiæ. Vid. Nuptiæ ſecundæ.

Sede epiſcopali vacante, beneficia vacantia olim reſervata erant futuro Epiſcopo, ſecus hodie 277. & 278. ☞ In quibus caſibus conferri poſſunt a Capitulo ibid. Ea vacante, Epiſcopi electio hodie privative ſpectat ad Papam, exceptis aliquibus Capitulis 709. & alibi pluries. Item ea vacante, deputandus eſt a Capitulo Œconomus pro adminiſtratione proventuum Eccleſiæ 1018. Intra octo dies poſt mortem Epiſcopi eligendus eſt Vicarius capitularis cum illimitata juriſdictione, & quibus qualitatibus hic debeat eſſe præditus ibid. Quæ jura huic competant, & quid circa ipſum facere nequeat Capitulum ibid. Dimiſſorias pro Ordinibus recipiendis intra annum non arctatis concedentis, & impetrantis pæna 961. , & ſeq. Quibus intra annum concedi poſſint 962. Vid. Capitulum, Sede vacante, & Vicarius capitularis. ☞ Ea durante, ordinatus in Minoribus non privatur privilegio clericali 962. , & ſeq.

Sede papali vacante, a quo conferenda parochia tam ante vacata, quam vacans, ea durante 263.

Sedes principalis ſuperiorum Regularium. Vide Superiorum Regularium.

Segetes quando colligi poſſint diebus feſtis 156.

Seminariorum erectio facienda, & quomodo 980., & ſeq. Et quid competat ejus Deputatis 983. & ſeq. Quomodo providendum ejus indigentiæ, & quomodo, & a quibus proventus adminiſtrandi 984. A quibus taxa pro ejus manutentione contribuenda ibid. & ſeq. & 987. Quæ eis beneficia uniri poſſint 985. & ſeq.

Seminariſtarum qualitates, & exercitium 982. & ſeq. ☞ Admitti nequeunt in Seminarium illegitimi, licet legitimati ad beneficia eccleſiaſtica ibid. Cantus ab illis ediſcendus ibid.

Senatoris electio hodie privative eſt penes Papam 36.

Sententia abſolutoria in favorem hæreticorum non tranſit in rem judicatam 626.

☞ Sententia excommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis quando ſit latæ, & quando ferendæ ſententiæ 434.

Sententia injuſta Delegati Papæ an demandanda ſit executioni a Judice ordinario 98. 1073. ☞ Et vindicatur injuria impicta S. Gregorio Magno id præcipienti cum dilucidatione illius Decretalis relata in cap. V. *Filius de teſtamen.* 1073.

Sententia ſanguinia quibus Clericis permiſſa 477.

☞ Sententiæ privationis vocis in capitulis pro electione

ne

ne Regularium non attendendæ, niſi per menſem ante electionem publicatæ fuerint 1035.

S. Sepulchri Canonici olim eligebant Patriarcham Hieroſolymitanum, & ſub ipſo, tamquam ſub proprio capite vivebant 280.

☞ Sepultura donari poſſunt a Regularibus eorum familiares, & pauperes in eorumdem Hoſpitalibus decedentes 728.

☞ Sepultura decedentium in Hoſpitalibus. Vid. Hoſpitalia, & Infirmi morientes. Sepultura eccleſiaſtica qui hodie priventur 425. 626. 726. & alibi. Neganda eſt hæreticis, licet non declaratis excommunicatis vitandis 626. ☞ Et quid, ſi abſque ſcandalo reſiſti nequit a Catholicis ibid. Sepulturæ dantes tempore interdicti, publice, & nominatim excommunicatos, nominatim pariter interdictos; & publicos uſurarios, quam pœnam incurrant 725. Ejus electio cui competat, & quando valeat, afferuntur varia decreta Cong. Conc. 317. Ejus electio facta a Religioſo extra clauſtra decedente, etiam electo, valet 324. Ubi ſepeliendus, ea non electa. & cujus expenſis ibid. Ejus cadaver, ſi commode transferri poſſit ad ſuum monaſterium ☞ transferendum eſt privatim, inconſulto parocho, ſecus ſi publice ibid. Ad ſepulturam parochialem, vel majorum deferendum eſt cadaver deceſſi ruri recreationis, vel negotii agendi cauſa, & alibi non electa 324. Vid. Cadavera defunctorum. Eligi poteſt in quacumque Eccleſia jus ſepeliendi habente, etiam relicto ſepulchro majorum 318. Uxor, ea non electa, ſepelienda eſt in ſepultura mariti, non vero e contra 319. ☞ Et ſi plures habuit maritos, ſepelienda eſt in ſepultura ultimi, ſi alibi non elegerit ibid. Pater eam eligere poteſt pro filiis minoribus, ubi eſt conſuetudo 319. Item pro impubere proxime morituro, non vero poſt mortem 320. Sicut & mater, ſi vigeat conſuetudo præſcripta ſpatio XL. annorum ibid. Sepultura infantium apud nutrices morientium. Vid. Infantes. Sepultura Educandarum. Vid. Educandæ. Sepultura famularum morientium in monaſterio monialium. Vid. Famulæ. Sepulturam ſibi eligere poteſt filius familias, etiam degens ſub patria poteſtate 319. Sepultura in Eccleſia aliena poteſt ſibi Epiſcopus eligere 305. Sepultura in Eccleſia a quo tempore dari cœperit laicis ibid. ☞ Sepulturæ privatio ob non impletum præceptum Communionis paſchalis quando, & quomodo executioni mandanda a parocho 751. Et ea privatus Religioſus proprietarius ibid. Sepulturæ dantis alienum parochianum, vel proprium ac alibi *ab eo electa, pœna* 319. Sepultura eccleſiaſtica danda eſt excommunicato etiam vitando, ſi dederit non incerta ſigna pœnitentiæ 321. ☞ Et abſolvendus eſt etiam poſt mortem, & in quem finem, & quomodo ibid. Et an abſolvendus ſit etiam non vitandus ibid. Quando deneganda publico uſurario 321. Deneganda eſt decedenti ex vulnere recepto in duello, etiam pœnitenti 322. Sepulturam dantis nominatim interdictis, & uſurariis manifeſtis, vel tempore interdicti pœna 322. Sepulturæ effodiendæ locus citra ſimoniam vendi nequit, locus vero honorabilior vendi poteſt 322. Sicut & Capella pro conſtruenda ſepultura, etiam ſine beneplacito Apoſtolico ibid. Ad ſepulturam eligendam in propriis Eccleſiis inducentes Clerici ſæculares, & regulares, & ad eam electam voto, juramento, vel pactu non immutandam quas pœnas incurrant 323. 744. ☞ Sæculares ad idem inducentes Romæ incurrunt excommunicationem reſervatam Urbis Vicario 323. Sepulturæ antiquæ nomine intelligenda eſt illa majorum 324. Vide errata corrige. Circa Sepulturam pactum. Vid. Pactum.

Sequeſtratio beneficii eſt facienda poſt appellationem a poſſeſſione interpoſitam 164. Sequeſtratio fructuum beneficiorum quomodo hodie fiat 165. Eorum ſequeſtrationem impedientis pœna ibid.

Servi olim erant irregulares 82. Confugientes ad Senatum Urbis liberi efficiuntur 83. Servi adſcriptitii adhuc vigent in Polonia, Pomerania, & qui ſint 82.

Servientibus Regularium. Vid. Familiaribus Regularium.

Servitia laicis præſtari nequeunt a Clericis 222. 915. 917.

☞ Servitio alternativo gaudentes choro addicti uti nequeunt indulto abeſſendi per tres menſes a Tridentino eis permiſſo 1013.

Servitus rigoroſa extincta eſt poſt annum 1240. 82. Inter Chriſtianos hodie non datur 299., & 316. 519. 520.

Servorum Fratrum B. Mariæ exemptiones 785.

Sigillum ſacramentale frangentis pœna quæ olim, & quæ hodie 751. Hæc fractio eſt contra legem naturalem, divinam, & eccleſiaſticam ibidem. ☞ Ejus cognitio quando ſpectat ad S. Officium, afferuntur propoſitiones proſcriptæ ibid.

Simonia eſt exigere paſtus ab Ordinatis, & contraria conſuetudo reprobatur 561. ☞ Quilibet catholicus, licet a civilibus legibus prohibitus, admittitur ad teſtificandum, & a faciendam accuſationem ſimoniæ 562. In quo caſu admittendus eſt Judæus, & hæreticus ibid. ☞ Olim ſimoniacos quoſcumque non revelans, non poterat abſolvi, donec revelaſſet, hodie ſecus ibid., & 590. Simoniacus Sacerdos etiam poſt pœnitentiam non poteſt celebrare ibid. Et olim licet tantum accuſatus, & inquiſitus fuiſſet, nemo poterat ipſius Miſſam audire, ſecus hodie 562. Simonia eſt quidquam exigere pro ingreſſu in Religionem, pro ſepultura, & adminiſtratione Sacramentorum, & qui caſus excipiantur 563. Item pro inſtitutione, inſtallatione, & miſſione in poſſeſſionem beneficii, & quæ pœnæ ibid. & ſeq. ac 581. Diffamato de ſimonia olim indicenda erat purgatio canonica, ſecus hodie 566. & 567. Ordinatus convinctus de ſimonia, ſive occulta, ſive manifeſta, eſt ſuſpenſus ab Ordine per decennium, ſine ſpe diſpenſationis ibid. Simoniacus in beneficio hodie ipſo facto privatus eſt illo ante ſententiam declaratoriam, nec facit fructus ſuos, & tenetur illud dimittere 567. Et cui, & quomodo fructus reſtituendi 574. Pœnæ rei ſimoniæ confidentialis ibid. & ſeq. ac 585. Privatur nedum beneficio per confidentiam obtento, ſed etiam aliis 556. Aſſignatur regula ad cognoſcendum in quo caſu confidentia committatur 569. & ſeq. ac 585. Item regula procedendi a Judice in cauſis ſimoniæ motis in Curia Romana 572. Pœnæ procurantis beneficium pro alio cum ſpe aliquod commodum conſequendi 573. Pœnæ ſimoniace Ordinantis, & Ordinati, etiam in Minoribus, ac beneficia, & dignitates obtinentium 590. ☞ An ſimonia ſit omittere pro pretio actum aliquem ſpiritualem, quem quis præſtare tenetur 574. & ſeq. ☞ Cui, & quando reſtituendum eſt ſimoniacæ acceptum 574. In ſimonia non datur parvitas materiæ 575. Permittuntur eſculenta, & poculenta, & qualia 576. Olim receptus in Religionem ſimoniace, & profeſſus in uno monaſterio, transferendus erat in aliud, & huic reſtituendum erat receptum a Superiore prioris monaſterii 576. Pœnæ pecuniam exigentium pro abſolutione a cenſuris 578. ☞ Simoniace proviſus de beneficio, ipſo ignorante,

rante, juvatur regula Cancellariæ de Triennali 579. ☞ Non eſt ſimonia dare aliquid temporale pro redimenda vexatione injuſta ſuper pacifica poſſeſſione beneficii ☞ excepto caſu, in quo aliquid detur pro obtinenda gratia, vel juſtitia apud S. Sedem 580. Non eſt ſimonia aliquid accipere pro ſepultura juxta laudabiles conſuetudines a Superiore taxatum 580. Nec pro benedictione nuptiarum, ſi ſponte offeratur ibid. Ordinantis, vel præſentantis ad Ordinem cum aliqua promiſſione pœnæ, & quando committat ſimoniam 584. ☞ Explicantur Decretales Innocentii III. *Per tuas*, *& Si quis de Simonia* ibid., & 585. & ſeq. Quæ hodie prohibita, & quæ permiſſa ſint in receptione ad habitum, & profeſſionem religioſam tam virorum, quam monialium 586. & ſeq. & 588. Simonia an detur in electione Abbatiſſæ 556. Vide Abbatiſſa. ☞ Simoniacus in Ordine, ipſo ignorante, diſpenſari poteſt ab Epiſcopo, ut in eo miniſtret, dummodo idem Epiſcopus non fuerit complex 578. Et an ſit ipſo jure ſuſpenſus ibid. Si autem ſimoniace ordinatus fuerit ſcienter, diſpenſari nequit ibid. Etiam occultus in vim Cap. VI. Seſſ. 24. Tridentini, neque ſuper inhabilitate occulta ad beneficia 590. Pœna Epiſcopi non corrigentis ſubditos ſimoniacos in adminiſtratione Sacramentorum 590. 871. Vid. Ordines ſimoniace.

Simulatio in foro fori non infringit ſimulate factum 338.

Simulatio Sacramentorum ſemper prohibita, & aſſertur propoſitio proſcripta 433.

Sixti V. Conſtitutio *Sanctum, & ſalutare* quoad Ordines conferendos, & ſuſcipiendos redacta eſt ad terminos juris communis a Clemen. VIII. exceptis pœnis quoad ſimoniace ordinatos 938.

Societatis Jeſu Religioſi quoad vota ſimplicia 261. Promoveri poſſunt ad Ordines ſacros licet dicta vota tantum emiſerint 871.

Societatis contractus cum aſſecuratione capitalia, & certa reſponſione an licitus 676. Vide Contractus trium Contractuum.

Sodomiæ reus tam laicus, quam Clericus quas pœnas incurrat 708. Si eſt publicus, & notorius eſt irregularis, ſi eſt occultus, Clericus non eſt ipſo jure ſuſpenſus, unde celebrans, non ſit irregularis ibid. Et ut privetur privilegiis clericalibus requiritur declaratio judicis 709. An incurrat pœnam, eam committens per unicum actum ibid.

☞ Solemnitas voti orta eſt ex *Sola inſtitutione Eccleſiæ* 361.

Solicitationis crimen in confeſſione contra ſextum præceptum, & pœna ſpectat ad S. Officium, & afferuntur Conſtitutiones pontificiæ de ea tractantes, ac explicantur clauſulæ in eis expreſſæ, & decreta decernentia, in quibus caſibus, & facti ſpeciebus facienda ſit, vel non denunciatio, & pœna eam non facientis 630, ad tot. 644. ☞ Eam faciens tempore elapſo ab Inquiſitoribus præſcripto quando abſolvi poſſit a ſimplici confeſſario 627. Inſtructiones circa denunciationes faciendas, ac recipiendas in ſolicitationis materia 642. & ſeq. ☞ De Solicitatione Confeſſarium falſo accuſans. Vide Calumniator.

Solidi nomine hodie venit unum ſcutum aurum 603.

Solutiones anticipatæ fructuum bonorum eccleſiaſticorum annullantur 1063.

Soror Eccleſia, quæ dicatur 77.

Sorores Moniales. Vide Moniales ſupranumerariæ.

Sortilegium, & maleficium committentis pœnæ 535. 687. 691. Pœnæ ſacerdotis Miſſæ ſacrificio ad illud utentis ibid.

Speculatores Conſtitutio Innocentii XII. vide Innocentii XII.

Spicas colligens poſt meſſem prohiberi nequit, & quando, ac pœnæ impedientium 671, & a quo plectendi ibid.

Spoliatorum bona emens ab hæreticis, ſeu infidelibus, vel mobilia, vel immobilia eccleſiaſtica ad quid teneatur 163.

Spoliorum Cameræ Apoſtolicæ Collectores in quibus eximuntur a juriſdictione Ordinarii 1010.

Spolio Cameræ Apoſtolicæ ſubjiciuntur bona a Clericis acquiſita per negotiationem 913. Item Epiſcopi non reſidentis 928.

Spolii Conſtitutiones circa illud, vide Camera Apoſtolica. Quæ, & quorum bona ipſi cedant 111. & ſeq. & 309. Quæ veniant ejus nomine, & qui ab eo eximantur ibid. & ſeq.

Sponſalia quando valida, & quando invalida 545, & ſeq. Si valida, hodie non excedunt primum gradum; ex quacumque vero ratione nulla, nullum ex iis oritur impedimentum 498. 499. A ſponſalium promiſſione ſive jurata, ſive non reſiliens, ſi mulier, vel vir ſine rationabili cauſa, illa eſt monenda tantum ad contrahendum matrimonium, hic autem compellendus eſt per cenſuras, non tamen ita facile, cum hoc remedio deterior exitus eſſet oriturus: nec privandus eſſet communione fidelium, ſi obdurato animo perſiſteret in reſiliendo, nec ſuſpectus eſſet de hæreſi, ſi in cenſura per annum inſordeſceret; ſuſpectus tamen eſſet, ſi jam excommunicatus renueret ſeductæ mulieri, aut dare dotem, aut damnum compenſare 483. Sponſalia de futuro olim tranſibant in matrimonium per copulam præſumpte habitam affectu maritali hodie ſecus ex Tridentino, ubi receptum eſt 480. Sponſalia jurata non impediunt ingreſſum in Religionem ad effectum profitendi 490. Sponſalia valide inita non irritantur per ſecunda 498. Sponſalia a Patre promiſſa abſque conſenſu filii non tenetur filius implere, niſi ob aliquam maximi momenti circumſtantiam, ſed tantum de honeſtate 498. 499. Contracta inter ſeptennem, & nondum ſeptennem, regulariter ſunt invalida, ſecus, ſi in iis adſit uſus rationis 501. Contracta a ſeptennio majori, vel ab ejus parentibus cum nondum ſeptenni, niſi verbo, vel facto poſt ſeptennium ratificaverit, vel malitia non ſuppleverit ætatem, tractu temporis non convaleſcunt, nec inde oritur impedimentum publicæ honeſtatis 501. Contracta vero a parentibus pro filiis, ſi hi expreſſe conſenſerint, vel ſi præſentes fuerint non contradixerint, vel ratificaverint, ad ea obligantur, & inde publicæ honeſtatis juſtitia oritur 501. In dubio an ſponſalia facta ſint, ob affirmationem unius, & negationem alterius, ad affirmantem ſpectat probatio 502.

Sponſi habitatio in domo ſponſæ ante contractum matrimonium nequit prohiberi ſub pœna ſtupri, ſed arbitraria 663. Sponſos benedicentis ſine licentia Parochi pœna & a quo poſſit abſolvi 729. 994.

Spurii, ac nati ex damnato concubitu alendi ſunt a parentibus ☞ non obſtante lege civili prohibente, cui derogavit Cæleſtinus III. licet prohibeantur iidem parentes quidquam eis in teſtamento relinquere 517. & ſeq.

Stabilia poſſidentium Ordinum Mendicantium exemptiones 785.

Stabilitatis votum Presbyterorum Congr. Miſſionis a quo diſpenſari poſſit 367. & ſeq.

Status Eccleſiarum relatio una cum viſitatione liminum Apoſtolorum quando, & a quibus facienda 130. Hodie reddenda eſt Congregationi Concilii etiam ab Abbatibus nullius 1072.

Status liber contrahentium matrimonium quomodo probetur 492. Et ſeq. & 1000. ☞ Status Clerica-

ricalis dejectio idem eſt, ac depoſitio 668.

Statuta iniqua obſervare jurantis, eaque edentium, & conſuetudines contra libertatem eccleſiaſticam obſervare facientium pœnæ 283. & 777. & ſeq.

Sterilitatis potum præbentis pœna 656.

Studio Theologiæ, juris canonici, ac etiam juris civilis vacantes per quinquennium in Univerſitatibus, ☞ ac etiam in Accademiis privilegiatis cum facultate doctoratus lauream conferendi, puta in ſcholis Soc. Jeſu, lucrantur integros fructus ſuorum beneficiorum 600. & ſeq. Et quando duas tertias partes diſtributionum in abſentia, relicta, tertia choro inſervientibus, ac creſcenda, juxta declarationem Congregat. Concilii ibidem, & 722.

Studiorum cauſa hodie Parochus nequit abeſſe, etiam cum licentia Epiſcopi, ut olim, ☞ nec hæc concedi ſolet a Papa 35.

Stuprum committens quando teneatur virginem dotare, aut in uxorem ducere, & quid ſi dotare nequeat, & iſta nolit nubere 662. 663. & ſeq ☞ Et explicatur Decretalis *Si ſeduxerit* ibid. ☞ Quæ praxis Romæ circa pœnas ſtupratoris. & quæ actio competat ſtupratæ, ac ejus parentibus, & fratribus, aliiſque, in quorum cuſtodia erat, & quæ pœnæ contra hos 663. Sub pœna ſtupri nequit prohiberi cohabitatio ſponſi in domo ſponſæ ante contractum matrimonium, ſed ſub arbitraria ibid.

Subdiaconatus in Eccleſia univerſali cooptatus eſt inter ſacros ſæculo XI. 250. 693. & ſeq. Ad eum aſſumendus quando, & ubi votum caſtitatis explicite emittebat ibid. Vide Votum. Illum, invita uxore, ſuſcipientis pœna 362.

Subdiaconi matrimonium contrahentis pœnæ 231. & ſeq. Subdiaconus venator, vide Venatio.

Subditorum punitio, vide Punitio Subditorum.

Subditos alienos, & etiam Regulares ad Ordines promoventis qualis hodie pœna 967.

Subditus quoad Tonſuram, & Ordines recipiendos ex quotuplici capite dici poſſit 872. Subditus Epiſcopo quoad Ordines ſuſcipiendos eſſe poteſt ratione originis, & domicilii 948. & ſeq. Et quid ratione beneficii ibid. & 873. Et vide Originis locus. Subditus ſæcularis Abbatum primæ, ſecundæ, & tertiæ ſpeciei a quo Epiſcopo ordinandus 961. Vide Locus exemptus.

Subſidia dotalia, vide Dotes Confraternitatum.

Subſidium charitativum quando, & in qua quantitate, & quoties, & a quibus debeatur Epiſcopo 396. & ſeq. Subſidium Terræ Sanctæ. Vide Quæſtores Eleemoſynarum.

Subſtituti pro divinis celebrandis ab adſcriptis choro reprobantur 474. 1013.

Succeſſio ab inteſtato cui competat 315. & ſeq. ☞ Et maxime in bonis decedentium in hoſpitalibus 316. Succeſſio futura in coadjutoriis prohibita, & in quibus caſibus hodie permiſſa 1060.

Suffraganei Epiſcopi an hodie vocari, & accedere debeant ad Metropolitanum, excepta cauſa Synodi celebrandæ 406. Eorumdem diœcæſis quando viſitari poſſit ab Archiepiſcopo 406.

Suffragiorum, ſeu votorum majoritas in electionibus pro electione in Capitulis, & Collegiis hodie attendenda eſt, non ſanior eligentium pars 283. Suffragio in Capitulis Monialium quando privetur tertia ſoror, vide Moniales ſupranumerariæ. Suffragium, ſeu votum conſultivum tantum habent Canonici Cathedralium in Conciliis provincialibus 282.

Superior Regularis, quoad auditionem confeſſionis ſuorum ſubditorum, vide Regulares Superiores. Ejuſdem pœna ære alieno gravatum ad habitum religioſum admittentis 83. Ipſius ſedes principalis quæ dicatur reſpectu parochialium illi annexarum 1041.

Superſtitionibus utentium in ludo vulgo *Lotto* pœnæ 687. Superſtitiones ſimplices hodie cognoſci poſſunt ab Inquiſitoribus S. Officii 629.

Suppellectiles Eccleſiæ, vide Eccleſiæ ſuppellectiles.

Suppreſſio conventuum, vide Conventus Regularium.

☞ Suſpenſio abſolute, & indefinite prolata de qua re intelligatur 729. Quando ſit latæ, & quando ferendæ ſententiæ 434. Suſpenſio ab Epiſcopis non incurritur, niſi facta fuerit de eis ſpecialis mentio 780. Et an incurratur ex Bulla S. Pii V. circa Conceptionem B.V. Mariæ 450. Suſpenſio proveniens ex delicto occulto quando diſpenſari poſſit 1005, & ſeq. ☞ Suſpenſionis, & interdicti pœnam Epiſcopi, eiſque Superiores non incurrunt, niſi in quacumque Conſtitutione ſint nominati, & an idem dicendum de excommunicatione 780. Suſpenſionis ſententiam ferentis, non ſervata forma præſcripta, pœna 779. & ſeq.

Syndicus Regularibus conſtituendus pro cauſis forenſibus, vide Procurator.

Synodales Judices, vide Judices ſynodales.

Ad Synodum coerceri poſſunt ab Epiſcopo Abbates, ſæculares, etiam exempti; ac ad illam accedere tenetur Præpoſitus habens uſum Mitræ, & Abbates Capitulo generali non ſubjecti, ſecus ſubjecti, ac Abbates cum vera qualitate nullius 125 Ad eam accedere tenentur Canonici Cathedralium, nec ab ea repellendus eſt Canonicus Pœnitentiarius 282. Quotannis celebranda eſt, & qui ad eam teneantur accedere, & qui non, & ſub quibus pœnis cogi poſſint, licet ſint Regulares 125. 1002. ad 1004. ☞ Si ſint duæ Cathedrales unitæ, eſt alternatim in ambabus celebranda 559. Cauſæ ab ea excuſantes ibid. Cogenda poſt Concilium provinciale ad publicandaejus decreta, & pœnæ eam tunc non cogentis ibid. Ad eam cogendam tenentur etiam Epiſcopi, & Archiepiſcopi Poloniæ, ac Lituaniæ 559, & 560. Pœnæ ad eam non accedentium ibid.

Ad Synodum provincialem accedere debent Epiſcopi ſuffraganei, & compelli poſſunt 406. 559. Quare hodie raro, vel nunquam celebretur 559.

T

TAbellionis officium Clericis interdictum 477.

Tabula Altaris tam fixa, quam portatilis, conſecrari debet oleo conſecrato ab Epiſcopo, & ex pontificio privilegio a non Epiſcopo 416. Si dubia eſt conſecratio, conſecrari debet 417. Decet eſſe lapideam, & cujus amplitudinis ibid. Pœna conſecrantis Corpus Chriſti ſine tabula, ideſt ſine petra conſecrata ibid. Et quid de ſacerdotibus latini ritus in Ruſſia Polonica ibid. Vide Antimenſiæ. An neceſſario conſecranda ſit cum appoſitione Reliquiarum ibid. Petra conſecrationem amittit, quando enormiter eſt fracta, ☞ & quæ ſit fractio enormis 417. 420, & ſeq. Ex quibus aliis capitibus amittat conſecrationem 420. & ſeq. An Tabula fixa Altaris tranſlata ab uno ad alium locum amittat conſecrationem 419. Sub altari ſepeliri nequeunt cadavera, neque prope 421. Tabula, ſive Altare fixum polluitur, polluta Eccleſia 421.

Talias, & collectas Eccleſiæ, & eccleſiaſticis imponentium, & eas ſolventium pœnæ 460, & ſeq. Vide Onera eccleſiaſticis, & Immunitas realis,

Taurorum, aliarumque ferarum beſtiarum agitationes ſub qua pœna prohibitæ tam quoad agentes, quam

quam quoad ſpectatores 659. Sub quibus limita-
tionibus permiſſæ pro Regnis Hiſpaniarum 660.
Regulares eis intereſſentes quam pœnam incur-
rant ibid.

Taxa Innocentiana aſſervanda eſt in Cancellaria epi-
ſcopali, nec quidquam ex emolumentis illius mi-
niſtris debitis cedere debet Epiſcopo 591. 869.
& ſeq. An extendatur etiam ad loca extra Italiam
ibid. Eadem quoad Ordinum collationem, vide
Ordines ſimoniace.

Taxillorum ludus, vide Alearum ludus.

Templariorum Ordo abolitus eſt in Concilio Vien-
nenſi ſub Clem. V., & eorum bona addicta Or-
dini S. Joannis Hieroſolymitani 142. 715. 717.

Tempora ſtatuta pro conferendis ſacris Ordinibus, &
pœnæ extra ea conferentis, & recipientis 944.
Et quid quoad Regulares, vide Extra Tempora.

Tempus modicum pro adimplemento celebrationis
Miſſarum, vide Modicum tempus.

Terminus ad comparendum in judicio non debet eſſe
nimis brevis 154. Et circa novum terminum con-
cedendum, vide Dilatio.

Terræ ſanctæ recuperatio, vide Cruce ſignatorum.
Terræ ſanctæ ſubſidium, vide Quæſtores eleemo-
ſynarum.

Tertiariorum claſſes, qualitates, privilegia, exem-
ptio, & ſubjectio juriſdictioni Epiſcopi; & af-
fertur inſtructio Congregationis de Propaganda
Fide 381. & ſeq.

Tertiariæ, ſeu Virgines Anglicanæ, vide Virgines An-
glicanæ. Tertiariæ S. Dominici Civitatis Januæ
ſubjectæ ſunt juriſdictioni Parochi 384.

Tertii Ordinis mulieres, vide Tertiariorum.

Teſtamentum favore ſpuriorum, & natorum ex da-
mnato concubitu eſt nullum 518.

Teſtamentum Clerici de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſi-
tis eſt nullum 306. 308, & ſeq ☞ An conſuetu-
do de his teſtandis excuſet a mortali; & an hæ-
redes tuta conſcientia ea retinere poſſint 306. Te-
ſtamenti executio ad quem Judicem ſpectet 308.
Ejuſdem condendi privilegio qui gaudeant, &
quando eo priventur 309, & ſeq. Ejus diſpoſitio
ad pias cauſas alterius arbitrio commiſſa valet 310.
Teſtamentum quando valeat 311, & ſeq. Item
ad profanas cauſas quando valeat, & an ubique
310. Item ad pias cauſas ibid. & ſeq. Refertur
praxis, & forma utrumque condendi ſine juris
civilis ſolemnitatibus 310. ad totum 314. ☞ De-
cretales Alex. III. *Cum omnes, & Relatum de Te-*
ſtamentis conciliantur 310, & ſeq. ☞ Teſta-
mentum animarum quod dicatur, & ubi vigeat
316. Teſtamentum filii familias de bonis caſtren-
ſibus, & ſemicaſtrenſibus pro ſuffragio animæ
ſuæ valet abſque conſenſu Patris 319. Teſtamenti
condendi privilegio qui beneficiati gaudeant, &
qui excipiantur 309. & ſeq.

☞ Teſtes ſcienter matrimonio aſſiſtentes ſine præmiſ-
ſis denunciationibus puniendi ſunt, etiam pœna
excommunicationis latæ ſententiæ 508. 989. Teſtes
falſo deponentes de ſtatu libero contrahentis ſe-
cundum matrimonium, conſtante primo, damnan-
tur ad triremes per quinquennium, aut brevius
pro qualitate delicti 509. 988. Teſtes pro cele-
bratione matrimonii 548. 549. Teſtis hodie non
requiritur, ut ſit jejunus, ut olim, niſi adſit con-
ſuetudo contraria 169. Teſtis non poteſt eſſe Ju-
dæus contra Chriſtianos 170. Secus, ſi agatur de
criminibus exceptis, de inſtrumentis, contracti-
bus, aut teſtamentis ibid. & 171. Chriſtianus au-
tem poteſt eſſe teſtis contra judæos 170.

Teſtimoniales litteræ Epiſcopi originis, aut domicilii
pro Ordinibus ſuſcipiendis, quomodo exarandæ
955.

Teſtimonium Judæi an, & quando admittendum, vi-
de Teſtis. Teſtimonium Chriſtiani admittitur
contra judæos 170.

Thalmut legentes, & retinentes quas pœnas incurrant
627. Ejuſdem retentio Judæis prohibita ſub qua
pœna ibid.

Theologalium virtutum actus, vide Actus Fidei.

Theologalis præbenda conſtituenda eſt in unaquaque
Cathedrali, & Collegiata inſigni, quomodo, &
cum quo onere, ac ſtipendio; danda eſt per
concurſum ab Epiſcopo, & Examinatoribus,
☞ etiam non ſynodalibus faciendum, & cujus
qualitatis eſſe debent his conferenda 594. ad 598.

Theologiæ ſtudio juvenes olim deſtinandi erant ſump-
tibus Epiſcoporum, & Capitulorum, ſi paupe-
res erant, cui præcepto hodie ſatisfactum eſt
per Seminariorum erectionem 600. & ſeq Huic
ſtudentes per quinquennium, ſi beneficiati ſint,
percipere poſſunt integrum fructum beneficio-
rum, exceptis diſtributionibus: ſi vero reſidi-
tus his conſtet, tunc duas tantum partes, reli-
cta tertia intereſſentibus 260. 600. Item ejuſ-
dem facultatis, juris canonici, ac civilis Lectu-
res ibid.

Theologus Cathedralium, & Collegiatarum. Vid.
Theologalis Præbenda.

Theſaurarius, ſeu Cuſtos Eccleſiæ Cathedralis hodie
non ſubeſt amplius Diacono, & circa ejus offi-
cium attendenda eſt Cathedralium conſuetudo 93.

Tori ſeparatio quoad impedimentum ex affinitate con-
tractum 178.

Titularis Epiſcopus an teneatur viſitare limina Apoſto-
lorum 182. Idem Ordines, ac etiam primam
Tonſuram conferens alieno ſubdito ſine literis di-
miſſoriis ſui Ordinarii, quam pœnam tam ipſe,
quam ordinatus incurrat 848. Nec poteſt familia-
rem ad Ordines promovere 957.

Tituli convalidatio ob non ſuſceptum munus epiſco-
palis conſecrationis intra præfinitum tempus fieri
nequit a majori Pœnitentiario 937.

Tituli honorarii abrogati ſunt 1007.

Tituli tantum patriarchalium ſedium hodie conferun-
tur a Papa 717.

Titulus Ordinandorum olim requirebatur etiam pro
prima Tonſura 250. ☞ Romæ requiritur uſque
ad valorem triginta ſcutatorum & pro Sacris ſexa-
ginta ibid. Titulo penſionis quando ordinandus
ibid. & 875. Titulo deficiente, Ordines ſacros con-
ferens Epiſcopus ad quid teneatur 250. Tituli
ordinandorum qui. Vide Ordines Sacri. Eo ca-
rens Ordinatus. Vide Ordinatus ſine titulo.
Ad titulum patrimonii quando quis promoveri
poſſit ad Ordines ſacros 250. 258. 874. Quæ re-
gula ſervanda eſt ab Epiſcopo, etiam quando
promoveatur ad titulum Patrimonii cum indulto
Apoſtolico 875. Ad titulum menſæ qui promo-
veri poſſint 872., & ſeq. Ad titulum Capella-
niæ perpetuæ ordinari quis poteſt 874. Item ad
titulum Præſtimonii ibid. Item ad titulum hoſpi-
talitatis, Commendæ, & Coadjutoriæ, & quoad
hanc, quæ regula ſervanda ibid.

☞ Tonſura non eſt initiandus Novitius, nec Obla-
tus in monaſterio, ut olim fiebat 62., & 68. Nec
eſt initiandus adultus ante receptum Confirma-
tionis Sacramentum, & qui ignorat rudimenta
fidei, ac legere, & ſcribere neſciat 62. ☞ Ea
initiatus, non ſuſcepto Chriſmate, indiget nova
proviſione pro beneficio etiam ſimplici retinen-
do, nec promoveri poteſt ad ſacros Ordines ſine
diſpenſatione Apoſtolica 62. 938. ☞ Et corri-
gendi ſunt DD. aſſerentes, non confirmatum Ton-
ſuram recipientem peccare tantum venialiter. Ini-
tiari tamen poteſt, ac etiam in Minoribus, ſi jura-
verit

verit coram Ordinario, ſe fuiſſe confirmatum 938. Ea non ſunt initiandi conjugati ex indulto Apoſtolico, non ſervatis conditionibus præſcriptis in Cap. V. *de Converſ. Conjugatorum* 62. An Tonſura ſit Ordo, Triden. non declaravit ☞ & quare, quamvis juxta Canoniſtas dicatur eſſe Ordo contra Theologos 69. Tonſura initiare poſſunt ☞ ſuos ſubditos regulares, eiſque conferre Ordines Minores Abbates, ſi ſint Præsbyteri, & benedicti, intra limites ſuarum Eccleſiarum, ac monaſteriorum, non autem extra ibid. Ea initiatus habitum clericalem non deferens. Vid. Habitum clericalem. ☞ Non conferenda ſimul cum duobus Minoribus, ut olim, ſed ſola 964. Quibus conferri poſſit ab Abbatibus exemptis, & nullius diæceſis 959. Vide Abbates exempti. Tonſura collata ab Epiſcopo titulari. Vid. Titularis Epiſcopus, & Ordines Epiſcopi Italiæ. Ea non initiandus, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſcepit, ac fidei rudimentis non inſtructus, & legere, & ſcribere neſciat 938. Ad Tonſuram recipiendam requiritur ætas ſeptem annorum, licet a Trident. non ſtatuta, ☞ ut mendoſe legitur ab eodem ſtatutum fuiſſe in Conſtit. Sixti V. 938. Tonſura venit nomine Pontificalium 825. Hanc privatim conferens proprio ſubdito in aliena diæceſi, non incurrit ſuſpenſionem 826. Tonſura initiatus, etiam conjugatus, venit nomine Clerici 759, & ſeq. Eam ſimoniace tam recipiens, quam conferens quas pœnas incurrat 869.
Torneamenta ſub quibus olim pœnis prohibita 659.
Translatio Epiſcopi ex qua cauſa fieri poſſit, & hæc examinanda eſt a Congregatione deputata 44.
Translatio Regularium ab uno ad alium Ordinem. Vid. Regulares.
Translatus Epiſcopus poteſt percipere fructus uſque ad illud temporis momentum, quo fuit ſolutus a vinculo primæ Eccleſiæ in Conſiſtorio 44. Non poteſt conferre beneficia vacantia poſt illud tempus, ſi translationi conſenſum præſtiterit ibid. Et reſpectu Epiſcoporum Regni Poloniæ ibidem.
☞ Tranſitus Regularis ab uno Ordine ad alium, etiam ſtrictiorem de ſtylo Curiæ fieri nequit ſine beneplacito Apoſtolico 353. 366. Ad laxiorem hodie prohibitus 340. 863. 1053. ☞ Tranſitus Monialium ad ſtrictiorem Ordinem an hodie admitti poſſit 345., & vid. Pœnitentiarius Major.
Treguæ, ſeu induciæ canonicæ non amplius ſunt in uſu 131.
☞ Tribunal laicum quando conſignare debeat Epiſcopo Clericos privilegio clericali privatos 222. & ſeq.
Tributum olim Angliæ Regnum ſolvebat D. Petro, & Sedi Apoſtolicæ 399.
Tridentini Concilii in Cap. XIII. Seſſ. VII. de Reformatione, ☞ mendum, quod irrepſit in prima ejus editione an. 1564. corrigitur 831. Ejuſdem decreta recipienda, & fideliter obſervanda præcipitur, pro quorum obſervantia inſtituta eſt Congregatio Cardinalium 1071. Et pœnæ juramenta præſtantium eiſdem decretis obviantia ibid. & ſeq. Ea interpretari ſolum poteſt Congregatio Concilii erecta a Sixto V. quoad diſciplinam, & quoad fidei dogmata ſolus Papa 1072. ☞ Eiſdem decretis quoad morum reformationem, & eccleſiaſticam diſciplinam Papa derogare poteſt abſque expreſſa derogatione ejuſdem Concilii 1072. Pro reſponſis dandis ad poſtulata ejuſdem Concilii decreta reſpicientia adjecta eſt altera Congregatio a Bened. XIV. ibid. ☞ Ejuſdem Cap. IV. Seſſ. VI. de Reform. & Capitis VI. Seſſ. XXV. circa Capitulorum exemptorum correctionem conciliatio 1058., & ſeq. Ejuſdem decreta de Reform. Regularium ſunt danda executioni, ☞ non obſtantibus privilegiis, quæ revocata ſunt 1054, & contraria propoſitio proſcripta ibid.
Triennalis regula quando ſuffragetur beneficii poſſeſſionem capienti ante literas Apoſtolicas non expeditas 265. Et quando tunc fructus percepti reſtituendi ibid. Non ſuffragatur intruſo in beneficio 266. Suffragatur tamen nulliter proviſo, ſed cum titulo colorato ☞ dummodo beneficium non ſit S. Sedi reſervatum ibid.
SSmæ Trinitatis Præfatio. Vide Præfatio.
Turcarum in navibus Chriſtiani remigantes. Vide Arma.

V

VAcantia beneficia in Curia Romana, Vide Beneficia vacantia. Eorum fructus applicantur Spolio Cameræ Apoſtol. 111. Vacantia beneficia per aſſumptionem ad Epiſcopatum 276.
Vagorum matrimonia ſine licentia Epiſcopi non contrahenda 1000. Et quæ documenta neceſſaria ſint pro verificatione ſtatus liberi ibid.
☞ Valetudinarium Pauperum Sacerdotum de Urbe quoad Sacramentorum adminiſtrationem, & ſepulturam reſpectu inibi decedentium, & ejus familiarium 457.
Valor modicus rei qui 288. 289.
Vaſa Sacra a quo benedici poſſint 423. & ſeq.
Velum conſecrationis pro monialibus quid 333.
Venatio quotuplex 693. Quæ Clericis, & ſub qua pœna interdicta. ☞ An Subdiaconus prohibitæ venationi vacans puniendus ſit eadem pœna, qua Diaconus ibid. & ſeq.
Venatores Clerici. Vid. Venatio.
☞ Venditio fructuum beneficiorum, & monaſteriorum ad vitam, vel ad longum tempus prohibita eſt ſub pœna contra alienantes inflicta 287. 292. Venditionis contractus cum pacto redimendi quando licitus, & quando uſurarius 294. Vid. Venditores. ☞ Ad venditionem, vulgo *a Credenza*, ſeu conventa, & non ſoluta pecunia, ut ſit juſta quot conditiones requirantur ad excludendam uſuram 679.
Venditores hominum. *Vid.* Plagearii. Venditores menſuras, & pondera adulterantes, a quo hodie puniuntur 293.
Veniæ facilitas in delictis incentivum eſt delinquendi 221.
☞ *Veniens* Decretalis Innoc. III. relata in Cap. VII, *de eo, qui duxit in matrimonium* illuſtratur 1074.
Verba intelligenda ſunt cum effectu 237. ☞ Conſultiva, & hortatoria quando non excludant obligationem 360.
Verbi Dei prædicatio fieri debet ab Epiſcopis, ſi non fuerint impediti 815. Illud violantium pœnæ 814.
Veſtes Clericorum tam prima Tonſura initiatorum, quam in quibuſcunque Ordinibus conſtitutorum, ac beneficia quæcumque, & penſiones poſſidentium quales debeant eſſe ex Conſtitutione Sixti V, & quibus pœnis afficiendi ab eo præſcriptas non deferentes, quique a dictis pœnis eximantur 857. & ſeq. Dictis pœnis ligantur præſcriptas veſtes non deferentes, licet eorum beneficii proventus ſit minor ſexaginta aureis 859. ☞ Quoad delationem vero veſtis talaris præceptam a Sixto V. emollitus eſt rigor a Bened. XIII., & XIV. atque ex uſu, & praxi contraria 860. Obligatio hodie extenditur ad beneficiatos Eccleſiam ingreſſuros pro divinis officiis obeundis, & ad Sacerdotes celebraturos, ac quando injungitur in edictis Ordinario.

nariorum ibid. & Vid. Habitus. Facultas condonandi fructus amiſſos a beneficiatis non deferentibus clericalem habitum in caſibus publicis ſublata eſt etiam Majori Pœnitentiario a Bened. XIII. & XIV. non vero in occultis 850.

☞ Viaticum dari poteſt a Regularibus ſuis familiaribus, & pauperibus in eorum hoſpitalibus 728. Illud conferre poteſt Sacerdos Regularis in caſu neceſſitatis abſque licentia Parochi, & ſi illud adminiſtraret extra caſum neceſſitatis bona fide, vel ignorantia craſſa nullam incurreret pœnam 846. ☞ Item juxta Benedictum XIV. *lib. VII. cap. X. n. 2. de Synod. diœc. edit. an.* 1755. Licite dari poteſt ei, qui veſperi incidit in mortis periculum, licet eodem die ſanus mane Euchariſtiam ſumpſerit. *Quod per oblivionem in corpore hujus Operis adnotare omiſſum eſt*. Illius adminiſtratio tempore peſtis. Vide Sacramenta. An illud recipere liceat in articulo mortis ab hæretico nominatim excommunicato vitando 766.

Vicariæ perpetuæ Urbis undecim a S. Pio V. conſtitutæ ſunt 830. ☞ Conſtituta eſt etiam ab eodem Vicaria perpetua in Eccleſia S. Mariæ in Aquiro ibid. Harum Vicarii approbandi ſunt ab Urbis Vicario, prævio examine per concurſum, ad nominationem tamen Capituli Baſilicarum, & Eccleſiarum, in quibus dictæ Vicariæ conſtitutæ ſunt ibid.

Vicarii tam perpetui, quam ad tempus Eccleſiis parochialibus, quibuſcumque locis unitis, deputandi ſunt ab Ordinariis cum congrua aſſignatione fructuum arbitrio Ordinariorum, ☞ non obſtante S. Pii V. Conſtitutione, & quanta 257. 828. 829. 830. Horum nominatio in parochialibus Regularium ad ipſos tantum Regulares ſpectat, & ſola approbatio ad Epiſcopum 828. Si vero non ſint perpetui, nominari poteſt unus ex ipſis Regularibus amovibilis ad nutum ſuorum Superiorum, dummodo amotio fiat abſque fraude, & non ex odio ibid. In congrua Vicariis perpetuis aſſignanda, quæ emolumenta computari debeant 830. ☞ Temporaneus dandus Parocho in ejus abſentia, deputari poteſt ab eo, ſed approbandus ab Ordinario 932. Vide Vicariæ perpetuæ Urbis, et Parochi Coadjutores. Vicarii foranei ſupplent hodie defectum teſtium ſynodalium, qui hodie non amplius deputantur 173.

Vicarios in ſpiritualibus nominandi facultas locari prohibita 591.

Vicarius capitularis eligi debet a Capitulo infra octiduum a morte Epiſcopi, alias devolvitur ad Metropolitanum, & debet eſſe unus tantum, cum juriſdictione illimitata, & privativa, non cumulativa cum Capitulo, neque removendus, & in caſu abſentiæ poteſt alium deputare loco ſui 127. 1018. Quibus intra annum concedere poſſit dimiſſorias 962. Incurrit pœnam interdicti eas concedens non arctatis ibid. Elapſo anno nequit illas concedere Ordinandis ad titulum patrimonii ibid. Eo elapſo, diſpenſare poteſt ſuper Interſtitiis, cum arctatis vero etiam intra annum 962. & 964. Ubi vero non eſt receptum Tridentinum, concedere poteſt dimiſſorias intra annum etiam non arctatis 963. Vide Sede vacante. Exequi nequit diſpenſationes Apoſtolicas commiſſas Epiſcopo, vel ejus Officialibus 921. Quomodo viſitare poſſit diœceſim, & quæ procuratio ei danda 1004.

Vicarius Urbis. vide Urbis Vicario.

☞ Vicarius generalis nequit diſpenſare denunciationes matrimoniales 990. Ei non competit facultas prohibendi aſcenſum ad Ordines, & interdicendi miniſterium ſuſceptorum ob occultum crimen. 848. Poteſt concedere facultatem contrahendi matrimonium coram alio Sacerdote, quam Parochu 990.

Vicegerenti Vicarii Urbis. Vide Urbis Vicario.

Victus, ſive abſens, ſive præſens, ſemper condemnatur ad expenſas 736.

Vigilia feſtivitatum incidentium in feriam ſecundam celebranda eſt Sabbato antecedenti 451.

Vigilia S. Matthiæ licet accidat in ultimum bacchanaliorum diem, celebranda eſt cum jejunio, ☞ nec eſt in poteſtate Epiſcopi, ut jejunium in antecedenti Sabbato anticipetur ibid., & 784. Vigiliæ ſervandæ cum jejunio enumerantur, & quæ excipiantur 451. & ſeq. Olim Romæ jejunium ſervabatur in Adventu Domini, ſecus hodie 452.

Vim inferentis mulieri, ut fiat Monialis, vel monaſterium ingrediatur, vel habitum regularem ſuſcipiat pœna, & quos alios comprehendat 335.

Vindemia quando fieri poſſit diebus feſtis 156.

☞ Vindicta ſanguinis quando Clericis permiſſa abſque incurſu irregularitatis 473., & 477.

Violatores Eccleſiarum privantur eccleſiaſtica ſepultura, ſi deceſſerint, ſatisfactione non præmiſſa, & debent nominatim denunciari ab Epiſcopo excommunicati, & olim accedere tenebantur perſonaliter ad S. Sedem pro abſolutione obtinenda, ſatisfactione præmiſſa 666. Hodie tamen non exigitur perſonalis acceſſus 667., & alibi pluries Qui veniat nomine violatoris ibid. Pœnæ auferentium lapides, aliaque ornamenta Eccleſiarum Urbis ibid.

Virgines Anglicanæ ſubjectæ ſunt juriſdictioni Ordinariorum 384.

Virginitas B. Mariæ Virginis fuit ſemper integra 2.

B. Virgo non comprehenditur in decreto Tridentini de peccato originali 815.

Virtutum theologalium actus. Vid. Actus Fidei.

Viſitatio Monialium tam Sedi Apoſtolicæ ſubjectarum, quam Epiſcopo quotannis facienda eſt ab eodem quoad ſpiritualia dumtaxat ☞ præfinito tamen numero perſonarum eccleſiaſticarum, quas ſecum habere debet, & dictum numerum excedentis, dictamque viſitationem impedientis pœna 374. & ſeq. Subjectarum vero Regularibus ab earum reſpective Superioribus ibid. Epiſcopo viſitanti Moniales nulla debetur procuratio, excepto caſu, quod in illarum Eccleſia adſit aliquod beneficium ibid. Viſitatio earumdem quando, & copulative cum Superiore regulari competat etiam Epiſcopo, & in quibus rebus 375. 377. & ſeq. Regimen earumdem in temporalibus in quibus competat Epiſcopo, afferuntur varia decreta 377. Quomodo facienda a ſolo Superiore regulari, & quibus perſonis comitatu 376., & ſeq.

Viſitatio Regularium Epiſcopo ſubjectorum quando, quot, & quibus perſonis ſibi adjunctis fieri poſſit 375. 406. & ſeq. & 884. & ſeq. Qui conventus ei ſubſint. Vide Conventus.

Viſitatio monaſteriorum commendatorum, in quibus non viget regularis obſervantia, quotannis facienda 883. Et quando Epiſcopus ea viſitare nequeat 887.

Viſitatio diœceſis quo numero evictionum, & quarum rerum facienda 396. ☞ Fieri poteſt pluries intra annum ab Epiſcopo, ſed unam tantum procurationem recipere poteſt 401. 1004. Neque hæc debetur pro viſitatione Eccleſiarum exiſtentium in loco ejus reſidentiæ 403. Quando fieri debeat ſine procuratione 191. Viſitatio diœceſium Suffraganeorum quando fieri poſſit ab Archiepiſcopo, & an hodie ſit in uſu 406. Vide Procuratio. Et Vicarius capitularis. Viſitatio parochialium Eccleſiis exemptis annexarum. Vide Parochia

rochia Eccleſiis exemptis annexa Viſitatio beneficiorum parochialium quibuſvis locis unitorum ſingulis annis gratis inſtituenda eſt ab Ordinariis 828. Viſitatio competens Archidiacono, Vide Archidiaconus.

Viſitatio liminum Apoſtolorum a quibus, & quando facienda 130., & 178. & Vid. Liminum Apoſtolorum.

Vitandi excommunicati. Vid. Excommunicati vitandi.

Ultimarum voluntatum executio, & commutatio. Vid. Voluntatum ultimarum.

Ultramontanorum ordinandorum dimiſſoriæ in Italia a quo, & quando recognoſci debeant 849. 876. Et Vid. Ordines. Iidem ordinati ab Epiſcopis Italiæ ſine dimiſſoriis proprii Epiſcopi eo ipſo incurrunt ſuſpenſionem abſque ſpe diſpenſationis 848., & ſeq.

Unctio in conſecratione Epiſcopi latini adhiberi debet, ſecus Græci 72.

☞ Unctio Extrema conferri poteſt a Regularibus ſuis familiaribus, & pauperibus in eorum hoſpitalibus 728. Conferri poteſt ab uno, vel pluribus Sacerdotibus, ejus materia, & forma, ac in qua corporis parte facienda 734. 845. Oleum Sanctum pro dicta unctione non ſunt Presbyteri Græci cogendi accipere ab Epiſcopis latinis diœceſani. ibid. Quilibet Sacerdos valide illud adminiſtrat, ſed illicite, excepto caſu neceſſitatis, ſine licentia Parochi, qui eſt ejus miniſter privativus 846. Regulares illud adminiſtrantes extra caſum neceſſitatis bona fide, vel ignorantia craſſa, non incurrunt excommunicationem inflictam a Clementina de *privilegiis* ibid. Sicut nec Sacerdotes ſæculares pœnas inflictas a Tridentino, ac Bulla Cœnæ, ſi non præſumant uſurpare Parochi juriſdictionem ibid. Illius adminiſtratio tempore peſtis. Vid. Sacramentorum adminiſtratio.

Unio beneficii ſimplicis ſpectantis ad fabricam, ſacriſtiam, vel menſam capitularem fieri nequit ab Epiſcopo, etiam cum conſenſu Capituli, præbendis canonicalibus ob diminutionem fructuum earumdem 7. Eorum unio quibus privilegiatis interdicta 1013. Unio parochialium alteri parochiali quando, & quomodo fieri poſſit ab Epiſcopo 878.

Vocis privatio in Capitulo eſt latæ ſententiæ 921. Ea non gaudet in Subdiaconatus Ordine non conſtitutus, licet juſto impedimento præpeditus ibid. Canonicus quoad vocem *in Capitulo*. Vide vocis *privatio*. Vocis privatio in Capitulo pro electione Regularium quomodo incurratur 1032. ad totum 1037. Vid. ſententiæ privationis.

Voluntatum ultimarum etiam ad pias cauſas executio an ſit mixti fori, & quando 308. Et earum commutatio an fieri poſſit ab Epiſcopo 385.

Votum in electionibus. Vid. Suffragium.

Votum de non procuranda, nec acceptanda dignitate extra Ordinem, emiſſum a Religioſo cum expreſſa declaratione, ſe eam non acceptaturum, niſi coactus ſit ab eo, qui ei præcipere poteſt ſub pœna peccati ☞ diſpenſari nequit a Superiore Regulari, ſed a Papa, etiamſi Religioſus tranſlatus fuerit ad alium Ordinem, in quo hoc votum non emittitur 37. ☞ *Sed ſermo hic eſt de voto duntaxat, non de promiſſione*, ut fieri ſolet in aliquo Ordine 866. Votum caſtitatis in promovendis ad Sacros Ordines hodie non exigitur explicite, & quando explicite emittebatur a Subdiacono 693. & ſeq. Votum ſolemne ſolemnizatur duntaxat per ſuſceptionem, ſive publicam, ſive privatam Ordinis Sacri, aut per profeſſionem religioſam 355., & 361. ☞ Ejus ſolemnitas orta eſt *ex ſola Eccleſiæ inſtitutione* ibid. Emiſſum in ſuſceptione Ordinis Sacri dirimit matrimonium poſtea contractum, non autem ratum præcedens 362. Emiſſum in profeſſione religioſa dirimit præcedens matrimonium ratum, & non conſummatum ibid. Votum ſolemne paupertatis, & caſtitatis quando diſpenſari poſſit a Papa 368., & ſeq. Vota ſimplicia emiſſa in Societate Jeſu quamdiu durent, & an votum caſtitatis dirimat matrimonium contrahendum 361. Votum Stabilitatis Presbyterorum Congregationis Miſſionis a quo diſpenſari poſſit 367., & ſeq. Vota ſimplicia Papæ reſervata quot, & quæ ☞ Nec votum viſitandi domum Lauretanam eſt illi reſervatum, ut aliqui perperam opinati ſunt 359. Votum per vim emiſſum non obligat, ☞ ſecus ſi ſit juratum 357.

Vota tam temporalia, quam perpetua ante profeſſionem religioſam emiſſa extinguuntur per ipſam profeſſionem, ☞ dummodo non ſint jurata 356., & ſeq. Vide alias limitationes ibid. Votum ſimplex juramento firmatum abſolvi nequit ab habente facultatem abſolvendi a voto 357. ☞ Votum ſimplex caſtitatis quando maritus, vel uxor ob profeſſionem religioſam ab altero factam teneatur emittere 355. Votum de non petendo debitum conjugale non impedit matrimonium contrahendum, ſed illud reddere poteſt 361. Votum ſimplex perpetuum emiſſum ab Epiſcopo in acceptatione Epiſcopatus eſt Papæ reſervatum 359. Votum de ingrediendo Religionem ante Epiſcopatum emiſſum, eſt implendum ante illius acceptationem 359., & ſeq. Votum de ingrediendo Religionem, & profeſſionem faciendo, quando teneat 341. De ingrediendo Religionem non invalidat matrimonium, hoc tamen obſtrictus peccat peccato ſacrilegii contrahendo 514. Votum ſimplex caſtitatis diſpenſatur, vel commutatur a ſolo Papa. ☞ licet in Decretali Alexand. III. relata in Cap. V. *Veniens, tit. Qui Clerici* legatur, diſpenſatum fuiſſe ab Epiſcopo, cum diſpenſaverit ex ſola commiſſione Papæ 515.

Votum paupertatis. Vid. Paupertatis votum. Vota ſolemnia quomodo diſpenſari poſſint a Papa 368. & ſeq. ☞ Voto ſimplicii quando æquiparetur propoſitum ingrediendi Religionem 346. 348. 350. Votum ſimplex caſtitatis quando injungendum ſit alteri conjugi remanenti in ſæculo poſt profeſſionem alterius, matrimonio jam conſummato 355. Vota ſimplicia emittentes quo titulo promoveri poſſint ad Ordines Sacros. Vid. Societatis Jeſu.

☞ Urbis Vicario quæ jura competant in Eccleſiis titularibus Cardinalium, vacante titulo 126. Eidem ac illius Viceſgerenti creditur aſſerenti de vivæ vocis oraculo Pontificis. *Rot. dec. 117. num. 6. & 12. coram Durano* 171. Hodie habet juriſdictionem in diſtrictu Urbis uſque ad XL milliaria 93. Ipſi caſus reſervati, vide Caſus reſervati Urbis Vicario.

Urbis Gubernator quoad irregularitatem. Vide Gubernator Urbis.

Urbis Eccleſiarum violatores. Vide Violatores Eccleſiarum.

Uſura eſt percipere fructus pignoris pro pecunia mutuata, poſtquam ſortem adæquant 672. Quando liceat 673. Uſura eſt contra jus naturale, & divinum, nec Papa diſpenſare poteſt ſuper retentione pecuniæ ex ea proveniente, licet eroganda pro redemptione Captivorum 673. Diſpenſare tamen poteſt, ut retineatur a Judæis converſis, quando ignotæ ſunt perſonæ, quibus eſſet reſtituenda ibid., & 616. Uſura non eſt, ſi Mons Pietatis aliquid exigeret ſupra ſortem mutua-

tam 673. Et pœna contrarium aſſerentium ibidem, & ſeq. Uſura eſt vendere merces, & comeſtibilia pluſquam valent ob dilationem ſolutionis 674. Et quando liceat ibid. Vid. Venditio *A Credenza* 879. & ſeq. In uſura non datur parvitas materiæ 675. Nec reſpectu Hebræorum 680. Qui tituli non excuſent, & qui liciti 675. Propoſitiones proſcriptæ circa uſuram 678. Et vide Pignoris fructus. Vide Venditio.
Uſurarii quoad ſepulturam. Vide Uſurarios manifeſtos ſepelientis pœna 322.
Uſorpatio beneficii quibus pœnis punienda 266.
Uſurpatio bonorum, proventuum, & fructuum ad Sedem Apoſtolicam, Eccleſias, & eccleſiaſticos pertinentium interdicta ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ 924.
Ut in parvis Conſtit. Innoc. X. 833.
Uxor poſt divortium ob ipſius adulterium apud quem, & quomodo cuſtodienda, antequam reſtituatur viro 161. Eadem jurans de non veniendo contra alienationem dotis, juramentum ſervare debet, ☞ & Judex ſæcularis tenetur in hoc ſervare jus canonicum, non civile 183. Quoad ejus ſepulturam Vid. Sepulturæ electio.

Z

ZEnia, quæ Judicibus, miniſtris, & officialibus Romanæ Curiæ permittantur 576. Vide Eſculenta, Munera, Poculenta.

ERRATA.			*CORRIGE.*
Pag. 6	*linea* 22	ab initio Interpoatum	Interpolatum
Pag. 30	3	a fine Ingere	Ingerere
Pag. 129	27	ab initio Epiſcopus	Epiſcopos
Pag. 205	3	ab initio Graſtamina	Gravamina
Pag. 218	15	a fine Canonis	Canoniis
Pag. 265	8	a fine col. 2. lib. XIII.	Lib. XII.
Pag. 334	4	ab initio vel Majorum	ſed Majorum
Pag. 365	11	a fine Ominia	Hominia
Pag. 396	23	a fine Nam	Non
Pag. 417	32	a fine col. 2. Poſt Introitum	☞ Poſt aſcenſum ad Altare ante Introitum
Pag. 425	7	col. 2. ab initio Addidit	☞ Quoad privationem ſepulturæ dumtaxat
Pag. 426	7	a fine col. 1. Eccleſiæ ſimpliciter benedictæ	☞ Eccleſiæ conſecratæ
Pag. ead.	6	a fine Eccleſiæ conſecratæ	☞ Eccleſiæ ſimpliciter benedictæ
Pag. 495	20	a fine Reninens	Renitens
Pag. 515	13	ab initio Tata	Notata
Pag. 538	38	ab initio Tranſmiſſe	Tranſiſſe
Pag. 553	13	ab initio Cognito	Cognitio
Pag. 574	2	ab initio Obtenentæ	Obtentæ
Pag. 626	28	ab initio pag. 250	pag. 242
Pag. 627	10	a fine S. J.	Sac. Inquiſitioni
Pag. 659	22	ab initio col. 2 Faliis	Familiis
Pag. 674	18	ab initio col. 2. Nata	Notas
Pag. 976	7	ab initio Tridentina	☞ Tyburtina
☞ In Indice			
Pag. 1084	6	a fine col. 2 460.	450

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google